





IANS. in
Psalm. et Can
son in Cantic. et
II
6
573










XL

IANS. m

Psalm. et Cant.



IACOBI IANSSONII
AMSTELEDAMENSIS, S. THEOLOGIÆ LOVANII PROFESSORIS,
IN PSALTERIVM, ET CANTICA
quibus per horas Canonicas Romana vtitur Ecclesia,
EXPOSITIO.
Cum Scripturarum & rerum Indice.

1. Corinth. 14.
Orabo ſpiritu, orabo & mente; Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.





LOVANII,
Apud Io. Maſium, & Philip. Zangrium, Typog. Iur.
ANNO M. D. XCVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS CATHOLICI.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO D. MATTHIÆ HOVIO, ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI MERITISSIMO, DOMINO SVO.



Vod olim, Reuerendissime & illustrissime Domine, B. Bernardus cum Euangelicum Diuæ Virginis & Angeli Dialogum in lucem emitteret, id ego quoque modò hanc Psalterij expositionem omnibus exponens, non omnino sine causa forsitan vereri debere videar, ne scilicet (vt Sancti illius verbis vtar) iudicer superfluus aut præsumptor, qui post Patres qui Psalterium varijs sæculis exposuerunt, in id nouus expositor ausus fuerim mittere manum. Rem tamen bene consideranti, videbor expositor magis oportunus quàm superfluus: Et, de veterum lacinijs nouum potius centonem, quàm nouam in medium proferre expositionem. Quæ enim Patres in Psalterium eiusque declarationem sparsim scripserunt, hæc ego, vt lectoribus obuia essent & oportuna, suis, vt potui, locis disposui, fecique in seriem sparsa redire nouam. Sed etsi expositio nostra quibusdam in locis noua esset, non foret id piaculum: Nouas enim, si ita appellare libet, in sacras scripturas expositiones, nouæ nos cudere cogunt hæreses. Cùm enim impij (quo nomine hæreticos intelligendos esse suo loco ostendimus) in circuitu ambulantes, prioribus expugnatis, nouas semper hæreses excogitent, & inauditis expositionibus scripturarum sanctarum sensus peruertant, oportet nos ex aduerso, ad eorum confutationem de-

Scripturis sacris fidei, nouis argumentis impugnatæ, veritatem, & sacrorum sensuum sinceritatem eruere, & in medium adferre. Nec hunc nobis laborem Patres præripuerunt, sed reliquerunt. Cùm enim ipsi de sacrarum scripturarum reconditis illa eruissent, quæ sui temporis hæresibus conterendis plurimum adferrent ponderis; reliqua quæ aduersus oborituras hæreses in Scripturis sacris adhuc manebant recondita, posteris accuratius enucleanda reliquerunt, vt aduersus peruersa hæreticorum dogmata, Ecclesiæ sapientia quouis tempore exerceretur & exacueretur: Descenderétque quouis tempore Israel ad Philisthijm vt exacuat vnusquisque vomerem suum & ligonem, & securim & sarculum. Nec tamen ob id noua religionis dogmata in medium adfert Doctorum Neotericorum cathedra, sed supercertat traditæ semel sanctis fidei atque doctrinæ, neruosis deductionibus producens doctrinam veterum, vsque ad confutationem nouorum. Verumenimverò expositionem hanc non solum aduersus hæreses direxi, sed magis ad Catholicorum ædificationem, vt, ad incrementum deuotionis, ostenderem Catholicæ Religionis medullam Psalterio comprehensam esse atque contentam. Psalmorum enim materia, tametsi sub varijs verborum metaphoris & inuolucris abstrusa sit & recondita, paßim tamen spiritualis est, Christum, Ecclesiam, Christi gratiam, iustitiam, conuersationem rectam, & cætera quæ huc pertinent immediatè ac principaliter continens atque parturiens. Non tamen ob id censeri debeo, Psalmorum sensum mysticum proferre: Profero enim literalem, eò quod sensus sacrarum Scripturarum literalis ab authoris intentione petendus sit: Quia is inter cæteros sensus literalis est, qui est

ab au-

ab authore principaliter intentus. Proinde non fuit mihi curæ Psalmos prius de rebus veteri testamento gestis exponere, arbitrabar enim præter paucos Psalmos qui allegorici sunt, reliquos sensum spiritualem immediatè postulare, id enim mihi persuadebat tum ratio prophetiæ, tum vsus Ecclesiæ, tum dignitas scripturæ, tum etiam verborum amplitudo, versuumque connexio. His accedebat D. Hilarij authoritas, qui dicit: Psalmi non sui tantum temporis res enunciant, neque in eas solum ætates conueniunt quibus scripti sunt, sed vniuersis, qui in vitam venerunt, Dei sermo consulit, vniuersæ ætati ipse aptissimus est ad profectum. Si vniuersæ ætati, oportet ergo Psalmos ea quæ Christianæ fidei, religionis & conuersationis sunt describere, per hæc enim omnis ætas saluatur, & ad vitam æternam perducitur. Cùm itaque, Optime PRÆSVL, ipse, bono à iuuentute spiritu delibutus, per interioris hominis profectum, ea quæ Spiritus Dei sunt (vt cum voluptate subinde obseruaui) sapias: Et, à Spiritu sancto Clero præpositus sis, vt per eum, orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, eâ, quæ Deo placeat, religione, fieri, gratiâ & authoritate procures; non potui præterire quin hanc meam expositionem, tuæ, ante omnia, pietati destinarem; vt & meæ erga eandem dilectionis & obseruantiæ argumentum, & eius in Religionem, officiaque diuina studijs suppeditarem, quod possem, adminiculum: Id meis, (præsertim quatenus Scripturarum sacrarum, & Patrum verbis & allegationibus constant) quod quondam D. Ambrosius suis ad Gratianum Imperatorem lucubrationibus implorabat in hæc verba: Confer te Domine ad nos, & sanctifica mihi aures Principis

Gratiani; Omniumque præterea, quorum in manus hic libellus venerit, vacuas mihi præsta; easque emunda, non fontanis poculis, non fluuiali haustu, sed sermonibus ad vicem aquarum operantibus. Est enim tibi poculum quo secreta mentis mundare consuesti, quod lætificat cor hominis, sobrietatem inebriat, crapulam fidei & veræ religionis exhalat. Hoc tu munusculum PRÆSVL *Amplissime benignè suscipe, & ad profectum Ecclesiæ, diuinæ bonitati semper commendatus existe, vt integer spiritus tuus, anima & corpus, in aduentu Domini nostri* IESV CHRISTI *in nostram pariter salutem diu seruetur.*

Louanij, è Collegio solicitudinis nostræ, materno gremio eruditionis tuæ, quod sanctæ memoriæ ADRIANVS VI. *Romanus Pontifex de bonis suis belgicis Belgio feliciter erexit & dotauit, 29 Iunij, Anno* 1597.

Reuerendissimæ & Illustrissimæ gratiæ tuæ in Domino addictissimus,

Iacobus Ianssonius.

CENSVRA.

Dauidicorum Psalmorum ab eximio M. N. Iacobo Iansſonio in ſcholis Academiæ Louanienſis prælectam, & à me vt Cenſore antea probatam; nunc vero ab eodem authore ſub prælo recognitam enarrationem; iterum probo, & prælo dignam cenſeo

HENRICVS CVYCKIVS
Ruræmundenſis Eccleſiæ indignus
EPISCOPVS.

Hanc Pſalmodiæ expoſitionem diligenti eruditionis præſtantia è varijs antiquorum patrum floſculis confectam, ego infraſcriptus, vidi, legi & probaui, cumque nil habeat quod cum eximia pietate ſinceram fidem non teneat: editione in publicum ad communem ædificationem digniſſimam exiſtimaui. 30 Iunij, 1597.

EMBERTVS EVERAERTS
Eccleſiæ D. Petri Paſtor, & S. Theologiæ Louanij Profeſſor.

Commentarius hic in Pſalmos Dauidicos & in Cantica quæ in officio Eccleſiaſtico vſurpantur, eruditus eſt, vitæque ad normam Chriſtianæ veræque pietatis inſtituendæ apprime vtilis: Ita ſentio

IOANNES CLARIVS *Scholaſticæ Theologiæ in Academia Louanienſi Regius ac primarius Profeſſor.*

SVMMA PRIVILEGII.

REgiæ Catholicæ Maiestatis literis concessum est D. Iacobo Ianssonio Amsteledamensi, S. Theologiæ in Academia Louaniensi Professori, vt commentaria sua in *Cantica Canticorum*: eiusdemque in omnes *Psalmos Dauidicos*, & *Cantica ferialia*: similiter in sacrum *Missæ Canonem*, & *Dominicam Passionem*, cui velit Typographo Iurato in Brabantia tradat imprimenda ac distrahenda; alijs omnibus Typographis & Bibliopolis interdicendo, ne quis supradictos libros infra sexennium imprimat, aut alibi impressos diuendat, sub pœna confiscationis librorum & quinquaginta florenorum, vt latius patet in dictis literis, Datis Bruxellæ, 24 Iulij 1596.

Signat.

I. De Buschere.

Prædictum Priuilegium concessi Ioanni Masio & Philippo Zangrio, Typographis Iuratis.

Iacobus Ianssonius.

ARGVMENTVM PSALMI PRIMI.


Escribitur hoc Psalmo, in quo posita sit innocentia atque rectitudo hominis iusti, quæque eius sit exercitatio, quis fructus, quis rerum eius successus, quis euentus. qui ordinatissimè primo loco ponitur. Quicquid enim inuocationis, comminationis, prædictionis, promissionis, & id genus rerum in Psalmorum libro describitur; omne id ad iustitiam hominis ædificandam, tuendam, perficiendam ac remunerandam refertur. Est itaque hic Psalmus omnium Psalmorum quidam scopus, qui vt intentione, ita conuenit, vt hic & loco sit primus. In tota autem Psalmorum nostra explicatione obseruandum, nos quidem eum sensum dare qui authoris proposito, textusque cohærentiæ atque deductioni maxime conuenire videtur. Fatemur tamen nihil vetare quominus iidem Psalmi, aut aliqui eorum versus ad alios sensus, materias, intentionesque extendantur. Nulla enim enunciatio Spiritus sancti, inquit Tertullianus, ad præsentem tantum materiam, & non ad omnem vtilitatis occasionem dirigi & suscipi potest. Et; Latè Scriptura diuiditur, vbicunque secundum præsentis rei sensum disciplina munitur. Cap. 2. de cultu fœminarũ. Cap. 3. de Spectac.

PSALMVS PRIMVS.


Eatus vir. Dicitur iustus in hac vita beatus, ab inhabitantis 1.
Dei, (qui omnis beatitudinis fons est) nonnulla felici tamen
participatione, & plenę beatitudinis certissima expectatione.
Qui non abijt. Iuxta primum iustitiæ præceptum, quod est
declinare à malo, prius describit Psaltes, quid iusto cauendum sit, nempe, ne abeat *in consilio impiorum*, id est, ne malo alicui consilio consentiendo in transuersum actus à iustitia declinet. Quamuis autem impietas propriè peccatum sit quod in Deum immediatè committitur; omnis tamen iniquitas impietatis nomine hoc loco denotatur, eo quòd omne peccatum diuinorum existens inobedientia mandatorum, impietatis quandam rationem sibi habeat annexam, Sicut & diuinorum mandatorum obedientia, annexam sibi habet rationem pietatis. *Et in via peccatorum non stetit*, id est, in iniqua & iniusta conuersatione non perdurauit aut non perseuerauit. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*, id est, mortifera non docuit. Cathedra enim docendi authoritatem munúsque hoc loco

ſignificat ſicut & Matth. 23. Super cathedram Moyſi ſederunt, &c. Dicitur autem cathedra peſtilentiæ à falſa doctrina, quæ ad inſtar peſtis mortifera eſt & contagioſa, ſerpens vt cancer. dum in audientium ſenſus (inquit Hilarius) prædicantium morbus infunditur. Tribus itaque huius verſiculi membris deſignantur tres gradus, per quos peccatores paulatim, vt notat Baſilius, in peius proficiunt. Primus de quo dicitur, *qui non abijt*, eũ peccati lapſum deſignat, qui tãtum receſſus quidam eſſe videtur: quia enim dicitur, qui non abiit, eum diſceſſum deſignat, à quo eueſtigio ad iuſtitiam redeatur, vt notat Hilar. Secundus peiorem deſignat peccati lapſum, in quo nimirũ ſtatur ſeu permanetur. Tertius peſſimum ſignificat peccati lapſum, in quo per doctrinam falſam aliis ſcandalum ponitur. Poſt quę iuxta alterũ iuſtitiæ præceptũ, quod eſt: fac bonum: beatum virum deſcribere Pſaltes incipit. In cuius deſcriptionis primo membro deſcribitur iuſtæ voluntatis tanquam primariæ iuſtitiæ partis propenſio, de qua dicit:

2 De Trin. / Baſil in hunc locũ.

2. *Sed*, q.d. tantum abeſt, vt is quem beatum prædico, quid malorum prædictorum faciat, quin potius: *In lege Domini voluntas eius*. i. tota deuotione propenſa eſt voluntas eius & parata, vt per omnia faciat quæ legis ſunt, & diuinæ voluntatis. Cuiuſmodi erant illi de quibus dicitur: Vide vt facias mandata eius corde perfecto & animo volenti. Et; Elegit Iudas ſacerdotes voluntatẽ habentes in lege Dei. *Et in lege eius meditabitur*. Hîc ſignificatur effectus propenſæ volũtatis. *Meditabitur*. i. ſagaciter & inſtãter ſcrutabitur, In primis diuinæ legis abdita; Ex quibus erat Auguſt. dicens: Largire ſpatium meditationibus noſtris in abdita legis tuæ. Scrutabitur deinde legis ipſius magnalia, vt proficienter intelligat quàm ſint magna & ardua quæ mandatũ charitatis in ſe complectitur, quamq́ue omnium præceptorum moralium æquitatem longe excedant, de qua re Tertull. In modico conſiſteret Domini Dei ingenium de diſciplina qua nos aduerſus diaboli altitudines munit, ſi in his tantùm delictis iudicaremur, aut bonis operibus muneraremur, quę nationes etiam decreuerint iudicanda aut muneranda. Meditabitur etiam, quia in omnem occaſionem bene & ſecundum legem Dei operandi intentus erit, vt eam bono opere vacuam præterire non ſinat. Perfectæ enim animæ non ſufficit, inquit Ambroſius, peccati iudicium declinare, ſed per omnem bene operandi occaſionem regni cęleſtis meritum acquirere. Meditabitur denique, vt omnia ſua ſtudia dicta ac facta diuinæ legi reddat conſentanea, & quę diſſentanea fuerint, ea ad legis normam reformet. Sic Hilarius & Hieron. *Die ac nocte*. i. tanta inſtantia & animi intentione, vt cùm hiſce meditationibus dies nõ ſufficiat, bona noctis pars, ſtudio ſomnolentiam expellente, in his meditationibus tranſigatur.

1 Para. 28 / 1. Mach. 4. / 11. Confeſ. cap. 2. / Cap. 2. de Idololat. / In pſal. 118 ſerm. 16. verſ. 3. / Epiſt. 16.

3. *Et erit tanquã lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*. Duo

ſunt

ſunt in quibus conſiſtit hæc comparatio. Alterum eſt ex parte hominis, alterum vero ex parte gratiæ, vel aquæ decurrentis. Prius membrum explicat Ierem. dicens; Erit tanquam lignum quod transplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas. Radix autem iuſti fides eſt: humor verò vndæ ſunt diuinæ gratiæ. Mittit itaque iuſtus tanquam lignum radicem ſuam ad humorem, cùm credens ſe proprijs viribus, nec ad iuſtitię initium, nec ad eius incrementum aut exercitium peruenire poſſe, & Deum benignum eſſe, vt det gratiam in tempore oportuno confugientibus ad ſe, in omni negotio & tentatione ex hac fide ad auxilium diuinæ gratiæ tota mentis deuotione, & bonæ ſpei alacritate ſe conuertit. Quo facto viciſsim efficitur ſimilis ligno, *quod plantatum eſt iuxta decurſus aquarum*, quia pro fidei & ſpei magnitudine, in promptu adeſt ei affluẽtia diuinæ gratiæ, ſicut bene dicit Cyprianus, Manat iugiter ſpiritus, exuberat affluenter, noſtrum tantum ſitiat pectus & pateat, quantum illuc fidei capacis adferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. *Quod fructum.* Iuſtitiæ ſcilicet, qui ſunt bona opera, de quo fructu Apoſtolus: Repleti fructu iuſtitiæ per IESVM Chriſtum. *Suum,* quem in primis ad ſuam ſalutem ſibi acquiſiuit. *dabit.* i. in aliorum ſalutem deriuabit, ſicut Apoſtolus, dicens; vt poſsimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem qua exhortamur & ipſi à Deo. Et notandum quod dicit *fructum ſuum*, quia, vt docet Bernardus; quidam nullum dant hominibus fructum, vt arbores infructuoſæ; Alij dant fructum non ſuum, qui dicunt quod ipſi non faciunt. Alij dant fructum ſuum, qui docent quod faciunt. *In tempore ſuo*: id eſt, poſtquam iuſtitia & fructus eius eo maturitatis atque excellentiæ increuerint, vt in alios agendi, cooperante Dei gratia, vim & efficaciam habeant. non enim omnis actus, quo aliquid eſt actu, inquit diuus Thomas, eſt etiam in alios agendi principium; Oportet enim, vt agens in alia, virtutis habeat excellentiam. Ideo illis qui ante tempus maturitatis fructum dare præſumũt, conuenit illud Iſaiæ: Venerunt filij vſque ad partum, & non eſt eis virtus pariendi, quia præ imbecillitate virium ſuarum eniti non poſſunt quod parturiunt. Quare bene monet Bernardus, Vt quiſque in ſacræ diſciplinæ primordiis cogitet tunc eſſe tempus colligendi, ſibi ſcilicet ſuæque ſaluti: vbi autem ætate & gratia adoleuerit, tum fore tempus ſpargendi, quia & Chriſtus ipſe, fructum ſuum non dedit, niſi in tempore ſuo; poſtquam nimirum ætatis maturitatem, & à Patre prædicandi authoritatem accepiſſet. de qua re Bernardus alibi: Vel, *in tempore ſuo*. i. tempore oportuno, vt hoc verbo inſinuetur prudentia iuſtorum in agendo, Ipſa enim eſt optima gubernatio, vt omnia ſuis temporibus diſtributa, ex ordine gerantur, inquit beatus Auguſtinus.

Cap. 17. *Epiſt. 2.* *Philip. 1.* *2. Corint 1* *Serm de S. Bened: cto.* *3. quæſt. 8. art. 3.* *Serm. 18. in Cant.* *Serm. 1. de Epiphania.* *De opere monachor. cap. 18.*

4. *Et folium eius non defluet.* Foliis arbores venuſtantur:&,vt bene notat diuus Hilarius, fructus arborum fouentur & proteguntur, cùm ipſa per ſe fructuum rationem & vtilitatem vt plurimùm non habeant; per quæ ſignificatur eloquentia,poteſtas,regendi authoritas,& ſimiles gratiæ gratis datæ, Hæc defluent iſtis,qui in lege Domini bonam voluntatem non habuerunt, nec ſuæ ſalutis fructum fecerunt, licet alienæ ſalutis fuerint ſtudioſi,
Matth. 7. quia cùm dixerint; Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? dice-
Lucæ 19. tur illis; Nunquã noui vos. Et de authoritate prælaturæ dicetur: Auferte ab eo mnam, quia nullus tranſactæ prædicationis aut dignitatis honor illis in futura vita adhærebit.Iuſtis autem hæc folia nõ defluent,quia peculiaris quædam gloria in æternum adhę rebit iis,qui præter ſemetipſos etiam alios ad iuſtitiam erudierint. Fulgebunt enim,inquit Daniel,ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. Habẽt autem & priuati homines etiam ſua folia, vt honorem Chriſtiani nominis, & ſimilia. hæc eis defluẽt, quia omnis decor & gloria quam impij hic ex Eccleſiæ communione habere potuerunt, ab eis auferetur. *Et omnia quæcunque faciet, proſperabuntur.* i.felicem habebunt
Ecclci 11. ſucceſſum, ſicut ſcriptum eſt: Benedictio Domini in mercedẽ iuſti feſtinat, & in honore veloci proceſſus eorũ fructificat. Nec id mirandum. In omnibus enim mittit radicem ſuam ad humorem, & pro fidei ratione accipit gratiam; gratia autem Dei vacua non eſt, quia quemadmodum deſcendit imber & nix ſuper terram, & inebriat eam; ſic erit verbum quod egredie-
Iſaiæ 55. tur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, inquit Dominus, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.

5. *Non ſic impij, non ſic.* Impij non ſic vt beati, quia non ſunt vt lignum plantatum ſecus decurſus aquarum; nullo enim bono fundamento nituntur, qui Deo non credunt, & Chriſtum per fidem in fundamento non ha-
Iſaiæ 40. bent. Ideo de iis dicitur: Equidem neque plantatus,neque ſatus,neque radicatus in terra truncus eorum: *Sed* ſunt *ſicut puluis* diſſeparati, nulloque charitatis vinculo coniuncti,ſteriles,leues,nulliuſque pretij, *quem proijcit ventus à facie terræ*, Eodem enim modo turbo diuinæ indignationis infructuoſam impiorum ſterilitatem de terra in infernũ traijciet. quòd etiam
Iob 21. Iob vaticinatus eſt,cùm dixit; Erunt ſicut paleæ ante faciem venti,& ſicut fauilla quam turbo diſpergit.

6. *Ideo*, i.quia vt lignum,de quo dictum eſt,in Chriſto plantati & radicati non ſunt, *non reſurgunt impij in iudicio.* Hic locum habere debet diſtin-
1. cont. Pelagianos. ctio quam ponit Hieron. inter impios & peccatores, dicens: Impios eos eſſe qui nõ credunt. Peccatores verò eos qui nõ faciunt quod credunt. Impij igitur hic ſunt infideles, quos Pſaltes non dicit ſimpliciter non reſurrecturos,ſed nõ reſurrecturos in iudicio,quia impij à morte corporali ad vitã corpo-

corporalem resurgent, sicut testatur Apocalyp. Infernus & mors dederunt mortuos suos: Qui enim ante iudicium in inferno secundum animam & secundum corpus in morte erunt, tempore extremi iudicij vitæ corporali reddendi sunt, teste Augustino. Quocirca & 2 Machab. 7. dicit vnus septẽ fratrum cuidam impio, Tibi resurrectio ad vitam non erit, obliquè significans, quod erit ei resurrectio ad mortem secũdam. Resurgent autem impij, tum quia oportet Deum immortalia omnia genera seruare, inquit Epiph. Creauit enim Deus hominem inexterminabilem. non ergo perit corpus, homo enim est ex anima & corpore; Tum etiã quia verbum Dei humanam naturam in Christo inhabitans eam totam viuificauit, & ob id mors corporalis, quæ, vt quidam arbitrantur, alioqui perpetua hominibus fuisset, nunc tantum sit temporalis, vt dicit Athanasius, & B. Leo: Leges, inquit, inferni Christus resurgẽdo dissoluit, & ita perpetuitatẽ mortis incidit, vt eam de æterna faceret temporalem. Huius resurrectionis causa finalis est, vt vnusquisque propria corporis recipiat in suo corpore. *Non resurgent* autem *impij in iudicio.* quia cùm, teste D. Thoma, ad iudicium ex vna parte pertineat discusio, qua ambigua definientur, occulta manifestabuntur, de qua Apostolus; Veniet Dominus & illuminabit abscondita tenebrarũ, & manifestabit consilia cordium, non est quod impij discusionis suscipiendæ causa in iudicium resurgant. peccatum enim impietatis propriè dictæ, ob quod cuncta reliqua peccata tenentur, seu irremisibilia sunt, etiam ante extremi iudicij declarationem, damnationi manifestè obnoxium est, quia dicit Dominus: Qui non credit, iam iudicatus est, id est, inquit Hieronymus, in perditionem iam præiudicatus est. Si autem est præiudicatus, non est quod iterum iudicetur. Quia tamen ex altera parte ad iudicium pertinet, vnumquemque præmiis vel suppliciis, quibus per discusionem dignus declaratus fuerit, adiudicare; resurgent impij in iudicio vt in eo condemnentur, quam etiam ob causam dicit Dominus; Qui malè egerunt, procedent in resurrectionem iudicij. Veruntamen tametsi fidelium quoque quorundam peccata sint manifesta, præcedentia ad iudicium, vt loquitur Apost. Sunt enim quædam peccata ante iudicium etiam populari iudicio, inquit Augustinus, damnatione digna: tamen peccatores Christiani etiam in iudicio resurrecturi sunt, vt in eo iudicentur. etsi enim ipsi fecerint, quæ qui agunt, regnum Dei non consequentur; dubia tamen apud nos eorum causa manet vsque ad supremi iudicij declarationem, ob hoc, quod ante hanc sciri non posit, quid indulgentiæ veniæque ex fide Christi, vel in vltimo vitæ suæ momento obtinuisse potuerint. *Neque peccatores.* i. fideles in peccatis tamen mortalibus mortui, *in concilio iustorum.* i. congregatione societate ac sorte iustorum.

Cap. 20.

Lib. 20. de Ciuit. c. 15

Hæres. 64.

Tractat. de corporali aduentu verbi.

Serm. 8. de paß. Domi.

Compend. Theol par. 1. cap. 59.

Ioan. 3.

1. Timo 5.

5 cõt. Donat ca 27.

7. *Quoniam nouit*, id est, probat, *Dominus viam iustorum, Et iter impiorum peribit*. id est, in æternam desinet perditionem.

PSALMVS II.

OPtimo ordine, Psalmo primo, in quo hominis iusti beatitudo descripta est, subijcitur Psalmus sequens, iustorum quas perpetiuntur persecutiones enarrans: quia vt à principio vna & eadem fuit iustitiæ ratio, ita etiam iustitiæ ab initio eadem adhæsit sors, quę est persecutio. A primordio enim (inquit Tertull.) iustitia vim patitur, statim vt coli cœpit Deus, inuidiã Religio sortita est. Et Cyprian. Ab initio mundi sic institutũ est, vt laboret istic in sæculari cõgressione iustitia, quomodo in origine statim prima Abel iustus occiditur, &c. Hoc interim hic obseruandũ est, quod præsenti Psal. præcipuè describantur persecutiones quas Christus & ecclesia ob Christi nomẽ perpessa est, ab initio prædicationis euangelicæ, vsq; ad Regũ & Principũ sæculariũ conuersionẽ. Persecutiones enim quas ecclesia sustinuit ab hæreticis & falsis fratribus, alijs Psalmis deplorantur.

Scorpiaci cap 8. *Epist. 81.*

1. *Quare*, id est, quo prouentu? nunquid expectato? quasi dicat, non, sed frustra, quia spectatum euentum sui fremitus minimè assecuti sunt, *fremuerunt*. i. præ ira & indignatione minas & cædes in Christum eiúsque discipulos spirauerunt. quam expositionem confirmant Apostoli, qui cùm auditis minis dixissent. Quare fremuerunt gentes? subijciunt, Respice in minas eorum. *Gentes*. i. gentilium natio, *& populi*. i. tribus Israëlis. sic enim hæc membra bene distinguit Tertull. *Meditati sunt inania*, Inania scilicet quoad intẽtum meditantium: quoad rem ipsam autem quam facere meditabantur, meditati sunt sæua & atrocia.

Actor. 4. *4. contra Marcio. cap 42.*

2. *Astiterunt*. i. populis coniuncti sunt & adminiculo fuerunt. *Reges terræ*, videlicet gentium; inter quos primi fuerunt, Herodes, Pontius Pilatus; quibus successerunt gentilium Imperatores. *Et Principes* Sacerdotum, scilicet Annas & Caiphas, & cæteri de ordine sacerdotali. *conuenerunt in vnum*, vt patet Actor. 4. In quibus verbis obseruandum est, prius gentium & populorum mentionem fieri, quam Principum. quia persecutiones complures magis à furore populi, quam à populorum principibus leguntur esse concitatæ. quapropter etiam Tertullianus dicit; nulli magis depostulatores sunt Christianorum, quam vulgus, *Aduersus Dominum*, Deum Patrem videlicet, nam & in eum hoc odium fertur, quod & Christus indicat, cùm suæ persecutionis causam explicans subdit; Oderunt me & Patrem meum, Cuius odij prima origo est amorum & morum dissimilitudo. Cum enim terreni homines sint iniusti, cupidi, superbi; Deus autẽ charitatis, iustitiæ & humilitatis fons & vindex, necessario hæc

Apolog. cap. 85.

dissi-

dissimilitudo in hominibus Dei fastidium operatur. Cùm verò homines insuper cupiditatis ac iniquitatis à Deo arguantur, imo & promissis, contestationibus, exhortationibus, minis, exemplis vrgeantur, vt relicta impietate, Dei similitudinem induant, incipiunt hominibus suas tenebras amantibus huiusmodi diuinæ bonitatis stimuli molestiam inferre, molestia autem tum iustitiæ, tum Dei tanquam iustitiæ fontis odium suscitare, odium denique commouere persecutionem. *Et aduersus Christum eius*, tanquam inuisæ sibi iustitiæ præconem, cultorem, sacerdotem, & vindicem, quem eo acerbius oderunt quod in medio eorum, tanquam quidam Iustitiæ Sol effulgens, ineuitabili splendore conscientias eorum tenebrosas argueret, & ad emendationem extimularet, sicut fatentur Sap. 2. Improperat nobis peccata legis, &c. Porrò Christum eandem ob causam in omnibus discipulis suis & Christianis persecuti sunt, qui vt fuerūt eiusdem cum Christo iustitiæ consortes, ita & persecutionis eius facti sunt participes. Verba autem frementium & conuenientium in vnum erant hæc. 3.

Dirumpamus vincula eorum. Id est illata violentia, à religione, qua Deo & Christo per fidem & obseruantiam alligātur, eos auellamus. Quod enim disrumpitur, violenter discerpitur. Potest tamē vinculorum nomine mutua Christianorum charitas mutuusque ad patiendum pro Christo cōsensus intelligi, vt sit sensus. Illata violentia, eos à concordia, charitateq; mutua diuidamus. Hoc enim studium esse diaboli & hostium fidei, docet *Epist. 57.* Cyprianus dicēs de Diabolo, quod cum non sit ei aduersus omnes satis virium, cicumuenire nitatur solitudinē singulorum. *Et proijciamus à nobis* *Sap. 2.* *iugum ipsorum.* Dicunt, iugū, quia sancti, teste Sapiente, graues sunt eis ad videndū, quoniam dissimiles sunt moribus eorum. meditātur ergo iugum hoc à suis ceruicibus iustorū internecione excutere. Sed quid ad hæc Deus!

Qui habitat in cælis, quo sermone Deum verum designari, non solum oratio Dominica testatur, sed etiam natura, quę vt Deum verum quantum est ex reliquijs primæ integritatis nosse potest, ita etiam nouit eundem *Apologet. cap. 17.* in cælis habitare, teste Tertull. Cùm enim gentilis Deum contestatur aut nominat, non ad Capitolium respicit, inquit, vbi sedes erat inanium Deorum, sed ad cælum. *irridebit eos*. Deus irridere dicitur metaphoricè, quia conatum infidelium vt inanem & stultū, virtutis & sapientiæ suæ maiestate spernit & despicit. Nihilominus, sicut per scripturas sacras Deus loqui dicitur, & similiter in Sanctis suis, præcipuè autē martyribus, quibus dicit; Nō vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis; ita in scripturarum sanctarū aut martyrum suorū sarcasmis seu irrisionibus, ipse Deus dici potest irridere. Itaque sicut Deus irrisit Adā, cùm irridentis *Cap. 21. cōtra Collat.* sermone iuxta D. Prosperum, dixit; Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, ita

est; ita quoque irrisit Antiochum, cùm matrem Machabæorum spiritus sui virtute tanto fortiorem Rege fecit, vt ipsa, sicut Scriptura testatur, irriserit crudelem tyrannum. *Et Dominus subsannabit eos.* Irridere & subsannare D. Augustino pro iisdem habentur. Et hæc quidem sunt quæ Deus in hac vita contra persecutores & in semetipso tacitè, & per sanctos suos operatur manifestè. Sequens autem versus explicat, quid eis euenturum sit in fine, qui sic habet:

5. *Tunc*, vbi scilicet tempus diuinæ patientiæ erga eos, & permissionis transierit, in die videlicet iudicij qui hic designatur per vocem. *Tunc*, & in Isaia vocatur dies illa, per emphasim, quia maximè notabilis est, *loquetur*, scilicet Christus ipse, *ad eos in ira sua*, increpando, sicut dicit psalmus nonus, Increpasti gentes; arguendo & confundendo vt psal. 49. arguam te & statuam contra faciem tuam: condemnando, cùm dicet: Discedite à me maledicti, *& in furore suo*, .i. graui admodum ira, *conturbabit eos*, id est omni requie & pace eis ablata, plenos relinquet inquietudine & miseria; de quo Sap. 5. turbabuntur timore horribili. Quæ cùm ita sint *quare ergo* id est quo prouentu fremuerunt gentes aduersus dominum? Transit autem post hæc psaltes ad enarrandum quod gentes fremitu suo, non solùm prædicta mala sibi pepererint, sed ne in hac quidem vita Christi prædicationem aut gratiam potuerint ab hominibus, vt volebant, prohibere, introducitque Christum loquentem in hæc verba:

6. *Ego autem constitutus sum*, quasi dicat. Tametsi Herodes, vitæ meæ temporariæ insidiando, prędicationem meam ante tempus abrumpere voluerit, vt testatur qui dicebat; Exi hinc, quia Herodes vult te occidere. *Lucæ 13.* Idipsum etiam voluerint Pharisæi, qui miserunt ministros, vt me apprehenderent: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*, Deo scilicet patre meo, *Super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* i. vt prædicarem præceptum eius in Iudæa quæ appellatur Sion, quia eius metropolis est Ierusalem, quæ nomine montis Sion appellatur, quia in ea est mons Sion; Montisque sancti, quia in eum sanctificatio Spiritus sancti primum effusa est, indeque in alias mundi partes per euangelij prædicationem propagata. Et quia à Deo ad id *constitutus sum*, ideo nullo astu aut insidijs id poterit impediri. Si enim à Deo est consilium, inquit Gamaliel, (loquens *Act. 5.* de prædicatione Apostolorum) non poteritis id dissoluere. Frustra ergo etiam hac in parte fremuerunt gentes, & principes conuenerunt in vnum aduersus Christum Domini. Ad regium autem Christi munus pertinuisse, vt præcepta quæ à Patre acceperat, in Iudæa sua auctoritate promulgaret, ipse testatur, cùm Pilato interroganti; Ergo Rex es tu? Respondit, Rex sum ego; Ego in hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati. Ideo

& Atha-

& Athanasius hoc quod hic dicitur: *Ego constitutus sum rex*: impletum esse dicit, cùm Christus corporaliter lumen suum affudit monti Sion. Eôdem etiam pertinuisse vt Christus hoc faceret sic, vt à circumfrementibus hostibus impediri non posset, indicat responsio eius, qua dixit: Oportet me hodie & cras ambulare. Oportet enim, est verbum authoritatis & inexpugnabilis decreti. *Ser. 3 cõt. Arrianos.* *Lucæ 13.*

Dominus dixit ad me. Perseuerat sermo in persona Christi, ac si dicat: Sed etsi impleto prædicationis tempore, permissum sit hostibus me occidere, non tamen occidendo me, mihi per omnia (vt arbitrabantur) præualuerunt. *Dominus* enim, Deus Pater scilicet, *dixit ad me*, iam secũdum carnem mortuum, *Filius meus es tu*, naturalis & verus: Ideo, impossibile est te in morte aut inferorum doloribus detineri. Quapropter, *Ego hodie*. i. die resurrectionis: *genui te*. i. secundum carnem genui te ad immortalitatem, aut quod idem est, resuscitaui te. Resuscitationem enim à mortuis generationem appellari manifestum est Matth. 19. vbi dicitur; In regeneratione, id est, in resurrectione vniuersali, cùm sederit filius hominis, &c. Ratio vero huius appellationis est, quia per resurrectionem Christi à mortuis effectum est, vt reunita anima cum corpore, resultaret ille homo, qui erat filius Dei naturalis. Cui huius loci intellectui attestatur Apostolus apertè hunc locum de Christi resurrectione intelligens in hæc verba: Deus suscitauit Iesum à mortuis, sicut in Psal. 2. scriptũ est; Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quia itaque Deus Christũ filium suum à mortuis suscitauit, frustra Principes aduersus eum conuenerunt in vnum, vt eum morti traderent. Sed fortasse non frement frustra aduersus Christianos: fremitu enim suo & crudelitate fortè efficient, vt nemo audeat in Christum credere eiúsue religionem profiteri: Sed ne id quidem. Subijcit enim Christus, *Dominus dixit ad me, postula à me*. Quibus verbis significatur allocutio Dei Patris ad Christum inquit Ieron. Pater enim cum Christum, depositis per resurrectionem suæ mortalitatis vestibus vt est Zachariæ 3. immortalitatis æternæ splendore indutũ, tanquam Pontificem sancta sanctorũ in sua ascensione subeuntem susciperet, eum ad dextram suam, non solùm gloriæ consortem, sed etiam nostræ salutis Pontificem constituit, vt in throno illius gloriæ appareret vultui Dei pro nobis, inquit Apostolus. Qui itaque in die resurrectionis dixit ad Filium suũ, secundùm carnem mortuum, Ego hodie genui te, idẽ in die ascensionis eius dixit ad eũdem iam immortalitate indutum, Sede à dextris meis, cõstituens eum iudicem. Dixit quoq; ad eundem: 7. *Actor. 13.* *Cap. 6 aduersus Luciferi.* *Ad Heb. 9.*

Postula à me, constituens eum Pontificem, vt pro conuersione, fortitudine, & perseuerantia hominum interpellaret siue postularet. Hæc enim pro iisdem habet D. August. Dixit ergo: *Postula à me, & dabo tibi*. Pro- 8. *Epist. 59. quæst. 5.*

missio est absoluta, pollicens ijs pro quibus Christus interpellauerit, auxilium tanti vigoris & roboris, vt nulla illud persecutorum immanitate frustrandum aut superandum sit. Quod non ignorans Apostolus, interpellatione Christi commemorata, tantam ex ea electis virtutem dandam agnouit, vt exclamaret; Quis nos ergo separabit à Christi charitate? Frustra igitur etiam contra Christianos Gentes fremuerunt. *& dabo tibi gentes.* Etiam ex Iudæis multos Christus accepit; sed quia hoc Deo parum erat, sicut dicit Isaias, ideo gentium nomen exprimit, vt longe maximum numerum eorum qui per interpellationem Christi saluantur, designaret. *hæreditatem tuam.* dicuntur gentes hæreditas Christi, imprimis ratione creationis, ob quam omnis creatura iure ad Deum Patrem pertinens, etiam ad genuinum eius filium pertinet, vt docet diuus Ambrosius. De qua re Apostolus ad Hebræos cap. 1. Quem constituit hæredem vniuersorum: Deinde peculiariter dicuntur gentes hæreditas Christi, quia Christus per mortem suam eas in perpetuæ salutis possessionem recepit. Vnde Ambrosius: Hæres est Christus, quia morti propriæ superuiuit, & testamentorum, quæ ipse condidit, & sua morte signauit, tanquam hæreditaria in nostris profectibus emolumenta consequitur. *Et possessionem tuam terminos terræ*, id est, dabo tibi, vt vsque ad terminos terræ per gratiam spiritus tui homines possideas. Hanc autem possessionem spiritualiter intelligi debere, eo quod nec in Salomone, nec in vllo alio homine temporaliter dominante, huius loci prophetia impleta sit, sed in solo Christo spiritualiter regnante, docet post Tertullianum Augustinus. Porro vt Christi fides per vniuersos angulos, & vsque ad vniuersos terminos terræ propagaretur, id plane conueniens erat. Decebat enim, vt qui patiendo, manus & pedes suos pro inimicorum salute ad extrema crucis extenderat, is regnando virtutem suæ passionis ad extremum vsque orbis terrarum exereret, vt trophæa crucis, inquit Hieronymus, ad angulos vniuersæ terræ collata sint. In qua terminorum terræ possessione, luculentum veræ fidei, veræque Ecclesiæ internoscendæ argumentum Deus nobis præparauit. Si enim Christus iam ab ascensione sua vsque ad terminos terræ possessionem habet, quod autem possidet, id possidet per veram fidem; & fides iuxta Apostolum vna est; ergo ea demum fides vera est, quæ ab initio prædicatæ fidei, per orbem fuit credita & recepta. Cuius argumenti vim bene perspicientes veteres, eo præcipuè apud hebetiores & contentiosiores tanquã peremptorio vsi sunt. Similiter de Ecclesia argumentamur: Si Christus extremos terræ terminos possidet: Qui autem à Christo possidentur vnum sunt, seu vna Ecclesia; ergo illa vera est Ecclesia, quæ totius orbis communione coalescit, & per consequens nõ est ecclesia, quæ à totius orbis communione

Rom. 8. — Cap 49. — Ambros. 1. Hexa. c. 5. — Athan. ser. 4. cõt. Arri. — Lib. 9. in c. 20 Lucæ. — Cõt. Iudæos & 5. cont. Marcionẽ cap. 20. — Cap. 6. aduers. Lucif.

munione se diuidit. Quo argumento ex hac scriptura desumpto, diuus Augustinus contra Donatistas à communione totius orbis se diuidentes, frequentissimè vsus est.

Reges eos in virga ferrea. i. per iustitiæ semitas eos deduces infallibili 9.
& insuperabili gratiæ tuæ virtute. *& tanquam vas figuli confringes eos*. q. d. Ex vasis contumeliæ in vasa gloriæ eos transferes, ea facilitate qua figulus sedens ad rotam, vas adhuc molle ad ignobilitatem formatum in glebam contundit, atque ex eadem massa vas in honorē efficit, sicut ostendit Dominus Ieremiæ capite 18. qui cùm videret figulum facientem opus super rotam, dissipatumque esse vas quod è luto faciebat, ipsumque figulum conuersum fecisse illud vas alterum, sicut placuerat oculis eius vt faceret; dixit Dominus ad eum, Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere domus Israel, dicit Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel: videlicet vt quemadmodum figulus vas à se factum è luto, cùm dissipatum fuerit, conuersus fecit illud vas alterum, sicut ei placuit. sic Christus ex homine qui dissipauit primæ suæ creationis, quam Dominus suis manibus è luto fecit, integritatem, cùm conuersus fuerit ab ira ad benignitatem, facit ex eodem homine, qui diuinis manibus tam est reformabilis, quàm lutum manibus humanis. facit dico ex eodem homine vas sicut placuit oculis eius, quia iustificat talem hominem, secundum beneplacitum voluntatis suæ. Diuus Cyprianus tamen per virgam ferream potestatem Christi vindicatiuam intelligit, per quam impios in die iudicij irreparabiliter confringet. Hæc ergo frustra circumfrementibus regibus terræ & populis effecturus est Christus. Quare ergo siue quo fructu fremuerunt gentes? Nec id solum, sed & ipsos Reges atque Principes ad eandem quam prius oppugnauerant Religionem conuertet, ex quo manifestum euadet, multo magis frustra fremuisse gentes & Reges terræ, ac principes astitisse aduersus Dominum & aduersus Christum eius, eo quod Principes ne semetipsos quidem subduxerint religioni, quam totis prius viribus oppugnabant. De qua admirabili & iucundissima metamorphosi Isaias, Erunt capientes, retibus scilicet fidei & religionis, eos, qui se cœperant vinculis & compedibus ferreis. & subijcient exactores suos. Subiungit itaque Psaltes:

Epist. 52.

Cap. 14.

Et nunc. videlicet post collectam martyrum messem. Si autem rogauerit quis, quare *nunc*, & non ex tunc. i. quare non ab initio conuerterit Deus Reges? Respondetur, ad diuinam prouidentiam hoc pertinuisse. Odium enim Regum in Christianam Religionem ob id à Deo ad tempus tolerari decuit, vt seruiret in primis fidei propagandæ. Odium enim hoc Regum Martyres fecit: Sanguis autem Martyrum semen est Christianorum, quia 10.

 grana,

grana, inquit Leo, quæ ſingula cadunt, multiplicata reſurgunt. Quod ipſum probant multæ Martyrum probatæ hiſtoriæ, in quibus narratur, ex conſtãtia Martyrum multa millia ſpectatorum conuerſa fuiſſe. Profuit idipſum fidei conteſtandæ & ſtabiliendæ. Dicit enim Cyprianus: Ne eſſet fidei Chriſtianæ probatio minus ſolida, & de Chriſto delicata confeſsio, per tormenta & cruces, per multa pœnarum genera Chriſti teſtes tentantur. Et Auguſtinus; Non intelligebat Porphyrius, perſecutionem infidelium, ad fidei Chriſtianæ confirmationem robuſtioremq́ue commendationem potius pertinere. Denique id profuit Martyribus glorificandis, vt ipſi magno beneficio Dei, mortẽ quæ cum ex neceſsitate ſuſtinetur, pertinet ad ignominiam, per paſsionem, ſacram ſibi redderent & pretioſam, vt docet Tertullianus, & animi ſui robur diuina charitate ſubnixum, multiplici ac longanimi patientia exercerent. Ideo diuus Auguſtinus: Sic voluebatur ordo temporum, vt & Iudæi occiderent prædicatores Chriſti, & gentes fremerent aduerſus Chriſtianos, vt omnis Martyrum patientia vinceret. Pertinuit itaque ad diuinam prouidentiam, tam bonorum prouentuum proſpectu, perſecutorum ſæuitiam ad tempus permittere: ad cuius æquiſſimum iudicium pertinet, potius ex malis bona facere, quàm nulla mala eſſe ſinere. *Reges intelligite*, Introducit Propheta ſermonem, quo allocuturi ſunt Reges infideles, illi, quorum opera ſuo tempore Reges erant conuertendi. dicent enim; *Nunc Reges intelligite*, quaſi dicant, iam tandem obſeruantes, omnes prædeceſſorum veſtrorum conatus fidei Chriſtianæ propagationem plus promouiſſe quam impediuiſſe, intelligite argumento è factis veſtris deducto, religionem eandem eſſe inuictam, & proinde veram. Cui exhortationi in tempore factæ, Reges acquieuerunt, Domino eidem intus cooperante. Quum enim prædicatores dicerent: Intelligite, dabat Dominus Regibus intellectum, ſicut & dabat Timotheo: cui cùm diceret Apoſtolus: Intellige quæ dico, ſubiecit, dabit tibi Dominus intellectum. *Erudimini.* ſeu, vt legit Cyprianus, emendamini, *Qui iudicatis terram.* i. vos Præſides & Iudices Prouinciarum, qui vna cum Imperatoribus & Regibus perſecutionibus incubuiſtis, idq́ue ſubinde maiore cùm ſęuitia, quàm erat ab Imperio præſcriptum, ſicut manifeſtum eſt ex Tertulliano ad Scapulam, Cypriano ad Demetrianum. Quinimo, non ſolùm fruſtra aſtiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & Chriſtum eius, quia nec alios nec inſuper ſemetipſos Religioni ſibi prius inuiſæ ſubduxerunt, aut ſubducere potuerũt, ſed multo magis, quia poteſtate ſua qua prius religionem oppugnabant, eandem poſtmodum propugnare ac colere debuerunt. de qua tanta rerum commutatione, dixit Iſaias; Stabunt alieni, id eſt, qui prius alieno & inimico in te animo

In fin. li. de Idolorum vanitate.

10. de ciui. Cap. 32.

Scorpiaci cap. 8.

Epiſt. 50.

Cap. 51.

animo fuerũt,& paſcent.i.regent pecora tua. Superaddit proinde Pſaltes:
Seruite Domino. Bene dicit, ſeruite Domino. Principes enim ſecula- 11.
res miniſtri Dei ſunt,inquit Apoſtolus,in hoc ipſum ſeruientes. Aliter au- *Rom. 13.*
tem quis ſeruit Domino,quia homo eſt,aliter quia Rex eſt,inquit Auguſt. *Epiſt. 50. & 2. cõtra*
Quia homo eſt,ſeruit ei fideliter viuendo; quia vero etiam Rex eſt, ſeruit *lit. petil.*
leges iuſta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti rigore ſan- *cap. 92.*
ciendo.Hoc autem loco Principes admonentur,Domino ſeruire tanquam
Reges. Quando enim Regibus dicitur; *Seruite Domino in timore*, inquit *2. cõt Gau-*
idem,ſentiunt ſuam poteſtatem ita Domino ſeruire debere, vt à poteſtate *dent. c. 26.*
plectantur,qui nolunt eius voluntati ſeruire. Ideo præclarè Leo his verbis *Epiſt. 75.*
Imperatorem ſui officij admonet. Cùm Dominus clementiam tuam tanta
ſacramenti ſui illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere, re-
giam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccle-
ſiæ præſidium eſſe collatum,vt auſus nefarios comprimendo,& quæ bene
ſtatuta ſunt defendas, & veram pacem his quæ ſunt turbata reſtituas. *In ti-
more, & exultate ei cum tremore.* Hic tremor & timor pro terrore ponun-
tur,effectúſque loco ſuæ cauſæ. Seruiunt itaque Principes in timore, cùm
per terribiles ſuas conſtitutiones ſalutarem timorem incutiunt ijs,qui non
niſi malo aliquo adacti,ſapere nouerunt. cuius ingenij ſecundum Auguſti- *Epiſt. 50.*
num maior pars eſt hominum. Exultãt autem Principes ſibi,non domino,
cum tremore, quando ſibi gratulantur ſeſeque iactant atque dilatant de
terribili ſua poteſtate. Domino vero exultant cum tremore, cum gratias
ei agunt, gaudentque ſeueras ſuas conſtitutiones earumque executiones
multos ad æternam ſalutem per Dei gratiam extimulaſſe; Quæ exultatio
eis geminatur,cum eos ipſos qui terroribus correcti ſunt,audiunt Deo gra-
tias agere, quorum voces & exultationes latè deſcribit Auguſtinus in hæc *Epiſt. 48.*
verba. Iam ſciebamus in eccleſia catholica eſſe veritatem, nec diſcere vo-
lebamus, ſed nos ad eam cognoſcendam metus fecit intentos, gratias
domino qui negligentiam noſtram ſtimulo terroris excuſsit. Alij dicunt,
Nos falſis rumoribus terrebamur intrare, gratias Domino qui trepidatio-
nem noſtram flagello abſtulit, &c.

Apprehendite diſciplinam. Diſciplina à diſcendo nomen accepit, in- 12.
quit Auguſtinus. Idcirco methodus tradendæ ſcientiæ, quia percipiendæ *14. de Tri-*
ſcientiæ accommoda eſt, diſciplina dicitur. Et quia ſcientiæ perceptio- *nit.*
nem frequenter impedit pertinacia diſcentis, aliquando eiuſdem ignauia,
ideo terror quo peruicacia confringitur,& negligentia excutitur,diſcipli-
næ nomen accepit, quia diſcendæ ſcientiæ impedimenta remouet. dicitur
itaque Regibus, *Apprehendite diſciplinam*, id eſt,incipite exercere ſeue-
ritatem, quæ addiſcendæ atq; amplectendæ iuſtitiæ deſeruiat. Omnis enim

principum ſeueritas, eo ordine & ea moderatione exercenda eſt, vt ad
diſcendam faciendamq; iuſtitiam, vel illis in quos diſciplina exercetur, vel
ſaltem Reipub. proſit. Quapropter ſi Principes inferendis ſupplicijs & ter-
roribus ſic incumbant, vt non detur locus ſuaſioni & inſtructioni, tum non
Epiſt. 48. diſciplina exercetur, ſed improba quædam, inquit Auguſtinus, dominatio;
Oneroſior enim ad cogendum quam vtilior ad docendum eſt diligentia,
Epiſt. 127. cogi tantum homines non doceri, inquit idem. Porrò exhortationē quam
Epiſt. 61. et hic Spiritus ſanctus Principibus præſcribit, Diuus Cyprianus ad omnes
initio libri Præpoſitos eccleſiarum extendit, exhortans eos vt diſciplinam, id eſt, vi-
de diſcip. et gilantem quandam ſeueritatem exerceāt, quam appellat retinaculum fidei,
habitu vir cuſtodem ſpei, fomitem bonæ indolis, magiſtram virtutum omnium, &c.
ginum. *Nequando iraſcatur Dominus & pereatis de via iuſta*, id eſt, ne ob pecca-
tum neglectæ à vobis diſciplinæ Deus iratus, vos tanquam gratia ſua indi-
gnos deſerat, à qua deſerti veſtra ſponte à via iuſta excidatis. de qua Dei
Euch. c. 27 ira Auguſtinus: Ad iram Dei iuſtam pertinet, quicquid homines cœca &
indomita concupiſcentia faciunt libenter mali. Quæ quidem Dei ira à car-
nalibus minus curatur, ab ijs vero qui iuſtitiæ ſuauitatem in vera Dei dile-
ctione guſtauerunt, præ omnibus ſupplicijs quam maximè formidatur. Di-
cit autem Pſaltes *Nequando*, quia hoc interminantis eſt.

13. *Cum exarſerit in breui ira eius*. In die videlicet Domini, qui in igne
reuelabitur, dicitque *in breui*, quia repente & inexpectatò ille dies aderit.
Beati omnes qui confidunt in eo, id eſt, qui cōſcientia ipſis in Spiritu ſancto
Luca 21. teſtimonium perhibente, digni habebuntur fugere (inquit Dominus) mala
illius diei & ſtare ante filium hominis. vbi ſtare idem eſt quod confidere,
quia ſtare confidentium eſt.

PSALMVS III.

Pſalmus Dauid cùm fugeret à facie filij ſui Abſolon.

Ex tituli verbis quia additur, cùm fugeret, non autem in fugam Ab-
ſolon; intelligendum eſt, Dauidem Pſalmum hunc tempore fugæ,
non autem de fuga ſua præcipuè cecinisſe; atque adeò indicat hic
titulus non Pſalmi argumentum, ſed vſum, quia in Pſalmo hoc & pleriſque
Aduerſus alijs, inquit Tertullianus, per os Dauid Chriſtus loquitur & orat, ſuamq;
praxeā. c. 11 quam in paſsione ſuſtinuit ac ſuperauit tribulationem ac tentationem Deo
patri enarrando offert, ſimul implorans humano generi auxilium & prote-
ctionem in tribulationibus atque tentationibus ſuis; Idque admodum ap-
poſitè. Ad hoc enim Chriſtus tentationes noſtras & tribulationes in ſe ſe-
Cyrill. 10. cundum humanam naturam ſuſcepit, vt eas in eâdem humana natura vir-
the. cap. 3. tute ſuæ diuinitatis vinceret, & virtutem victoriæ ſuæ in nos qui mem-
bra eius.

bra eius sumus per spiritum gratiæ deriuaret; Ideo dicit, Confidite, ego vici mundum. Cùm itaque Dauid in persecutione quam à filio suo sustinebat, tribulationibus multis se pressum esse sentiret, & ex ijs, quas Ecclesia Christi tribulationes esset passura, præsagiret; irruente in se Spiritu Domini, hunc Psalmum cecinit, vt Ecclesia ad instar ipsius in pressuris suis hunc Psalmum caneret & per clãgorem pressuræ atque victoriæ sui Regis, quæ in hoc Psalmo panditur, sibimetipsi victoriam acquireret, Quam rem videtur Balaam prophetasse cùm dixit: Clangor victoriæ regis in Israël est; Quis enim clangor victoriæ Regis, nisi cum psallitur cantilena Dominicæ virtutis, omnes sæculi procellas in se vt capite, & in Ecclesia vt suo corpore superantis? *Nume. 23.*

Domine quid multiplicati sunt. Augustinus accepit hæc verba, vt sint exaggerantis, q. d. Quid seu quantopere multiplicati sunt? cùm etiã discipulus meus Iudas, in me insurrexerit. Possunt tamen ea sic intelligi, vt habeant vim orationis, instar verborũ Christi, vt quid dereliquisti me? Quæ verba Cyrillo hunc habent sensum: Memento quæso, ob quid dereliquisti me, ob id nempe, ne homines tuo auxilio destitueres. His itaque verbis in talem sensum acceptis, hic erit sensus; Domine quid, &c. q. d. Memento quæso ob quid permiseris, vt adeo incresceret numerus eorum, qui mihi tribulationem inferebant? ad hoc enim permisisti, vt ego humanarum passionum gurgitem in me excipiens, illum sic absorberem, vt propter me à nimiis pressuris amici infirmi redderentur liberi, & non tentarentur supra quàm possent ferre. Alij vero in pressuris nimiis redderẽtur alacres & fortes. Huius expositionis prior pars significatur Apocal. 12. vbi dicitur quod terra, quæ est humanitas Christi, absorbuit, patiendo scilicet pro nobis, flumen persecutionum, quas in mulierem, id est, Ecclesiam emisit draco ex ore suo, eoque modo terra hæc mulierem adiuuit. *multi insurgunt.* hoc vbique apparet. cùm enim iudicaretur Christus, omnes eum condemnarũt: Totius penè populi vocibus ad mortem est depostulatus: milites eum illusuri congregauerunt ad eum vniuersam cohortem. voluit enim Christus pœnarum ac persecutionum vniuersitatẽ quãdam pati, vt omnia pœnarum genera, & persecutionũ multitudinem pro nobis vinceret; & idipsum quod humano generi propter peccata sua debebatur, suppliciorum, quãtum fieri potuit ac decuit, ac ratio redemtionis permisit eorundẽ perpessione, Deo Patri nõ solum in pretio, verũ etiam quasi in specie solueret, exẽpli gratia, Multa flagella peccatorũ, ideo & Christus flagellatus est. Iustè iugo diabolico eramus subiecti: Christus iugũ crucis portauit: Mortis æternę eramus rei, Christus mortuus est, vt enim scribit D. Thomas, conueniens satisfaciendi pro alio modus est, cum aliquis se subijcit pœnæ quam alius meruit. *p. 3. q. 50. art. 1.*

1. *Libr. 2. ad Reginas.*

Multi

2. *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius.* Hoc ad literam impletum est, cùm Christo crucifixo dicerent: Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. Quibus verbis, ob id quod Deus Christum visibiliter non liberabat, velut ad oculum ei demonstrare nitebantur, quod esset à Deo derelictus, & proinde vane de Dei protectione sperasset. Sensus itaque est, Memento quæso ad quid permiseris eos dicere mihi, Non est salus illi in Deo eius; nempe, vt ob id quod ego tam graui tentatione sim pulsatus, alij in pressuris suis à desperatione & pusillanimitate protegantur. Innocentius tamen inter epistolas Augustini vtitur hoc versu in persona ecclesiæ conquerentis de Pelagianis, quod ipsi hominibus dicerent; Non est salus illi in Deo eius. i. salus hominum nō est in manu diuinæ gratiæ posita, sed liberi eorum arbitrij.

Epist. 95.

3. *Tu autem.* q. d. tam multi quidem in meam perniciem conspirauerunt, *tu autem susceptor meus es.* i. Tu me ab vtero matris meæ secundum humanam naturam in vnitatem personalem æterni filij tui suscepisti, *gloria mea.* i. & propterea à te glorificari habeo. *& exaltans caput meum.* i. & ob hoc exaltabis me in dexteræ ac sedis tuæ consortium ibi constitues me in caput gentium.

4. *Voce mea*, prius dixit Deum susceptorem suum, & proinde gloriam suā esse, nunc enarrat se pro glorificatione sua orasse, quia ad gloriam Christus peruenit natiuo iure, erat enim à conceptione sua Dei Filius, Paternæque gloriæ hæres: venit etiam ad eandem merito orationis & humilitatis suæ. de qua nunc dicit; Voce mea ad Dominum clamaui: Apud Deum vox orationis nostræ est desiderium subnixum fide, spe, charitate, & in eum qui oratur, & in id quod petitur, & in eos pro quibus oratur; simul & dignitas orantis, *ad Dominum clamaui*, Ioannis 17, cùm dixit; Clarifica me Pater claritate quam habui, &c. *& exaudiet me de monte sancto suo.* i. exaudiuit me iustitia eius, de qua dicitur: Iustitia tua sicut montes Dei. Iustum enim erat apud Deum, vt Filius Dei in omnibus suis precibus exaudiretur. Potest tamen hic versiculus accommodari humilibus, qui cum se in aliquo exauditos esse perceperunt, dicunt, *Voce mea*, scilicet infirma & exilis meriti ac dignitatis, *ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de mōte sancto suo.* i. non obstante exiguitate & indignitate orationis meæ, ipse de altitudine pietatis, benignitatis & misericordiæ suæ preces tam exiles exaudiuit.

5. *Ego dormiui.* In hoc versu manifestè esse vocem Christi, notat August. Itaque *dormiui*, cùm scilicet in cruce mortuus sum, *& soporatus sum.* q. d. non raptim mortuus sum, nec mortuus in momento reuixi, vt illi qui in raptu morituri sunt, & reuiuiscent; sed soporatus sum, quia in dormitione mortis triduo perseuerās, velut altiorem somnum, qui sopor dicitur, cœpi,

17 de ciu. cap. 18.

& exur-

& exurrexi à mortuis, *quia Dominus ſuſcepit me*, id eſt, Reſuſcitauit me. *Exurrexi* etiam quia ſuſcepta eſt oratio mea; Cùm lachrymis enim & clamore valido ad Deum qui eum ſaluum faceret à morte orans, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Dicit autem, *Dominus ſuſcepit me*, cùm tamen ipſe ſecundum ſuam diuinitatẽ in reſurrectione corpus ſuum ſuſceperit, quia ſolet opera diuinitatis tribuere perſonæ Dei Patris, vt docet Cyrillus. *9. in Ioannem c. 38.*

Non timebo millia populi circundantis me. Dicit hoc Christus, primò ratione ſui ipſius, qui per reſurrectionem ſuam vicit mortem, cæteraque ſupplicia ſibi illata, ſic vt aduerſarij eius vltra non haberent, quod ei facerent. Quò pertinet & illud Iob in perſona Chriſti, Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me, nullius enim oppugnantis me manus poterit mihi vllam moleſtiam inferre, vel in vllo me lædere. Deinde dicit hoc ratione membrorum ſuorum fidelium, enarrans quãtum roboris poſt mortem & reſurrectionẽ Chriſti populo Chriſtiano donandum ſit. Ab eo enim tẽpore non timuerunt Chriſtiani millia populi circumdantis eos, quia coram tanta multitudine Chriſti nomen ſubſannante, Chriſtum confiteri non erubuerunt. Natura enim omne malum timore aut pudore perfudit, inquit Tertull. Sciebant autem Chriſtiani Religionem ſuam nihil habere mali, eamq; propterea erubeſcendam non eſſe; Quin potius geſtiebant, ſe conſtantia animi ſui poſſe Chriſtianæ Religionis gloriam in lucem proferre. Deinde non timuerunt millia populi, quia ſuppliciis noxiorum in conſpectu magnæ multitudinis pro nomine Chriſti ſubijci non reformidauerunt. Sciebant enim ſicut crucem, ita quæuis ſuppliciorum genera pro Chriſto tolerata, decorem de membris Domini pro veritate patientis induiſſe, eaque martyribus non turpitudinem, ſed decorem afferre. Ideo præclarè Tertullianus infideles his verbis alloquitur. Licet nos per contemtum cum irriſione ſarmentitios & ſemaxios appelletis, quia ad ſtipitem dimidij axis reuincti, ſarmentorum ambitu exurimur, id tamen non erubeſcimus. Hic enim eſt habitus victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus; Denique non timuerunt millia populi ad necem Chriſtianos poſtulantis, didicerũt enim exemplo & virtute multifariẹ paſsionis & mortis Chriſti, quoduis ſupplicij genus patienter, imo libenter ſufferre. *Exurge Domine*, q. d. vt hoc fiat quod fideles mei non timeant millia populi circũdantis ſe, *exurge Domine*. i. auxilium quod hactenus continuiſti, in plurimorum virtutem exere. Ante mortem enim Chriſti paucis huiuſmodi fortitudo donata fuit. *Saluum me fac*, Sicut dicebat Chriſtus, Quid me perſequeris? cùm Paulus eum in Chriſtianis perſequeretur; ita hic dicit, *Saluum me fac*, poſtulans nobis ſuis membris gratiam, per quam omnes preſſuræ atque tentationes ad æternam ſa-

Margin notes: 6. — *Iob 17.* — *Apol. c. 10.* — *Apol. c. 50.*

lutem proficiant, *Deus meus.* Qua ratione Christus, cùm ipse Deus sit, Deum, suum Deum appellet, dicturi sumus in Psalmum 88.

7. *Quoniam tu percußisti omnes aduersantes mihi sine causa.* q.d. Quandoquidem me omnibus superiorem fecisti, descendat illa tua virtus à me capite, in mea membra. Percutit autem Deus aduersantes Christo multis modis: Inter quos vnus est, de quo hic sermo, cum conatus eorum, quoad expugnationē nominis Christi irritos facit. Qua re animaduersa, ipsi seipsos magnæ indignationis plaga percutiunt. *Dentes peccatorum contriuisti.* Conterit & dentes eorum, cùm omnia eorum improperia & argumenta contra Christum eiúsque Religionem, Deo propugnante nil obtinent, & per hoc nil dentis habere reputantur.

8. *Domini est salus.* Loquitur Psaltes in sua persona. q. d. Nemo in tribulationibus de sua virtute confidat, quia Domini est, siue diuinæ gratiæ est, è tribulationibus saluare, & per eas æternam hominum salutem promo-

Epist. 120. Cap. 30. uere. Circa quæ verba notat August. quod sicut cùm hic dicitur, *Domini est salus*, hoc intelligendum sit de salute, non qua Deus est saluus, sed de salute quam in nobis operatur, ita cùm dicitur Deus nobis factus iustitia, intelligendum sit de iustitia, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit. *& super populum tuum benedictio tua.* Oratio est Prophetæ suo hoc facto docentis, quod cum prædicatur, Domini est salus, tum ab audientibus salus illa non sit desperanda tanquam longè posita, nec negligenda tanquam quæ esset alterius alicuius ope præstanda, sed quod sit à Deo imploranda: Ad hoc enim salus in manu Domini esse dicitur, vt ab eo cum fiducia & constantia petatur.

PSALMVS IIII.

In finem in Carminibus, Psalmus Dauid.

Describitur hoc Psalmo per modum carminis. i. exultationis seu gratiarum actionis, affectus, spes, officium & auxilium Christiani hominis tribulationem suam hilari animo & cum salutis suæ prouentu sufferentis. Porrò cùm in titulis Psalmorum, in finem scribitur, significatur, Psalmū de Christo vt Ecclesiæ capite, aut de Ecclesia vt Christi corpore intelligendum esse. Finis enim legis Christus, inquit Aposto-

Rom. 10. lus, ad iustitiam omni credenti. Aptißimè autem hic Psalmus quarto loco ponitur, quia in eo describitur iustorum, de quibus in primo Psalmo, in suis persecutionibus secundo Psalmo descriptis, exultatio & gaudiū, tanquam fructus orationis Christi, quę Psalmo tertio exposita est. Dauid itaque in persona hominis Christiani, qui in tribulationibus suis ante omnia ad ora-

ad orationem se conuertit, sicut Iacobus monuit; Tristatur quis in vobis, *Iaco. vlt.*
oret, hunc Psalmum sic incipit.

Cùm inuocarem. i. cùm patientiam, robur, & animi gaudium in tribula- 1.
tione à Deo peterem, *exaudiuit me.* Quod non est mirandum. Dicit enim *Epist. 77.*
Cyprianus, quod ad impetrandum in pressuris facilior sit oratio. *Deus iustitiæ meæ.* i. Iustitiæ auctor, & iustitiæ exauditor, quia orationibus multum efficaciæ conciliat iustitia supplicantis. His autem dictis Psaltes sermonem repente ad Deum conuertit, suæque inuocationis prouentum exponens, dicit Deo; *In tribulatione dilatasti mihi.* i. amplificasti mihi vires
sustinentiæ, faciens cum tribulatione hunc prouẽtum, vt tribulatio patien- *1. Cor. 10.*
tiam in me operata sit, ipsaque tribulatio quæ est patientiæ exercitatio, patientiæ disciplina euaserit. Saluberrimè autem animus in tribulatione positi dilatatur, cùm Dei dilectione vsque ad inimicorum dilectionem dilatata distenditur.

Miserere mei. Postquam in tribulatione dilatatum se dixit, ilico mise- 2.
ricordiam implorat, quia necessitatem diuinæ gratiæ omni ex parte probè intelligens, nouit se adhuc egere multiplici gratiæ auxilio, spontanea Dei miseratione præstando. *Et exaudi orationem meam,* quam pro conseruatione, perseuerantia & reliquo gratiæ auxilio mihi necessario, tibi offero. Quod autem paulo ante dixit se fuisse in tribulatione dilatatum charitate, vt diximus, id nunc reipsa declarat quoad dilectionẽ proximi: Dicit enim:

Filij hominum, quę vox iustorum est volentium infirmos in fide, vt mo- 3.
nuit Apostolus, assumere. i. sibi similes facere: Hac enim voce increpant *Rom. 14.*
carnaliter infirmos homines, qui præ amore salutis temporariæ, rerumque temporalium, in tribulationibus trepide succumbũt, & per eum salutis detrimentum sibi veriùs quam prouentum conquirunt, dicuntque, *Filij hominum,* plus videlicet in vobis habentes, quod carnalis in vos generatio deriuauit, quam quod spiritualis regeneratio reformauit. *Vsquequo graui corde?* i. quamdiu habebitis cor in amorem rerum temporalium deorsum, grauium rerum more propensum? *Vt quid.* i. quo fructu, quáve vtilitate, *diligitis,* præpostero amore. *vanitatem.* i. transitoriam & ob id vanam felicitatem. *& quæritis.* i. anxia sollicitudine acquirere, conseruare, augere contenditis, *mendacium.* i. ea, quæ veram felicitatem mentiuntur. Quæ correptio tametsi conueniat iis, qui in temporali prosperitate positi, amori eius nimium incumbunt; propriè tamen dirigitur ad eos, qui ob aduersitatem temporalem immoderata se tristitia cruciant, & cura bene vtendi tribulationibus neglecta, peccatis se maledictionum & murmurationum onerant. Rectè enim iis dicitur, *vt quid diligitis vanitatem;* nisi enim vanitatem diligerent, non semetipsos eius amissione cruciarent.

 Et, vt

4. *Et*, vt ſcilicet deſinatis vanitatem diligere, & mendacium quærere, *Scitote*, aduertite, perpendite, *Quoniam mirificauit Dominus*, id eſt, via & ordine carnalibus oculis admirabili, nempe per temporariæ ſalutis iacturam, ad ſummã gloriam perduxit *Dominus ſanctum ſuum* .i. Chriſtum ſanctum ſanctorum, idque vt ſciatis, ſequenda vobis eſſe eius veſtigia, vt ſicut oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam; ita & vos oporteat per multas tribulationes introire in regnum Dei. Illa ergo mirabili glorificatione commendatur atque proponitur vobis noui teſtamenti gratia, quæ prædicit in mundo preſſuram, in preſſura victoriam, per victoriam autem perducit ad coronam. de qua re late Auguſtinus epiſtola 120. cap. 5. & ſequentibus. Cùm ergo per ſanctum ſuum Chriſtus intelligatur, recte Auguſt. increpationẽ quæ dicit: *Filij hominum vſquequo graui corde*? &c. tempore Chriſti vim ſuam & locum habere cœpiſſe animaduertit; hoc modo: *Vſquequo graui corde*? ac ſi diceret Pſaltes, Si quinque ætatibus quę Chriſtum præceſſerunt fuit vobis aliqua excuſatio ſequendæ vanitatis, vel ſexta ætate in qua vixit Chriſtus comprehendite veritatẽ de contemnenda vanitate, quæ per Dominum Ieſum prædicata eſt, & eius exemplo demonſtrata. *Dominus exaudiet me*, verba hæc intelligi debent ab ijſdem dici à quibus ſuperiora dicta ſunt, hoc ſenſu. Si vos ô infirmi Chriſtiani, vbi audieritis ſupradictam exhortationem, puſillanimitas inuaſerit, videritisque id animi robur, quod in Chriſto excellenter ad omnium informationem præceſsit, à vobis procul abeſſe, nec poſſe vos de damnis rerũ, fauorum, incolumitatis corporeæ, regni cæleſtis beatitudinem vobis comparare, non tamen ob hoc haſtam abijcite, animumque deſpondete, ſed potius pia ſpe vobis perſuadete, dicatque vnuſquiſque ſibi, *Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum*. i. Chriſtianæ militiæ virtutem, quam mihi deeſſe ſentio, Dominus mihi dabit, cùm eum rogauero. Monuit enim Cyprianus, In perſecutionibus (ſub quibus omnes aduerſitates intellige) nemo cogitet, quid periculi diabolus importet, ſed imò conſideret quid auxilij Deus præſtet, nec mentem labefactet humana infeſtatio, ſed corroboret fidem diuina protectio, quando vnuſquiſque ſecundum dominica promiſſa & fidei ſuæ merita, tantùm accipiat de Dei opere, quantum ſe credit accipere, nec ſit quod omnipotens præſtare non poſsit, niſi accipientis fides caduca defecerit.

[Margin: 1 quæſt. euang. q. 41] [Margin: Cap. 10. de exhortat. martyrij.]

5. *Iraſcimini*, q.d. Si tam eſtis infirmi, vt contra eos qui vos perſequuntur & affligunt, ſubita aliqua animi indignatione aut offenſione moueamini, *Et nolite peccare* .i. nolite commotam iracundiam veſtram vultu, verbo, aut opere in aduerſarium effundere, ſed commotam mox comprimite. hic ſenſus qui eſt Ambroſij, textui quàm maximè congruit. Præter hunc tamen

[Margin: 1. officior. Cap. 21.]

tamen idem ibidem dat & hunc ſenſum, *Iraſcimini & nolite peccare*. i. ſi ira moueamini, iraſcamini eidem infirmitati veſtræ, & non peccabitis, vel, Iraſcamini, vbi ſcilicet oportet, nempe iniquitati alterius, cum tali ſeueritate opus fuerit, & non peccabitis. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* hoc additur, quia infirmi in afflictione poſiti, in cubili ſeu ſecreto cordis ſui multas malas ſuggeſtiones ſentiunt, nempe blaſphemiæ aut murmuris in Deum, quam in perſona infirmorum deſcribit Iob: Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocentum rideat: Aut prauorum conſiliorũ, Suggeruntur enim ipſis aut à diabolo, ſicut teſtatur Ambroſius factum eſſe Iſaiæ, cui in carcere conſtituto diabolus liberationem promiſit, modo dicere vellet prophetiam ſuam non eſſe profectam à Deo; Aut à proprijs eorum cordibus ſuggeruntur, dico, impia & illicita conſilia ad euadendam vel vindicandam aduerſitatis moleſtiam. Pro his itaque & ſimilibus prauis ſuggeſtionibus, præſertim quæ ex propria eorũ oriuntur infirmitate, dicitur illis, *compungimini*, quaſi dicatur, nolite ſuggeſtionibus illis locum dare, eáſve opere perficere, ſed potius ob hoc quod talia patimini, dolore pœnitentiæ (quoniam raro ſine omni peccato in homine ſunt) aut ſaltem odij ac diſplicentiæ, quoniam à malo ſunt, voſmetipſos configite, vt ſitis ex illis de quibus Leo, Iuſti cogitationum ſuarum arcana caſtigant, vt nunquam poſsint in cordibus ſuis non inuenire quod reprobent. Ambroſius tamen hunc verſum ad literam intelligit, dicens fieri ſolere vt ipſe lectus ad communem quietem nobis datus, ærumnoſus fiat; Tunc enim, inquit ſolemus, quæ fecimus recordari, & factorum ſuorum ſtimulis compungitur interior conſcientia. vnde Scriptura ait: Quæ dicitis in cordibus veſtris & in cubilibus veſtris compungimini. Hæc Ambr. Expoſita autem ratione comprimendæ impatientiæ, nunc exponunt rationem exercendæ in tribulatione iuſtitiæ, dicuntque:

Cap 9. *Ser. 12 in pſal 118. verſu 4.* *Serm. 6 de Quadrag.* *1 de interp Iob c. 3.*

6. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ*. i. Satagite, vt tribulatione, tanquam materia & occaſione multorum bonorum operum, legittimè vtentes, bona opera manſuetudinis, patientiæ & charitatis in aduerſarios exerceatis, eaque Deo tanquam ſpiritualia quædam pacificorum ſacrificia offeratis, *Et ſperate in Domino*. i. amore rerum temporalium mortificato, æterna bona à Deo expectate, & pro ijs ei ſeruire diſcite, eiúſque diſciplinam in præſenti vita tolerare, ſicut Tobias qui vxori, calamitatem ſui temporis ei improperanti reſpondit: Filij ſanctorum ſumus, & illam vitam expectamus quam dabit Deus ijs, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. *Multi*. ex ijs qui graui ſunt corde, amoreque in terrena pendulo, Qui cum ſe audiunt ad contemtum præſentium, & ſpem futurorum admoneri, dicunt: *Quis oſtendet nobis bona*? vſque adeò enim per ſæculi dulcedinem & amo-

rem mente incrassati sunt, vt non possint in animos suos inducere esse inuisibilia bona quæ expectanda sint, aut saltem non valent ad ea speranda
1. Cor. 15. animos suos erigere. Cuiusmodi erant qui dicebant: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Et alij, qui desperantes potiora bona acquirere, tradiderunt se impudicitiæ in auaritiam, ideo interrogant, *quis ostendit nobis bona*, q.d. nemo, non sunt enim. Sed illis cum desperatione quærentibus: *Quis ostendet nobis bona*? Respondent Christiani & à quo & quo modo ostendantur hæc bona, dicuntque:

7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, Vultus Dei, inquit Cyrillus, Ambrosius & Tertull. filius eius est, Lumen vero vultus eius gratia est Spiritus sancti. Sensus itaque est, Filius tuus Domine qui est æternæ beatitudinis fons, per gratiam Spiritus sancti cognitionem inuisibilium bonorum mentibus nostris impressit, & ob id non dicimus vna cùm illis, quis ostendet nobis bona? sed mente per fidem illustrata iam præuidemus futura bona. Nobis enim reuelauit ea Deus per Spiritum suum. Porrò bene dicunt: *Signatum est*, Lux enim huius notitiæ ab æterno illo diuini vultus lumine in mentes eorum qui illuminantur transfertur, non emigrando, inquit Augustinus, sed imprimendo, sicut imago ex annulo & in ceram transit, & annulum non relinquit. *Dedisti lætitiam in corde meo*. quia lumen hoc non aridam rerum futurarum notitiam affert, sed etiam suo splendore mentes exhilarat, & quodam anticipato rei futuræ gaudio demulcet, vt etiam in præsenti vita temporalium bonorum suauitatem, tanquam longe inferiorem, fastidire nouerit, Quia Spiritus sanctus, inquit Didymus, consolatur eos, quos se dignos reperit, & incredibile quoddam gaudium & hilaritatem eis tribuit, vt possint gratias agentes dicere, *Dedisti lætitiam in corde meo*. Ad quam lætitiam exhortatur Apostolus, cùm dicit: Spe gaudentes. Cùm itaque contextus huius loci requirat, vt eum intelligamus de illo lumine diuini vultus, quo per gratiam Spiritus sancti inuisibilia bona nobis reuelantur, de quo etiam Augustinus eum intelligit, minus aptè quidam Doctores intelligunt hic sermonem esse de naturali lumine mentis humanæ quo legittimum aliquid, Augustini verbis vtor, anima rationalis naturaliter & sentit & facit, Quamquam interim, teste Augustino, verum sit lumen illud à vultu Dei nobis imprimi vel super nos signari. Pergit autem Psaltes sequentibus versiculis dare differentiam inter veræ beatitudinis, quam expectant super quos signatum est lumen diuini vultus, & falsæ quam spectant qui graui sunt corde, obiecta, sensa & tempora; & incipiens ab ijs, qui falsam beatitudinem in præsenti diligunt, dicit:

[Marginal notes: 3. in Ioanne cap. 29. Epist. 11. Tertull. 5. cont. Marc. cap. 11. — 14. de Trinit. ca. 15. — Li. 2. de Spiritu sancto. — Roman. 12 — Cap. 27. de spiritu & lit. & 1. quæst. euang. c. 41. — 14. de Trinit. ca. 15.]

8. *A fructu* .i. vbere prouentu, *frumenti vini, & olei sui*, sub quibus nomi-

nominibus comprehenduntur omnes res terrenæ, quibus carnales tanquam terrenæ suæ beatitudinis obiectis fruuntur. Ideo & adiungitur vocula [*sui*] frumentum enim, vinum & oleum spirituale, domini propriè dicitur, sicut Sponsus Cant. 5. Bibi vinum meum, & Psal. 88. Deus de gratia Spiritus sancti dicit, oleo sancto meo, *multiplicati sunt* .i. in diuersarum rerum, quibus simul frui non possunt, amores & appetitus sunt distracti, & pro multiplicitate earundem rerum, varijs quoque cupiditatibus æstuauerunt.

In pace in idipsum dormiam & requiescam. vnus loquitur in persona omnium eorum qui veram beatitudinem sectantur, quia vbi hoc quod hic ditur impleri cœperit, tum omnes, sicut Christus orauerat, vnum erunt. Dicit itaque, *In pace, &c.* q.d. In hoc ego ab eis differo, quod illi in præsenti vita præproperè bonis temporalibus se ingurgitent, ego autem *dormiam*, i. vbi dormiero mortemque obiero, de qua dormitione Psalmus sequens, Cùm dederit dilectis suum somnum, &c. *& requiescam.* i. tranquillissima fruitione donabor, cùm illi in hac vita inquietis & intemperatis delectationibus, quæ optimè perturbationes dicuntur, exagitentur. Idque *in pace*.i. participatione eius pacis, de qua Apostolus, Pax Dei, quæ scilicet ipse Deus est sibi, quæ exuperat omnem sensum, vel, *in Pace*, i. cum plena securitate & satietate. *In idipsum.* i. participatione illius quod immutabile est & omnia simul est. Dicitur enim Deus, Idipsum, propter suam simplicitatem, quia quicquid in eo esse intelligitur, vt bonitas, iustitia, potentia, notitia, & reliqua omnia simul, licet ratione vt à nobis apprehenduntur sint distincta, vna tamen & simplex Dei sunt substantia, Ideo dicit Augustinus: Legitur quidem Sapient. 7. Spiritus sapientiæ multiplex, sed rectè etiam dicitur simplex (siue vt noster textus ibidem legit, vnicus.) Multiplex enim est quia multa sunt quæ habet. Simplex autem vel vnicus, quia non aliud habet quam quod est. Et Bernard. Multa dicuntur esse in Deo & quidem sanctè catholiceque, sed multa vnum sunt. Dicitur etiam Deus Idipsum, propter immutabilitatem æterna stabilitate eodem modo semper se habentem, ita vt in illo nullum sit vel momentum præteriti aut futuri. Ex his itaque patet, prædicta inter carnales & spirituales differentia. Illi enim multiplicati sunt, quia cum vnum illud quod est necessarium non consequantur, pluribus inhiantes, in plura distrahuntur. Hi vero Idipsum amantes, in vnius illius omnia in se complectentis simplici amore omnes vires suas colligunt: vbi patet differentia obiectorum. Illi cupiditatum suarum quodã œstro percelluntur: hi in trãquillitate sancti amoris requiescunt. Ibi est differentia sensuum siue affectionum. Illi rebus præsentibus fruuntur dum viuunt, hi desideria sua impleri expectant vbi dormierint. Ibi est diffe-

Marginal notes: 9. — Ioan. 17. — Epist. 102 & 11. de Ciuit c. 10. — 5. de consi. — Lucæ 10.

differentia temporum. Sed vnde hæc inter vtrosque differentia? Id docet versus qui sequitur, hoc sensu: Ego ab illis in his quæ dicta sunt differo,

10. *Quoniam tu Domine singulariter*. i. singulari tua gratia & ope, quam mihi præ illis dedisti, *in spe constituisti me*. i. fecisti me præsentium amore contempto, futura per spem concipere, & per patientiam expectare, atque in ea inter omnia præsentis vitæ prospera & aduersa inuicto animo perseuerare.

PSALMVS V.

In finem pro ea quæ hæreditatem consequitur, Psalmus Dauid.

Hebr. 12. EA quæ hæreditatem consequetur, est Ecclesia quam Apostolus appellat primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis; His enim psalmus iste per omnia omnesque sui partes propriè competit. Prima quidem Psalmi pars orationem continet pro æternæ vitæ hæreditate adipiscenda: pars sequens recenset ea, quæ vitanda sunt illi, qui ad hæreditatem peruenire intendit: Post quæ contra talia mala protectio petitur: At in gratiarum actionẽ pro adepta hæreditate Psalmus finitur; quæ gratiarũ actio competere non potest, nisi illis, quorum nomina scripta sunt in cælis. ergo proprie pro illis scribitur, illisque competit Psalmus.

1. *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum*. In hoc versiculo per dictiones, *Verba* & *Clamorem* oratio designatur, differenter tamen: nam per *verba*, intelligitur oratio, quæ cum pia precandi intentione, & debita ad ea quæ recitantur attentione, verbotenus fere absq; magna pij sensus aut affectus viuacitate profertur; Per clamorem vero ea oratio significatur, quam pij pectoris spiritualis affectus multis virtutibus imbutus, sine verborũ strepitu diuinis oculis infert, vt docet Ambrosius in Psalmos 40 & 118. Serm. 19. versu 10. Basilius in Psal. 114. Augustinus in Psal. 148. Hieronymus in Cap. 4. ad Gal. Hanc distinctionẽ confirmat diuersitas adiunctorum verborum *Auribus percipe*, *&* *intellige*. Indicant enim ea, Orationum quæ Deo offeruntur, aliam esse ferè verbalem, quæ auribus, aliam spiritualem, quæ intellectu hauriri solet; vtramque tamen, inæquali licet gradu, Deus acceptam habet.

2. *Intende voci orationis meæ*. dicit Intende; In hoc enim quod præcipue isto Psalmo petit, magis cupit pro hoc tempore audiri, quam exaudiri. Auditur autem à Deo oratio, cùm ab eo suscipitur tanquam ad impetrandum sufficiens, aut saltem momenti aliquid afferens. Exauditur vero, cùm oranti res postulata à Deo conceditur; Quam distinctionẽ nouisse videtur Raguel, qui cùm sciret se id quod postulauerat nondum accepisse, & proinde nondum esse exauditum. cùm tamen diceret, non dubito quin Deus preces

preces meas in conſpectu ſuo admiſerit, confidebat ſe eſſe auditum. Et certe magna cum prudentia & animi æquitate hanc precem ſuam hac vice ſolum audiri petit Pſaltes. Poſtulat enim aduenire ſibi regnum Dei, hoc autem ex ijs eſt de quibus Auguſtinus in Ioannem, quæ orantibus non negantur, ſed differuntur vt dentur congruo tempore. Similiter ſunt & alia quæ orantibus non ſtatim conceduntur, non ob importunitatem temporis, ſed ob immaturitatem orationis, aut nondum ſatis bonam orantis diſpoſitionem. Cùm ergo quis ea quæ à Deo petit, è veſtigio non accipit, ne putet orationem ſuam à Deo neglectam aut repulſam eſſe, ſed credens ſe, vt docet Ambroſius, remiſsius quam oportet ſupplicaſſe, ſperet eam à Deo ſaltem auditam eſſe, vt poſtquam fuerit pietate maiore inſtructa & frequenter iterata, tandem exaudiatur; Ideo bene monet Bernardus, Nemo veſtrum fratres parui pendat orationem ſuam, dico enim vobis, quia ipſe ad quem oramus, eam non parui pendit. Priuſquam egreſſa ſit ab ore noſtro, ipſe eam ſcribi iubet in libro ſuo; & orationem benigne ſuſcipiens, quod nobis aut omnino non eſt vtile, aut non tam cito dari neceſſe eſt, minime tribuit, oratio tamen infructuoſa non erit. Quæ omnia probè intelligens Chriſti Eccleſia, ratione eorum quæ ſuo tẽpore ſunt concedenda, dicit in Litanijs, Chriſte audi nos; Ratione verò eorum, quæ ſtatim concedi poterunt, dicit Chriſte exaudi nos. *Rex meus & Deus meus.* Sicut verba Apoſtoli, Dominus meus & Deus meus, ita & verba hæc fidei confeſsionem continent. Confitetur enim Deo Pſaltes his verbis, ſe Deum pro Rege ſuo & Deo ſuo habere, idque quia in poſterioribus huius fidei ſuæ effectum obtinere petit, nempe vt Deus ei ſit Rex, præſtando directionem, Deus, impartiendo beatitudinem. Cùm ergo hæc duo petere intendat, orationi præmittit congruentis fidei confeſsionem, quia confeſsio fidei fidem roborat & renouat; fides autem orantis, orationem eius quamplurimum commendat. Ob quam cauſam Symbolũ fidei à fidelibus orationi ſæpe præmittitur.

1. de pænit. cap. 16.

Serm. 5. de Quadrag.

Ioan. 20.

Quoniam ad te orabo Domine in hoc tempore pro æterna hereditate obtinenda, *mane exaudies vocem meam,* q.d. nunc quidem eam audies, *mane* autem .i. in exortu primoque diluculo æternæ diei & corporum reſurrectione, exaudies eam, præſtando rem poſtulatam, quæ eſt regnum tuum. Ad quod cum peruenero, 3.

Mane aſtabo tibi.i.ab omni lapſu & labendi periculo immunis, præſens tibi adero in illa turba magna, quam Ioannes vidit ſtantem ante thronum, 4.
& videbo ſcilicet te facie ad faciem, ſed non niſi *manè*; Idque, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*.i. quoniam nullam in conſpectu tuo admittis iniquitatis vel rugam, quæ eſt concupiſcentia, vel maculam, quæ eſt peccatum. Iniquitas autem ante futuræ diei diluculum plenè non expiabitur.

Ad Marcell. Cypr. de ora. Domin. Diuus Athanasius tamen, & Cyprianus, ex hoc quod dicitur: Ad te orabo, mane exaudies vocem meam, colligunt nobis in ortu cuiusque diei ante diluculum orandum esse in memoriam Dominicæ resurrectionis, precesq; eo tempore fusas à Deo facilius exaudiri, tum ob ipsius temporis quandam importunitatem, quæ magnam orantis vigilantiam atque instantiam testatur; tum ob Dominicæ resurrectionis memoriam. Orationes enim nostræ inter cętera etiam hoc nomine Deo commendantur, quod ex fide deferuntur illis temporibus, vel saltem in illorum temporum memoriam, quibus res aliquæ pro salute nostra à Christo gestæ sunt, vt docet Ambrosius Cyprianus, Basilius. Ob quam rem Ecclesia publicas preces quotidie recitat media nocte qua natus est Christus. Ad Primam qua resurrexit. Ad Tertiam qua venit Spiritus sanctus. Ad Sextam circa quam crucifixus est Christus. Ad Nonam circa quam mortuus est.

Amb. epist. 81. Cypr. de ora. Domin. Basi in reg bre. reg. 37

5. *Neque habitabit.* Recensere incipit quædam peccata quæ homines à regno cælorum excludunt, Inter quæ primum est quod dicit: *neque habitabit iuxta te malignus.* Malignus autem vt interpretatur Ambrosius, nec puram simplicitatem habet, nec apertam malitiam, sed absconditam maleuolentiam, hic itaque non erit ex ijs, qui in domo tua cum tuæ præsentiæ fruitione habitabunt; *Neque permanebunt iniusti ante oculos tuos* .i. qui iniuriam inferunt, tametsi in die iudicij comparebunt ante oculos tuos, ab ijs tamen in tenebras exteriores repulsi in conspectu tuo non permanebũt.

Epist. 82.

6. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Explicuit quo bono impij priuandi, nunc explicat cui malo sint subijciendi, dicitque *odisti*, Odisse Dei formaliter est auersari; Improbat enim Deus vitium, inquit D. Augustinus, velut à regula suæ artis alienum; causaliter autem est punire. Hic autem de formali odio interpretamur, quod merito inter mala quibus iniqui afficiendi sunt, primo loco ponitur; Quia sicut diligi à Deo amore amicitiæ magnum in beatitudine est bonum, ita in odio seu auersatione Dei esse, malũ est maximum. *Perdes omnes* .i. æternis supplicijs dignos habebis, & suo tempore addices, *qui loquuntur* .i. qui docent contra suam conscientiam, *mendacium*, aut contra eandẽ docent esse mentiendum. Addo contra conscientiam, quia mẽdacium, inquit Augustinus, est falsa significatio cum voluntate fallendi; non est autem voluntas verbo fallendi, nisi in eo, qui contra quàm dicit sentit. Si autem quod dicitur, *loquuntur mendacium*, pro quauis enunciatione mendacij acceperis, oportebit tunc mẽdacium restringere, ad mendacium perniciosum, vt notat Augustinus. Præsertim quia si pręsens locus de quouis mendacio esset intelligendus, vtique hic diceretur; Perdes omnes qui loquũtur omne vel quoduis mendaciũ, sicut cũ scriptura nos ab omni mẽdacio dehortatur, dicit: Noli velle mẽtiri omne mendaciũ.

Tract. 110 in Ioan.

Cap. 12. cõt. mendaciũ.

Eccli 7.

Virum

Virum sanguinum & dolosum. i. homicidam, & fraudibus deditum & 7.
intentum, quales sunt hypocritæ & impostores, *Abominabitur* .i. auersabitur *Dominus. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.* videlicet multa peccata mihi ignoscentis, multiplici gratia me donantis, multaque ope protegentis me. Dicit autem in prima persona Ego, idque ex spe. Beatitudinem enim pro qua prius orauerat, nunc sibi affuturam pia spe præsumit, hoc versuum ordine docens, orationi spem semper esse adiungendam; qui enim orationi spem impetrandi non adiungit, per defectum spei, orationis suæ prouentum sibi quasi abiudicat;

Introibo in domum tuam æternæ beatitudinis. *Adorabo ad templum san-* 8.
ctum tuum. i. sanctum cælum tuum. Adorat autem ad illud, qui absens eò reuerentiam Deo debitam mittit: Quod facit Ecclesia, cum mente atque corporis inclinatione, genuumque inflexione adorans patrem suum qui est in cælis, dicit: Adoramus te, cum Angelis, sanctus, sanctus, proclamans. Hæc enim adoratio nostra & in cælum à nobis dirigitur, & ante oculos diuinæ maiestatis ingreditur. *In timore tuo,* verecundiæ scilicet, quæ huiusmodi adorationi semper iungenda est ex conscientia multiplicis infirmitatis & indignitatis nostræ, sicut illi qui Deum in cælo præsentem adorant, id faciunt ex timore reuerentiæ.

Domine deduc me. Qui superius sperauit, hîc resumit orationem, quia 9.
oratio tempore huius vitæ voto semper continuanda, actu frequenter reiteranda est, dicitque: *deduc me in iustitia* .i. gratia tua continua cœpta in me sua prosequente, iter iustitiæ seu conuersationem rectam tua ope cœptã, fac me in finem vsque ordinatè decurrere, idque *propter inimicos meos,* Insidiæ enim ac tentationes inimicorum, illorum scilicet, qui à iustitia nos impedire aut ab ea ad iniustitiam auertere moliuntur, peculiaris gratiæ ac protectionis diuinæ nobis necessitatem adducunt, vt docet Augustinus: *De correp. & gratia, c. 11 & 12.*
Dirige in conspectu tuo viam meam. i. præueniente gratia tua fac me indesinẽter cognoscere, ac facere toto decursu vitæ meæ, quod placitũ sit ante te.

Quoniam non est in ore eorum, inimicorum meorum, *veritas,* vt ipsi sua 10.
doctrina aut commonitione possint dirigere in conspectu tuo viam meam, *cor eorum vanum est,* q.d. Ideo non est in ore eorum veritas, quia cor eorum vanum est, nullum salutiferæ veritatis in se habens depositum, Ex abundantia autem cordis os loquitur, propterea, vt dixi, non est in ore eorum veritas.

Sepulchrum patens est guttur eorum. q.d. non solum non est in ore eo- 11.
rum veritas, insuper os eorum nihil exhalat aliud, quam tetrum putorem mortiferæ iniquitatis corda eorum obsidentis, ex ore enim eorum nihil auditur nisi blasphemia, clamor, impudicitia, & similia. *Linguis suis dolose*

 agebant,

agebant, quia venenum mortiferarum linguarum ſuarum ratione defendere & excuſare laborabant, Vel, verbis fratres circumuenire & fallere. Et hactenus quidem iniquorum facta ac ſtudia recenſuit, nunc exitum & finem eorum commemorans dicit, *Iudica illos Deus.* prædictio eſt per modum precationis, q.d. iudicabis illos extremo tuo iudicio Deus.

12. *Decidant à cogitationibus ſuis.* i. ſpem quam illi cogitãdo præſumpſerant, non aſſequentur; *ſecundum multitudinem impietatum eorum.* i. pro ratione impietatis quam commiſerunt, *expelle illos*, id eſt, è ſocietate ſanctorum, cui nunc ſunt permixti, in tenebras exteriores eijce. *quoniam irritauerunt te Domine*, i. præſumendo, tuaque bonitate abutendo, te ad iracundiam prouocauerunt. Enarrato autem fine impiorum reuertitur Pſaltes ad enarrandum finem iuſtorum, dicitque:

13. *Lætentur omnes qui ſperant in te*, de rei ſperatæ prouentu, *in æternum exultabunt*, lætitia ſempiterna, *& habitabis in eis*, erunt ſiquidem in beatitudine ſancti, non ſolum Deo præſentes, ſed admirabili felicitate Deo
Ioan 14. pleni, ſicut Chriſtus dixit, Spiritus S. apud vos manebit, & in vobis erit.

14. *Et gloriabuntur in te*, Gloriari in Domino aliquando eſt, nil gloria dignum ducere, niſi quod apud Deum eſt glorioſum, quæ gloria opponitur gloriæ inani huius ſæculi, quæ eſt de ſtemmate, &c. Aliquando vero, nullam celebritatem aut laudem gloriæ loco reputare, niſi quæ à Deo ſanoq; laudantis iudicio prouenerit, quæ gloria opponitur glorię quam facit adulatio. Tertio idem eſt quod omnẽ gloriam in Deum vt gloriæ authorẽ referre, quod gloriari opponitur gloriæ quam facit ſuperbia. hoc autem loco *gloriari*, eſt pro vberiore quàm ſperaueras diuinæ largitionis prouẽtu, de tam opima diuinæ bonitatis dote, cum inenarrabili diuinæ magnificentiæ exaggeratione ſibi gratulari. *Gloriabuntur* igitur *in te*, i. cùm magnificentiæ tuæ prædicatione ſibi in te & de te complacebunt, ſibique gratulabuntur. *Qui diligunt nomen tuum.* i. te propter temetipſum. Per nomen enim Dei aliquãdo ipſam Dei ſubſtantiã ſignificari manifeſtũ eſt, Deut. 28. Si timueris terribile nomen Dei. i. ipſum Dominũ Deum tuum. Huius gloriationis ratio eſt, *quoniam tu benedices.* i. vberem & ſupereffluentem benedictionem adijcies, *iuſto*, i. eis de quibus mox dixit, qui diligunt nomen tuum. Hos enim nunc iuſtos vocat. Si enim, vt docuit Auguſtinus, charitas iuſtitia eſt, ergo qui charitate diligunt Deum, iuſti ſunt. Gloriantur
Epheſ. 3. autem iuſti in Domino, ſicut diximus, cùm in hac vita accipiunt ſuperabũdanter quàm petunt aut intelligunt, magis autem gloriabuntur in eo in fu-
Iſaiæ 64. tura vita, cùm accipient quod oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor
Pſal. 144. hominis non aſcendit. Tunc enim magnificentiã gloriæ regni Dei loquen-
Lucæ 6. tur, accipientes menſuram bonã & refertam & coagitatam & ſupereffluentem, in-

tem, ingeminantes illud Isaiæ: Confitemini Domino, quoniam magnificè fecit. *Isaia 12.*

Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ. Commodius ex Græco hoc modo vertitur, Domine vt scuto bona voluntate tua (vt illud in Euangelio, Pax hominibus bona voluntas) Dicit quidem Isaias, quod in ciuitate cęlesti inuenietur gratiarum actio, & vox laudis: Quæ autem illa vox futura sit, non ipse, sed hic versus explicat, dicens in nomine omnium Sanctorum, qui hæreditatem iam consecuti erunt. *Domine coronasti nos.* i. ad coronam perduxisti nos. Quæ verba etsi quidam hoc modo interpretentur, *Coronasti nos.* i. misericordia tua vt corona cinxisti nos vndique, tamē nostram interpretationem genuinam esse titulus testatur (nam vt Augustinus dicit: Sicut clauis ostium aperit, ita titulus Psalmum) qui Psalmum scriptū esse dixit illi qui consequetur hæreditatem. Quid autem in toto Psalmi decursu proprium est hæreditatem consecutis, nisi quod dicit; *Coronasti nos,* Si intelligamus id idem esse cum eo quod diximus, ad coronam perduxisti nos? *Bona voluntate tua.* i. per bonam voluntatem tuam, cui coronā hanc præcipuè acceptam ferimus, quia ipsa præcipuas in iustificatione nostra & perseuerantia partes habuit. Qua quidem bona volūtate tua vsus es, *vt scuto,* primo, quia benigna tua in nostram salutem voluntas, iræ tuę quam peccando frequenter merebamur, quasi scutum se opposuit, ne ipsa pro nostris meritis frequenter contra nos exardesceret; Continuisti enim iram tuam in misericordia tua, per quam factum est, vt nihil te auertere potuerit, quo minus nobis & peccantibus, & à te auersis beneuolus perseuerares, vt loquitur Bernardus. Deinde fuit voluntas tua nobis scutum; Per eam enim protexisti nos, non tantùm ab hostibus foris nos oppugnantibus, sed & intus à defectu, negligentia, tergiuersatione propriæ nostræ voluntatis. Cùm itaque hæc gratiarum actio omnibus sanctis communis sit, rectè Ecclesia in officio suo diuino laudibus supernæ ciuitatis suas laudes adiungens, per festa plurimorum sanctorum hunc psalmum frequentat.

15. — Lucæ 2. — Cap 51. — August. ser. 20 de ver. Apostol. — Serm. de Natiuit. B. Mariæ.

PSALMVS VI.

In finem in Carminibus Psalmus Dauid pro octaua.

PSalmus hic pœnitentis orationem & lamenta continet; Inscribitur tamē in Carminibus siue vt legit August. in Hymnis, quia Carmen siue Hymnum. i. festiuum canticum lætitiæ, aut gratiarum actionis, vt suum finem spectat, quia planctui & gemitibus pœnitentis, gratiarum actio & laus succedet absoluti atq; iustificati, sicut docet Christus: Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me, vt ponerē lugētibus Sion (inter quos sunt pœnitentes) & darem eis coronam pro cinere, *Isaiæ 6. & Luca 4.*

oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. *Psalmus Dauid pro octaua.* Quæ autem est octaua, inquit Chrysostomus, nisi dies illa Domini, dies illa magna, nempe dies iudicij? Quam Dauid octauam appellauit, propter commutationem huius sæculi, Cùm enim omnis volubilitas temporis, quod per septem dies voluitur atque reuoluitur, cessauerit, tunc ὀγδοάς .i. octaui numeri cursus producetur in medium; erit enim tum perpetua rerum tam bonarum quàm malarum stabilitas, Itaque psalmus hic non conuenit eis qui pœnitentiam præ se ferunt causâ solum rerum temporalium acquirendarum vel non amittendarum: qualis D. Gregorio fuit pœnitentia Achab: De quo sic dicit Deus. Quia humiliatus est Achab mei causa, non inducam malum in diebus eius. In quibus verbis pensandum est (inquit Greg.) quomodo in electis mœror amaritudinis placeat qui amittere timent Dominũ, si sic ei & reprobi pœnitentia placuit, qui timebat perdere præsens seculum. Pro his ergo atque huiusmodi pœnitentibus non scribitur præsens Psalmus. Hi enim non lugent pro octaua.i. causa eorum malorum quæ obuentura sunt peccatoribus in sæculo futuro; sed his solummodo qui metu malorum, & amore bonorum futuri sæculi ad pœnitentiam se conuertunt. Quorum vox est:

Lib. 1. de cōpū. cord.

Greg. hom. 10 in Eze. 3. Reg. 21.

1. *Domine ne in furore* .i. animi tui indignatione quæ sit absque misericordia, de qua scriptum est: Iudicium absque misericordia illi qui nō fecit misericordiam. *Arguas me*, in die videlicet Iudicij; In quo verba, discedite à me, Esuriui enim, &c. præter condemnationem, continebunt etiam reprehensionem seu redargutionem, quod peccatores peccata sua eleemosynis saltem non redemerint. Quæ negligentia, quandoquidem nullam poterit prætexere excusationem, acerbissimam accipiet Iudicis increpationem, & reo summam adducet confusionem; *neque in ira tua corripias me*. Diuus Augustinus, quem multi sequuntur, [*iræ*] nomine intelligit, mitiorem quandam Dei indignationem, cui temporali supplicio satisfit, & nomine correptionis temporale Dei flagellum, ideóque hāc posteriorem versiculi partem intelligit esse iustorum orationem, supplicantium pœnas temporales, quibus per rigorem iustitiæ diuinæ quomodolibet sint obnoxij, sibi per Iudicis clementiam mitigari; Attento tamen, quod à principio Psalmi vsque ad medium eius, decurrat oratio pœnitentis necdum iustificati, neque incommodo careat, si in vno orationis decursu interseri intelligatur oratio iusti pœnitentis, ideo commodior erit hic sensus, *neque in ira tua* i. vindicatiua iustitia, *corripias*. i. punias me. Vt intelligatur pœnitens iste priore versiculi parte Iudicis sententiam, hac vero parte vindictam consecuturam deprecari. Dies siquidem diuini Iudicij ab Isaia vocatur crudelis, propter acerbitatem suppliciorum, & indignationis plenus, propter Dei

Iacobi 2.

Matth. 25.

Cap. 13.

pter Dei increpationem. Optimo autem ordine pœnitentis oratio ab hac deprecatione exordium ſumit, Pœnitentiæ enim initium à timore diuini iudicij ſere concipitur.

Miſerere mihi Domine.i.miſericorditer peccata mihi indulge, *quoniam infirmus ſum* ab origine. Bene itaque dicit, *quoniam infirmus ſum*, quia huiuſmodi infirmitas Deo nonnulla ratio eſt miſericordiæ impendendæ, quia pronum videtur vt ei ſubueniat miſericordia diuina, quem ab origine infirmum fecit culpa aliena: Ob id ſuauiter Bernardus, Ita Domine obſecro complaceat tibi, vt eruas me, quoniam ego infirmus ſum: quoniam de terra mea furtim ſublatus ſum, & hic innocens in lacum miſſus ſum. Non penitus quidem innocens, ſed quantũ ad eum qui me ſeduxit, innocens aliquatenus. Hæc Bern. Imò præter hoc omnis qui ex infirmitate peccat, dicere poteſt, Miſerere mei, quoniam infirmus ſum, quia peccata ex infirmitate commiſſa, remiſsione minus ſunt indigna. *Sana me Domine*. Sicut anima hominis ægra eſt per cupiditatem, quæ morbus eſt animæ: Febris enim noſtra, inquit Ambroſius, ambitio eſt, auaritia eſt, & ſimilia: ita ſana efficitur, iuſtitia ſibi diuinitus refuſa. Itaque poſt deprecatam Dei indignationem, & miſericordiam imploratam, nunc ſanitatem poſtulat; ipſo ordine inſinuans, quod iuſtificandus vt docet Concil. Tridentinum poſtquam timore concuſſus eſt, incipit amare Deum tanquam iuſtitiæ fontem; dicendo enim: Sana me, nil aliud quam Deum iuſtitiæ fontem inuocans, iuſtitiam ſalutarem ſibi impartiri deſiderat, *quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea*. q.d. Ideo ſanari egeo, quoniam peccandi vſus & conſuetudo ipſas animæ medullas (quæ per oſſa ſignificantur, quia oſsibus medullæ continentur) turbidæ concupiſcentiæ æſtu infecit. Peccatum enim, vt Ambroſius loquitur, ignem cupiditatis oſsibus implicat, mentem, animã ſenſuſque pertentat.

2.

Serm. 1. de Aduentu.

5. in Lucã.

Seſs. 6. c. 6.

Ambr. vbi ſupra.

Et anima mea turbata eſt valde, conſcientiæ ipſius teſtimonio, pudore & pauore animam quietam non eſſe permittente. additque, *Valde*, magna enim vis eſt, inquit Ambroſius, conſcientiæ obnoxiæ. *Sed tu Domine vſquequo?* vox eſt ad veniam, quæ differri videtur, anhelãtis. Veniam enim Deus ad primam pœnitentis orationem non ſemper tribuit. Putáſne enim inquit Cyprianus, Dominum cito placari poſſe? Igitur dum Deus veniam differt, hoc ipſo admonet & requirit, pœnitentem orare impenſius & rogare, diem luctu tranſigere, vigilijs noctes & fletibus ducere, tempus omne lachrymoſis lamentationibus occupare. Quæ tarditas veniæ etiam hanc adfert vtilitatem, vt per moram temporis, rudis in principio ad pœnitendum animus, in pœnitentia vera ſenſim proficiat. Quò pertinet illud Cypriani, Fouendi ſane ſunt animi pœnitentium, & ad maturitatis ſuæ tempus nutriendi. Munit præterea tarditas veniæ pœnitentes contra recidiuum.

3.

Cap 9. de Apol. Dau.

De lapſis, & epiſt. 8.

Epiſt. 16.

Subdit

Subdit enim paulo post Cyprianus. Ad quemlibet casum medela rescinditur, si non fideliter de ipsa tarditate remedia præstentur, quia infidelis est cicatrix quam festinans medela induxit. Hæc ille. Cui accedit Ambros. cùm dicit, vsus doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delitias, vt dum dolemus admissa, admittenda excludamus, & fiat quædam de condemnatione culpæ, disciplina innocentiæ. Verum quidem est scriptum esse Isaiæ 30. secundum 70. Cum conuersus ingemueris, saluus eris. quo verbo promitti videtur venia ad primum pœnitentis gemitum fore parata; Sed illa Scriptura locum habet cum pœnitentia ab initio sui est perfecta; qualis erat pœnitentia Dauid & Diui Petri, vt notat Augustinus in hunc locum; aut intelligenda est de pœnitentia quæ homini oboritur in extremis, In illa enim necessitate ad pœnitentiam modò vera sit, nulla temporis mora necessaria est, prout illum locum Isaiæ intellexit Concilium Carthaginense.

c. de Pœnitent. c. 10.

Côcil. Cart. 7. Cap. v.'t Leo ep 91.

4. *Conuertere Domine* .i. patere te conuerti ab indignatione ad benignitatem. Hunc enim sensum hoc loco importat verbum *Conuertere.* Quod enim conuertitur, oportet vt ab aliquo conuertatur. A quo autem alio ad pœnitentes conuertitur Deus, nisi à gemitu & supplicatione eorundem, sicut à quadam causa veniæ & reconciliationis? Pœnitentiam enim remissionis veram causam esse, præter hoc quod scriptura testetur cùm dicit, Vidit Deus opera Niniuitarum. & alibi: Debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, paucis docet Tertullianus, Pœnitentia, inquit, temporali afflictione æterna supplicia non solum frustratur, sed, inquit, etiam expungit. Quod verbum actiuitatem aut causalitatem in pœnitentia esse designat. Quia tamen pœnitentia non est causa emerendæ iustificationis de condigno vt loquimur, ideo pœnitens suppliciter orat vt ab hac causa conuerti se patiatur, aut conuerti dignetur Deus. Pœnitentia enim veniæ talis est causa, quæ effectum suum non consequitur nisi accedente diuinæ gratiæ beneuolentia. *Et eripe animam meam* à reatu damnationis, Et insuper, *Saluum me fac.* i. iustitiam mihi restitue, & vsque in æternam salutem me dirige. *propter misericordiam tuam.* Offert Domino præstantissimam & efficacissimam miserendi causam, nempe suam ipsius misericordiam; ea enim nil est præstantius, eò quod Deus ipse sua misericordia sit, nihil efficacius, eò quod misereri Deo proprium sit.

Ionæ 3. Matth. 18. Cap. 9. de pœnit.

5. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui.* q.d. Saluum me fac propter gloriam nominis tui, quoniam in morte secunda, quam meretur peccatum non est qui memor sit tui, vel laudet te. Hoc ergo superioribus addit, ad insinuandum quod pœnitens in pœnitentia hunc progressum facere debeat, vt qui à principio pœnitentiam agere cœpit ex timore, deinde, ex amore iustitiæ vt declarauimus, huc tandem proficiat, vt Deo reconciliari desideret,

deret, ex germano amore ipsius Dei, qui inter cætera est amor diuinæ gloriæ diuiniqúe honoris. Cuius amore se concitari non obscure indicat qui dicit: Quoniam non est in morte qui memor sit tui, significat enim, statum æternæ damnationis sibi hoc nomine inuisum esse, quia qui in illo statu sunt, non dant Deo gloriam aut honorem. *In inferno autem* .i. damnatione, *quis confitebitur tibi*? Confessione laudis? Quæ verba cum superioribus eodem pertinent. Cypr. autē & Leo versiculum hunc exponunt & accipiunt in hunc sensum. *Quoniā non est in morte qui memor sit tui, in inferno autē, &c.* q. d. Ideo ante mortem, vt monuit sapiens, confiteor, & adhuc viuus veniam deprecor, quoniam in inferno ad quem à morte peccator pergit, nulla est pœnitentiæ, (Leonis verbis vtor) confessio, quia nulla correctio, nec datur remedium satisfactionis, vbi iam non superest actio voluntatis dicente propheta: In inferno quis confitebitur tibi. Hæc Leo. *Cypr. lib. 3. ad Quir. Leo serm. 5. de Epip.*

Laboraui in gemitu meo. Prima quidem pœnitentiæ pars quæ dicitur contritio, in animi dolore essentialiter consistit, sed in eo concludi non debet, Oportet enim inquit Tertullianus, vt pœnitentia non sola conscientia preferatur, sed etiam aliquo actu administretur. Actus autem pœnitentiæ laboriosi sunt, quos Tertullianus ibidem prosequitur. Dicit itaque, laboraui in gemitu meo .i. ad testandum & exercendum intimū cordis mei dolorem, gemitum luctumque non perfunctorium habui, sed cum multis laboriosis pœnitentiæ operibus coniunctum. Quem gemitum luctumque ad contestandum & exercendum cordis dolorem, plurimum valere, Concilium Trident. testatur cum dicit: Qui illos sanctorum clamores, Tibi soli peccaui, & Laboraui in gemitu meo &c. considerauerit, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. *Lauabo.* Prius in præterito dixit laboraui, nunc dicit *Lauabo*, indicans se transactis pœnitentiæ operibus futura accumulare velle, vt pœnitentia sic, quod docuit Cyprianus, diu trahatur, & dolenter paterna Dei clementia longo tempore rogetur. *Per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Hæc ad literam intelligenda sunt, tantamque animi pœnitudinem esse decere demonstrant, quæ nec noctis silentio sopiri, non tenebris obscurari, non lectorum mollitie resolui possit. hoc ipsum etiam pœnitentibus præscribit Ambrosius: 6. *Cap. 9 de pœnitent. Sess. 14. c. 4 Epist. 52. 2. de Pœni. cap. 10*

Turbatus est. Propheta hoc Psalmo pœnitendi formam præscribens, in medio eius decursu præteritorum peccatorū recordatus, enarrat quid mali peccata in eo pepererint. Dicitque: *Turbatus est à furore* .i. peccandi rabie atque insania, *Oculus meus* .i. oculus mentis meæ, vt non viderem nec iudicarem quod rectum est. Quod autem peccata pristina furoris nomine appellet, oritur ex eorundem detestatione, & per hoc docet, vt quando- 7.

cunque peccatorum præteritorum recordatio hominis etiam conuerſi memoriam ſubit, hoc ei agendum ſit, vt illam recordationem non peccati delectatio aut complacentia, ſed odium, deteſtatio ac iterata triſtitia comitetur; ſic enim recordatio peccatorum non ſolùm non oberit, verumetiam proderit plurimũ, vt docet Bernardus: *Inueteraui inter omnes inimicos meos* .i. veterem hominem magis magiſque indui, ex vſu & peccandi conſuetudine, & malorum hominum ſocietate.

Cap 23 de Conuerſ.

8. *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem*. Renunciat pœnitens his verbis priſtinæ conuerſationi ac peccatis, propoſito, quod omnibus qui pœnitent neceſſarium eſſe fatemur vitæ melioris, Oportet enim nos, dicit Cyprianus, confitentes atque intelligentes delicta noſtra quibus Deum offendimus, de cætero ambulare in vijs eius vt præcepta eius metuere ſpondeamus. Renuncians autem peccatis priſtinis, iubet à ſe diſcedere eos qui operantur iniquitatem, eo mandato indicans ſe non ſolum peccatis, verumetiam peccatorum cauſis & occaſionibus ſolicita cautione valedicere. Conſortium enim iniquorum à lapſu recenter erectos facile ſcandalizat, & in recidiua compellit. *Quoniam exaudiuit Dominus*. Bene hoc addit pro ratione, quia propoſitum poſt pœnitentiam non relabendi, quam maximè oriri debet ex gratitudine, & pia obſeruantia pœnitentis erga Deũ cuius expertus eſt indulgentiã. Decet enim eos diuinæ bonitati hanc vicẽ rependere, vt quia peccatis cõmiſsis ipſe benignè indulſit, ipſi ſibi impoſterum nullum lapſum nullamque ad relabendum libertatem aut occaſionem indulgeant. Quod faciendum eſſe, pulchra ſimilitudine docet Tertullianus. Plerique inquit naufragio liberati, exinde repudium & naui & mari indicunt, & Dei beneficium periculi memoria honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam, nolunt iterum diuinæ miſericordiæ oneri eſſe; formidant videri inculcare (.i. non ſine importunitate ſecundo petere,) quod conſequuti ſunt, &c. *Vocem fletus mei*. Dicit fletus mei, quia lachrymæ propriam ſuam ad Deum vocem habent; Tacitè enim, inquit Ambroſius, preces ſunt. Imo vtiliores ſunt preces lachrymarum quam ſermonum, quia ſermo in precando fortè fallit, lachryma omnino non fallit.

Epiſtola 8. *De pœnit. Cap. 9.* *Serm. 46.*

9. *Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit*. Præ gaudio gratulabundus idem ſæpius ingeminat.

10. *Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei*. hic præ oculis ponitur ſollicitudo, quæ pœnitenti gerenda eſt pro conuerſione inimicorum ſuorum, vt charitas hæc operiat multitudinem peccatorum. Quæ ſollicitudo præcipuè aſſumenda eſt pro conuerſione illorum inimicorum, qui cauſa ſupradictæ pœnitentiæ inimicum vel alienum erga reſipiſcentem animum induerunt. Horum enim cura pœnitenti etiam hoc nomine incumbit, vt

Iacobi vlt.

bit, vt ſua oratione in eis reparet, quod conſenſione inſtigatione, exemplo, vel cooperatione eos perperam agere fecit. dicit itaque, *Erubeſcant*. i. manifeſtata eis per Dei adiutorium peccatorum ſuorum turpitudine, ſuffundantur pudore, Et hoc eis beneficij loco optat, vt ex eo pudore pœnitentiam ſaltem imperfectam, quæ, vt docet Concil. Trident. oritur ex peccati turpitudine, concipiant, quandoquidem rari ſunt peccatores, qui ab initio ſuæ conuerſionis ad perfectam pœnitentiam, quæ oritur ex dilectione Dei, pertingant; *& conturbentur vehementer inimici mei*, ſtimulis peccatricis ſuæ conſcientiæ. Huiuſmodi enim ſtimuli hoc agunt, vt vel amore internæ quietis peccator pœnitentiam cōcipiat. *Conuertantur*, ad implorandam Dei miſericordiam & iuſtitiæ dona, ſine qua conuerſione pœnitentia vtilitatem non adfert. Quod autem dicit, *Conuertantur*, mouet nos, vt totum hunc verſiculum qui Auguſtino teſte & aliū ſenſum admittit, hoc modo interpretemur, quandoquidem verbum *conuertantur*, cum ſimpliciter ponitur, in bonam partem rectius accipiatur. *& erubeſcant valde velociter.* Dicit *velociter*, donum enim remiſsionis dum in promptu offertur, propter ſuam pręſtātiam auidiſsimè & celerrimè eſt amplectendum. Si enim inquit Ambroſius, aurum tibi offeram, non dicis, Cras veni, ſed iam exigis: redemptio animę promittitur, & nemo feſtinat! Deinde, pœnitētia Dei donum eſt, itaque prima oportunitate eſt arripienda, ne fortè merito negligentiæ poſtmodum non detur. verendum quoque eſt, ne hora mortis pœnitentiam dilatam præoccupet, vt dicit Ambroſius. Poſtremo pœnitentia velociter eſt ſuſcipienda, eo quod in finem vſque dilata, raro ſit vera. Qui enim tunc demum pœnitet, magis videtur à peccatis deſeri, quam ea deſerere, inquit Ambroſius. Propter hæc itaque & ſimilia hîc dicitur, velociter. & Eccleſiaſt. 5. Ne tardes conuerti ad Dominum.

Seſſ. 14. Cap. 4.

Cap vlt. de Helia & Ieiunio.

2. de pœnit. Cap. vlt.

Ambroſ. in exhort. ad pœnitent.

PSALMVS VII.

Pſalmus Dauid quem cantauit Domino.

Senſus eſt, Quem compoſuit in Chriſti obſequium. Hoc enim Pſalmo per modum cantilenæ deſcripſit Dauid orationem Chriſti pro protectione & noſtra è faucibus diaboli ereptione, vt eccleſia eandem cognitam haberet, eamque in officio diuino frequentaret. Fit enim mihi omnino veriſimile in Pſalmis deſcribi & enarrari orationes quas Chriſtus in oratione pernoctans ſpiritu & mente Deo patri obtulit; videturque Chriſtus Dauidem ad hoc ſuo ſpiritu impleuiſſe, vt eius opera Chriſti orationes, conuenienti carmine deſcriptæ, in noſtrum vſum tranſirent, *Pro verbis Chuſi.* Chuſi Diuo Auguſtino eſt Semei, maledicens Dauid maledictione peſsima cum fugeret Abſolon, qua maledictione per calumniam

2. Reg. 16.

improperauit Dauidi, quod tanquam vir ſanguinum & ob occiſam domum Saul calamitatem illam pateretur, cùm interim Dauid præ manſuetudine
In pſal. 53 ſua, ob quam Diuo Hilario dictus eſt eſſe vir ſecundum cor Christi, non ſolum non occidi permiſerit maledicum, ſed ne quidem à maledicendo prohiberi. In quo ſuo facto, quia Dauid præuidebat manſuetudinem Christi,
1. Petri 2. qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur: & quia ſimul intelligebat quid meriti apud Deum haberet illa Christi clementia & inulta patientia; introducit in hoc pſalmo Christum iniurias tam clementi manſuetudine à ſe toleratas Deo patri offerentem, vt ipſe eas per ſuam iuſtitiam eo vltionis genere vindicet, quod humano generi, cuius cauſa Christus iniurias pertulerat, cedat in ſalutem. Interim non diffiteor pleroſque huius pſalmi verſus multis iuſtis cõpetere, ſed tamen ipſe totius
Phil presb in c. 27 Iob pſalmi contextus, non niſi Christo, vnde & Philippus presbyter eum intelligit in perſona Christi. Porro nomen *Chuſi* hoc loco tribuitur Semei, non tanquã nomen proprium, ſed per modum agnominis, cuiuſmodi nomẽ hominibus tribui ſolet ab euentu, aut re aliqua geſta. Cùm enim Chuſi, te-
in cap. 1. Sophoniæ. ſte Hieron. idem ſit quod humilitas, rectè Semei hoc loco Chuſi vocatur, quia præter hoc quod ipſe abiectiſsimus eſſet, improperijs ſuis maledicis Dauidis humilitatem inſigniter exercuit. Dicit itaque Christus, ſuis membris iuſtificatis perpetuam protectionem implorans:

1. *Domine Deus meus in te ſperaui*, Id eſt protectionem acceptæ iuſtitiæ cum fiducia accipiendi à te expectaui. *Saluum me fac ex omnibus perſequentibus me*.i. tribue vt perſecutiones hoſtium ſaluus pertranſierim, ſic vt perſecutiones aduerſitateſque nullum meæ ſaluti nocumentum adducant. *Et libera me*. i. fac vt à perſecutionibus aliquando immunis euadam. Hoc enim ordine ab inimicis liberamur, vt prius perſecutiones, colluctando, per Dei gratiam vincamus, in futura vita verò euadendo, eis omnino careamus.

2. *Nequando*.i. ne tandem aliquando, *rapiat vt leo animam meam*, Diabolus ſcilicet, qui vt Leo rugiens circuit quęrens quem deuoret. Et bene orat,
1. Petri 5. *Nequando*, eo quod is cui Diabolus inhiat, tametſi frequenter diabolicam ingluuiem, Deo iuuante, fruſtretur: non tamen ob frequentes euaſiones aut victorias debet eſſe ſecurus, ſed cum beato Antonio, ſemper ſollicitus,
Atha in vita Antho. memor quod ſint Diabolo mille nocendi artes, quodq́ue reſumto animo ſuperantem ſemper ſuperare conetur, *dum non eſt qui redimat*, q. d. facile eſſet diabolo iugiter inhiando, tandem animam etiam iuſtificati rapere, dum, vel, ſi non eſt aliquis eo fortior qui *redimat*.i. mediante iuſtitia diabolicum ſceptrum eiúſque inſultus, quibus humanum genus per peccatum Deo id iuſte permittente obnoxium eſt, ab eodem humano genere cohibeat, ſuperetq́ue. *neque qui ſaluum faciat*.i. ſi non ſit aliquis qui in æternam vſque

vſq; ſalutem protegat & adiuuet. Et vt Chriſtus declaret ſe illũ eſſe qui genus humanũ à diaboli iugo iuſto pretio redemit, allegat poſt hæc Chriſtus ſua merita, per quę libertatem à diabolico iugo nobis comparauit, dicitque:

Domine Deus meus ſi feci iſtud, quod nimirum Iudæi de me credebant, 3.
putantes me, teſte Iſaia, leproſum & percuſſum à te & ob peccata mea humiliatum. *Si eſt iniquitas in manibus meis*. i. ſi iniquitatem aut peccatum commiſi. Eſaiæ 53.

Si reddidi retribuentibus mihi mala. i. ſi ijs qui mihi pro bonis mala red- 4.
debant, reddidi mala. i. vltionem aliquam optaui vel intuli. *Decidam merito ab inimicis meis*. i. non iniuria redderer eo caſu ad ferendam contra diabolum opem ijs quos ipſe perſequitur, *Inanis*. i. ſine meritis.

Perſequatur. i. non iniuria eo caſu perſequi à te ſineretur, *inimicus*, 5.
i. diabolus, *animam meam*. i. membrorum meorum iuſtificatorum, *& comprehendat*. i. non iniuria ſineretur tamdiu eam perſequi donec comprehenderit, *& conculcet in terra vitam meam*. i. non iniuria ſineretur vitam quæ eſt iuſtitia quam ex me acceperũt, & per quam ego in illis viuo, per excitatum in illis terrenum amorem indignis modis conculcare. Vitam enim Chriſti in terra conculcare, quid aliud eſt, quam vt de lapſis dicit Apoſto- Hebr. 10.
lus, Filium Dei conculcare, & ſpiritui gratiæ, contumeliam facere? *& gloriam meam*, quæ mihi ex hominum ſalute tanquam redemptori competit, *in puluerem*. i. ad nihilum, *deducat*, i. deducere permitteretur: Quod certe fieret ſi diabolus omnes per Chriſtum iuſtificatos cribraret ſicut triti- Lucæ 22.
cum; eo enim caſu nulla Chriſto tanquam hominum ſaluatori ab ipſis ſaluatis gloria ſupereſſet. Dicit autem Chriſtus id ſibi non immerito obuenturum, ſi ipſe pro ſuis peccatis paſſus eſt, quia eo caſu diabolus Chriſtum, perſequendo, tam inſigni iniuria non affeciſſet; Et ſi Chriſtus, vt rei veritas habet, innocens diabolo inſtigante paſſus eſt, iniuriam tamen ſibi illatam vindicauit, per iſtam igitur vindictã iniuriæ quam à Diabolo ſuſtinuit, ſatisfactum erit, & propterea nihil ei reſtabit, quod vindictæ nomine contra diabolum iure exigere poſsit. Verum quia nec peccatum fecit, nec ſe vindicari expetiuit, reſtat innocentiæ & manſuetudini eius iuſta vltio expetenda ab eo, qui dixit, Mihi vindictam & ego retribuam. Hanc itaque inuocans Rom. 12.
Chriſtus dicit quod ſequitur,

Exurge Domine in ira tua. q.d. Quando quidem ego diabolo inſtigan- 6.
te, abſque iniquitate manus meæ paſſus ſum, & in paſsione mea ſummam Iob 16.
manſuetudinem exercui, tu *exurge in ira tua*, i. ſtudium ac zelum innocentiam meam vindicandi arripe; Cura enim vindicandi, quæ manſuetudinis amore à patiente negligitur, à te ſuſcipitur; zelo ideo acriore, quia manſuetus cum pateretur ſe noluit vindicare. Sed ne aliquis occaſione huius

orationis Chriſti cogitet, vindictam Deo propterea dimittere, vt inimici eius per Deum grauius quam per ipſum punirentur, audiamus quam ſibi vindictam Chriſtus rependi petat; *& exaltare* inquit, *in finibus inimicorum meorum.* q. d. hoc modo iniuriam meam vindica, vt ob hoc quod Rex omnium peccantium, ipſumque peccati regnum in me inſurrexit, tu viciſsim potentiam tuam ſuper regnum peccati exalta & extolle, illudque & regis eius qui eſt diabolus ſceptrum per gratiam tuam contere; vireſque huius tuæ potentiæ extende, non ſolum in protectionem illorum qui iam mihi per ſpiritum gratiæ propinqui facti ſunt, ſed etiam in fines inimicorum meorum.i. etiam in eos qui ad penè extremum vitæ in impietate permanſerunt; Vel, ad impietatis extremum peruenerũt, Vel, eos qui extremos mundi cardines incolunt; his enim modis verè exaltaberis in finibus inimicorum meorum. Nec mirandum eſt, Dei virtutem, qua diabolicum regnum per gratiam euertit vindictæ nomine intelligi; habet enim rationem mali pœnæ, non tam rei veritate, quam diaboli & malorum hominum ſenſu & opinione. habet & rationem retributionis, quia diaboli regnum, ob hoc quod ipſe in Chriſtum nihil ſibi debẽtem manus extendit, iure illi viciſsim eripitur. Sed nec inſolitũ eſt aut à ſcripturis alienũ, conuerſionem peccatorum nomine vindictæ intelligere, Martyres enim à Chriſto procul dubio edocti
Apocal. 6. eandem vindictæ nomine expetunt, clamantes, vſquequo non vindicas ſan-
In fin. 1. li. guinem noſtrũ? Quo clamore ſi Auguſtino credimus, petunt vindictã exer-
de ſerm. Domini in ceri in regnũ peccati, illudq́, euerti, vna ex parte per correctionem iniquo-
monte. rum. Sed qua via aut ordine exaltabitur Deus in finibus inimicorũ Chriſti?

7. *Et exurge Domine Deus meus*, ad vindicandum modo iam dicto, *in præcepto quod mandaſti.*i. vt interpretatur Auguſtinus, merito obedientiæ quam præſtiti præcepto tuo, quo mihi mortem tolerare mandaſti; Vel, *in præcepto quod mandaſti.*i. in virtute Spiritus ſancti, quam ad conuerſionem
Pſal. 68. hominum emiſiſti. Mittere enim Spiritum ſanctum eſſe quoddam mandare, ſatis manifeſtum euadit ex verbis Pſal. 68. vbi Dauid miſsionem Spiritusſancti inuocans dicit: Manda Deus virtuti tuæ. Sicut enim filius, teſte Ba-
Cap. 8. de Spiritu ſancto ſilio & Cyrillo, ita & Spiritus ſanctus cùm mittitur, rectè dicitur mãdatum accipere. vterque enim voluntati Dei patris tanquam principij, non per de-
Cyril 9. in Ioan. c. 1. generem ſeruitutem, ſed per naturalem voluntatis vnitatem & conſenſionem aſtringitur. Poſterior ſenſus contextui magis conuenit, quia mox ad deſignandum effectum huius præcepti, ſubiungitur. *& ſynagoga populorum* i. Iudæorum qui ex Synagoga ad Eccleſiam transferendi ſunt, *circundabit te.*i. per fidem & charitatem tibi vndique adhærebit, atque hac ratione princeps huius mundi in vindictam mortis meæ incipiet eijci foras, & deſtrui regnum peccati.

Et pro-

Et propter hanc, quia Synagoga Apostolos persequendo & Euangelium repellendo peccatura est, sic vt faciat se Euangelica gratia indignam, 8.
in altum regredere.i.in altum regredieris, quia relinques domum Iudæorum desertam & sic cæcitas ex parte continget in Israel. Neque tamen istud solum per modum prædictionis sed etiam per modum consensionis intelligendum est, præsertim quia Psaltes hic in persona Christi loquitur. Sicut enim licet vni Iudicum alteri dicere Iustitiam exerce, sic hic intelligendus est Christus dicere, In altum regredere. Deus autem Iudæã pro suis meritis deserens, non tamen propterea desijt vindicare mortem Christi in diabolum eiusque regnum, Sequitur enim, *Dominus iudicat populos*.i. relictis Iudæis, iudicium vindictæ huius Deus exercere cœpit in gentes, atque per gratiam Spiritus sancti regnum peccati in eis euertere. Matth. 23 Rom. 11.

Iudica me Deus. Oratio est Christi, & sensus est, Iusto tuo retributionis iudicio, mihi in hominibus membris meis tribue *secundum iustitiam meam*, *& secundum innocentiam meam super me*.i. quod iustitia & innocentia mea in passione mea obtinere meruerunt. Et quidem per hoc tuum iudicium, quod nunc imploraui, 9.

Consumetur nequitia peccatorum.i. Charitas quam per hoc tuum præceptum daturus es, velut ignis consumet in eis nequitiam cupiditatis. *& diriges iustum*.i. directione eiusdem spiritus tui, iustum in bona opera, & per ea in finem vsque ad salutem perduces. *scrutans corda*.i. mentes, *& renes*.i. cupiditates intimas, q. d. consumes ô Deus nequitiam peccatorum, operationem gratiæ tuæ in intima humanæ voluntatis sensa & consilia, intimasque hominum cupiditates sensim immittendo, idque tanta acrimonia, vt nil vitij vel in occultissimis humanæ animæ fibris lateat, ad quod detegendum & curandum vel cohibendum virtus gratiæ tuæ paulatim peruadendo non penetret. Itaque si ad Psaltis propropositum loquimur, Deus hoc loco dicitur scrutari corda & renes, quia gratiam suam in illa penetralia sensim immittendo, paulatim eadem magis magisque illuminat & sanat. 10.

Iustum adiutorium meum à Domino, *qui saluos facit rectos corde*, Vox est eius, cuius iniquitas consumpta est per Dei gratiam, scrutantem corda & renes; Is enim cui id donatum est, perfectissimè rectus est corde, quia ipsæ malarum cogitationum & affectionum scatebræ (quæ D. Ambros. cordis nomine intelliguntur) in eo quatenus in hac vita fieri potest sanctificatæ sunt. Hic itaque quãdoquidem intelligit se præter cordis rectitudinem adhuc egere adiutorio dirigentis, restaurantis, atque protegentis Dei, sciens illud sibi à Deo sine magna difficultate affuturum, bono ob hoc animo dicit; *Iustum adiutorium meum à Domino*. i. iustum est vt sperem auxilium diuinæ directionis & protectionis quo indesinenter egeo, à Domino mihi donan- 11. Serm. 10. in psal. 118 versu 8.

donandum iri, idq́ue quia Dominus saluos facit.i.bonitatis diuinę est, auxilium ad consummationem necessarium facile præbere *rectis corde.* dicit
Cap.1. enim Apostolus Philippensibus, qui iam cœperant esse recti corde: Confido, quod qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi, sicut mihi id iustum est sentire pro vobis. Et cur quæso id iustum est?
Roman.5. nisi quia id à Deo sperãdi iusta ratio & causa est: Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per sanguinem filij eius, multo magis nunc reconciliati, salui erimus ab ira per ipsum. Sed postquam enarrata sunt Dei beneficia, quibus electa Christi membra conuertuntur, proteguntur, & saluantur, aggreditur Propheta declarare quod etiam illi qui pereunt, diuinorum
Roman.2. rum beneficiorum per omnia nõ sint extorres, quodq́ue benignitas Dei eos ad pœnitentiam prouocet, ipsi vero secundum duritiam cordis sui & impœnitens cor, thezaurisent sibi iram in die iudicij: dicitq́ue:
12. *Deus iudex iustus*, cuius est peccatis iusta supplicia rependere, *fortis*, cuius vindicantis manum nemo potest euadere, *patiens*, qui solet peccantes longanimiter tolerare, *nunquid irascitur per singulos dies*? i.nunquid sicut singulis diebus grauiter peccatur, ita per singulos dies, vbi peccatum admissum fuerit, pœnitentiæ tempore abrupto, euestigio extremam illam iræ suæ vindictam peccantibus infligit? Respondendum, non: patienter e-
2.Petri 3. nim Deus expectat, inquit Petrus: nolens aliquem perire. Et Sapient. 12. Partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ. Imo non solum Deus vindictam differt, sed insuper *Gladium suum* æternam mortem intentãtem, mi-
13. nitando *vibrauit*. *Arcum suum tetendit*, vt horrenda illa æternæ mortis spicula, quę vt dicitur Sap. 5. in die iudicij in impios tanquã à bene curuato arcu insilient, ante illum diem minitando ostentet, *& parauit illum*, quia
14. declarat peccatoribus æterna supplicia, licet differantur, parata esse, *Et in eo*, arcu videlicet suo, *parauit vasa mortis*. Vasa mortis Potentiæ sunt internecioni tradentes inimicos Dei, inquit D. Basilius. Hæc parauit in arcu, quia iam per Euangelium comminatur Deus peccatoribus ignem, qui paratus est diabolo & angelis eius; *Sagittas suas*.i.extremam vltionem,
Deuter.32 de quibus scriptum est: Sagittas meas complebo in illis, *ardentibus*. i. studio male faciendi flagrantibus, & in opera mala exardescentibus, *effecit*, vt ijs suo tempore quæ digna sunt retribuat. Porro minax hic Dei gladius arcusq́; conspicitur, primùm quidẽ in scripturis sacris, vtpote Isaiæ 24. Inebriatus est in cælo gladius meus. Et Ezech. 21. Gladius Domini exacutus est, Et quandocunque Deus minatur mala quę superueniunt vniuerso Orbi, tum tendit arcum suum: sicut & cum in præsenti vita punit peccatores, vt his malis edocti, discant fugere à facie arcus .i. mala imminentia, quæ erunt
Psalm.59. atrociora, cauere. Minitatur autem Deus hæc in eũ finem, quem præceden-
tibus

tibus verbis Psaltes expressit. *Nisi conuersi fueritis.* q.d. vibrans gladius & intēsus arcus tacitis suis interminationibus dicit peccatoribus, Nisi conuersi fueritis, supple, hæc imminent vobis. Ergo Deus non solum peccatoribus patientiam, sed & beneficentiam exhibet, verbo enim minatur, & opere corripit, vt emendet. Blasphemus igitur ille Ethnicus fuit, qui vt refert Hieron. occiso Iuliano apostata dicebat, Quomodo Christiani dicunt Deum suum esse patientem, nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius, ne modico quidem spatio indignationem suam differre potuit; blasphemus inquam fuit, quia Deus multis diebus & annis Iuliani impietatem patienter non sine multis correptionibus tulit, priusquam fabri filius ei, vt quidam Christianorum eleganter lusit, loculum pararet. Quin nec verba illa Ethnici confirmātur per hoc quod Moyses dicit, Deus fortis & fidelis reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat protinus eis restituens quod merentur. hæc enim tam præsens diuinæ retributionis vindicta, non ex indignatione animi in quosuis peccatores, sed ex misericordia in incorrigibiles profertur, vt hac vindictæ maturitate, peccatorum incorrigibilium multiplicationi obstaculum misericorditer adferatur. Postquam autem Psaltes explicuit sustinentiam & benignitatem Dei, per quas peccatores ad conuersionem prouocat, nunc sermonem suum conuertit ad explicandum, vnde proueniat quod illa Dei beneficia non prosint peccatoribus dicens, *Ecce*, ac si diceret, O rem admiratione & commiseratione dignam, Dei benignitas peccatores ad pœnitentiam adducit, quantum videlicet ad illum, qui in comminatione, correptione & id genus auxilijs consistit, iuuandi modum, vt loquitur Prosper, sufficit: Ipse autem *parturit iniustitiam.* i. nequissimi sui cordis propensione & malæ voluntatis consensione æstuat operari vbicunque potest iniustitiam: Iniustitia enim cupiditate concipitur, propensione animi parturitur, consensione & magis opere paritur. *Concepit dolorem, peperit iniquitatem.* i. simul eodemque actu quo parturit iniustitiam, concipit dolorem tanquam iniustitiæ pœnam, parturiendo enim iniustitiam, eo ipso se multis miserijs reddit obnoxium inseritque se doloribus multis. Itaque in his verbis, *parturit iniustitiam, concepit dolorem*, non est ordo, vt quibusdam apparet, inuersus; licet enim conceptus parturitionem eiusdem rei naturaliter præcedat, conceptus tamen doloris siue pœnæ, parturitionem iniustitiæ, iustitiæ ordine consequitur.

(Margin: In Cap. 3. Abacuc. — Deuter. 7. — 15. — 1. De vocat. gent. Cap. 13.)

16. *Lacum.* i. infernum, qui frequenter in Scripturis Laci nomine intelligitur, *aperuit*, i. sua sponte peccando, ostium inferni sibi reserauit, *& effodit eum*, quia frequentius peccando profundiorem sibi in inferno locum præparauit; *&*, supple nō pœnitendo, *incidit in foueam.* i. reipsa peruenit in in-

fernum, ex quo velut ex fouea se extricare non poterit, *quam fecit*, quia suo opere eam sibi comparauit.

17. *Conuertetur dolor eius in caput eius*.i. ab omnibus bene iudicantibus, dolor in quem deuenit, ipsi imputabitur, *& in verticem ipsius iniquitas eius descendet*. q. d. Ideo dolor supplicij ipsi imputabitur, quia iniquitas quæ meretur dolorem, in verticem ipsius descendet.i. conscientia eius teste ac seipsum accusante, *super eum*, vt iniquitatis auctorem deuoluetur. Sed quid ad hæc iusti?

18. *Confitebor Domino*, Iusti enim qui cum in hac vita Deum iustum confiteantur, idque magis ex fide quam perspicua iustitiæ diuinæ cognitione, plenam iustitiæ diuinæ confessionem in illum diem reseruantes, vbi erit & clara eiusdem cognitio, dicũt: Confitebor Domino, in futura vita scilicet, secundum iustitiam eius. i. tali confessione ac tam deuota iustitiæ eius approbatione, qualem iustitia tam sancta ac tam luculenter cognita meretur. *Et Psallam nomini Domini altissimi*. Hoc additur, inquit Augustinus, ne confessio mox dicta credatur esse confessio pœnitentis, est enim confessio approbantis & laudantis.

PSALMVS VIII.

In finem pro torcularibus Psalmus Dauid.

Hiero. in c. 10 Isaiæ. Ambr. in c. 20 Luc. DIuus Hieronymus & Ambrosius dicunt Psalmos qui inscribuntur pro torcularibus, Christi passionem describere; Quæ eorum sententia etiam in hoc Psalmo locum habet. Quod enim hic dicitur, *minuisti eum paulo minus ab angelis*, ratione passionis Christi dicitur. Augustinus vero sicut per Aream, ita & per torcularia arbitratur ecclesias esse intelligendas, Quia sicut in area & in torculari nihil aliud agitur nisi vt fructus ab integumentis (quæ necessaria erãt vt fructus nascerentur & maturescerent) separentur; sic in ecclesiis agitur, inquit August. vt hoc tempore boni à malis spiritali amore, post hãc vitam verò separentur loco & societate. Quæ Augustini intelligentia huic loco magis conuenit, quia Psalmus hic, si Athanasio credimus, tum dicendus est, cum quis considerarit *Ad Marcellinum.* Ecclesiam per totum mundum diffusam esse, & gentes per vniuersum orbem terrarum, in confessione diuini nominis adunatas. Hoc ergo quis intuens, exclamet cùm Psalte & dicat:

1. *Domine Dominus noster*. Prius vocat Deum absolutè Dominum, Est enim Deus per herilem dignitatẽ à natura sibi competẽtem ante omnẽ creaturam sempiternus, teste Isaia, Dominus; Naturæ enim est eius, nulli posse *Cap. 40.* subesse, omniumque quæ futura sunt dominium habere debere. Imo sempiternus Dominus, quia ab æterno habet potestatem liberæ suæ voluntatis, vt ad

vt ad quæ bona voluerit determinet eam. Cùm ergo Deus ſempiternus ſit Dominus, addit tamen Pſaltes: *Dominus noſter*. Quod enim Deus dicatur, *Dominus noſter*, id competit ei ab æuo atque ex tempore, ex quo cœpit eſſe creatura rationalis voluntati diuinæ per pietatem ſubiecta. Quamuis enim Deus totius creaturæ Dominus ſit, non tamen conuenit vt appelletur Deus *Dominus noſter*, niſi ab illis, qui eius imperio per piæ voluntatis obedientiam ſe ſubiecerunt. Sicut teſte Ambroſio, Deus meus nemo re- *in Pſal. 43*
ɫe dixerit, niſi qui defert Deo plenum reuerentiæ & pietatis affeɫum. Iuſto enim dicitur, inquit Ambroſ. Ego ſum Deus tuus, *Quam admirabile eſt nomen tuum*. i. quam ſunt mirabilia, incomprehenſibilia, ſtupenda quæ de te prædicantur, creduntur, laudantur, *in vniuerſa terra*? Quæ admirabilia ſigillatim enumerando ſubiungit.

Quoniam, q. d. Admirabiliũ primũ eſt quod *Eleuata eſt magnificẽtia tua* 2.
ſuper cælos. Magnificentia Domini Chriſtus eſt ſecundũ humanam naturã. In primis, quia nihil vnquã magnificẽtius aut præſtantius fecit Deus Chriſti incarnatione, hæc enim proceſsit ex magnificentiſsima Dei gratia, gratiæq; plenitudine, quæ ſic humanam Chriſti naturam præuenit, vt & ipſa plena gratia eſſet, & de plenitudine eius omnes acciperent. Ideo dicit Auguſt. *Enchirid.*
In Dominicæ incarnationis myſterio Dei gratia nobis granditer & euiden- *cap. 36.*
ter commendatur. Et de Prædeſt. Sanɫorum, Apparuit inquit nobis in no- *Cap. 15.*
ſtro capite fons gratiæ, vnde ſecundum vniuſcuiuſq; menſuram ſe per cunɫa eius membra diffundit. Deinde ipſa Chriſti humanitas magnificentiſsimum Dei opus fuit: Quamuis enim Chriſtus ſecũdum corpus angelis fuit inferior; ſecundum mentem tamen, ſi Auguſtino credimus, ſolus Deus eo *3. cõ. Max.*
fuit maior. Tertio quia magnificentiſsimũ & ſupra modum admirabile Dei *cap. 25.*
opus eſt, vnio humanæ Chriſti naturæ in perſona diuina. Quæ cum admirabilia ſint, his tamen accedit quod hęc, *magnificentia tua eleuata eſt ſuper cælos*, quia ſummopere admirandum eſt quod illa natura, cui prius diɫum erat, Puluis es & in puluerem reuerteris, in Chriſti aſcenſione omnes Angelorum Choros ſupergreſſa, nullis ſublimitatibus, proueɫionis ſuæ po- *Leo ſer. 1.*
ſuerit modum, niſi æterni patris recepta conſeſſu, illius gloriæ ſociaretur *de Aſcenſ.*
in throno, cuius naturæ copulabatur in filio. Sed cùm præter Chriſti con- *Domini.*
ceptionem & aſcenſionem etiam eius natiuitas, vita, doɫrina, mors, & reſurreɫio admiranda fuerint, cùm dicit Pſaltes, *quoniam eleuata eſt magnificentia tua*, nomine [magnificentiæ] Chriſti incarnationem, & nomine [eleuationis] eiuſdem aſcenſionem deſignans, credo eum ſub duobus illis diſpenſationis Chriſti extremis, etiam cætera quę inter illa duo intercurrerunt comprehẽdere voluiſſe, vt hoc verſu fideles Deũ mirabilem prædicent in omnibus quę per Chriſtũ in ſua humanitate perfecit, quia ſolet Scriptura

83, qq q. 8 sacra inter duo extrema, & media complecti, teste diuo Augustino. Sed
3. præter hæc est & aliud admirabile, quia *Ex ore infantium & lactentium*
Matth. 21. *perfecisti laudem.* per infantes & lactentes iuxta Christi citationẽ ante omnia intelligendi veniunt, qui ætate & mente paruuli sunt, & ob id res spirituales spiritualiter sapere non valent. Hoc itaque hic secũdo loco mirabile esse proponitur, quod Deus se per Christi incarnationẽ sic ad omnium hominũ captum accõmodauerit, & gratiã suam tam latè diffuderit, vt ea quæ perfectione summa sunt, licet paruulis non sint perspecta, non sint tamen eis omnino incognita. Quis enim Christianorum, In principio erat verbum & verbum erit apud Deum, intelligit? & tamen quis ignorat? inquit Augusti-
Tract. in Ioannem. nus. Quæ mysteria cum paruuli per Symbolum aut verba sacrorum canticorum, non sine quodam deuotionis affectu confitentur atque extollunt, tum perfecta Dei laus ex ore infantium atque lactentium resonat. Possunt etiam per, *Infantes*, prædicatores intelligi, qui infantes dicuntur cum sint eloquentissimi, quia sublimitatem sermonis & spumei eloquij iactantiam aut non nouerunt, aut etiam cognita vti noluerunt, quemadmodum de Cy-
4. de doct. Christ. Cap. 14. priano testatur Augustinus, qui cum admirabiliter præditus esset affluentissima facundiæ fœcunditate, eam tamen ab ista redundantia reuocauit, & ad eloquentiam grauiorem modestioremque restrinxit. Per, *Lactentes*, vero intelligendi sunt, qui fidei lacticinijs absque intelligentiæ soliditate vescuntur atque nutriuntur. Sensus itaque est. *Ex ore* .i. in eo mirabilis prædicaris, quod *ex ore*, siue sermone eorum, qui nullam sæcularem sapientiam præ se ferebant, & simplici sermone fidem annunciabant, tam multos, *lactentes* .i. absque rei creditæ, non autem absque fidei suæ ratione credentes fecisti, & in ore horum lactentium perfectam tibi laudem posuisti, vt ex fide laudent tuam excellentiam, ex pietate tuam gratiam, tam in aduersis quam prosperis laudent tuam prouidentiam, idque *propter inimicos tuos*, id est, in gratiam inimicorum tuorum, *vt*, nimirum ex eo miraculo aliam rem non minus mirabilem faceres, atque per prædicationem infantium & fidem lactentium, *destruas inimicum & vltorem.* Inimicus hoc loco dicitur, qui credere non vult, & docet non esse credendum; nihil enim tam inimicum Christianæ veritati percipiendæ. Huiusmodi erant de quibus Apostolus, Græci sapientiam quærunt .i. priusquam velint adhibere fidem, rerum credendarum intelligere volunt rationem. Quæ temeritas,
Epistol. 56. inquit Augustinus, omnibus hæreticis quasi regularis est. Vltor autem vel vt alij legunt, defensor est, qui de Christianis ob susceptam ab eis fidem Christianam, vltionem sumere, aut infidelitatis auitę consuetudinem terribiliter defensare conantur. Inimici destruũtur, cùm ex conspecta fide, quam prędicarunt ora infantiũ, & confitetur lingua & vita lactentium, relicta suæ sapien-

sapientiæ temeraria præsumptione, fidei iugo erecta atque excelsa prius colla subijciunt. Vltores vero seu defensores destruuntur, cùm Principes, Iudices, Carnifices, martyrũ depostulatores, audientes quod lactẽtes etiam in tormentis Dei laudes cantent, & Christum cuius occasione in illa tormenta deuenerunt laudare non cessent, mutato repentè proposito ad fidem conuertuntur. Subiungit autem Psaltes admirabilium horũ tertium membrum dicitque:

Quoniam videbo cælos tuos. q.d. præter lactentes videbo etiam per vniuersam terram tuo munere cælestes homines in terris cælestia penetrantes, & è cælis in terram cælestem conuersationem deducentes, ex quibus dicebat vnus, Nostra conuersatio in cælis est, aut è cælis. *Opera digitorum tuorum*. Digiti ab vna manu dependentes inter se sunt discreti, ideoque per digitos discretionẽ significari docet Gregor. hoc ergo loco per digitos Dei donorum Spiritus sancti qui digitus Dei in sacris dicitur, diuersitatem, operationum varietatem, gratiarum distinctionem intelligimus. vt sit sensus: *Videbo cælos tuos*, quos vno quidem tuo spiritu fecisti, diuersis tamen eiusdem spiritus charismatibus dotasti: alijs enim dedisti sermonem sapientiæ, alijs scientiæ & sic de cæteris. *Lunam & stellas*. i. vna cum his cælis videbo etiam quosdam qui cælestis gratiæ splendore vt lumina fulgent, inter quæ ipsa, totius Ecclesiæ authoritas tanquam luminare maius splendet, vt luna; Doctores vero singuli vt stellæ, quia qui ad iustitiam erudiunt plurimos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Quæ omnia iam dicta videlicet magnificentiam tuam, Infantes, lactentes, cælos, Lunam, & Stellas *tu fundasti*. i. in tua sapientia vt sic fierent adinuenisti & disposuisti, sicut scriptum est: Dominus sapientia fundauit terram, & stabiliuit cęlos prudentia, Atque in beneplacito voluntatis tuæ, vt sic fierent, essent, operarentur & permanerẽt, præordinasti: Ob quam fundamenti rationem, Deus cælorum, Lunæ, atque stellarum etiam corporalium fundamentum dicitur ab Ambrosio. Singulari tamen ratione dicitur Deus fundamentum Ecclesiæ & sanctorum, eo quod per prædestinationem secũdum cor atque propositum suum, horum salutem misericordissima charitate præuiso lapsu, in semetipso fundauerit, de qua Charitate Apostolus, In Charitate radicati & fundati, quia vt dicit August. Charitas vbi fundati & radicati sumus in occulto existit, vbi causæ voluntatis Dei non inuestigantur, cuius gratia salui facti sumus. Sed præter hoc salutis nostræ fundamentum, Deus qui diues est in misericordia, atque in salutis nostræ causis instituendis magnificus, aliud constituit nostræ salutis fundamentum quod iuxta nos esset, quod est Christus Iesus. Qui vt Athan. verbis vtar, quantum ad humanitatem, fundatur, vt & nos super eum velut pretiosi lapides inædificemur, efficiamurque com-

[Right margin notes: 4. (beside "Quoniam videbo cælos tuos"); 15. moral. Cap. 19.; Prou. 3.; 1. Hexa. cap. 6.; Ephes. 3.; Epist. 120. Cap. 25. & 26.; Orat. 3 cõtra Arrian.]

que templum inhabitantis in nobis spiritus sancti. Ob hoc enim quod humana Christi natura in filium Dei coaptata est, nos etiam ob cognationem carnis Christi, inquit idem, à carne in libertatem vindicati sumus atque coaptati æterno verbo. Christo enim primitias diuinæ gratiæ, per gratiæ excellentiam obtinente, in ea quam assumpsit carne, bono consequio & ordine fit, vt post eum populus ille futurus creetur, de quo Psalmus, Populus qui creabitur, laudabit Dominum. Hoc est cornu salutis quod erexit nobis Dominus in domo. i. è semine Dauid pueri sui per Christum. Cùm enim Christus secundum humanā naturam cooperante Spiritu sancto in vnitatem personæ à Verbo susciperetur, tum humana natura ratione cognationis Verbo & Spiritui sancto initiabatur ac dedicabatur, vt in Christo velut fundata, Verbi & Spiritus sancti incolatum contuberniumq; acciperet. Quocirca D. Cyrillus. Transit ad nos quoque gratia correpta à Christo, qui est nobis primogenitus. Vnctus est exemplo nostro, vt in ipso natura humana illustrata digna iam fieret sortiri Spiritum sanctum, à quo Spirituss. ob peccatum primi hominis discesserat. Similiter ob id, quod Verbum in nostri gratiam caro factum est, etiam caro nostra, vt sic dicam, verbificata est, inquit Athanasius, vt videlicet secundum verbum viuere atque intelligere incipiat, quæ antè secundum carnem solum viuere nouerat & sapere. Postremo, resurgit Christus virtute verbi inhabitantis, vt etiam hanc ob causam tota humana natura à mortuis aliquando resurgat. Ob hæc ergo atque huiusmodi sumus atq; dicimur nos in Christo esse fundati. Fundamenti autem quod Christus est admiratione permotus, incipit Psaltes vlterius inquirere, qua ratione aut æquitate Deus filium suum vt in eo ad salutem fundaretur, atque ab eo redimeretur humana natura, in terram demiserit, cùm prima facie cōtra rationem esse appareat, vt seruum redimas, filium & præsertim Deum filium in mortem tradere. Quam rem admirabilem examinat Psaltes in hæc verba:

Cap. 1. de incar. vnig · *Orat. 4. cō. Arrian.*

5. *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quod visitas eum?* D. Augustinus notat per hominem protoplastos, qui sic homines sunt, vt non sint hominum filij, per filios vero hominum protoplastorum posteros intelligendos esse. Ideoq; his duobus nominibus vniuersum genus humanum rectè designatur: omnes enim homines aut homines sunt, aut hominū filij. Sensus itaque est. Cuius meriti aut pretij erat primus homo, vt iam statim à lapsu priusquam protoplastus vllos adhuc filios genuisset memor eius esse cœperis, & redemptorem ei promittere? statim enim (D. Leonis verbis vtor) vt nos diabolica malignitas veneno suæ mortificauit inuidiç, prædestinata renouandis mortalibus remedia, inter ipsa mundi primordia prçsignasti, denuncians serpenti futurum semen mulieris, quod noxij capitis elatio-

Leo ser. 2. de Natiui.

elationem sua virtute contereret. Similiter quid est *filius hominis* quoniam visitas eum? Posteros enim primi hominis qui sunt filij hominum, dignatus es per incarnationem filij tui coram & visibiliter visitare? An illa fuit iusta rerum æstimatio vt inimicum redimeres, dilectum filium in seruitutem & mortem tradere? Præmissa autem admiratione, explicat Psaltes admirabilis illius consilij æquitatem & dicit.

Minuisti eum, Quem Adæ statim à lapsu promisisti, & per quē corporaliter eius posteros visitasti, *paulo minus ab Angelis*. q.d. non penitus eum abiecisti, sed solummodo ab angelis malis, secundum Augustinum, eum minuisti, quia eorum crudelitati in passione sua eum cedere atque subiectum esse voluisti, Idque paulo minus.i. (vt interpretatur Apostolus) in modico, quia tantum secundum carnem. Vel si angelos, quod admodum probabile est, hic in bono accipimus, ab ijs Christus imminutus est. secundum Tertullianum & complures alios ob humanam naturam, quæ cum ex carne constet & anima rationali, angelica natura quæ spiritualis est, paulo est inferior. Quia tamen superius diximus Augustinum arbitratum fuisse, quod animâ Christi solus Deus superior sit, ideo omnem euademus cōtrouersiam si Apostolum sequuti, intellexerimus Christum paulo minus ab angelis bonis imminutum fuisse propter passionem & mortem secundum carnem, quia Angeli boni supplicia peccatorum perpesi non sunt. *Gloria & honore coronasti eum*. q.d. sed nec modicum illud in quo minuisti eum, perpetuum esse voluisti, imo magno illud sublimitatis & gloriæ fœnore abunde compensasti: Paulo enim post, videlicet in eius resurrectione, *gloria* immortalitatis, & tam ingenti, quam in suo corpore habere decebat filium Dei *Et honore*. i. consortio dexteræ tuæ, vt omnes honorificent filium sicut honorificant patrem. *Coronasti eum*. i. dedisti ei hæc non solum hoc titulo, quia filius tuus erat, sed etiam dedisti illa ei pro suis meritis per modum coronæ, quam certamine in sua humilitate tolerato atque deuicto à te promeruerat. *Et constituisti eum super opera manuum tuarum*, dans ei omnem potestatem in cælo & in terra, & potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Itaque prima quidem facie admirabiliter; re tamen bene expensa sapienter *minuisti eum paulo minus ab Angelis*. Sapienter enim à Deo iudicatum fuit salutem, humani generis sanguine Christi vt loquitur Bernard. pretiosiorem esse.i. pro salute humani generis, sanguine vnigeniti sui sibi parcendum non esse, Idque in primis pro parte nostra. Considerabat enim quod vnica Christi mors temporalis duplicem vt declarat August. nostram, animæ videlicet & corporis, & priorem æternam aboleret. Sapienter etiam pro parte Christi, quia occidi eum permisit Deus, sed in nobiliorem vitam: Humiliari, vt Tertull. verbis vtar, sed in gloriam.

6.

4 de Trin. cap. 16.

ad Hebr. 2

Cap. 14 de carne Chri.

Vide Cyrill. epist epist. ad Success.

Serm. 3. de aduentu.

4. de Trin. cap 3.

Vide Tert. scorp. ca. 7.

Omnia

Omnia subiecisti sub pedibus eius, hic designatur effectus potestatis per quã Christus constitutus est super opera manuum Domini, qui tamen in hac vi-
Hebr. 2. ta plenè non impletur: Nondum enim, inquit Apostolus, videmus ei omnia
1. Cor. 15. subiecta. Implebitur autẽ cum inimica destruetur mors. Subijcit autem Deus Christo omnia, aut vt Saluatori, aut vt Iudici, videlicet *oues & boues vniuersas*, quibus nominibus non bestiæ, sed homines per bestias allegoricè significati intelligendi sunt. Christus enim Dominium in irrationales creaturas non iure redemptionis accepit sed illud habet ratione creationis. Per diuersas autem bestiarum species diuersæ conditionis homines accipiuntur, *oues & Boues*, boni sunt in Ecclesia, quorum aliqui sua non quærentes per vigilantiam alijs laborant vt boues: Aliqui vero velut oues directioni superiorum obsequũtur per obedientiam de quibus Psal. 79. Qui deducis velut ouem Ioseph. Hi subijciuntur Christo vt Saluatori. De quibus autem sequitur, illi subijcientur ei vt Iudici, videlicet, *insuper & pecora campi*. qui peruagantur tritas & planas sæculi vias, *Volucres celi*, superbi, *pisces maris qui perambulant semitas maris*, qui in profundo sæculo contenebrantur, volutãtur atque iactãtur. Qui tamen intelligi possũt Christo subijci per conuersionem. Quia vero admirabilium quæ de Deo ab Ecclesia creduntur, prædicantur & in ore fidelium versantur non est numerus, repetit post hæc Psaltes primam admirationem & dicit, *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra* hac repetitione psalmique coronide significans, quod quamuis multa admirabilia enumerarit; admirandorum tamen Dei operum nullus sit finis, vsqueadeo, vt is qui tam multa obseruauit & recensuit, videatur sibi adhuc in principijs hærere, & ad reliqua enumeranda iterum quasi à capite ordiri debere, sicut scriptum est, Non est
Eccles. 18. inuenire magnalia Dei; cum consummauerit homo, tunc incipiet. D. Augustinus vero dicit, quod decenter post textum totius Psalmi ad caput redeatur, quia eo totus Psalmus est referendus.

PSALMVS IX.

In finem pro occultis filij, Psalmus David.

Præfat. in Psal. 45. SEnsum huius tituli explicat Ambrosius, ac si diceretur. Psalmus loquuturus est de occultis domini sacramentis seu sacris secretis, quæ sunt conuersio peccatorum, vocatio gentium, Dei regnum, præparatio cordis, iudicium pauperum, refectio inopum. In hoc enim Psalmo Occulta diuinæ sapientiæ reuelantur, estque *Psalmus David*, quia Christus in eo dicit & loquitur.

1. *Confitebor tibi Domine*, confessione laudis & gratiarum actionis. *In toto corde meo*. i. omni deuotione, *narrabo omnia mirabilia tua*, ea videlicet quæ

cet quæ non tam in operibus tuis, quæ admiratus est Psalmus præcedens, quam in iudicijs tuis, siue in salutem, siue in iustam damnationem hominum tendentibus admiranda sunt. Et bene dicitur in persona Christi, *narrabo*, occulta siquidem Dei solus vnigenitus qui est in sinu patris enarrauit.

Lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo altißime, Gaudium enim mihi facient iudicia tua, idque ob causas quæ sequuntur, quarum prima est: 2.
In conuertendo. i. vbi tibi conuertere placuerit, *inimicum meum.* i. diabolum, caput omnium aliorum inimicorum meorum, *retrorsum* à tyrannide cui vsque ad id tempus intentus fuerit, *Infirmabuntur*, diabolus cum angelis & administris suis: Infirmabuntur inquam omnis maleficij potestate ab eis ablata; *& peribunt in æternum.* i. æternæ perditioni mancipandi sunt. *à facie tua*, virtute præsentiæ tuæ quam in eos exercebis; 3.

Quoniam fecisti. i. ad effectum perduxisti, verbum est præteriti temporis pro futuri, sicut & in consequentibus aliquot versibus; *iudiciū meum*, quo tibi iudicandum erat pro me vt principem huius mundi tandem per omnia expelleres foras, quod facturus es in die iudicij. *& causam meam*, quę contra diabolum & eius regnum hucusque nō plenè, neque per omnia executioni mandata erat. *Sedisti super thronum.* i. iudicium exercuisti, *qui iudicas iustitiam*, cuius est vnicuique quod iustum est suo tandem tempore adiudicare. Sed hic oritur difficultas, qua ratione hic Christus dicat Deo Patri suo. *Sedisti super thronum qui iudicas iustitiam*, cùm scriptum sit, Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio? quæ sic expeditur, quod Pater non iudicat quemquam præsentiæ suæ manifestatione, vt dicit Augustinus: Iudicat autē principali & originali authoritate. Cùm enim Pater Filio dedit potestatem iudicium facere, officium & formam iudicis Filio tribuit, authoritatem verò iudicis etiam ipse in Filio, & Filius etiam in nomine Patris exhibiturus est, propter quod etiam Epiphan. dicit: In eo quod Pater Filio iudicandi potestatem dedit, ipse iudicauit. Itaque Christus dicit hic Patrem super thronum sedisse, per authoritatem, non iudicis formam. Illa autem quæ in hoc iudicio Deus facturus est, ordine enarrans, dicit in primis. 4. *20 de Ciu. cap. 30.* *Hæres. 69.*

Increpasti gentes ob iniquitatem admissam, de qua increpatione supra ad primum versum Psalmi 6. & etiam Psal. 2. diximus, *& perijt.* i. post auditam increpationem, in æternam perditionem missus est. *Impius.* i. totum corpus impiorum. *nomen eorum.* i. gloriam & nominis celebritatem quam impij in sæculo habebant: Vocauerunt enim nomina sua in terris, *delesti in æternum & in sæculum sæculi*, In futura enim retributione ne vanam quidem aut falsam gloriam iniquitas habebit, sed iustum supplicium. 5.

Inimici. i. diaboli, *defecerunt frameæ.* i. gladij in finem, quia vbi finis 6.

 aduenerit

aduenerit non poterit vlla ratione fideles vltra debellare. *& ciuitates eorum.* i. ſocietas malorum hominũ, eorumque pacta, & conſpirationes, conſuetudines & leges, munitiones atque habitacula, ſiue ad promouendam mundi gloriam, ſiue ad iuſtitiam ſi fieri poteſt expugnandam. *deſtruxiſti.*
Cap. 25. i. ad nihilum redegiſti. Quam rem latius exequitur Iſaias: Domine confitebor nomini tuo, qui poſuiſti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum vt non ſit ciuitas & in ſempiternum non ædificetur. Et paulo poſt. Munimenta ſublimium murorum tuorum concident, & detrahentur in terram vſque ad puluerem.

7. *Perijt.* i. abolita eſt ſimul, *memoria eorum*, quam in ſæculo anteceſſores habere ſolent apud poſteros glorioſam & honorificam, atque magnificis monumentis ædificiorum, nummorum, ſtatuarum, & ſimilium rerum poſteris conſecratam. *cum ſonitu.* i. ſtrepitu, qui proprius eſt omnibus negotijs ſæcularium, vt manifeſtum eſt in eorum triumphis, oſtentationibus ſollicitationibus & ſimilibus, quia tranquillitatem quieti & modeſti ſpiritus qui eſt in Deum & per Deum locuples & fortis, non nouerunt, imo eum
Cap. 9 contemnunt, ſicut dixit Iſaias: Abiecit populus iſte, carnalis ſcilicet, aquas Siloe. i. Chriſtum populumque Chriſtianum qui vadunt cum ſilentio, quia omnia ſua ſine ſtrepitu peragunt. *Et Dominus in æternum permanet*, quia ipſis pereuntibus, Dei regnum non perit, Sequitur enim:

8. *Parauit.* A quo loco, explicato prius iudicio & fine impiorum, conuertitur Pſaltes ad enarrandum iudicium, quod Deus in hac vita exercet in cõuerſionem & ſalutem ſanctorum ſuorum, quos ſibi in regnum adſciſcit, dicitque: *Parauit in iudicio thronum ſuum.* Iudicium in Scriptura ſacra ſumitur pro iudicio diſcretionis, aut retributionis, & poteſt hic vtroque modo intelligi. Quia tamen ſuperius dicens, feciſti iudicium meum, intellexit de iudicio retributionis, quo Deus mala pro malis in extremo iudicio retribuit, congruentius hoc loco iudicium pro iudicio retributionis accipiemus, quo Deus Chriſto in ſuis electis adiudicat bona pro malis. Senſus itaque eſt, adiudicans mihi id pro quo obtinendo ego paſſus ſum, *parauit.* i. per gratiam omne meritum præuenientem diſpoſuit ac præparauit animas electorum vt fierent thronus ſiue ſedes Dei, *& ipſe iudicabit orbem terræ.* i. hanc præuenientem gratiam non ad paucos, ſed ad Eccleſiam per vniuerſum orbem diffuſam extendet, idque iudicando. i. iuſto iudicio mihi tam amplam ſalutem in meis electis adiudicando, *iudicabit populos*, vniuerſæ terræ, *in iuſtitia.* i. iuſto erga me iudicio; vel iudicabit in iuſtitia. i. cenſebit iuſtitiam eis eſſe gratis donandam. Sed poſt hæc exponit pſaltes ordinem, quo Deus parat & ſenſim perficit thronum ſuum, dicitque:

9. *Et factus eſt Dominus refugium pauperi.* i. fecit pauperes & omni ſalutis auxilio

auxilio destitutos, ad se pro auxilio confugere. Hoc autē ad primam cordis pertinet præparationem, quam operatur Deus, impartito hominibus, vt Augustini verbis vtar, salubriter orationis affectu ac faciens eos ad se pro auxilio suspicere. Quæ diuinæ misericordiæ præparatio ad salutem planè est necessaria. Dicit enim Hieremias: Applicabo eum, & accedet ad me; *Cap. 30.* Et ne forte aliquis arbitretur quosdam per seipsos ad Deum accedere posse, subijcit. Quis est iste qui applicet cor suum, vt appropinquet mihi? Porrò dicitur Deus factus refugium, non sui ad nos, sed nostri ad eum mutatione. Imò propriè dicitur refugium factus, quia per gratiam eius factū est, vt pauperes ad eum refugiant. *Adiutor in opportunitatibus in tribulatione.* Dicit in oportunitatibus in tribulatione, quia tribulatio misericordiæ oportuna est prouocatio, propter quod scriptum est, iuxta est Dominus illis qui tribulato sunt corde. Et Deut. 4. Si quæsieritis Dominum, inuenietis, si tamen quæsieris tota tribulatione animæ tuæ. Est etiam tribulatio ad suscipiēdam Dei misericordiam oportuna dispositio. Misericordia enim Dei in tribulatione dulcissimè auidissiméque suscipitur, sicut scriptū est. Speciosa misericordia Dei in tēpore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tēpore siccitatis. *Eccles. 35.*

10. *Et sperent in te* q. d. Illi qui te adiutore ad te refugiunt, non sint pusillanimes, quasi sint difficultatem aut repulsam passuri, sed *sperent in te*, i. in tua bonitate. Et id quidem omnes qui sanam de te fidem habent, tuisq; promissis fidem adhibent, Præcipuè vero illi, *qui nouerunt nomen tuum.* i. sciūt ea quæ de te prædicantur atque memoriæ prodita sunt. hactenus enim semper reipsa comprobatum est, *Quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.* Ex eius autem rei obseruatione tanquam theologicæ spei confirmatione fiduciam concipiant se etiam à te non esse derelinquendos. Hac ratione Matathias filios suos ad sperandum de Domino cohortatus est. Propositis enim quamplurimis eorum, qui de Domino non frustra sperauerant, exemplis, infert tandem: Et ita cogitate, inquit, per generationem & generationem, quia omnes qui sperant in Deum non infirmantur. Vos ergo filij confortamini. *1. Mach. 2.*

11. *Psallite Domino.* i. cùm gaudio animi & festiuitate laudate Deum, *qui habitat in Sion.* i. specula; quia è sublimitate suę diuinitatis, omnia omnino bona & mala prospicit, idque non tantum cognoscendi gratia, vt gentilium aliqui opinati sunt, arbitrantes Deum (vt refert Tertullianus) humanarum rerum solummodo despectorem, non autem arbitrum aut Iudicem, putantes se Deo aut Dijs suis honorem dare, si cognoscendi quadam curiositate ei attributa, à prouidentiæ administrationisque mordaci vt arbitrabantur cura eum absoluerent. Nos autem credimus Deum habitare in Sion non solum speculandi, verumetiam subueniendi causa, vnde sequitur. *Annunciate.* *Cap. 2. de test. animæ*

ciate. i. cum fiducia & solemnitate prædicate, *inter gentes*, dicit inter gentes, quia hoc quod prædicari vult, Deus præcipuè in gentibus erat facturus, *studia eius.* i. id cui deditus est, quodque ei vnicè cordi est. Quid autem illud est.

12. *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est.* Dicitur Deus sanguinem requirere dupliciter, Primo cum condignam vindictam rependit ijs, qui sanguinem hominis iniustè effundunt, sicut dicitur Genesis 9. sanguinem animarum vestrarum requiram de manu hominis qui effudit eum. A quo crimine alieni non videntur qui proximos suos nimium affligendo, velut sanguinem de illis eliciunt. Alio modo dicitur requirere sanguinem, cum homines mortalium peccatorum vulneribus mortiferè saucios atque cruentatos, omniq; interna spe atque cura recuperandæ salutis destitutos, ipse Dominus per se suosque præueniendo quærit, atque ad iustitiam accipiendam disponit. Quod se facere Dominus ipse per Ezechielē profitetur: Transiens inquit, per te, vidi te cōculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cùm esses in sanguine tuo, viue, dixi, inquā, tibi in sanguine tuo, viue. Deum enim pertranseuntem dicere alicui in sanguine suo, Viue, quid aliud est quā sanguinem eius, siue illum sanguine suo tabefactum ad iustitiam quærere? Itaque quod hîc dicitur, *requirens sanguinem*, de hoc posteriore requirendi sanguinis modo, intelligēdum esse nobis habemus persuasum; Idque in primis, quia requirere sanguinem, hic dicitur ad studia Domini pertinere. Non conuenit ergo vt id intelligamus de vindicta, quasi Deus clementissimus dicatur vindictæ studiosus: Quamuis enim vindicare sit opus Dei, dicit tamen Esaias quod opus illud sit alienum à Domino, & peregrinum coram illo. Id enim Deus sua sponte seu antecedente voluntate non facit, sed aliena iniquitate ad id adactus: Deinde quia in hoc Psalmo panduntur occulta diuinæ misericordiæ per Christum dominum nostrum, ad illa autem præcipuè pertinet Dei misericordia hominem è suo sanguine ad salutem quærentis. Sensus itaque est, Laudate Dominum, & de eo prædicate, quod cum in altitudine scientiæ suæ perspiciat inextricabilem miseriam atque deformitatem, cui gentiles ad Christum nondum conuersi implicati sunt; recordetur misericordiæ suæ, illique curæ sit peccatores sanguine suo horridos, antequam ab eis quæratur, quærere, atque ad salutem recipiendam prouocare ac præparare, cuius rei exemplum habemus in Samaritano. *Non est oblitus, clamorem pauperum.* Pauperes hîc sunt, qui ad Deum suspicere, aut illum inuocare nondū valent aut sufficiunt; qui tamen clamare dicuntur ad Deum sed sine sermone aut pia inuocatione sicut sanguis Abel ad Deum clamasse dicitur, sicut enim sanguis Abel clamabat ad Deū quia ipsi homicidij, quod in sanguine apparebat, nefanda atrocitas à Deo iusto vindictam expostulabat

Ezech. 16.

Cap. 28.

labat, ita & pauperes hic dicuntur ad Deum clamare quia aures diuinæ misericordiæ pulsat atque adeo misericordiam implorat indignitas rei, qua homo ad imaginem Dei conditus & ad æternam beatitudinem à Deo ordinatus, horribili specie æternæ damnationi videatur iacere obnoxius. De quo clamore Cyrillus in illud Isaię; Clamabunt Ægyptij ad Dominum, Insultauit inquit, pater peccati Sathanas vniuersæ terræ incolis, & nequitiæ suæ iugo omnibus imposito à septis diuinæ charitatis abduxit, atque apud se violenter detinuit. Cæterum rei natura grauem & non ferendam habens in se violentiam, contra tyrannidem eius vociferata est; Quem clamorem audit Deus, quia ipsam rei indignitatē persequitur. Hæc Cyrillus. Nō est ergo oblitus clamorē pauperum quia ploratū quem eorum edebat miseria, misęratus est. Quemadmodū etiam audiuisse dicitur vocem Ismaël pueri cùm à matre sua abiectus, præ siti ploratum ederet. *Isai. 19 in quem locū Cyrill.*

Miserere mei Domine. Oratio est iustorum prædictam Dei miserationem pro ijs qui adhuc in sanguine suo sunt, tanquā in sua persona inuocantium. Diligunt enim proximos suos, etiam illos qui in latrones inciderunt, plagisq́ue ab illis impositis derelicti sunt sicut seipsos, dicuntq́ue: *Miserere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.* i. misericorditer attende quam abiectum me reddiderint inimici, quibus ego ad mala assentiendo obsecutus sum. Humilitas enim licet subinde virtutem, hîc tamen vt & alibi frequenter, abiectionem significat. Potest interim hic versus intelligi in persona eorum, qui adhuc in sanguine suo existentes, primitias spiritus donumq́ue Deum inuocandi acceperunt, Vt per impertitum sibi confessionis & orationis affectum dicant pro semetipsis: *Miserere mihi Domine vide humilitatem meam de inimicis meis.* 13.

Qui exaltas me de portis mortis. q. d. Tu hanc meam abiectionem attende, cuius est, & in cuius solius manu est, hominem ad portas seu introitum inferni vsque detrusum inde subleuare, & ad portas iustitiæ atque cælorum sustollere. Pro hac autem misericordia mihi retribuendum erit tibi, *vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* i. congregationibus (quæ solitæ erant in portis fieri) spiritualium tuorum, qui ex laudatione mea ædificari, & ad laudandum te poterunt commoueri. 14.

Exultabo Internum gaudium significat, annunciatio vero importat gaudij istius prædicationem, *in salutari tuo.* i. salute quam cū è sanguine meo eriperer, à te simul gratis accepi; *Infixæ sunt gētes.* Explicato iudicio diuinarum miserationum transit rursus ad enarrandum iudicium diuinæ iustitiæ atque seueritatis, cuius causas vt in homine positas esse ostendat, ante omnia exponit, homines suo opere atque voluntate peccare, & per hoc diuini iudicij seueritatem incurrere, dicitq́ue, *Infixæ.* i. implicatæ, inuolutæ, *sunt* 15.

 gentes

gentes à Deo è sanguine suo nō liberatæ, *in interitu* animæ suæ *quem fecerunt*. i. quem proprijs suis operibus sibi acquisierunt. Dicuntur autem in hoc interitu infixæ, eo quod sese per semetipsos ex eo educere aut extricare non valeant. Vel quia peccata frequentando, ijsdem sese profundius & arctius inseruerunt.

16. *In laqueo isto quem absconderunt cōprehensus est pes eorum*. Pes hominis affectio eius est. vt enim corpus pedibus, ita animus affectibus mouetur atque progreditur. laqueus huius pedis est cupiditas, detinet enim affectū hominis malo irretitum atque implicatum; quod tum maxime contingit, cum laqueus iste. i. cupiditas ipsa absconditur. Absconditur autem, cum cupiditas quę hominem in occulto mouet, à propria conscientia dissimulatur, aut etiam iustitiæ pallio velatur, & subtilissimarum rationum atque excusationum prætextu sic obtegitur, vt hominem etiam oculatum fallat. Tanta enim, inquit Tertullianus, vis est voluptatum, vt ignorātiam protelet in occasionem, conscientiam corrumpat in dissimulationem. Denique absconditur laqueus iste, cum cupiditatis opus studiose celatur eos qui illud arguere aut corrigere possunt: Quæ cum peccatores faciunt, pes eorum verè comprehenditur, quia per has occultationes redduntur à peccatis suis penè inextricabiles.

1. Lib. de spect.

17. *Cognoscetur Dominus*, i. ab omnibus iustus iudicabitur Dominus, *iudicia faciens*, i. spontaneas has eorum iniquitates æternis suppliciis adiudicans, inquit Bernardus. Ideo autem iustum iudicabitur Dei iudicium, quia *in operibus manuum suarum comprehensus est peccator*. i. vinculis peccatorum suo se opere innodauit.

Epist. 126.

18. *Conuertantur peccatores in infernum*. Prædictio est allusionem continens ad aues, quæ in altum suis pennis sublatæ, cum propter corporis leuitatem in quamuis se possent partem conuertere, in vnam tandem quò libuerit se partem conuertunt. Sic enim anima hominis, cum vinculis laxata corporeis, inquit Hieronymus, volandi quo velit propter tenuitatem substantiæ habuerit libertatem, & in extremo iudicio ad Iudicis sententiam ambigua pependerit, nesciens in quam partem dexterámne an sinistram impellenda sit, accepta Iudicis sententia, peccatis suis eam propellentibus, conuertetur in infernum, sicut *& omnes gentes quæ obliuiscuntur Dominum*. i. & gentes ad fidem Christi conuersæ, cum non sunt memores mandatorum Dei, vt faciant ea; & gentes nondum conuersæ, quas cum Deus non sine sui testimonio relinquat, ipsæ tamen Dei obliuiscuntur, quia ad eum colendum se non conuertunt. Ideo autem peccatores in infernum sunt conuertendi.

In Cap. 9. Amos.

19. *Quoniam non in finem obliuio erit pauperis*. i. quia non iniustus est Deus, vt ob-

vt obliuiſcatur humilitatis atque laborum, in quibus pauperes ſpiritu tempore ſuæ mortalitatis vixerunt. Si autem iuſtum eſt Deo pauperibus ſuo tempore præmia iuſtitiæ reddere, iuſtum quoque eſt ei, reddere peccatoribus inferni ſupplicia. Ideo in ſacra Scriptura pariter ferè dicitur, quod Deus redditurus ſit bonis præmia, impijs ſupplicia. vt 2. Theſſal. 1. Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant, & vobis quia tribulamini, requiem nobiſcum. *patientia pauperum non peribit in finem.* Non quod ipſa patientia ibi ſit permanſura, inquit Auguſtinus, vbi nulla erunt mala, ſed quod id, quo patientia perducit, æternum erit. Dicitur tamen Tertulliano patientia pauperum non perire in finem, quia patientiæ pauperum eſt, aduerſa longanimiter ſuſtinere vſque ad mortem. Quod cùm verum ſit, non tædio patiendi, ſed odio inualeſcentis iniquitatis pauperes commoti orant, *14. de Ciu. cap. 9.* *4. cõ. Marc. cap. 39.*

20. *Exurge Domine.* i. potentiam tuam exere, *non confortetur homo.* i. prouide ne in ſuis conſilijs, iniquitatibus, conſpirationibus, contentionibus, & ſimilibus inualeſcat homo; Qui multum inualuerat cùm diceret Matathias: Nunc conſortata eſt Superbia & caſtigatio & tempus euerſionis & ira indignationis. Continetur itaque in hoc verſu pulchra oratio à Deo implorans, ne iniquitas, ſiue audacia vnius, ſiue multorũ conſpiratione conflata, vires ſumat aut inualeſcat. Quam orationem latius explicat Auguſtinus. *Iudicentur gentes in conſpectu tuo*, hic exere iudicium tuæ prouidentiæ, conatus eorum ac ſtudia compeſcendo. *Ser. 51. de verb. Dom.*

21. *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos.* i. ſuſcita principes & alios Chriſtianæ Reipub. præpoſitos, vt legibus & diſciplina cõflatam iniquitatem impiorum cohibeant; aut tu per tuam gratiam legem illis impone, vt *ſciant gentes quoniam homines ſunt.* alioqui enim ſuperbientes arbitrantur ſe ſimiles dijs, & dicunt, quis noſter Dominus eſt?

22. *Vt quid Domine.* Proſpiciens propheta tempus, quo iuxta ſermonem Chriſti abundabit iniquitas, quodque eo tempore ipſa iniquitas homines diuina ope & propugnatione efficiet indignos exclamat, *vt quid receßiſti longè* ita vt auxilium quod in promptu adeſſe ſolet, longo interuallo à nobis abeſſe videatur. *Deſpicis in oportunitatibus, in tribulatione?* quia cum nos à malis, quæ ab impijs contra te committuntur, aut nobis inferuntur, tribulationem patimur, à te deſpici videmur etiam tunc cum auxilij tui bona oportunitas adeſſe videtur? Huic autem querelæ reſpondendum eſt, non tam Deum à nobis, quàm nos ab eo longè receſsiſſe, eiuſque gubernatione & ope nos indignos reddidiſſe ſicut ſcriptum eſt: Vaſtitas & contritio in vijs eorum, propter hoc elongatum eſt iudicium à vobis, & iuſtitia non apprehẽdet vos. *Iſaiæ 59.*

Dum

23. *Dum superbit impius.* i. magna mala inferre præsumit, atque præsumptione eius pro voto succedente, maiores inde spiritus induit, *incenditur.* vritur atque affligitur *pauper*, tacito apud se dolore tabescens, *comprehenduntur in consilijs quibus cogitant* q. d. non tam propter hæc irascendum est eis, quam condolendum; Illa enim eorum superbia non felicitas, sed misera captiuitas est, quia per sua consilia peccatis se irretiunt & innodant. Et eo magis:

24. *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ.* Ea enim laude in desiderijs suis peccator quasi lacte nutritur & educatur, quod ipsum postea

Iob 3. deplorabit cùm dicet; Cur lactatus vberibus. i. adulantium laudibus in meis cupiditatibus suauiter nutritus sum? *& iniquus benedicitur.* i. beatus prædi-

Isaia 3. catur. Sed dixit Isaias: Popule meus qui te beatū prædicant, ipsi te decipiūt.

25. *Exacerbauit*, i. ad iracundiam prouocauit *Dominum*, quamuis propriè loquendo, Dominus ad iracundiam non prouocetur, sed peccator semetipsum iræ diuinæ, qua semper peccato & peccatoribus indignatur, obnoxium

Ierem. 7. reddat. Ideo dicit Dominus: Libant diis alienis, vt me ad iracundiam prouocent; nunquid me ad iracundiam prouocant? dicit Dominus, nónne semetipsos in confusionem vultus sui? *Peccator*, peccator hic per antonomasiam intelligi debet notabilis aliquis princeps, velut Antichristus, aut quispiam eius similis. *secundum multitudinem iræ suæ*, Diuinę scilicet quam pec-

in Declam. cator iste peccando prouocauit, *non quæret* Deus, videlicet inquit Bernardus, quia Deus tales misericorditer non arguit, non flagellat, non vlciscitur,

Epist. 55. vt per tales stimulos redeant præuaricatores ad cor; De qua ira & Cyprianus: Ira Dei est nō intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia, vt scriptū est, dedit illis Deus spiritum transpunctionis, ne reuertantur scilicet & curētur.

26. *Non est Deus in conspectu eius.* i. non habet Deum præ oculis, vt aut amore eius faciat, quæ placita sunt coram eo, aut timore eius vitet, quæ illi displicent, *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*, quia postquam se à Deo auertit, malum fere finem ac scopum sibi proponit atque ad malum se conuertit. Proposito autem malo fine omnia quæ ad eum diriguntur, mala & inquinata sunt, & fere fit vt hominis à Deo auersi penè omnia studia ad propositum sibi malum scopum dirigantur, Ideo hic dicitur: Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

27. *Auferentur iudicia tua à facie eius*, idque suo ipsius opere, A iudiciorum enim tuorum consideratione oculos suos semper auertit, cuius auersationis exemplum habemus, in Senioribus illis qui Susannam calumniati sunt, hi enim declinauerunt oculos suos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. *omnium inimicorum suorum dominabitur.* i. omnia quæ sibi inimica habebat, aut imaginabatur, superabit, suæque

volun-

voluntati subijciet. Significatur prosperitas Antichristi atque membrorum eius. Ob hanc autem prosperitatem, atque hunc dominatum,

Dixit in corde suo non mouebor à generatione in generationem. i. hæc 28.
prosperitas atque dominatus meus transibit ad posteros meos in filios filiorum; *sine malo.* i. sine aduersitate perseuerabo.

Cuius maledictione os plenũ est, maledicit enim omnibus quæ bona sunt, 29.
& amaritudine, sæua enim & atrocia in Deum & sanctos eius euomit, *& dolo*, quia per dulces sermones & benedictiones nititur seducere corda innocentum, *sub lingua eius labor & dolor.* i. sicut sub lingua Sponsæ est mel & lac, quia id quod in pectore eius latet, cum fuerit intellectum, nutrit & fouet, ita quod in pectore peccatoris latet, vbi eruperit, laborem tantum adducit, quia impietatem; & dolorem, quia ad æternos cruciatus ducit.

Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. i. in- 30.
tentus est tam ipse quam diabolus qui eum regit (quędam enim quæ sequuntur non nisi diabolo conueniunt) astutè & sub pietatis aut veritatis dolosa specie, pauperum animas ad peccatum inducere, eosq; de innocentia sua præcipitare in noxam, sicut & Apostolus dicit: Seducunt corda innocentum. Ad hoc autem faciendum, *sedet in insidijs cum diuitibus in occultis vt interficiat innocentem*, quia ad seducendum pauperes vtitur opera, authoritate, splendore diuitum atque muneribus; Quod hæreticis semper familiare fuisse, testatur Hieronymus. *In cap 64. Isaiæ.*

Oculi eius in pauperem respiciunt, quia vt idem docet Hieronymus in- 31.
hiat maxime ijs, qui simplici contenti fide, non valent respondere argutijs *In cap. 5. Amos.*
hæreticorum, aut præ animi infirmitate non possunt sustinere eorum comminationes, vel promissa præmia cõtemnere. *Insidiatur in abscondito quasi Leo in spelunca sua*, quia extrinsecus blandus, & præ se ferens amicitiam, intus in corde, atque reipsa est crudelis. Circa quæ verba notat Augustinus, quod Gentilium persecutio in Ecclesiam fuerit crudelis; hæreticorum decipere conantium, est blanda: Antichristi verò erit ex vtroque mixta.

Insidiatur vt rapiat pauperem. i. vt pauperem diaboli prædam faciat, 32.
rapere pauperem, dum attrahit eum. i. dum videri vult pauperem blandè & amicè pellicere, reipsa tamen nil aliud quam crudelem rapinam exercet.

In laqueo suo humiliabit eum. i. multis modis pauperibus insidiando, tan- 33.
dem quibusdam præualebit. Nunquid autem in perpetuum? aut non exurget aliquis qui pauperem hunc è tyrannide eius recuperabit? Absit. Sequitur enim, *inclinabit se* peccator scilicet ille vel diabolus; qui sicut occupando pauperem se erexerat, ita eundem per Christum amittendo, humiliabitur. *& cadet.* i. à suo dominio excidet, *cum dominatus fuerit pauperum.* i. postquam pauperem suæ voluntati ac tyrannidi mancipauerit siue subiecerit.

cerit. quia ſuperueniet Dominus eo fortior, qui ſpolia eius diripiet. Itaque ſicut prius propoſita eſt nobis miſericordia Dei hominem è primo ſuo lapſu quærentis, ita hic proponitur nobis miſericordia eiuſdem, hominem relapſum è manibus diaboli recuperantis.

34. *Dixit enim in corde ſuo*, cum ſcilicet pauperum dominaretur, *oblitus eſt Deus*. eorum ſcilicet qui poſt ſemel acceptam Dei miſeratione iuſtitiam, ab eo iterum receſſerunt, nec erit Deo curæ eos ſibi iterum recuperare. *auertit faciem ſuam ne videat in finem*. i. rationem eorum quæ ſic aguntur habere differet in finem. Tunc enim relapſum illum acerrimè vindicabit. Et non ſine cauſa poſtquam dixit Pſaltes peccatorem ſiue diabolum ſeſe inclinaturum atque caſurum cum dominatus fuerit pauperum, pro ratione addit, *dixit enim oblitus eſt Deus*, per hoc enim inſinuat quod Deus inter cætera etiam huius impiæ temeritatis confundendæ cauſa, eos quos diabolus Chriſto abſtulerat è manibus eius ſatagat recuperare. Pro qua re nunc Pſaltes inuocat Deum & dicit:

35. *Exurge Domine Deus, & exaltetur manus tua*. i. virtus tua, quæ iacuiſſe viſa eſt cùm permitteres fideles laqueis impiorum comprehendi. Et bene dicit *Exaltetur*, quia maiore virtute opus eſt, vt fidelis quis è tyrannide diaboli recuperetur, quam vt iuſtus contra diaboli inſidias ac tentationes protegatur. *ne obliuiſcaris pauperum*. i. ne derelinquas pauperes, qui Diabolica fraude decepti, in poteſtatem impiorum iterum deuenerunt; Sicut & orat Eccleſia in die Paraſceues pro hæreticis, Reſpice ad animas diabolica fraude deceptas. Et quia Pſaltes id futurum credit, inſultat nunc temeritati diaboli & impiorum dicitque:

36. *Propter quid*. i. quo fructu, *irritauit impius Deum*. i. virtute ac ſollicitudine ſeu prouidentia eum vacuum iactando, iram Dei magis prouocauit? Dico autem impium irritaſſe Deum, *Dixit enim in corde ſuo non requiret*. i. non erit ei curæ inopem de manibus meis iteratò eripere. Cuius ſententię temeritate Deus iure irritatur, quia per eam in hominũ opinione ac ſenſu miſericordiſsima prouidentia circa lapſos ei detrahitur. Illis autem dicentibus *non requiret*: Tu tamen Domine

37. *Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras*. i. cum miſeratione conſideras, expendis, intueris laborem qui eſt in iniquitate, (ambulant enim impij vias difficiles) & dolorem qui iniquitatem manet. Qui enim parturit iniquitatem concipit dolorem. Hæc autem conſideras ad hoc *vt tradas eos*, qui in iniquitatem denuò ſunt ſeducti, *in manus tuas*. i. tuæ protectionis atque gratiæ ſalutiferæ, vbi ab omni labore atque dolore reficies eos. Dixiſti enim: Venite qui laboratis, & ego reficiam vos.

38. *Tibi derelictus eſt pauper*. i. tu adhuc reſiduus es ei, qui omni ſpe ſalutis deſti-

destitutus habetur; *orphano tu eris adiutor.* i. sicut tu solus illi residuus es, ita quoque tuum esse atque ad te pertinere iudicabis, talibus subuenire, quod & facies.

Contere brachium peccatoris & maligni. i. ad nihilum redige omnem eorum potentiam; Quod fiet tempore futuræ vitæ. Et notandum, quod dicit *brachium*, per quod potestas malefaciendi intelligitur, non autem dicitur Cor, per quod intelligitur voluntas, quia ablata potestate, voluntas malefaciendi cum damnatis permanebit. *quæretur peccatum illius, & non inuenietur*, quia quoad actum transibunt peccata de quibus hic fuit sermo: Peccata scilicet, per quæ Sathanas per se suósque administros seduxit Christianos. manebunt verò hæc & alia quoad voluntatem & supplicium. 39.

Dominus regnabit in æternum & in sæculum sæculi, quia cõtrito brachio impiorum, plenè orietur regnum Dei pacificum, de quo Ioannes: Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri & potestas Christi eius, *peribitis gentes.* i. gentiliter viuentes. *de terra illius*, quia in terram viuentium non ingrediemini, vt tempore huius vitæ in Ecclesia Dei bonis fuistis permixti. 40. *Apocal. 12*

Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, eo scilicet tempore, cum separatio facta fuerit bonorum à malis, quam sancti vt suo tempore fieret hic sæpe desiderarunt, *præparationem cordis eorum.* i. orationem eorum *audiuit auris tua*, maluit autem Psaltes dicere: *Præparationem cordis eorum* quam Orationem eorum *audiuit auris tua*, vt insinuaret quod oporteat orationem quam exaudiat Deus, ex præparato corde procedere; ideo etiam scriptum est: Ante orationẽ præpara animam tuam & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Desiderium autem pauperum est, 41. *Eccl. 18.*

Iudicare. i. vt iudicium exerceat Deus, *pupillo.* i. humana ope & fauore destituto, *& humili.* i. à sæcularibus despecto. Tum autem eis Deus iudicium faciet, cum eis id, quod in oculis eius merebantur, coram omnibus adiudicabit, *vt non apponat vltra magnificare se homo super terram.* i. ab eo tempore nemo hominum peccatorum se amplius superbè extollere, aut humiles Christi despicere poterit, & sic destruetur regnum peccati de terra. 42.

PSALMVS X.

In finem. Psalmus Dauid.

SCribitur hic Psalmus ad instructionem eorum, qui ab hæreticis vel Schismaticis inuitantur, vt relicta fide Catholica & societate ecclesiæ ad aduersas partes transeant; vt nouerit vnusquisque fidelium quid sibi respondẽdum sit hæretico aut Schismatico ad suas eum partes pellicienti. Dicendum autem ei est:

1. *In Domino confido*. i. Christo firmiter & confidenter adhæreo: Ipse enim est infallibile fundamentum veritatis. Est quidem obiectum fidei, veritas prima; vt autem homo fidentius ambularet ad fidei veritatem, inquit Augustinus, Ipsa veritas Dei filius homine assumpto constituit atque fundauit fidem, vt ad Deum iter esset homini per hominem Deum. Itaque etiam hoc tempore vnusquisque fidelium Christum fidei suæ firmamẽtum habet, non quia fideles huius temporis Christum docẽtem audierunt aut viderunt, nec quasi singuli Christiani eorum quę sibi credenda sunt reuelationem à Christo seorsim vel immediatè accipiant, sed quia ea quæ credenda sunt, ab ipso Christo per continuam & infallibilem traditionẽ didicerunt & acceperũt. Cuius traditionis originem & continuam seriem verbo Dei promissam, & historica testificatione comprobatam apud semetipsos considerantes & expendentes, dicunt sibimetipsis cum Apostolo: Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab ijs qui audierunt, in nos confirmata est? &c. Merito itaque hæreticis atque Schismaticis præscribens Catholicus, dicit: *In Domino confido*. Quia vt præclarè dicit Tertull. expeditè præscribimus adulteris nostris illam esse regulam veritatis, quæ veniat à Christo, transmissa per comites eius. Contrà vero, cum fideles, sicut conquerebatur Dominus, Derelinquunt Dominum fontem aquæ viuæ, & ad Christum tanquam originem veritatis, per continuam traditionem ad nos vsque deductam non respiciunt, tum facillimè apprehendunt noctem pro die, interitum pro salute, *quomodo dicitis animæ meæ, transmigra*? i. cùm ego Domino, ea vt dixi ratione, adhæream, qua quæso ratione, vt Hieron. verbis vtar, mihi datis consilium, vt Domino deserto, transmigrem *in montem*. i. in doctrinam superba præsumptione adinuentam, eamque non vniuersalem, sed in singulari (dicit enim in montem) parte repositam! *sicut passer*, Talis enim transitus fieri non potest, nisi insipienter & leuiter; non enim nisi per summam leuitatem fieri potest, deserto fonte ad cisternas dissipatas trãsire, quæ non possunt continere aquas, quia in illis vt docuit Athanasius, nulla est doctrinæ stabilitas. Verbum autem hoc: *In Domino confido* est Catholicis frequenter sibi occinendum alijsque opponendum,

11. de Ciuitate, cap. 2.

Hebræ. 2.

Apolog. ca. 47. & de præscript. aduer. hær. cap. 20.

Ierem. 1.

In cap. 8. ad Ephes.

Epistola ad Epis. Aphr.

2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcũ*, i. vigilanter intenti sunt, *parauerunt sagittas suas*. i. commenti sunt fallacium verborum & argumentorum præstigias *in pharetra* q. d. eaque sibi in promtu ad omnem occasionem reposita habent, *vt sagittent*. i. hæc iacula persuadendo infigant *in obscuro*, Aut vt apertius secũdum translationem 70, libertate prophetica sensum magis quam verba transferentium, legit Augustinus, *in obscura luna*, id est, ea tempestate aut in eos præcipuè, apud quos Ecclesiæ, per Lunam signifi-

ſignificatæ, authoritas obſcurata & imminuta eſt. Eo enim tempore, hęreticorum aut Schiſmaticorum fraudibus homines quam maxime expoſiti ſunt, quia Eccleſiæ authoritas, qua tanquam vnico ſcuto poterant omnia tela nequiſsimi ignea extinguere, ab eis abiecta eſt aut ſaltem in animis eorum multum labefactata. Quod autem Eccleſiæ authoritas omnibus tam obuium, generale atque inuictum ſcutum ſit, ipſo facto ſuo atque reſponſo docet Apoſtolus, *1. Cor. 11.* cum illi qui videtur contentioſus eſſe non aliud reſpondet quàm, Nos talem conſuetudinem non habemus neque Eccleſia Dei. Cuiuſmodi reſponſo nos etiam Catholici omnia hæreticorum iacula elidimus, inquit *Cap 6 cõt.* Hieron. omnéſque propoſitionum riuulos vno Eccleſiæ ſole ſiccamus. De *Lucifer.* qua re etiam Auguſt. & Cyrillus. *Abſconderunt* ergo *ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittẽt in obſcuro*, ſiue obſcura luna *rectos corde*. i. eos qui ſince- *Aug. 3. cõ. Donat. c. 2 & 6 Cõtr.* ro iuſtitiæ & veritatis amore adhuc præditi ſunt, ſed ob quædam ſcandala *Iulia ca. 2.* quæ in regno Dei, quod eſt Eccleſia, viderunt, ab Eccleſiæ authoritate a- *Cyril epiſt. 16.* lieniores ſunt effecti. Sagittant quidem & alios, ſed rectos corde ſeducere præ cæteris laborant & gaudent. Et quare hoc?

Quoniam quæ perfeciſti. i. quos tu ad catholicæ fidei quandam perfectio- 3. nem in fide & moribus perduxiſti, deſtruxerunt. i. à fide & ſocietate priſtina, quantum in ipſis eſt, auerterunt. Hæreticis enim, inquit Tertull. nego- *De præſcr. hæret. c. 42* tium eſt, non Ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi; hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, quàm ſi iacentibus eleuationem operentur, quoniam & ipſorum opus, (ſiue doctrina) non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de deſtructione veritatis; Quæ poſtrema Tertulliani verba cum vera ſint, ideo hic verſiculus & hunc habere poteſt ſenſum, *quæ perfeciſti deſtruxerunt*. i. quicquid in rebus fidei perfectiſsimum aut ſummum eſt, *De incarn.* atque adeo, vt Cyrilli verbis vtar, Ipſum veritatis decus, ipſi, reliquijs qui- *vnig. c. vlt.* buſdam conſeruatis, demoliti ſunt & deſtruxerunt; Quod his declaratur exemplis. Arrius cùm non omnino negarit Deum filium habere, id ſolum quod ad perfectam filij rationem pertinet, conſubſtantialitatem nimirum, deſtruxit. Neſtorius cùm non omnino negauerit filium Dei in humanitate Chriſti habitaſſe, id ſolummodo quod ad perfectiſsimam inhabitãdi rationem pertinet, nempe per vnitatem perſonalem inhabitare, deſtruxit. Caluinus cum non neget nos per Euchariſtię ſacramẽtum participes fieri energiæ Dominici corporis, id tamen quod ad Sacramẽti illius dignitatẽ perfectiſsimam pertinet, ipſam nempe realem Dominici corporis & ſanguinis præſentiam negauit. Et ſic in reliquis deſtruũt hæretici quæ perfecit Deus, dum rectitudini interioris hominis detrahunt veritatem, aut veræ iuſtitiæ rationem, bonis operibus meriti dignitatem, ſacramentis omnibus cauſandæ gratiæ inſtrumentalem virtutem, & ſic de reliquis. *Iuſtus autem*. i. Chri-

ſtus quem deſeruerunt & cuius perfecta opera deſtruunt, *quid fecit*? i. quid in eos commiſit, vt hæc facerent ei, & membris eius? Qui ſenſus ex Auguſtino deſumptus, genuinus ex eo apparet, quod Dominus ſimili ſentētia eos
Ieremi. 2. redarguat, qui eum deſeruerant fontem aquæ viuæ, in hæc verba; Quid inuenerunt in me Patres veſtri iniquitatis, quia elongauerunt à me, & vani facti ſunt? &c. Enarrat autem poſt hæc Propheta, quod etiam eo tempore quo hæretici pelliciendo aut peruertendo graſſantur, Dominus curam tam ſuorum quam ipſorum hæreticorum agere non deſiſtat, dicitque:

4. *Dominus in templo ſancto ſuo, dominus in cælo ſedes eius*. In cælo enim tanquam in beato templo ſuo ſedens, iudicium ſuæ prouidentiæ exercere non deſinit, quia:

5. *Oculi eius in pauperem*. i. in eos, qui ſimplici fide ſolummodo præditi ſunt, magnaque animi infirmitate, *reſpiciunt*, vt eos in abſcondito faciei ſuæ multiformi ſuæ miſericordiæ ope à ſagittis malignãtium protegat. Atque adeò hic vnus effectus eſt diuinæ prouidentiæ, cui & alter ſubiungitur, nempe: *Palpebræ eius interrogant*. Palpebris pupillæ oculorum aperiuntur & clauduntur; Per quarum interrogationes metaphoricè ſignificantur, rapidæ quædam diuinarum illuſtrationum coruſcationes, quæ ſic raptim tranſeūt, ſicut tranſit intuitus oculorum cum palpebræ raptim diductæ mox denuo clauduntur. Quæ illuſtrationes non tam veritatis contemplandæ copiam ſuppeditant, quàm eius inquirendæ ſemitam pandunt. Hæreticis itaque quæ Dominus perfecit deſtruentibus, Dominus in cælo rerum humanarum curam non deſerens, *Filios hominum*. i. cordatiores, & ad quos pertinet veritatem ſapientia & ratione defendere, *palpebris ſuis interrogat*. i. rapidis quibuſdam illuſtrationibus mentes eorum illuſtrat, eiſque quaſdam veritatis ſcintillas immittit. Quæ ſcintillæ eis interrogationem commouent, vt apud ſemetipſos fidei ſuæ intelligentiam inueſtigantes, quærant, nunquid non ille verus intellectus, atque adeo quædam viſio eſt veritatis quam credimus? aut nunquid non ea ratione veritas defendenda eſt? Ea autem interrogatio vlteriorem veritatis raptim viſæ parturit inquiſitionem; Inquiſitio verò veritatis parit inuentionem. Itaque quod Pſaltes dicit: *Palpebræ eius interrogant filios hominum*, alio non tendit, quàm vt declaret, quod Dominus hæreſeon tempore per ſuam prouidentiam in quibuſdam ſuſcitet veritatis inquiſitionem, vt quod rapida quadam illuſtratione fecit inquiri, manifeſtiore ac vberiore reuelatione faciat inueniri, vt pulchrè de-
De vera relig. ca. 8. clarat Auguſt. Hic autē ſolummodo interrogationis primitiuæ Pſaltes facit mentionem, vt ſciamus non tantum veritatis inuentionem à Deo tribui, ſed ipſam eius inquiſitionem à diuina prouidentia & directione præueniri ac præparari. Expoſita autem prouidentia, quam Dominus graſſantibus hæreticis,

reticis, tam circa infirmos quam cordatiores, qui in Ecclesia sunt, exercet, adiungit Psaltes, quod Dominus etiam impios, inter quos primi sunt hæretici, à suæ prouidentiæ cura non excludat. dicit enim:

Dominus interrogat iustum & impium, quia etiam impios in suæ ignorantiæ profundo penitus demersos non relinquit, quin potius vt iustis, ita & illis illustrationes quasdam immittit, per quas semetipsos subinde interrogant. nunquid res sic se habet vt sentio aut doceo? nunquid licitum est quod facio? De quibus interrogationibus scriptum est: In cogitationibus impij interrogatio erit. Quam interrogationem Dominus impijs, præsertim priusquam sua nequitia non planè obsurduerunt, tanta euidentia ingerit, vt labor potius sit aurem obturare, quam vocem audire, inquit Bernardus: Idque procurat Dominus hoc consilio, vt interrogatio in eis operetur erroris in quo sunt, scrupulum: scrupulus autem erroris confidentiam ac securitatem auferat, & ad inquirendam veritatem stimulum admoueat; Inquisitio verò, veritatis obtineat agnitionem. Sed quid causæ est ob quam huiusmodi interrogationes impijs fere non prosint? *Qui autem diligit iniquitatem*, q. d. propterea non recipiunt impij Domini interrogationem, quia diligunt iniquitatem. Qui enim hanc diligit, odit veritatem se vel interrogantem: *qui autem diligit iniquitatem odit animam suam*, i. animæ suæ salutem, non tam affectu quàm effectu, inquit Bernardus, & Augustinus. Quid autem eis propter hanc impietatem cum rebellione aduersus diuinas illustrationes coniunctam talionis obueniet? 6. *Sapient. 1.* *De conuer. ad Cler. c. 2.* *Bern. cap. 4 de conuers. ad clericos.* *Aug. tract. 87. in Ioã.*

Pluet super peccatores laqueos. Quibus verbis principaliter prædicitur id quod diligentibus iniquitatem obuenturum est, adueniente die iudicij. Tunc enim *pluet super peccatores* illo tempore manducantes & bibentes, vxores ducentes, & similia agentes, *laqueos*, quia vno tempore singulis desuper superueniet dies ille vt laqueus, eos ad pœnitendum imparatos, in peccatis suis strangulans, de qua re Isaias: Formido & fouea & laqueus super te, qui habitator es terræ, Et erit qui fugerit à facie formidinis cadet in foueam, & qui se explicauerit de fouea tenebitur laqueo, quia cataractæ de excelsis apertæ sunt. Dicendo autem cataractæ apertæ sunt, quid aliud insinuat, quam quod hic dicit Psalmus: Pluet super peccatores laqueos. Tempore enim diluuij Dominus cataractas cæli in abundantiorem pluuiam aperuit. Hoc tamen de die iudicij sic scriptum est: vt idipsum ad exemplum præscriptum sit illis qui quouis tempore diligunt iniquitatem, nam & super eos Dominus *pluet laqueos*, quando dies mortis eis imparatis & ex improuiso superueniens, eos in peccatis suis suffocabit. Interim laqueorum nomine, non malè intelliguntur occasiones, per quas illi qui diligunt iniquitatem se peccatis 7. *Cap. 24.*

magis ac

Esai. 28. magis à magis intricant atque irretiunt, quo pertinet illud: Erit eis verbum Domini manda remanda, vt vadant & cadant retrorsum & illaqueentur & capiantur. Pluit ergò super peccatores laqueos, quia multæ peccandi occasiones quibus illaqueantur in eos vndique irruunt. Et hæc quidem mala, eis qui diligunt iniquitatem in hac vita euenient, In futura verò, *ignis* infernalis scilicet *& sulphur*, quod ibidem per proprium suum effectum qui est fœtor erit, *& spiritus procellarum*. Metaphora est, significans ignem infernalem esse inextinguibilem atque perpetuo arsurum: Ignis enim apud nos accensus, vt perpetuo ardeat, flatu opus habet. Huiusmodi etiam metaphora Isaias Infernum describens, vsus est: Præparata est, inquit, ab Cap. 30. heri Tophet, præparata à rege, &c. nutrimenta eius ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens fulguris succédens eam. *Pars calicis eorum*, i. debita est portio meritis eorum reposita. Additur autem vox [calicis] quia calicis nomine solet frequenter retributio tam bonorum quàm malorum significari, vt Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, &: Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. & in Apocal. Ipsi bibent calicem furoris vini iræ omnipotētis. idque quia in supplicijs (vt hic docet Augustinus) modus ac meritorum mensura à Deo non exceditur. Porrò, circa hoc quod hic dicitur, in inferno futurum spiritum aut Domini flatum, obseruandum est, quod iam ab initio ecclesia Christi in exorcismis vsa sit exsuflationibus ad pellendos dæmones, per illas repræsentans diabolo illum flatum qui in scripturis dicitur esse in gehenna, quæ ei ineuitabiliter est præparata, vt quandoquidem infernus dicitur flatu Domini velut torrente sulphuris succendi, dæmon ex flatu nostro recordetur incendij infernalis, & per eam recordationem corripiatur metu ac timore futuri supplicij, istoque horrore concussus, ferociam deponat, & à facie terroris huius effugiat. Quam exsufflationum rationem Tertull. breuiter explicat in hæc verba. Dæmones de Apol. c. 23 contactu & afflatu nostro, contemplatione & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuiti. Impijs autem hæc quæ dicta sunt, obuenient, non quia crudelis aut sæuus, sed:

8. *Quoniam iustus Dominus & iustitias dilexit*, i. dilexit iustitiam exercere, sed & *æquitatem vidit vultus eius*, q.d. non solum iustum sed etiam æquum & rationi consonum ei visum est deformitatem culpę non sine decore condignæ vindictæ relinquere. Quod membrum priori bene additur, ne Deus iustitias amando rigorosus videretur, non autem censeri debet rigorosus qui amat iustitiam æquitate temperatam.

PSALMVS XI.

In finem pro octaua Psalmus Dauid.

IN hoc Psalmo est Oratio iusti qui inter scandala impiorum & hæreticorum periclitatur, qui Psalmus ideo priori subiungitur, vt norit quisque hæreticis non tantum resistendum esse ratione, quod docuit Psalmus præcedens, sed & oratione. Protectio enim quam Deus infirmis & cordatioribus præstare superiore Psalmo dictus est, non supinam nobis securitatem adferre debet, sed inuocandi instantiam. Dicit itaque Psaltes,

Saluum me fac Deus.i. salutem meam protege & promoue, & inter scan- 1.
dala periclitantem in æternã salutem dirige, *quoniam* q.d. Id impensius rogo quoniam hoc tẽpore *defecit sanctus*.i. iustus. Iam enim adsunt illa tempora periculosa, qu vaticinatus erat Apostolus prædicẽs fore homines cupidos elatos superbos, &c. Sumitur itaque hîc sanctitas non pro iustitiæ excellentia, vt sæpenumero, sed pro ipsa iustitia, à qua omnes boni Ecclesiæ filij dicuntur vocati sancti. Deficit autem iustus, tum quia plurimi comparatione bonorum à iustitia simpliciter excidunt & ad sæculum conuersi gentiliter viuunt; tum etiam quia in illis qui adhuc in iustorum ordine reputantur, pristina pietas, charitas, & disciplina multum elanguit: Quod vtrumque deficientis sanctitatis membrum prolixè & pulchrè describit Cyprianus, Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes (*De lapsis circa initiũ*) sub Apostolis fecissent aut semper facere deberent, ampliãdis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina, &c. Porro sanctum defecisse intelligere debemus, sicut diximus, quoad magnum numerum, non autem simpliciter. Hic enim intellectus est impius euacuans crucem Christi, vt ostendit Hieronymus. Si enim Sanctus in Ecclesia simpliciter defecisset, facta esset Ecclesia, tametsi in fide perseuerans, cœtus (*Cõt. Lucif. cap. 6.*) lapsorũ, quod, vt docet Cypr. nec Domini misericordia, nec potestas eius inuicta patietur; (*Epist. 27.*) *Quoniã diminutæ sunt veritates*. Prius saluari petijt à scãdalis operantium iniquitatem. i. eorum qui impiè viuunt; nunc vero saluari orat à scandalis hæreticorum, idque optimo ordine, quia sicut ex impia vita Christianorum oriuntur hæreses, dicente B. Apostolo, Bonam conscientiam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ita etiam scandalis operantium iniquitatem iunguntur scandala docentium mendacium, & augentur pericula Christianorum. Quod itaque dicit *diminutæ sunt veritates*, in hæreticis proprie locum habet, eo quod hæretici veritatem de Christo aut à Christo annunciatam non prorsus vt Apostatæ abijciant, sed

ex parte diminuant, falsis vera quædam semper permiscentes. *à filijs hominum.* i. illis qui prioribus Catholicis vt filij patribus in eandem fidem & religionem primitus successerant. veritatem enim quam à Patribus suis integram acceperant, ipsi vt degeneres filij multis in partibus in sua professione diminuere cœperunt.

2. *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum.* Hoc intelligimus de vnoquoque eorum qui à sanctitate defecerunt, nondum tamen eò deuenerunt vt diminuerent veritatem. Nullus enim in ijs est sermo ad ædificationem proficiens, & præter hoc, vanam spem ad salutem perueniendi inuicem obtrudunt & promittunt, decipientes inuicem inanibus verbis. Cuiusmodi

Isaiæ 39. verba, exẽpli gratia, describit Isaias; Pepigimus fœdus cum morte, cum inferno fecimus pacem. flagellum inundans cum transierit, non transibit fines nostros. *Labia dolosa in corde & corde locuti sunt*, hæretici scilicet, qui diminuerunt veritatem, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum. dicuntur autem labia dolosa in corde & corde loqui, quia duplici sunt corde. videri enim volunt sincerè & ex animo id quod loquuntur sentire, & plerique eorũ conscij sibi sunt se fallere. Ideo de illis

Orat. 1. cõt. Arrianos. bene Athanasius. Hæretici non recto animo loquuntur, sed velut indumenta ouium, verba Sacræ Scripturæ præferunt: Et post pauca, Occultant siquidem animos, & deinde scripturarum verbis pro esca vtuntur, vt latenter in suam malitiam pertrahant ignaros.

3. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa*, Prædictio est, præsignans quod æterna perditio maneat doctrinã dolosam, *Et linguam magniloquam.*

1. Cor. 2. i. hæreticorum grandiloquentiam, siue vt Apostolus vocauit, sublimitatem sermonis.

4. *Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus.* In sermone enim suo adornando & concinnando, omnis hæreticorum consumitur labor & indu-

In Cap. 1 Amos. stria, vt testatur Hieronymus & Athanasius loco mox citato Hæresis enim

Epist. 25. teste Cyrillo, est illa mulier quæ verba sua dulcia facit, irretiens vecordem

Prouerb. 7. iuuenem multis sermonibus & blanditijs labiorum in errorem pertrahens,

5. Confeß. cap. 3. Iuuenem inquam, qui enim eò peruenit quo Augustinus anno ætatis suæ vndetrigesimo se peruenisse narrat vt intueatur non quali vasculo sermonis, sed quid scientiæ ab illis comedendum proponitur, is à blanda lingua non facile seducetur. *Labia nostra à nobis sunt quis noster Dominus est?* hic hæreticorum superbia & præsumptio indicatur, Et sensus est: *Quis noster Dominus est?* i. à quo vt sermo nobis affluat dependere debemus, aut à quo impediri possumus quo minus sermo noster id quod volumus efficiat? Sed quid ad hoc Dominus?

5. *Propter miseriam inopum*, in quam incidunt homines simplices, si fuerint ab

rint ab hæreticis seducti. vbi denuo obseruandum est quod etiam ipsa miseria pauperum Dominum ad opem ferendam prouocet & commoueat, vt in Psalmum 9. diximus. *& gemitum pauperum*, qui gemitus intelligi potest esse tacita quædam miseriæ vox; Vel gemitus pietatis quem pauperes spiritu ad Deum indesinenter emittunt, ad obtinendam ab eo opem & protectionem contra fraudem hæreticorum. *nunc exurgam.* i. virtutem meam exeram. *Dicit Dominus*, Id autem qua ratione?

Ponam in salutari, Salutaris aut salutare id dicitur, vnde salutem accipimus, inquit Augustinus, Quocirca *Salutaris* nomine Christus intelligitur, De quo Simeon, viderunt oculi mei Salutare tuum. Quia tamen Ecclesia agnoscit, Deum dedisse quosdam populo suo æternæ salutis ministros, nihil vetat dicere Christum esse Salutare Ecclesiæ in se & in illis, quorum opera & obsequio hominũ salutem procurat & operatur. Sensus igitur est. *In salutari.* i. in illis per quos eo tẽpore quo defecerit sanctus & diminutæ erũt veritates à filijs hominum, hominũ saluti inuigilabo, *Ponam* quicquid ad consolationem protectionemq; inopum & pauperum pertinebit, inquit Augustinus, sapientiam videlicet, fidem, integritatem, diligentiam & reliqua, quæ conseruandæ fidei & vindicandæ religioni erunt necessaria, *Fiducialiter agam in eo.* Salutari videlicet, quia faciam salutis administros ob fiduciam consciæ veritatis (sciunt enim à quo & per quos eam didicerint) magna virtute & intrepidè linguis vanis & dolosis resistere ac præualere. Quam promissionem impletam inuenimus in Apostolo Paulo, per quem Dominus magnam salutem fecit in Israel, qui iam mox à sua conuersione fiducialiter agere cœpit in Domino, quod & fecit cum Iconij adiuncto sibi Barnaba demoraretur. His autem propositis, adiungit Psaltes quædam quibus exponit integritatem eloquiorum Domini, vt per hæc valeant eloquia Domini ab eloquijs quæ dixit vana esse & dolosa discriminari, dicitque:

6. Quæst. 35. in Leuit. Act. 9. & 14.

Eloquia Domini eloquia casta, i. ab omni dolo prauitate atque mendacio pura & aliena. *Argentum igne examinatum.* i. similia sunt argento quod per ignem examinatum est. Quæris in quo? *Probatum terræ.* i. à terra. Genitiuus enim hic pro ablatiuo ponitur more græco, q. d. vt argentum igne examinatum ab omni concretione terrenæ fecis expeditum est & defecatum, ita eloquia Domini ab omni labe terrenæ vanitatis & fraudis libera sunt, & segregata: atque illa soliditate prædita, quæ possit vim & acrimoniã ignis illæsa sustinere. Et vnde hoc illis? *Purgatum septuplum.* q. d. eloquia Domini purgatissima facta sunt, ad instar illius argenti quod septies igne examinatum est, idque per spiritum sanctum qui septiformis est in donis suis. Defecata autem hæc integritas atq; soliditas competit eloquijs 7.

Dominicis & quoad rem & quoad ſermonem, Nam præter rem ipſam, etiã ſermo diuinorum eloquiorum qui apud nos in ſcripturis ſacris adhuc ſupereſt, ab omni labe terrenæ fęcis atque vanitatis & incongruitatis eſt immunis. quia & ipſe purgatus eſt ſeptuplũ. i. purgatiſsimus effectus per dictatorem ſuum ſpiritum ſanctum. Dignum enim erat inquit Ambroſius, vt caſtimoniæ veritatis etiam ſermonis puritas conſentiret, vt in ſermone pudico myſteriorum cæleſtium immaculata & pudica ſinceritas ſpirituali interpretatione reſplendeat. Quæ cum ita ſint, hæc quæ explicuimus huic Pſalmo, ob id, vt dicere cepimus, inſerta ſunt, vtſicut Ieremias conſiderata leuitate ac vanitate quæ erat in ſomniis falſorum & ſoliditate quæ erat in reuelationibus verorum prophetarum, teſte Auguſtino, exclamabat: Quid paleis ad triticum? ita Chriſtiani catholici conſideratis hinc inde iis quæ in hoc Pſalmo ex vna parte tribuuntur Sermonibus vanorum hominum atque hæreticorum, ex alia vero parte eloquiis diuinis, eorum inter ſe facta collatione, in hanc tandem vocem erumpant. Quid ſcoriæ ad argentum! vt cum animaduerterint vaniloquia impiorum quamuis in faciem amœna & ſpecioſa ab eloquiis Dominicis tanto interuallo diſtare, ad ea detrectent accedere. Cùm ergo *propter miſeriam inopum & gemitum pauperũ, Nunc exurgam, dicit Dominus*, addideritque: *Ponam in ſalutari*, promittens ſua ſe prouidentia præparaturum eos qui contra hæreticos ex aduerſo aſcendentes, ſe muros opponant pro domo Dei, idque à generatione in generationem, merito in perſona eorum qui in fide & integritate continuò perſeuerant, ſubijcitur à Pſalte.

In expoſit. tit. ſer. 12. in pſa. 118

Ierem 23.

4 cõ. Creſc cap 59. & coll 3. diei cõt. Donat.

8. *Tu Domine*, qui dixiſti quod ædificata Eccleſia ſuper petrã, portæ inferi, i. nec infidelitas nec impietas præualerent aduerſus eam. *Seruabis nos & cuſtodies nos* in fide & ſanctitate veritatis *à generatione hac.* i. ab hoc tẽpore. Vel, à contagio generationis huius nequam & hæreticæ. In quem ſenſum dicit D. Petrus; Saluamini à generatione iſta praua. *In æternum.* i. vſque in æternitatem, ita vt nunquam defuturi ſint qui fidem & ſanctimoniam illibatè conſeruent. Ideo bene ſcribit Cyprianus de Eccleſia ſuo tempore inter multos ſeductores militante. Non ſic, quamuis nouiſsimis temporibus in Eccleſia Dei aut euangelicus vigor cecidit, aut Chriſtianę virtutis aut fidei vigor elanguit, vt non ſuperſit portio ſacerdotum, quæ minimè ad has ruinas & fidei naufragia ſuccumbat, ſed fortis ac ſtabilis honorem diuinæ maieſtatis & ſacerdotalem dignitatem plena timoris obſeruatione tueatur; Et poſt pauca de integritate populi iugiter in timore Domini permanentis ſubijcit. Permanet apud plurimos ſincera mens & religio integra, & non niſi Domino & Deo ſuo anima deuota, nec Chriſtianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, ſed magis excitat & exaltat ad gloriam,

Act. 2.

Epiſt. 68.

In circuitu impij ambulant, quia hæretici aut de ijsdem rebus non easdem semper sententias habent, vt testatur Irenæus, Aut quia singulos Christianæ fidei & doctrinæ articulos successiuè vnum post alterum donec nullum, vt videmus, intactum relinquant adulterãdo vel negando; & ea quæ olim confutata sunt, atque ab ecclesia vel ipsis hæreticis damnata, reuocando, in orbem aberrant, rotati sicut anima inimicorum Dauid, in circulo fundæ. Potest tamen & hic esse sensus. *In circuitu impij ambulant.* i. in omni loco & in omni parte ecclesia circundata est impijs & oppugnata ab hæreticis, eo præsertim tempore quo Sathana soluto de carcere suo congregabit gentes, sua opera seductas, in prælium qui & circuibunt castra sanctorum & Ciuitatem dilectam. Quid verò eo aut omni hoc tempore Dominus? *secundum altitudinem tuam.* i. pro ratione sublimitatis & amplitudinis tuæ. *multiplicasti filios hominum.* id est, multa cura & sollicitudine, inquit Hieronymus, dignos & prosequendos iudicasti filios hominum, vt quantumcunque periculi eis imminet à malis, multo plus præsidij & adiutorij eis sit à te. Hieronymus itaque intelligit filios hominum esse multiplicatos, non numero, sed multiplici Dei adiutorio. Proinde non inconueniens erit hic sensus. Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. q.d. tametsi impij multi sint, tu tamẽ pro ratione altitudinis & amplitudinis tuæ etiam magno numero esse fecisti filios hominum. i. eos qui ab auita fide & religione in nullo degenerantes, genuini filij antiquorum fidelium atque iustorum possunt reputari. Qui sensus hanc habebit vtilitatem, vt ex hac scriptura simul intelligamus, id quod Dei vel diuinarum partium est, nõ solum efficaciter, sed etiam circa quam plurimos abundanter prouenire, atque adeo circa tam multos, quam multos esse consentaneum est altitudini & amplitudini diuinæ bonitatis. Metuunt enim aliqui, quod si secundum absolutum Dei propositum saluarentur homines, pauci essent saluandi, imò pauciores quam si secundum propositum conditionatum, scilicet, si velint homines; cum tamen si secundum altitudinem suam multiplicet Deus filios hominum, maior debeat esse numerus ea certitudine saluandorum, quàm futurus esset numerus saluandorum, si bonarum operationum & perseuerantiæ causa extrema dependeret ab hominum libero arbitrio, quia vna voluntas Dei amplior, magnificentior & maior est, humanarum voluntatum multitudine. D. vero Augustinus, disputans contra eos, qui vt Deum ab omni recenti aut nouo consilio seu voluntate vindicarent, confinxerant creaturam ei esse coæternam & perpetuis reuolutionibus in pristina semper redeuntem, præmissa huius Psalmi verba, *Seruabis nos in æternum.* intelligit vt sit sensus, Æternam & nunquam abrumpendam vel in aliam commutandam nobis dabis beatitudinem; Ex qua Scriptura error eorum quos diximus effi-

Libro 5.

Apocal. 20

in cap. 25 Isaiæ.

12. de Ciuit cap. 14.

caciter confutatur. Si enim creatura æternam beatitudinem accipit ex tempore, ergo in ea oritur noui aliquid quod ab initio in ea non fuit, Et quod sequitur, *In circuitu impij* ambulant, interpretatur, vt sit sensus. Impij sunt qui reuolutionem omnium creaturarum statuunt; Et si quæratur quomodo possibile est, vt Deus noui quid condiderit, sine nouo consilio, dicit ad illam interrogationem respondendum esse versu qui sequitur *secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* q.d. quod homines multos feceris qui nunquam antea fuerunt, idq; sine tuo nouo consilio aut voluntate, id fecisti secundum incomprehensibilem altitudinem sapientiæ & voluntatis tuæ.

PSALMVS XII.
In finem Psalmus Dauid.

IN hoc Psalmo describitur gemitus Ecclesiæ sub tyrannide aut potestate Impiorum, circa finem sæculi militantis: Quæ quidem suspirat, vt iugum illud impium à suis humeris auferatur, si tamẽ Deo aliter visum fuerit, orat ne per iugum illud in peccatũ præcipitetur ac dicit.

1. *Vsquequo Domine obliuisceris me.* i. oppressionem meam quam ab impijs patior, *in finem*? videtur enim hæc tua obliuio id permittere velle, vt mea quam patior oppressio perduret in huius sæculi finem. *Vsquequo auertis faciem tuam à me*, vt non videaris attendere quantopere opprimor?

2. *Quamdiu ponam consilia in anima mea*, vndique apud me rationem iniens euadendæ huius tyrannidis, *dolorem* supple quamdiu ponam in corde *meo per diem.* i. continuo, idque ex eo quod videam omnia consilia mea & instituta nullum ferè successum felicem accipere?

3. *Vsquequo exaltabitur.* i. paulatim magis magísque eleuabitur, *inimicus meus.* i. impius cui non ego sed qui mihi inimicus est, eo quod ipsi mihi, non ego illi malè velim. Is autem hoc loco exaltatur super iustum, cum ei dominatur imperio, potestate, prosperitate, victoria temporali, opibus, fauore, atque in istiusmodi rebus potiores partes obtinet. *Respice.* i. misericordiam impende mihi, *& exaudi me Domine Deus meus*, saltem in hoc, quod sequitur,

4. *Illumina oculos meos.* q.d. Si in eo à te exaudiendus non sum, vt à tyrannide impiorum liberer; saltem hoc mihi præsta vt illumines oculos meos, tribuendo illis donum vigilantis perspicaciæ, *ne vnquam.* i. vllo tandem tempore, vlláve occasione, *obdormiam in morte.* i. contra impiorum technas ac decipulas minus oculatus, aut mihi minus inuigilans in peccatum aliquod ab eis seducar. Ideo autem peculiariter illuminari petit, quia cum impij & in primis hæretici rerum potiuntur, timentibus Deum maximum pericu-

periculum est, ne fortè omni ex parte non satis perspicaces & sibimetipsis attendentes, ab hæreticorum fraudibus capiantur incauti. Quos enim per manifestam iniquitatem expugnare nequeunt, eos nituntur fraudibus capere, quorum conatus exponit nobis Sapiens, introducens eos sibi mutuo in hæc verba colloquẽtes, Venite abscondamus tendiculas contra insontem. Quas tetenderũt Vrsatius & Valens quorum astutiâ damnatio fidei Nycenæ in Concilio Arimin. teste Hieronymo, conclamata est. Ideo vt docet Cyrillus, operæpretium est, vt illi qui cum hæreticis belligerantur, coram Deo procumbentes dicant, *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte.* Quos quia illuminatos non habebant qui apud Cyprianum Libellatici dicuntur, inscij penè & ignari in peccatum seducti sunt. *nequando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum.* i. iustitiam & innocentiã eius expugnaui. Tum enim impius verè prevalet iusto, cum eum ad peccandũ inducit; Ideo superius, cum de sublimitate Tyrannidis impiorum conquereretur dixit, vsquequo exaltabitur, non autem vsquequo prævalebit? Etsi enim impius iustis superior sit potestate, non tamen ijs prævalet, nisi eorum iustitiam expugnauerit.

Prouerb. 1. Hieron cõt. Lucifer. In exposit. Nicæ. fidei.

5 *Qui tribulant me.* i. temporali oppressione continuam mihi tristitiam adferunt. *Exultabunt si motus fuero.* i. à fide aut iustitia defecero, plus aliorum æterna pernicie, quam sua temporali prosperitate gaudentes; Qui tamen affectus non est hominum, nisi quatenus homines in dæmones transierunt, inquit Bernardus, *Ego autem in misericordia tua speraui*, vt per opem misericordiæ me ab impiorum expectatione præserues.

Serm. 7. in Psal. 90.

6 *Exultabit cor meum in salutari tuo*, sicut enim in misericordia tua speraui, ita & secundum spem meam in eadem misericordia salutem mihi operaberis & tueberis. Quo loco rursus insinuat Scriptura, quod nemo sperauit in Deo & confusus est. *Cantabo Domino.* i. cum gaudio *Domino* gratias agam, *qui bona mihi tribuit.* i. inter tot aduersa virtutem meam & iustitiam protexit. *Et psallam nomini Domini altißimi.* i. psallendo & gratias agendo nomen Domini sanctificabo. q.d. hac ratione Deo bonum nomen inter homines conciliabo, vt de eo honorifice & cum gratiarũ actione ob ea quæ mihi fecit sentiant atque loquantur.

PSALMVS XIII.

In finem Psalmus Dauid.

APostolus probat ex hoc Psalmo tam Iudæos quàm Græcos omnes sub peccato fuisse, antequam gratiam Euangelij acciperent, ac proinde nihil eos ad accipiendam Dei gratiam præuij habuisse meriti. Ex quo testimonio manifestum euadit in hoc Psalmo describi peccata quibus tam

Rom. 3.

bus tam Iudæi quàm gentiles dediti fuerint, priuſquam donum iuſtificationis à Deo gratis acciperent. A culmine autem peccatorum exordium ſumens dicit Pſaltes.

1. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*. Dicit in corde ſuo, non enim
5. de ciuit. ca. 9 & in hunc locū. auderet id profiteri in publico vt teſtatur Auguſtinus. Sed cum etiam per corruptelam originalem aut ratione aut teſtimonio conſcientiæ ſuæ noſſe poſsit homo, quod vnus ſit Deus habitans in cælis, per quid ad hanc tantam inſipientiam deuenit homo, vt diceret in corde ſuo non eſt Deus!

2. *Corrupti ſunt*. Quia enim nō probauerunt habere Deum in notitia, i. ſecundum quod exigebat Dei quam habebant notitia, Deum verum non coluerunt nec timuerunt, facti ſunt homines corrupti mente, circa fidem & ea quæ fidei ſunt, reprobi. Et præter hoc, *abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis*, quia propter impietatem qua Deum cognitum non coluerunt, nefan-
Rom. 1. dis, vt declarat Apoſtolus, ſceleribus ſeſe dediderunt & corruperūt. Quod
Homil. de iudicio. enim dicit Pſaltes, *Abominabiles facti ſunt*, hoc diuus Baſilius intelligi vult, de malitia quæ tangi, inquit, oculis poteſt, & in actum erumpit, hanc enim dicit eſſe ſignum eius impietatis quæ in animo eius, qui mente corruptus eſt, deliteſcit. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. i. Nemo inter illos eſt qui quippiam faciat quod ſibi in ordine ad ſalutem æter-
2. ad vxorem cap. 3. nam proſit. Si enim Tertulliano credimus, non omne quod malum non eſt, bonum eſt, quia dicitur aliquid non eſſe malum ex eo quod nihil obſit, bonum autem non eſt, inquit, niſi quod inſuper proſit.

3. *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum*. Accommodat Pſaltes ſermonem ſuum hominū ſenſui. Imaginantur enim homines Deum eo quod in cælis eſſe dicitur, deſuper omnia intueri & obſeruare. *Vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum*. Studio enim hominibus benefaciendi, intentiſsimè obſeruat ſitne inter homines aliquis intelligens aut requirēs Deum, ſiue à Deo opem requirens, vt poſsit illi benefacere. Deus enim apud ſeipſum ſemper eſt paratus ad offerendum ſe illi, ſi quem inueniat requirētem ſe. Et quia D. Auguſt. dicit Deum diei de cælo proſpicere ſi eſt intelligens aut requirens Deū, quia id facit per animas ſuas ſanctas; Videtur certè huius
Ierem 5. diuini proſpectus luculentum exemplum extare, apud Ieremiam, per quem dixit Dominus; Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, ſi inueniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem, & propitius ero ei. Hoc enim per Ieremiam mandare, quid aliud erat quam per animas ſuas ſanctas proſpicere, ſi foret aliquis intelligens aut requirens Deum, vt Deus pro meritis ipſius eidem poſſet eſſe propitius? Quis autem huius diuini proſpectus, quem aut per ſemetipſum, aut animas ſuas ſanctas facit, fuit euentus?

Omnes

Omnes declinauerunt, non dicitur, omnes ignorauerunt. quia quidam fuerunt inter gentes qui Deum verum cognouerunt. ſed & Iudæi cognitionem Dei & legis habuerunt, dicitur proinde *omnes declinauerunt*, quia qui Deum non cognouerunt, illi declinauerunt à præſcripto legis naturæ; qui autem Deum inter gentiles cognouerunt, illi inſuper declinauerunt à cultu Dei ſibi cogniti. Non enim coluerunt eum aut ei gratias egerunt, inquit Apoſtolus. Iudæi autem declinauerunt à præſcripto legis ſuæ. *ſimul*.i.tam Iudæi quàm gentiles, *inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*, quia nec veræ iuſtitiæ, nec vitæ æternæ emerendæ vllum meritum, vllis quantumuis ſpecioſis ſuis operibus potuerunt ſibi cõparare. 4. *Roman.1.*

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum. 5.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. 6.

Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Domini ante oculos eorum. Latius per tres hos verſus declaratur in quot & quanta peccata ſuo vitio deuenerint homines, ſola lege naturæ vel etiam Moſaicæ legis formula inſtructi. A quorum verſuum explicatione hîc ſuperſedemus, quia partim 5. partim 9. Pſalmo explicati ſuiſq; proprijs locis explicandi ſunt. Quibus accedit quod verſus iſti contextui huius Pſalmi non ſint ab auctore inſerti, ſed teſte D. Hieronymo, occaſione Apoſtoli hos verſus iſto quo hîc habentur modo cap. 3. ad Rom. coniungentis, in contextum huius Pſalmi conſcripti ſunt, ab illis, inquit Hier. qui artem contexendarum ſcripturarum qua vſus hac in re erat Apoſtolus, ignorauerunt. Arbitrati enim ſunt Apoſtolum verſus iſtos, non ex varijs ſcripturæ locis contexuiſſe, ſed ex vno aliquo ſcripturæ loco citaſſe, & ob id putauerunt verſus hos, in huius Pſalmi ſeriem ſibi eſſe redigendos, vt exſtaret in ſacra ſcriptura locus ex quo Apoſtolus ſuum illud teſtimonium de verbo ad verbum deſumſiſſet. 7. *Præfat. In li. 16 cõm. in Eſaiam.*

Nónne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem.i. nónne ex ſupplicijs tandem diſcent omnes quid ſit iniqua agere? dicit enim Iſaias, Agnitio vultus eorum reſpondit illis. Et cauſam huius agnitionis ſubdens, addit, Væ animæ eorum, quia reddita ſunt illis mala. Inter iniquos autem & illi reponendi ſunt, qui cum ſuperiorem locum obtineant vt populi vtilitatibus deſeruiant, tamen *deuorant*. i. diripiendo, emungendo, extorquendo, aut alio quouis modo affligendo, conſumunt *plebem meam ſicut eſcam panis*, quia impij iſti de conſumptione aliorum ſemetipſos exſaturant. Hanc iniquitatem impegit Dominus Phariſæis, cùm diceret, Deuorant domos viduarum ſimulantes longam orationem. Quæ tamen non ſolum præpoſitis, ſed e- 8. *Iſaie 3.*

ſed etiam vulgaribus communis eſt, cum vnuſquiſque ſuum tantum commodum ex alijs aucupatur. De qua iniquitate Zacharias; Reliqui deuorent vnuſquiſque carnem proximi ſui.

Zach.11.

9. *Dominum non inuocauerunt.* i. Deum non coluerunt. Inuocare enim Dominum pro eo quod eſt Dominum colere in Geneſi ponitur, cùm de Enos dicitur, Iſte cepit inuocare nomen Domini. *Illic.* i. circa ea quæ ad Dei cultum pertinent, *trepidauerunt timore.* i. multa incommoda & inconuenientia confinxerunt aut allegarunt, propter quæ recuſauerunt ſe ad veram religionem conuertere. Cuius rei exempla habemus in Herode nato Chriſto, & in trepidatione Phariſæorum, timentium quod venturi eſſent Romani & tollerent eorum locum & gentem. Et etiam hoc tempore ſemper circa veram conuerſionem & religionis reformationem multa excogitantur inconuenientia, ob quæ trepidant homines ad veritatem vitæ ſe conuertere. *vbi non erat timor*, quia aut inconuenientia quæ obiectant falſa ſunt vel vana, aut ſaltem non ſunt refugienda, quia ſaluti & Dei timori oportet quæuis incommoda poſtponere. His tamen non obſtantibus, Dominus ex gentibus præcipuè multos per ſpiritum gratiæ ſibi in templum conſecrauit. De qua re ſequitur:

Geneſ. 4. Matth. 2. Ioan. 11.

10. *Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt.* Si autem quærant Iudæi, cur præcipuè ex gentibus? reſpondet eis Pſaltes, *Conſilium inopis.* i. Chriſti, *confudiſtis.* i. ſpreuiſtis ô Iudæi, contumelia affeciſtis, opprobrio oneraſtis. Et qua de cauſſa? *Quoniam Dominus ſpes eius eſt.* i. quia docebat Chriſtus à Domino iuſtitiam ſperare: ſicut & Apoſtolus huius inopis diſcipulus dicebat Galatis iudaizantibus: Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ exſpectamus. Illi autem pro inolita ſibi præſumtione quã ex lege (quæ non erat ex fide) malè conceperant, volentes à ſemetipſis, iuſtificari conſilium hoc inopis quod homines inopes ſpiritu, & de ſuis viribus diffidere facit, ſpreuerunt. Deinde docebat Chriſtus Deo ſeruiendum eſſe in ſpe retributionis futuræ. Hoc autem conſilium, etiam Iudæi præſentium auidi ſpreuerunt, ſicut manifeſtum eſt Lucæ 16. Vbi Domino dicente, Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ, quod erat, inordinatum præſentium amorem dedocere, Phariſæi qui erant auari id audientes deridebant eum. At quia Propheta in ſpiritu præuidebat, quod etiam Iudæi aliquando ad Chriſtum quem ſpreuerant eſſent conuertendi, in id geſtiens, exclamat:

Galat. 5. Ibidem 3.

11. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael.* q. d. Quis dabit, vt veniat ex Sion. i. oriatur ex ipſa plebe populi Iſraelitici, qui ſalutem adferat Iſraëli ſecundum carnem? id eſt, ipſam gentem Iudaicam ſaluam faciat? Quod futurum eſt, *Cùm conuerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ.* i. cum conuerterit Dominus Iudæos (qui ſunt plebs Domini propter Patres, & quia

ex eis

ex eis est Christus secundum carnem) ab incredulitate in qua nunc per vniuersum orbem terrarum captiui detinentur, quod fiet in nouissimo tẽpore. Ante hoc enim tempus multi quidem ex Iudæis ad Christum conuertendi sunt, sed non gens ipsa, propter quod & Apostolus æmulabatur carnem suam vt saluos faceret aliquos ex eis, & etiamnum hodie aliqui ex Iudæis ad salutem perducuntur ministerio Ecclesię. Gente autẽ ad Christum conuersa. *Exultabit Iacob & lætabitur Israel.* quia de libertate hac sibi per Christum insperatò cõcessa, Israel secundum carnem iam factus Israel Dei, & filius Iacob secundum electionem, inenarrabiliter gaudebit. Ad quod gaudium iam vaticinãdo eum adhortatur Ecclesia cùm canit; Gaude Iacob quia de medio gentium saluator tuus adueniet. Quandoquidem ergo Ecclesia dicit saluatorem aduenturum Iudæis siue nationi illi de medio gentium, non videtur futura inconueniens interpretatio, si dixerimus hoc loco per *Sion* intelligi Ecclesiam quæ egressa primum est de Sion & de Ierusalem, præsertim cum D. Thom. eo modo intelligat verba Isaiæ, Veniet ex Sion qui auferat iniquitatem à Iacob. vt sit sensus. *Quis dabit ex Sion salutare Israel*, i. quis dabit vt ab Ecclesia quæ cepit & egressa est ex Sion, estque per gentium populos diffusa, veniat qui salutem adferat Israeli? Itaque Psaltes à versu, *Quoniam Dominus in generatione iusta est*, intendebat prædicere Iudæos & gẽtiles à peccatis prius enarratis ad iustitiam conuertendos esse, id verò sic præstitit, vt simul edocuerit quo ordine res illa foret consummanda.

Roma. 11.

In 3 resp. 2 noct. Dom. 2. Aduent.

D. Thom. in cap. 11. ad Roma.

PSALMVS XIIII.

DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? Interrogatio est inquirens qua qualitate præditum esse oporteat eum qui saluus futurus sit, quæ tamen simul innuit quod talis rarus sit, sicut Dominus testatur: Angusta est via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam. notant enim Basilius & Hieronymus, obseruandum esse in Scriptura, quod interrogatio per *Quis*, paucitatem insinuet, sicut Quis putas est fidelis seruus? & similia. *Habitabit*. i. perpetuam mansionem habebit, *in tabernaculo tuo?* Tabernaculum subinde habitationem transitoriam significat. Ideo Patres qui non habuerunt hic manentem ciuitatem, scribuntur mansisse in tabernaculis. Sæpe tamen significat mansionem æternam & cælestem, vt Psal. 41. Transibo in locum tabernaculi admirabilis. & Isai. Oculi tui videbunt Hierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit. Hoc loco cõuenientius accipitur in significatione posteriore. *aut quis requiescet.* i. plenam requiem accipiet, timore malorum atque inquietudine laborum sublato, *in monte sancto tuo?* i. in cælesti regno tuo.

1.

Matth. 7.

Bas. in hũc locum.

Hieron. in. ca 4. Zach.

Cap. 33.

Quod mons dicitur ob bonorum, in quibus incolæ illius erunt, ſublimita-
2. Corin. 4. tem. de qua Apoſtolus: Id quod in præſenti momentaneum eſt & leue tribulationis noſtrę, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pōdus operabitur in nobis. Et Iſaiæ 33. vbi Propheta idem cum Pſalte argumentum tractans, Qui proijcit, inquit, auaritiam ex calumnia, iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius. Singula itaque huius verſiculi verba, aliquid ſeorſim important, vt ex illis ſimul collectis plena quædã regni cæleſtis cognitio conflari poſsit. *habitare* enim ſignificat manſionem illius regni fore perpetuam. *Requieſcet*, ſignificat fore ibi requiem opulentam. *Mons* ſignificat futuram ibi bonorum ſublimitatem, & ſic de reliquis. Ad interrogationem autem ſuam, Domini, cui interrogationem propoſuerat, ſpiritu edoctus, Pſaltes ipſe reſpondet & dicit:

2. *Qui ingreditur ſine macula.* i. qui abſtinet à criminibus damnabilibus, &
De perfe. iuſt. rat. 17 ipſa peccata, vt Auguſtini verbis vtar, venialia non negligit mundare eleëmoſynis, *& operatur iuſtitiam.* i. qui inhærentem ſibi iuſtitiam per bona opera oſtendit & exercet. Ad ingreſſum enim regni cæleſtis neceſſarium eſt adultis, non ſolum ſine macula ingredi aut iuſtitiam habere, ſed eam tempore & loco per bona opera exercere; ita vt ſola omiſsio eius boni, quod ex circunſtantia loci & temporis contingit eſſe in præcepto, ingreſſu regni
Hom. de iudicio. & ſerm. 2 de bapt cap. 6 & 9. cæleſtis, ipſoque regno hominem faciat indignum. Probat id D. Baſilius ex eo quod à iudice dicendum erit: Eſuriui & non dediſtis mihi manducare. Per hoc enim quod ibidem ob ſolam omiſsionem bonorum, hi qui à ſiniſtris erunt condemnãtur, docetur vel ſolam omiſsionem bonorum operum æternum deſidi præcludere regnum.

3. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo.* i. qui veritati credit & conſentit. Quæ particula priori bene ſubijcitur, vt hic expreſsè doceatur etiam fidem ad introitum regni cæleſtis eſſe neceſſariam. Per hanc itaque particulam confutantur illi, qui putant ad requiẽ Dominici montis peruenire per exercitam moralem iuſtitiam, nihilque ijs obeſſe, quod fidei non habuerint aut
In cap. 3. ad Galat. perdiderint veritatem. Etſi enim aliquis ſecũdùm Hieronymum haberi poſſit & eſſe moraliter iuſtus abſque fide, ea tamen iuſtitia ei non proderit ad ſalutem, quia non loquitur in corde ſuo veritatem. Peculiariter autem hic
Cap. 6. cõt. mendaciũ. dicitur *in corde ſuo*, quia fieri poteſt (inquit Auguſtinus) vt quiſque loquatur ore veritatem, quæ nihil ei proſit, ſi eam in corde non teneat. i. ſi quod loquitur ipſe non credat, ſicut hæretici, maximè verò Priſcillianiſtæ, qui catholicam fidem non credunt, ſed tamen eam loquuntur, vt noſtri eſſe credantur. *Qui non egit dolum in lingua ſua.* Subijcitur hoc ſuperiori contra hæreticos, qui putant nullũ committi peccatum ſi quis fidem corde ſeruatam ore negauerit. Qui autem id fecerit, nõ habitabit in tabernaculo Domini,

mini, vel hoc nomine, quia dolum facit in lingua sua. Aliud enim cõtestatur ore quàm fouet mente, quod absq; omni controuersia est dolũ committere.

Nec fecit proximo suo malum. Hic proximi nomẽ non strictè accipiendũ est, pro ijs qui fide aut sanguine, vel alia necessitudine peculiariter nobis cõiuncti sunt, sed generaliter, vt sub eo intelligatur quiuis homo, sicut & [proximi] nomẽ accipitur apud Lucam, vbi Dominus explicat quis sit vnicuique proximus, vt notat Basilius & Augustinus. *& opprobrium non accepit*, scilicet in ore suo, *aduersus proximum suum*, vt ei aliquid opprobraret vel improperaret. Quæ particula huic Psalmo rectè inseritur, quia opprobrio in faciem intorquetur homini defectus aliquis corporis aut natalium. Id tamen, inquit Basilius, hominis est rationis gratia abutentis, & à virtutis studio longissimè abhorrentis; quia tales defectus cum sint necessarij, magis sunt miserandi quàm exprobrandi. Improperatur etiam aliquando alteri defectus aliquis peccati, idque ad confundendum proximum, ob quem finem opprobrium est ex genere suo peccatum mortale, charitati contrarium. D. tamen Augustinus & Hieronymus hunc dant sensum, *Opprobrium non accepit.* id est, non libenter aut temerè credidit criminatori. Vel, si coram eo opprobrium alicui obiectum sit, illud *non accepit.* i. non acceptauit, nec exprobranti consensit vel arrisit, sed declarauit vel saltem insinuauit id sibi displicere. 4. Lucæ 10. Basi. in hũc locum. Augusti. loco citato. Basi. in hũc locum. Hier epist. 16. cap. 1.

Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus. i. nullius apud eum existimationis aut authoritatis est malignus, in eo quod malignus est, vel malignè agit. Nec enim suspicit superbiam eius, nec pompam eius admiratur, nec fauoribus ab eo etiam delatis vtitur, nec indignationem eius veretur. Sicut scriptum est; A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus & vermis est, Hodie extollitur & cras nõ inuenietur, quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius perijt. Imo vsqueadeo *in conspectu eius adnihilum deductus est malignus*, vt etiam potestas publica, opes iustè acquisitæ, & similia præsentis vitæ præsidia & ornamenta, quæ tametsi in malignis omninò contemni non possint, tamen & illa ad nihilum penè in conspectu iusti deducuntur, eo quod eius ordinis bona sint quæ possint esse iustis & malignis communia. Illa enim bona sola iustus, vt docet August. admiranda sibi & amanda ducit quæ iustos faciunt, solísque iustis possunt competere. *timentes autem Dominum glorificat.* i. honore afficit, laudat & celebrat. Ex quo datur intelligi, non sufficere ad ingressum regni cælorum, iustos non contemnere, odio inuidiáve non lacerare, sed oportere eos debita laude & veneratione suo loco & tempore prosequi. Hoc autem insitæ iustitiæ tam præsens est indicium, vt D. Leo inter signa per quæ quis explorare potest, num habeat sibi Spiritum sanctum inhabitãtem, 5. 1. Macb. 2. 10 de Ciu. cap. 2. Serm 5. de Epiph.

 reposue-

reposuerit, num delectetur bonis alienis, considerandis scilicet referendis, vel audiendis. Quod vt demus non esse rarum, admodum tamen rarum est, teste D. Bernard. alienæ excellentiæ tanto plus adgaudere quam propriæ, quanto quis se perpenderit ab alio in virtute superari.

Serm. 49. in Cant.

Qui iurat proximo suo & non decipit. Bene additur *non decipit*, quia iurare per se à regno cælorum, vt quidam voluerunt, non excludit, sed iurare & fallere siue peierare, vel iuramentum in periurium conuertere. *qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*, Fœnus enim pecuniæ, inquit Leo, funus est animæ. dicit autem Psaltes, *non dedit ad vsuram*, non autem, non accepit ad vsuram, quia ab eo qui paratus est dare ad vsuram, licet in iusta necessitate ad vsuram accipere, eo quod peccatum dantis iam ante præcesserit in proposito aut præparatione voluntatis. *& munera super innocentem non accepit*, vt muneribus corruptus aut occæcatus, innocentem iniquo condemnet iudicio. De qua re & Isaias: Qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.

Serm. 6. de ieiunio 10. mensis.

Qui facit hæc, quæ videlicet hic expressa, & sub generalibus his verbis atque terminis comprehensa sunt, *non commouebitur in æternum.* i. ad eum beatitudinis statum peruenturus est, à quo dimoueri non poterit.

PSALMVS XV.

Tituli inscriptio ipsi Dauid.

BEatus Augustinus quod hic dicitur de titulo, refert ad Titulū crucis Christi. Et recte. In huius enim Psalmi priore parte describitur regnum Christi super Iudæos, per ipsum non autem per sanguinem hircorum aut vitulorū iustificatos, idque postquam experti sunt peccata sua occasione legis multiplicata fuisse. quamquam fatendum sit quædam huius Psalmi etiam ad eos qui ex gētibus iustificati sunt, extendi posse. Posteriore vero psalmi parte facta mētione eorū Iudæorum qui Christo vsq; ad mortē sunt aduersati, describitur descensus eius ad inferos vna cum eius gloriosa resurrectione & ascensione; ita vt quidam non male psalmum ipsum dicant Christo loco tituli esse. Vt enim Titulus cuipiam erigitur in parti decoris atq; victoriæ triumphum, ita psalmo hoc tanquā quodam titulo celebratur triumphus victoriæ Christi & manubiarū quas reportauit à mortuis. Itaque in persona Iudæorum à se iustificatorū orditur Psalmū & loquitur Christus.

1. *Conserua me Domine*: in iustitia accepta, *quoniam speraui in te*: Dicendo, *Quoniam*, insinuat causam accipiendæ à Deo protectionis spem esse, Et iusto vt perseueret, in Domini auxilio confidendum esse. Qui enim in accepta iustitia eiúsque viribus solummodò confidit, deficiet ab ea, sicut
Cap. 40. dicit Isaias, Deficient pueri, & iuuenes in infirmitate cadent, eo quod in viribus

ribus iuuentæ ſuæ ſpiritualis confiſi ſint, contra quàm docet Hieronymus, 3. cõt. Pela.
Qui autem conſeruari ſperat à Domino, protegetur ab eo: ſubijcit enim cap. 3.
Iſaias, Qui autem ſperant in Domino mutabunt fortitudinem. i. fortitudine ſua quam à Domino acceperant per humanam fragilitatem collabaſcente, aliam Domino reſtaurante induēt. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. q. d. non imploro tuam opem ac iuſtitiæ meæ conſeruationem tui gratia, quaſi tu hominum egeas iuſtitia ac perſeuerantia. Deus enim verus ob id etiam ſolus Dominus eſt, quia non illi ad ſuam, ſed ad noſtram vtilitatem ſalutemque ſeruimus, inquit Auguſtinus. Similiter ad hoc Deus à nobis vult amari, quia id nobis bonum eſt, vt declarat Irenæus. Ad hoc etiam ſibi vult ſacrificari, vt ſacrificij acceptatione homini conſulat, inquit Auguſtinus, & occaſionem habeat præſtandæ homini remunerationis, ipſumque offerentem honorandi; Quoniam is honoratur, cuius munus ſuſcipitur, ſicut hæc latius explicat Irenæus: Si autem Deus ſanctorum iuſtitia non eget, quid cauſæ eſt ergo quod eos ſanctificauit? Bona voluntas eius, quia voluit eis bene eſſe, quapropter ſequitur:

8. de Gen. ad lit. c. 11
Iren. lib. 4. cap. 31.
Hilar. in Pſal. 27.
Aug. Epiſt. 59 q. 3.

Sanctis qui ſunt in terra eius. i. Iudæa quæ erat terra eius, quia ei vt 2.
vero Deo debitus cultus in ea à tota gente deferebatur *mirificauit*. i. miras fecit, *omnes voluntates meas in eis*, impleuit enim in eis quicquid ego in eis impleri volui, idque ſecundum voluntatē non egeſtatem meam; nec ſecundum merita eorum, inquit Auguſtinus; ita vt tam beneficæ & gratuitæ Dei erga eos voluntatis non mediocri admiratione fuerint commoti: Præſertim cum has Chriſti voluntates viderunt etiam in gentilibus impleri, quos per has Chriſti voluntates Deus ex deſperatione, inquit Auguſtinus, mirabiliter liberauit, concludens omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. Legunt quidem aliqui codices, *voluntates ſuas*, ſed codices emendatiores & electioris authoritatis (inquit Auguſtinus) legūt, *voluntates meas*, quod tantundem valet, quia ex perſona filij dicitur. Eadem enim ſunt munera Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Hæc Auguſtinus.

1. de pecc. mer. ca. 27
Epiſt 59.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum. i. peccata eorum. Quæ expoſitio 3.
conformis eſt Apoſtolo, qui poſtquā dixiſſet: Si cùm infirmi eſſemus Chriſtus ſecundum tempus pro nobis mortuus eſt, poſtmodum exponens quid nomine infirmitatis vellet intelligi, ſubiunxit. Si cū peccatores eſſemus &c. Cùm autē peccata infirmitates appellantur, & peccatores nomine infirmorum, tum mitiſsimo vocabulo, ſicut contrà, cum peccatores appellantur impij & ſimilibus nominibus, tum atrociſsimo vocabulo nominantur, vt inquit Auguſtinus, Vel, *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum*. i. deprehenderunt tandem ſe ad iuſtitiam apprehendendam exercendamque omni ex parte eſſe infirmos, & ne quidē ſufficientes aliquid cogitare ex ipſis quaſi

Roman. 5.
13. de Trinit. ca. 10.

ex ipſis. *Poſtea*.i.hæc experti, *accelerauerunt*. i.maiore cum alacritate medicum & adiutorem quæſierunt, inquit Auguſtinus, vt vbi abundarat delictum, ſuperabundaret & gratia. Itaq; nomine eorum quorum infirmitates hic multiplicatæ dicuntur,conuenientiſsimè intelligimus Iudæos denotari, ad illos enim ſubintrauit lex vt abundaret delictum; & vt per eam Iudæi de infirmitate propriarum virium conuincerentur. de quibus etiam exponitur verſus ſequens in hunc modum.

13. de Tri. cap. 10.

4. *Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus*. i. Synagogam quæ comparatione totius orbis exigua erat populi in vnam formam religionis collectio, & ob id conuenticulum dicitur: hanc inquam, non congregabo in numerum iuſtorum Eccleſiæ meæ, *de ſanguinibus*, illorum ſacrificiorum inquit Auguſtinus, quæ immolabantur in figuram ſanguinis Chriſti. i. de virtute ſacrificiorum quæ ab illis carnaliter, ſiue opinione carnali immolabantur. *neque memor ero nominum eorum per labia mea*. i. poſtquam erunt in numerum iuſtorum congregati, non amplius vocabuntur fornicatores, idolis ſeruientes, molles, adulteri, ſures,&c. quæ omnia nomina illis competebant, cum adhuc multiplicarentur infirmitates eorum. Iam enim de his dicetur, & hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri. Rectè autem dicuntur ad hanc gratiam *non congregandi de ſanguinibus*, quia ſacrificia illa ſanguinolenta ex ſemetipſis, vt tamen arbitrabantur carnales, nunquam poterāt auferre, teſte Apoſtolo, peccata, ſed præſignabāt Chriſtum, per quem & per cuius fidē peccata erant auferenda. Secundum hanc ergo expoſitionem, nemo, ne quidem tempore veteris legis, ad iuſtorum numerum collectus eſt *de ſanguinibus*. Nemo enim vnquam ea mente cęremonialibus legis vtens, potuit illis adhibitis iuſtificari. Videtur autem Pſaltes plus aliquid inſinuare, nempe, quod illi qui à Chriſto eiúſque diſcipulis forēt è ſynagoga ad Eccleſiam in iuſtificationem conuocandi, ad eam conuenturi eſſent non *de ſanguinibus*. i. non mediantibus ſacrificijs aut ſacramentis veteris legis etiā legitimè ſiue ex fide vſurpatis, ſed quod vſus legalium etiam is qui vſque ad tempus correctionis fuerat legitimus, per Chriſtum eſſet abolendus, & in vſum nouorum Sacramentorum, per quæ in vnam Religionis formam colligarētur tam Iudæi quàm Gentiles, commutandus. Sed nec prætereundum eſt, quod de his dicitur *non congregabo*, quia cum congregari pecudum ſit, qui in numerum iuſtorum ingrediuntur non dicuntur in eum congregandi, quia per iuſtificationem deſinunt eſſe pecora, & ex numero illorum de quibus dictum eſt, vt iumentum factus ſum apud te. Et quia pecora ſolummodo appetunt terrena, & Iudæi per iuſtificationē deſinent terrena inordinatè appetere, ideo etiam ſubijcit Chriſtus qui in hoc Pſalmo loquitur:

Domi-

Dominus pars hæreditatis meæ. quaſi in illorum perſona diceret. Cum adhuc ſeruiremus Deo de ſanguinibus.i.eſſemus filij ſynagogæ, pars noſtra pecudum more erant bona temporalia, propter quæ aſſequenda vel non amittenda vni vero Deo cultum illum ſanguinolentum prius deferebamus, at nunc, ad Eccleſiam conuocati, & ſpiritualem hominem induti dicimus, *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei.* i. Dominus eſt pars hæreditaria mea, (ſic enim legit Athanaſius) & *calicis*.i.retributionis, (per [*calicẽ*] enim retributionem ſignificari iam ante diximus) Vel, Dominus eſt calix meus, vt idem legit, ſeu retributio mea quam ſpecto, ita vt iam mihi voto, iure, atque ſpe dicendum ſit cum Ieremia, Pars mea Dominus dixit anima mea propterea expectabo eum, nec aliam laboribus meis mercedem expetam quam Dominum. In quibus verbis cum dicitur *Dominus* iuſtis eſſe *pars hæreditatis*, & *calix* ſeu merces eorum, quid aliud inſinuatur, quam quod Dominus à ſanctis expectatur, & vt hęreditas à Chriſto omnibus ſuis membris gratis comparata, & tanquam merces bonis eorũ in Spiritu ſancto operibus debita? vt docuit Concil. Trident. Quam hæreditatem & calicem ſecundum ſpem ſibi partam, (ſunt enim iuſti in hac vita ſecundum ſpem hæredes vitæ æternæ) quandoquidem reipſa nondum adierunt, ideo in perſona eorum per ſpe plenam vocem ſubiungit Chriſtus, *Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*, i. tu Domine per tuam opem atque protectionem hãc hæreditatem mihi in membris meis perſeuerantia donatis reipſa aliquando exhibebis atque trades. Scio enim cui credidi & certus ſum quia potens es depoſitum meum ſeruare in illum diem. Quia tamen hoc dicendo Chriſtus vtitur verbo [*reſtitues*,] per id obliquè inſinuatur hæreditatem hanc ſeu potius rem hæreditariam hanc, ab ipſis aliquando, in primo parente, deperditam fuiſſe, ſed à Chriſto illis fuiſſe recuperatam. Hæc ergo ſunt, quæ Deus ſecundum voluntatẽ ſuam & Chriſti ſui mirificauit in ſanctis qui ſunt in terra eius. Sed ne quis arbitraretur harum mirificarum voluntatum effectus initium aliquod ex homine habuiſſe, ſubiungit Chriſtus in perſona eorundem & dicit:

Ser. de paſ. et gloſ. ord.

Thren. 3.

Seſſ. 6. cap. 16.

Titum 3.

6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Terra promiſsionis populo Iſraëlitico & funiculis dimẽſa & ſorte diſtributa eſt; facta enim regionũ menſuratione, ſors miſſa eſt, quænam regio cui tribui cederet. Ideo dicitur Pſalmo 77. Sorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis. Qua vtraque re ſignificabatur quod in nouo teſtamento Spiritus ſanctus mẽſuras donorum ſuorum varias ac definitas inſtitueret, easque pro ſua voluntate in quos vellet quaſi occulta ſorte diffunderet. Quia itaque in Palæſtinæ ſortitione etiam funiculi in vſu fuerunt, ideo per funes ipſæ ſortes in Scripturis ſanctis iuxta Gregorium ſignificantur, dicit itaq; Chriſtus, *Funes ceciderunt mihi*

31. Moral. cap. 12.

l *in præ-*

in præclaris, q.d. vt iſtæ voluntates meæ in hominibus implerētur, præclara gratiæ vnctio in eos cælitus quaſi ſortito delapſa eſt, nec habuit id initiū ab eorum merito aut præuia voluntate; Et ob id dicuntur in ſcripturis ſacris ſorte vocati, digniq́ue à Deo facti in partem ſortis ſanctorum in lumine. Quod autem illapſus diuinæ gratiæ per ſortem ſignificetur, paucis docet Ambroſius, Sicut, inquit, ſortis euentus non eſt in noſtra poteſtate, ſed quem caſus attulerit, ſic gratia Domini, non ex mercedis merito, ſed Domini voluntate defertur. Hæc tamen verba Chriſto etiam pro ſua perſona ſecundum humanam naturam competunt, cui *funes ceciderunt in præclaris*, imò præclariſsimis, (nam pro eo quod nos legimus *in præclaris*, quidam legunt *in optimis*,) quando humana natura de Spiritu ſancto in ipſa conceptione ſine vllo præuio humanæ voluntatis voto conatu vel opere in filium Dei à Verbo aſſumpta eſt. & per id omni ac perpetua gratiæ plenitudine delibuta. *Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi*, q.d. Res hæc hæreditaria atque adeò hæreditas ipſa ſemper quidem præclara eſt, nunc autem & mihi præclara facta eſt, quia cum eam prius, quando vt iumentum factus eram apud Deum, faſtidirem, nunc eius præſtantiam intelligere cœpi, eamq́ue pro dignitate colere ac æſtimare. Quod certè Chriſtiani ex Iudæis reipſa declarauerunt, qui cum prius Palæſtinam ipſam hæreditatis loco ducerent, poſtquam Dominum in partem hæreditariam receperunt, tanti hanc fecerunt, vt omnem priorem hæreditatem contemnentes, eam ad pedes Apoſtolorum proiecerint. Et quia hoc de hac hæreditate iudicium, & hunc affectum à ſemetipſis non habuerunt, ſed diuino munere, ideo ſubijciunt.

De exhort. virg.

8. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum*, i. qui fecit me tam bonam intelligentiam cùm pari amore coniunctam de hæreditate mea habere. Et hactenus quidē de his. In ſequentibus verò huius Pſalmi loquitur Chriſtus in perſona propria, & exordium ſumens ab illis qui in Iudæa Chriſto aduerſati ſunt, dicit *Inſuper*, q. d. nihil obſtante eo quod tam multi ex Iudæa ad me conuerſi ſunt. *Vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.* i. Iudæi qui dicuntur *Renes mei*, quia ſunt cognati mei ſecundum carnem ex ijſdem renibus ſeu lumbis proauorum Abraham, Iſaac & Iacob mecum progeniti. Hi *increpuerunt me*, i. iurgati ſunt, vt ait Ieremias, ſeu aſperè oblocuti ſunt, in faciem mihi reſtiterunt, *vſque ad noctem*, i. mortem meam. Quod ſatis manifeſtum eſt ex Euangelio, Idq́ue prædixit Iſaias; Faciem meam non auerti ab increpantibus in me. Et Apoſtolus, Recogitate illum qui talem ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum contradictionem. Quid verò ad hæc Chriſtus?

Thren. 4.

9. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper*, i. inter increpantium maledicta Deum patrem eiuſque æternam veritatem & iuſtitiam mihi iugiter præ

ter præ oculis habebam, quia Christus oculos humanæ suæ mentis in diuinitatem immobiliter defixos habens, in ea *semper*, i. sine vlla intermissione prouidebat omnia quæ sibi erga contradictores ac vim inferentes agenda erant eisq; dicenda. Hoc autẽ sic fuit Christo propriũ, vt tamẽ nobis proponatur in exemplum: vt & nos ante omne verbum, ante omnẽ actum, quantum fieri potest, oculos attollamus ad Deum aut Dei verbum. De qua re pulchrè Ambrosius: Præfer tibi lucernam verbum Dei, nulli credas tuum nisi præeunte lucernæ istius luce processum. Sed si lucerna tibi longius sit, sit ergo fides tibi itineris tui præuia, &c. *Quoniam à dextris est mihi.* Hoc intelligi debet dici de Christo secũdum humanam naturam. Cui Dominus est *à dextris* quasi ad manum, eandem humanitatem, tanquam templum & instrumentum coniunctum, bonis quæ in dextera eius esse dicuntur, i. optimis & spiritualibus ordinaria suppositi lege indesinenter replens ac dirigens. Qui enim à Deo dirigitur potest dicere, A dextris est mihi, inquit Ambros. Lex autem vniuscuiusque suppositi est, vt omnium eorum quæ in vnum cõueniunt suppositum, ei quod principalius est cętera, inquit D. Tho. instrumentaliter deseruiant. Vt autem instrumentaliter deseruiant opus habẽt virtute principalis, lege ergo suppositi participauit Christus influxum suæ diuinitatis. Addit autem Christus. *ne commouear.* Si enim Deus humanam Christi naturam à supposito Verbi (quod per rerum naturam non erat impossibile) separasset, ipsamque humanam naturam, sibi reliquisset, fuisset humanitas illa infirma & mobilis more cæterarum: Deo autem humanam naturam in diuino supposito conseruãte, impossibile erat Christum, vt loquuntur Patres, per peccatum commoueri. Impossibile dico, & per conuenientiam, & per suppositi illius legem, quia cum tam mens Christi quam eius corpus fuerit non nisi instrumentum Verbi, necesse fuit & mentem Christi influxu suæ diuinitatis repleri, & ob id non posse peccare. Ex eo autem quod dicit: *Ne commouear.* satis manifestum euadit quod verba, *A dextris est mihi* intelligenda sint de Christo secundum humanitatem. Tametsi enim, secũdum Athanasium, Pater rectè dicatur esse à dextris Filij secundum diuinitatem, secundum eandem tamen non rectè dicetur filio à dextris esse ne commoueatur, quia natura diuina mobilis aut fragilis non est. *Orat 2. cõ. Arrianos.*

Propter hoc quia scilicet prouidebam Dominum in conspectu meo semper, *lætatum est cor meum*, etiam in passione cum summam sustinerem contradictionem, *& exultauit lingua mea*, in gratiarum actione, quam exponit Psalmus 21. vniuersum semen Iacob glorificate eum, quia non auertit faciem suam à me. *Insuper*. i. præter hanc cordis mei & linguæ meæ exultationem, quia Dominus est à dextris mihi, *& caro mea requiescet* in sepulchro. vbi bene *requiescere* dicitur, quia ab omni exagitatione atque contumelia, 9.

quam corpora aliorum martyrum etiam post mortem sustinuerunt, caro Christi immunis fuit, honestissimo sepulchro tumulata. *in spe* citò affuturæ resurrectionis. Quam spem caro Christi dicitur habuisse, cum tamen sperandi sensum non habuerit, quia velox resurrectio Dei proposito decreta eam manebat. Causam verò huius celeriter affuturæ resurrectionis subdens ait:

10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Cuius versiculi prius membrum de anima Christi intelligendum est, quæ tametsi secundum Apostolicæ doctrinæ prædicationem ad inferos descenderit, non est tamen ibi derelicta, inquit Augustinus, vnde tam cito remeauit. Posterius vero mẽbrum de corpore Christi intelligitur, quod in sepulchro corrumpi, inquit idem, celeri resurrectione non potuit. Dat tamẽ Athanasius huius versiculi alium sensum virtute Dominicæ incarnationis magis dignum, qui est iste. *Caro mea requiescet in spe*, resurrectionis sibi necessariò obuenturæ. Idque quoniam *non derelinques animam meam in inferno.* i. diuinitatem meam non separabis ab anima mea, etiam vbi illa à corpore per mortem separata descẽderit in infernum. *nec dabis sanctum tuum.* i. filium tuum per vnionem hypostaticam carnem suam quantumuis mortuam inhabitantem, secũdum eandem *videre corruptionem.* i. nõ permittes, vt caro illa mortua corrũpatur vel putrescat, vitæ enim est sacrariũ. Quæ Athanasij expositio coincidit cum eo quod Petrus in Actis dicit, Impossibile erat Christum in inferni doloribus seu morte detineri. Ob hoc enim quod in anima & carne Christi singulariter erat verbũ de cælo descendens, sub imperio mortis detineri nequiuit, inquit Athanas.

Epist. 57.

Tract. de salut. aduen. verbi.

Act. 2.

Serm. 2. cõ. Arrian.

11. *Notas mihi fecisti vias vitæ*, Quia Christus primitiæ dormientium, primus per experientiam cognouit resurrectionem ex mortuis ad immortalitatem, Via enim à mortuis redeundi ad immortalitatẽ quæ est resurrectio, ante Christum nullius adhuc resurgentis erat temerata vestigio, inquit Ambrosius: At postquam à mortuis Christus resurrexit, solo est attrita plurimorum. Et vtique quod dicit *notas fecisti*, de notitia experientiæ interpretamur. De qua notitia Apostolus dicit Christum non nouisse peccatum. Et ad Hebræos dicit Christum didicisse obedientiã, vt testantur Augustinus, & Cyrillus. Sicut enim Christus peccatum & obedientiam semper nouerat per sapientiam: ita per eandem nouerat vias vitæ resurrectionísque rationem, Resurgenti autem Christo eædem notæ factæ sunt per experientiam. *adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* i. superabundanti gaudio me replebis, vbi post resurrectionem corpus meum prius mortuum ad conspectum vultus tui introduxero, & in gloriæ tuæ dextera collocauero. De quo gaudio bene dicitur *adimplebis*, hoc enim verbum plenitudinis quandam superabundantiam importat, quam Christus, Dei essentiam cum summa me-

Serm. 74.

2. Cor. 5.

Aug. 1. cõt. aduer. legis et Pr c. 14. Cyrill libr. poste. de recta fide ad Reginas.

ma mentis suæ lætitia ab initio suæ conceptionis contemplatus, in ascensione sua demum est assecutus, quia in ea gloriam quæ debebatur humanæ naturæ ratione diuinæ personæ, & ex meritis, in corpus suum atque adeò totam humanitatem deriuauit, cùm quadam beatitudinis extensione & plenitudine lætitiæ, qua gaudet anima de sui corporis & nominis glorificatione. In hac significatione vocabulum *adimplebis* pulchrè vrget Bernardus: Quod enim de corporum, inquit, reformatione, & conformatione corporis claritatis Christi expectamus, ex abundanti quodammodo & mensuræ supereffluentia erit, vt in corporis glorificatione feliciter quidem, sed non principaliter gaudeamus. Potest tamen & hic esse sensus, *adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, in die videlicet ascensionis meæ, quando animas Sanctorum ex inferno superiore à me eductas, ad præsentiam tui vultus perduxero. Tum enim Christus gaudio adimpletur, qui, vt inquit Apostolus, Omnia in omnibus adimpletur, quia gaudium sponsi ex beatitudine suæ sponsæ, lætitia filij ex salute suæ hæreditatis, cumulatur: De qua re Isaias; Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. *Delectationes in dextera tua.* q. d. Tametsi gaudium nemini hominum plenum sit nisi in præsentia vultus tui, non tamen sine delectatione sunt, qui per fidem & pietatem ad vultus tui præsentiam tendunt, quia *delectationes* sunt *in dextera tua vsque in finem.* i. in manu tua habes munera ac Spiritus sancti charismata, per quæ intersusa iucunditate recreas & solaris huius vitæ labores & ærumnas, idque *vsque in finem*, ita vt nulla ætate, nulla rerum mutatione aut tentationum mole delectationes dexteræ tuæ dolores nostros mitigantes, desint. Inter quas delectationes recenset Augustinus, fauorem & beneuolētiam Dei erga electos. Incredibili enim voluptate perfunditur, qui diuinæ beneuolentiæ circa se studia experitur. Sunt & aliæ *delectationes* ex Dei dextera promanantes, Inter quas non minima est, quæ oritur ex contemplatione verbi incarnati, in quo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Hoc enim Verbū cum anima duabus hauserit affectionibus, inquit Ambrosius, incredibiliter exæstuat, exclamans, Suauis es Domine. Denique cum anima spiritu Domini adiuta, sapore bonæ conscientiæ, charitatis, humilitatis aut cuiusuis castæ virtutis delectatur, tum vt docet Bern. delectatur in Domino, & percipit delectationes quæ sunt in dextera Dei.

Ser. de obe. pat. & sap. qui est inter varios.

Ephes. 1.

Aug in hūc locum.

Epist. 11.

Serm. 5. de Quadrag.

PSALMVS XVI.
Oratio Dauid.

HIc Psalmus orationem continet, estque quædam exemplaris forma omnium orationum, quia ex hoc Psalmo colligere possumus qua animi sinceritate orandum sit, qua voce, qua instantia, denique

quid orandum ſit & ſimilia. Dicit itaque Pſaltes,

1. *Exaudi Domine iuſtitiam meam*. Vox qua deus inuocatur, triplex eſt
prima eſt vox Chriſtianæ iuſtitiæ, bonorumq́ue operum, de qua dicebat
Exodi 14. Dominus ad Moyſen, nullum in oratione oris ſonum edentem, quid clamas
ad me? clamabat enim iuſtitiæ & operum bonorum meritis, diuinæq́ue di-
Ser. 19. in Pſal. 118. lectionis magnitudine, iuxta Ambroſium. Hunc clamorem exaudiri petit
Hier. in ca. 4. ad Gal. Pſaltes, cùm dicit: *Exaudi Domine iuſtitiam meam*. Iuſtitia enim orantis,
vt oratio ſit fructuoſa, tantum ad eam momenti adfert, vt dicat Cyprianus,
De opere & eleem. deprecationes ſolas ad impetrãdum parum valere, niſi factorum & operum
acceſſione farciantur. Et de oratione Dominica. Cito ad Deum orationes
Cap 10. de orat. & 13 de patiẽtia aſcendunt, quas ad Deum merita noſtri operis imponunt. De qua re & Ter-
tullianus; Hæc vox orationem impinguat atque perficit. Alia orationis vox
eſt feruor deſiderij; cùm nimirum in oratione feruens orantis votum aures
diuinæ pulſat benignitatis. De qua voce Pſal. 9. Deſiderium pauperũ exau-
diuit Dominus. Hæc vox orationi propria eſt, & quaſi eſſentialis. Orare
enim eſt votum atque deſiderium ſuum Deo exponere; Quæ ſi oranti ſola
adfuerit, ad impetrandum non eſt omnino inutilis, ſed, vt mox ex Cypriano
dictum eſt, parum valet. De hac voce dicit particula ſequens, *intende depre-
cationem meam*, pio videlicet deſiderio flagrantem. Tertia orantis vox eſt,
prolatio verborum in oratione, cùm videlicet aures Dei pulſat oratio vo-
calis, nõ tam orantis iuſtitia, aut deſiderio ſuffulta, quàm cùm bona, quam-
uis arida, precandi intentione oretenus prolata. In qua orationis voce, in-
tentio orandi eſt orationi intrinſeca, ipſa vero orationis formula eidem ad-
hibetur ad hoc, vt verborum & externæ vocis adminiculo, internum oran-
tis deſiderium accendatur & excitetur, vel ſaltem id quod mente non va-
lemus, pia verborum formula Deo exponamus. De hac ergo voce dicit
Pſaltes conſequenter:

2. *Auribus percipe orationem meam*. Quod enim auribus percipi ora-
tioni vocali congruat in Pſalmum 5. diximus. Itaque hoc loco Pſaltes tria
hæc membra coniungens, triplici voce in vnica oratione Dominum oran-
dum eſſe, vel inuocari poſſe, ſignificat. *non in labijs doloſis*. i. auribus per-
cipe illam orationem, quæ etſi labijs potius, quam affectione cordis profe-
ratur, non tamen profertur labijs doloſis. i. fallacibus. Tum autem labijs
doloſis oratur cum oratur ſine intentionis aut deſiderij ſinceritate. Quod
in primis illi faciunt, qui in oratione multiloquio vtuntur, putantes ſe iuxta
verbum Chriſti, ob multiloquium exaudiendos eſſe; cum Dominus in Ora-
tione, non verborum tumultum, ſed orantis inſtantiam, votum, aut ſaltem
intentionem ſcrutetur. De qualibus labijs dicit Dominus per Eſaiam, Popu-
lus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Qua Domini

ſententia illi feriuntur, qui cum multas præclaras orationum formulas crepant, non curant tamen iniquitates ſuas, aut odiſſe, aut corrigere, vel veram iuſtitiam apprehendere, ſed omni ea orationum caterua id videntur intendere, vt Deus, (quemadmodum de quorundam eleemoſynis notat Augustinus) in orationum earum gratiam, permittat eos peccare impunè, velitque Deus in iniquitatibus eorum, atque pietatis, quo laborant, faſtidio iuſtitiæq; languore quodammodo diſpenſare. Orant quoque labijs doloſis hypocritæ, qui orationũ ſuarũ oſtentatione pietatis & innocentię exiſtimationẽ aucupantur, cum tamen pietate & innocentia nihil minus ſtudeant habere. Deniq; & illi, qui orationes publicas celebrãt ſolius lucri cauſa; impetrare autẽ iuſtitiam ijs pro quibus orant, ne ſemel quidem cogitant, de qualibus dicit Dominus: Qui deuorãt domos viduarũ, ſimulantes longas orationes. fallunt enim hi & ſemetipſos, & fraudant eos quibus ſunt à precibus. Ench.ca 7. Et 21. de Ciui.ca.27

De vultu tuo iudicium meum prodeat, i. iudicium quod ego de me habeo, 3.
cùm probabili arbitrio iudicans me iuſtum eſſe, dixi: *exaudi iuſtitiã meam*, tu calculo tuo iudicioque aliquo à te prodeunte approba. Approbabis autem, ſi orantem exaudieris, ſic enim declarabis me gratum eſſe in conſpectu tuo, aures enim tuæ in preces timentium te, atque voluntatem timentium te facies. Huius orationis exemplum habemus in Elia, qui petiuit exauditione precum ſuarum declarari populo, ſe eſſe ſeruum Dei, quod cum fieret, prodiuit tum iudicium Eliæ de vultu Domini. *Oculi tui videant æquitates*. i. exaudiant, adiuuent preces in æquitate fundatas. Poſt hoc exponit Pſaltes Deo argumenta, ex quibus ſupra dictum de ſe ſuaque iuſtitia iudicium conceperit & dicit. 3. Reg. 18.

Probaſti. i. exploraſti tentatione, *cor meum*, tentat enim Deus, vt probet. 4.
& viſitaſti nocte. i. noctis ſilẽtio, cum ob quietem internorũ & exteriorum ſenſuum tranquilla ſunt omnia, & à perturbationibus libera, quaſi viſitationem circa me inſtituiſti implẽs erga me illud Eliu, Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum & erudiẽs eos inſtruit diſciplina, vt auertat hominem ab his quæ fecit, & liberet eum à ſuperbia, & quæ ſequuntur. Significat ergo his verbis quod Dominus cor eius frequẽter & pręſertim in noctis ſilentio, de quo ex Ambroſ. in pſal. 4. diximus, arguendo emendauerit. *Igne*, i. tribulatione, quæ vt ignis afflixit & pluribus, inter quos primus eſt D. Laurẽtius, igne inuſta eſt. *me examinaſti*, vt tribulatio infallibiliter exploraret, nũ rectitudo cordis mei, quã in me operatus eſſe credebaris, ſolida eſſet ac ſincera. Et rectè: Sicut enim vaſa figuli probat fornax, ita homines iuſtos tentatio tribulationis, inquit Sapiẽs: Idque, quia, vt docet Auguſtinus, nunquã efficacius diſcitur vtrũ homo rem aliquam diligat, niſi cum ea carẽdum eſt. Iob 33. Eccleſ 27. Lib. 11. cõf.

Et quia tribulatio, opes, honores, corporis incolumitatem, animique quietem aufert vel auferre conatur, ideo in tribulatione certiſsimè diſcitur, quo affectu homo erga ea quæ tribulatio abripit, prius tenebatur, quantumque in eo præſtet amor Dei amore ſui aut ſæculi. *& non eſt inuenta in me iniquitas.* i. tribulatione exploratus, non ſum inuentus, aut id quod amandum non eſt, diligere, aut ei quod moderatè & ordinatè diligi poteſt, amore immodico vel præpoſtero inhærere.

2. *Vt non loquatur.* q. d. hoc fructu probaſti, viſitaſti cor meum, igneque me examinaſti. *Vt non loquatur os meum opera hominum.* i. vt conſilia, mandata, iudicia quæ profero, non proficiſcantur ex adinuentionibus, quas in officina humani cordis fabricant humanæ cupiditates, ſed ſint ſincera & à falſitate libera. vt enim talia ſint, opus eſt cordis ſinceritate, quia niſi cor hominis à cupiditatibus fuerit emundatum, non facile poterit os eius ea loqui, quæ ad veram prudentiam pertinent. Eo enim caſu loquetur ea quæ pertinent ad prudentiam carnis. Amor enim ſui iudicium rectum in particulari peruertit, vt bene docet D. Thomas, Quod non ignorātes Philoſophi, docuerunt prudentiam ſine virtutibus moralibus, per quas affectus hominum mundantur, haberi non poſſe. Vel ſic, *vt non loquatur os meum opera hominum.* i. hoc fructu cor meum probaſti. vt os meum non approbet laudando vel diſsimulando aut aſſentando, opera hominum, quæ homines comminiſcuntur, ſed non vt lex tua. Quin potius. *Propter verba labiorum tuorum.* i. vt defenderem, docerem, atque hominum conuerſationem præcipiendo vel præeundo dirigerem, aut corripiendo reuocarem ad verba labiorum tuorum. i. ad tenendam obſeruandamque veritatem, quam tu ipſe labijs filij tui in Euangelio, labijsque ſanctorum tuorum per ſcripturas ſacras prædicaſti; *ego cuſtodiui vias duras.* i. aſpera multa, atque ardua cum longanimitate toleraui. Ob quæ arbitror etiam Elizæo duplicem ſpiritum poſtulanti Eliā dixiſſe: Rem difficilem poſtulaſti, quia ſi ſecundum legē & ſinceritatē ſpiritus prout oportebat ambulare vellet, multa dura difficilia & aſpera erant ei à carnalibus hominibus toleranda. Non ignorans autem Pſaltes, non eſſe in ſolius hominis quantumuis fortis poteſtate, in vijs Domini præſertim duris illis perſeuerare, orationem ſubijcit dicens,

1.2.q.58. art. 5.

3. *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis.* i. perſeuerare me fac in ceptis iuſtitiæ & fortitudinis operibus. Licet enim perfectio ſummum ſubinde iuſtitiæ gradum ſignificet, ſicut ad Philipp. non quod iam acceperim aut iam perfectus ſim. i. non quod iam ad ſummum gradum iuſtitiæ peruenerim: & licet alias ſignificet ſummū gradum innocentiæ ſicuti Iaco. 2. Qui in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. i. ſummo innocentiæ gradu præditus: Hoc tamen loco Pſaltes orans, *Perfice greſſus meos,* perpetuitatem ceptæ

Philip. 3.

virtutis

virtutis implorat. Sicut etiam quod dicitur, patientia opus perfectum habe-
re, non de virtutis summa excellentia, sed de virtutis perseuerantia intelli-
git Cyprianus, eò quod sine præsidijs patientiæ, nulla virtus perficiatur, si- *Lib. de bo-*
ue, in virtute non perseueretur, Tolle enim, inquit, charitati patientiam, & *no patient.*
desolata non durat. Et hunc loci huius sensum esse, confirmat quod sequi-
tur, *vt non moueantur vestigia mea.* q. d. perfectionem illam tribue, quæ
faciat vt non mouear a cepto virtutis itinere. hoc autem facit donum perse-
uerantiæ. Quo tamẽ munere Psaltes, præ insatiabili iustitiæ fame, non con-
tentus, pro iustitiæ incremento orationem subiungit, ad quam se præpa-
rans dicit,

Ego clamaui. i. vlterius ad te clamandi fiduciam concepi, *quoniam exau-* 7.
disti me Deus. i. quoniam prius aliquando à te, inquit Gregorius, me exau- *35. moral.*
ditum esse percepi. Augustinus autem hunc dat sensum, *Ego clamaui quo-* *cap. 2.*
niam exaudisti me. i. quod exaudisti me, id signũ est atq; indicium, me cla- *Aug. 11 de*
masse ad te. Sed expositio Gregorij magis cõuenit proposito, sequitur enim, *Ciui. c. 14.*
inclina aurem tuam mihi & exaudi verba mea. q. d. ex eo quod à te subinde
exauditus sum, fiduciam iterũ orandi cõcepi, Inclina itaq; ad me aurẽ tuam.
Quæ oratio humilitatis est. Timẽs enim iustus ne oratio eius non tantũ ha-
beat virtutis & meriti, vt possit ad diuinæ maiestatis aures penetrare, orat,
vt *Deus aurem suam inclinet.* i. inquit Ambrosius, vt Deus benignè con- *De obitu*
descendat infirmitati orantis, quo eius oratio ad Deum possit ascendere. *Theodo.*

Mirifica misericordias tuas qui saluos facis sperantes in te. i. manifesta 8.
te in misericordia non solum suauem, sed etiam mirabilem esse, & supra
consuetum miserendi modum, quædã mirabiliter præstare. Cuiusmodi mi-
sericordiam etiam Daniel petebat cùm diceret, Erue nos in mirabilibus tuis.

A resistentibus dexteræ tuæ. i. inimicis fidei atque iustitiæ, quas opera- 9.
tur dextera tua. *custodi me vt pupillam oculi.* i. tam sollicita & tuta custodia
protectionis tuæ, inquit Ambrosius, quam pupillam oculi tutissimo quo- *6. Hexam.*
dam naturæ vallo munire dignatus es. Quod ob hanc causam fecisti, quia si *cap 9.*
pupilla oculi læditur, vnico illo vulnere totius corporis lumen amittitur.
Ob eandem itaque causam, *custodi me vt pupillam oculi.* i. ab omni peccati
mortalis vulnere, quia vel vno læthali vulnere ab inimicis accepto, vita ani-
mæ & totius vitæ innocentia & integritas occiditur. Qui enim semel sic la-
psus est, etsi post lapsum iustitiam denuo acquisierit, totius tamen vitæ in-
nocentiam & integritatem irreparabiliter perdidit. ita vt hac de re scriptum
esse videatur, Deus mundans non faciet innocentem, qui enim à lapsu in- *Nahum 1.*
dulgentiam consecutus est, reus est propriæ conscientiæ, inquit Hierony- *Hie. 1. adu.*
mus, quia conscius sibi manet transacti peccati. *Pelag c. 11*

Sub vmbra alarum tuarum. i. occulta virtute aut prouidentia protectio- 10.

nis tuæ, *protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt*, ne ad impietatem eorum importunitate ſeducar.

11. *Inimici mei.* Quæ ab hoc loco vſque in finem à Pſalte dicuntur, videntur præcipue perſonæ Chriſti competere, Qui dicit, *Inimici mei animam meam circundederunt*, vndique quærentes occaſionem auferēdæ mihi vitæ, *adipem ſuum concluſerunt.* Sicut Adeps cum in bonum ſumitur abundantiam iuſtitiæ, ita cum in malum ſumitur animæ vberem malignitatem importat. hunc itaque *adipem concluſerunt*, quia à cordibus omnem repellere ſtudent admonitionem vel correptionem, quæ iniquitatem illam corrigat vel diminuat. *Os eorum locutum eſt ſuperbiam*, quia cum irriſione ſpreuerunt conſilium Dei & iuſtitiam eius.

12. *Proijcientes me* extra vineam ſeu extra ciuitatem Ieruſalem, *nunc circundederunt me*, cum circa crucem Domini ſedentes ſeruabant Chriſtum, *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, quia cum Senioribus, qui Suſannam violare & occidere cogitabant, ex propoſito auerterunt oculos ſuos, ne viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.

13. *Suſceperunt me*, cum à Pilato voluntati eorum traderer, *ſicut leo paratus ad prædam.* i. ſæuo & feroci animo quem iamdiu ante conceperant & aluerant, *& ſicut catulus Leonis habitans in abditis*, quia Iudæi à minimo, qui per Catulos Leonum ſignificatur, vſque ad maximum crudeli animo ad deuorandum Chriſtum parati fuerunt.

14. *Exurge Domine præueni eum.* populum ſcilicet ferocem morti meæ inhiantem. hoc autē fecit Deus, cum Chriſtum adhuc paruulum in Ægyptum deferri mandauit, tum enim Herodis gladium ne Chriſtum interimeret præuenit, *& ſupplanta eum.* i. decipe eum. quod fecit Deus, cum permiſſa Iudæis poteſtate occidendi Chriſtum, eos tali permiſsione decepit, quia per mortem Chriſti, gloriam eius quam ſic extinctam iri cogitabant, magis illuſtrauit. *Eripe animam meam.* i. vitam meam corporalem, *ab impio*, vt non diu permaneat in morte, quam ei impij intulerunt. *frameam tuam.* i. animam meam, quæ framea tua tuúſve gladius eſt, cuius miniſterio (poſuiſti enim os meum vt gladium acutum) multos ſalubri compunctionis vulnere ſauciaſti, *ab inimicis manus tuæ*, ſupple eripe, vt per eos, qui operibus iuſtificationum tuarum aduerſantur, framea tua hæc ab officio ſuo non impediatur. Quæ oratio etiam conuenienter funditur pro liberatione eorum, qui cùm ſaluti hominum procurandæ ſint idonei, ab inimicis iuſtitiæ in vinculis, aut latebris, aut ſilentio detinentur, ne miniſteria ſalutis exerceant.

15. *Domine à paucis.* i. electorum, qui pauci ſunt, numero, *de terra*, viuentium ſcilicet, quæ in hoc ſæculo eſt Eccleſia Dei viui, *diuide eos.* i. ſepara Iudæos, *in vita eorum*, vt pro meritis ſuis, etiam dum hîc viuunt, videantur

à te esse deserti & abiecti. Prædicit enim his verbis Christus iustum Dei iudicium, quod Iudæis ob Christum occisum obuenit, *de absconditis tuis* iudicijs scilicet, *adimpletus est venter eorum*, quia occulto Dei iudicio traditi sunt in desideria cordis eorum, vt sicut desiderauerãt, impleant inquit Apostolus, peccata sua semper, & nescierunt illam peccandi libertatem ex 1.Thess.2.
occulta Dei ira, quæ peruenit super eos, iuxta eundem Apostolum, prouenire, & ad magnam eorum miseriam pertinere.

Saturati sunt filijs. i. inquit Augustinus, malis operibus pro suis deside- 16.
rijs ad satietatem vsque operam dederunt, *& dimiserunt reliquias suas par-* Epist.59.
uulis suis, quia nequitiam, quam ipsi morte superueniente relinquere coacti q.1.
sunt, paruulis suis qui à teneris annis nequitiam patrum imbiberunt, velut hæreditaria traditione prosequenda dimiserunt. Aut *reliquias suas* i. pœnas & supplicia sua in posteros transmiserunt, dixerunt enim: Sanguis eius super nos & super filios nostros.

Ego autem. Competit hæc vox Christo in persona fidelium suorum, qui 17.
dicunt: *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo.* q. d. hoc mihi curæ est & solatio inter omnes præsentes vitæ aduersitates & contradictiones, vt coram oculis tuis aliquando in iustitia apparere, atque ab ijsdem iustus iudicari valeam, qui in oculis aduersariorum meorum in hac vita reprobus esse videor. *satiabor*. i. saturitatem animæ, quam impij in hac vita præpropere præripiunt, ego in illud tempus cum patientia differo, *cum apparuerit gloria tua*. i. manifestata mihi fuerit essentia tua. Eius enim manifestatio, & indefessum sui desiderium, & ipsius desiderij plenissimã adfert saturitatem.

PSALMVS XVII.

In finem puero Domini Dauid, qui locutus est Domino verba cantici huius, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit.

SCribitur hic Psalmus, vt testatur Hieronymus, Christo, qui est de Prefat.in
semine Dauid, qui propter animi innocentiam, humilitatem, atque li 17.tom.
obediendi promptitudinẽ puer frequẽtius dicitur, vt apud Esaiam: in Esaiam.
Ecce puer meus suscipiam eum. *In die qua liberauit eum Dominus de manu* Cap 44.
omnium inimicorum suorum, clamantium inquit Hieronymus, crucifige, crucifige, *& de manu Saul*. i. Mortis inquit Augustinus, quæ reliquis omni- Prefat.in
bus inimicis postponitur, quia nouissima omnium inimica destruetur mors, psal.52.
Vel, de manu Saul. i. inferni inquit Hieron. quando videlicet Christi anima ex morte & inferis resurrexit. Vt vt est, in hoc Psalmo Christus loquens introducitur & gratias agit Deo Patri, subinde in persona capitis, pro gratia vnionis qua verbum caro factum est, & deuicta morte glorificatum, &

pro victoria quam ipse consecutus est, subiectis sibi per veram religionem multis infidelibus, idque non obstantibus Iudæorum contradictionibus. Subinde vero transfigurat Christus in se personam sui corporis, quod est Ecclesia, atque in se præscribens Ecclesiæ, quæ gratiarum actiones pro sui sanctificatione Deo sibi offerendæ sint, in ecclesiæ nomine gratias agit pro beneficijs, per quę ipsa à morte peccati & faucibus inferni erepta est, dicitq;.

1. *Diligam te Domine.* i. diligendus mihi es Domine. Dilectio enim est, quam Dominus pro suis vniuersis beneficijs à nobis requirit, Ideo enumeratis quā plurimis beneficijs populo Israelitico à Deo exhibitis, dicit Moy-

Deuter. 10. ses: Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & diligas eum? *Fortitudo mea.* i. cuius gratia & adiutorio fortis sum & ad virtutum opera validus. Causam vero huius vicissitudinis, qua Deo dilectionem retribuit, subijciens, enumerat in principio primaria & generalia Dei erga humani generis salutem beneficia dicens, *Dominus firmamentum meum*, quia per prædestinationem secundum suum propositum firmissimum iustificationis atque perseuerantiæ nostræ fundamentum, seipsum præbuit, *& refugium meum*, quia facit me ad se confugere. Bene autem tum hîc tum Psal. 70. refugiū firmamento postponitur, nisi enim in Deo pręcederet. propositum hominem vocandi atque ad se cōuertendi, & nisi Deus hominem per gratiam secundum propositum præueniret, nunquam homo à lapsu ad Deum refugeret vel se conuerteret, *& liberator meus* à malis paulo post enumerandis.

2. *Deus meus adiutor meus*, adiuuans me in bonis, *& sperabo in eum.* Experientia enim accepti auxilij spem hominis corroborat, & excitat ad maiora & vlteriora auxilia speranda.

3. *Protector meus* contra mala, *& cornu salutis meæ.* i. propugnator, multos inimicorum insultus priusquam me impetant, à me auertens. Significatur enim his duobus membris, duplex diuinæ protectionis genus. Alterum, dum Deus auxilio suæ gratiæ protegēdo eos corroborat qui oppugnantur, ne superentur. Alterum, cum auertit seu prohibet inimicorū conatus, ne ab ijs infirmi tangātur, vel ne impetantur supra quàm possunt sustinere. De quo

Cap. 26. vtroque protectionis genere Esaias: Vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur in ea murus, faciens Sion impetum insuperabiliter sustinere, & Antemurale, impetū ne accedat, à Sion auertens & prohibens, *& susceptor meus*, qui me gratia sua præuentum ad se confugientem, pro voto suscipit, sic vt nunquam ad eum confugiam, quin gratiam inueniam in auxilio oportuno. Addo autem per gratiam suam, vt vitem expositionem Cassiani,

Con. Colla. cap 38. qui, vt testatur Prosper, docebat Deum susceptorem dici, eo quod eos qui opem diuini auxilij spontanei cursus feruore præuenirent, in gratiam susciperet.

peret. Hanc enim Cassiani expositionem, discipuli Euangelicæ Apostolicæq; doctrinæ, inquit Prosper, horrescunt. contrariatur enim scripturæ quæ dicit; Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et: *Ioan.6.* Quis est iste qui applicet cor suum vt appropinquet mihi? Magni autem be- *Ierem.30.* neficij loco ducendum est, quod Deus hominem per gratiam ad se confugientem pro voto suscipiat, & ob id inter cætera Dei beneficia etiam susceptoris nomen Deo tribuitur.

4. *Laudans inuocabo Dominum.* Inuocatio enim vt ordinata sit, à laudibus Dei debet inchoari, vt docet Ambrosius, ab exemplo orationis Dominicæ, *6. de Sacramen. ca. 5.* cuius initium, *Pater noster*, ad Dei laudem pertinet. Qui enim orationem suam absolute à petitione orditur, is declarat se necessitate vrgeri ad orandum, inquit Basilius: Qui verò ante orationem diuinis laudibus incumbit, *Constit. monast. ca. 2.* Deum se amare testatur. Itaque ad suscipiendam istiusmodi orationem Deus propensior est, vt docet Augustinus, Deus enim diligentes se diligit, *& ab* *In psa 104* *inimicis meis* animam meam persequentibus, *Saluus ero*. Et quidem quæ hactenus explicata sunt, vnicuique iustorum sunt dicenda, eique ratione personæ ipsius competunt. Quæ vero sequuntur, conuenienter à pœnitentibus aut à iustis per compaßionem in persona pœnitentum, & omnium qui adhuc in captiuitate sunt, deplorantur in hæc verba,

5. *Circundederunt me dolores mortis.* Significatur hic captiuitas generis humani in vinculis mortalitatis. q. d. stimuli, labores, atque dolores mortalitatis, qui frequentes gemitus excitant, genus nostrum vndique circumsteterunt, *& torrentes iniquitatis*, id est, peccata in modum torrentis magno impetu atque abundantia vndique vitio hominum irruentia, de quibus torrentibus Ozeas, Maledictum, mendacium, homicidium, furtum & adul- *Cap.4.* terium inundauerunt. *conturbauerunt me*, pacem præsentis vitæ atque futuræ pacis expectationem à me exterminauerunt. Et hæc est captiuitas generis nostri sub peccato.

6. *Dolores inferni circundederunt me*, quia genus humanum torrente iniquitatis obrutum, doloribus inferni certissime, & quantum ex ipso est ineuitabiliter est obnoxium, quæ est captiuitas generis humani sub lege & obligatione æterni supplicij, *præoccupauerunt me laquei mortis*, id est, furtiua vincula mortis vtriusque, videlicet tam temporalis quàm æternæ, per peccatum originale me præoccupauerunt, quia ante omnem actum proprij arbitrij me sub peccato illo & morte, quæ cum peccato in omnes homines vna pertransijt, captiuum detinuerunt. Quæ vincula voco furtiua, quia Ber- *In Psal.6.* nardus supra citatus, ratione peccati originalis dixit, furtim sublatus sum.

Et in tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui. 7.

Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in con- 8.

ſpectu eius: introiuit in aures eius. Hic vox eſt Chriſti Mediatoris, qui cõſiderata prædicta ſui generis captiuitate, eidem magna ſui ſpiritus tribulatione condoluit, & ex tribulatione illa, Deum Patrem pro eiuſdem generis liberatione atque ſalute inuocauit. Qui vocem filij ſui de tam ſancto humanitatis ſuæ templo magnis meritis ad ſe clamantem non repellens, è cæleſti ſede ſua ac beato ſuo tẽplo benignè exaudiuit. Quid autem exaudiendo præſtiterit ei, deſcribit in ſua perſona loquens Pſaltes per verba ſequentia in hunc modum:

9. *Commota eſt & contremuit terra*, In quibus verbis cum dicitur terram, propter inuocationem immediatè præcedentem eſſe commotam, & terræ nomine intelligẽdus ſit iuſtificandorum numerus per orbem terrarum diffuſus, merito interpretati ſumus præcedentem inuocationem Chriſti eſſe, quia pro toto terrarum orbe exorare, ſolius Chriſti eſt & diuinæ perſonæ. Nihil enim eſt, inquit Ambroſius, quod magis vltra humana eſſe videatur, quam toto vnum ſe obtuliſſe pro mundo. Itaque *commota eſt & contremuit terra*. quia poſtquam Chriſtus pro genere humano exorauit, electi per orbem terrarum diſperſi, per ſpiritum timoris, horrore imminentis ſibi damnationis tremefacti, ad accipiendam iuſtificationis gratiam ceperunt commoueri. *fundamenta montium*. i. dæmones quorum adminiculis atque patientiæ altitudo ſæculi atque ſæcularium innitebatur, *conturbata ſunt & commota ſunt*, quia dæmones Chriſto orationis ſuæ effectum pro nobis conſequente, priſtina poſſeſsione atque tyrannide amoti ſunt. *quoniam iratus eſt eis*. i. indignè tulit Deus, genus humanum à ſe conditum à dæmone poſsideri.

Libr. 5. in Lucam.

10. *Aſcendit fumus in ira eius*. i. datus eſt hominibus pœnitentiæ planctus inquit Bern. Isque deſignatur per *fumum* in ira Dei aſcendentem, tanquam effectus per cauſam, quia planctus pœnitentiæ Deo adiuuante concipitur ex contemplatione æternorum ſuppliciorum, quorũ fumus, ſecundum Iſaiam, aſcendit in ſęcula ſæculorum, *&*, ſcilicet poſt pœnitẽtiam ex timore gehennæ conceptam, *ignis*. i. Charitas, *à facie eius exarſit*. i. à præſentia Dei ſuccenſa eſt in eis, non enim diffunditur Charitas in cordibus noſtris, niſi per inhabitantem ſpiritum Dei in nobis, *carbones ſuccenſi ſunt ab eo*. Carbones, ligneæ aut terreæ glebæ ſunt, in quibus ignis quo arſerant extinctus eſt, ſic tamen vt habiles ſint & idonei denuo igniri; Per quos ſignificatur genus humanum, quod in prima ſua intregritate fuit charitatis igne ſuccenſum, ſed per ſuperfuſam iniquitatẽ ardore ille reſtincto, eſt ad amiſſum ardorem, diuini ſpiritus afflatu denuo recipiẽdum, habile atq; idoneum, *Carbones* itaque *ſuccenſi ſunt ab eo*, quia per Dei ſpiritum, extinctam ab origine charitatẽ genus humanũ in multis iterũ accepit. Quod vt conuenienter fieret.

Bernard. in ſent

Inclina-

Inclinauit, ſcilicet Dei filius, *cælos*. i. cæleſtem ſuam ſublimitatem, *&* *deſcendit*. i. humanam naturam aſſumpſit; ita vt his verbis idem dicatur quod Christus in Euangelio: Ignem veni mittere in terram. Quod enim hîc dicitur, Ignis à facie eius exarſit, Inclinauit cælos, & deſcendit, quo pertinet niſi ad inſinuandum idem: quaſi diceret Chriſtus; Deſcendi in terram, vt in ea ignem charitatis accenderem? *Et*, ſupple, per hanc Dei deſcenſionem *caligo*. i. obſcura eius facta eſt cognitio *ſub pedibus eius*. i. in hominibus terræ incolis. Quæ terra dicitur eſſe ſub pedibus eius, quia Eſaiæ 66. terra dicitur eſſe ſcabellũ pedum Domini. Infima enim eſt inter elementa, ad quam tamen diuinæ præſentiæ virtus ſe extendit. In his ergo hominibus facta eſt caligo, quia per Chriſti incarnationem cognouerunt Deum in carne latentem, ac ſi quis videret ſolem in nube, inquit Bernard. 11. Serm 10. in Cant.

12. *Et aſcendit ſuper Cherubim*, id eſt, expleto tempore diſpenſationis ſuæ, quam eum facere conueniebat in ſua humilitate, ſuper omnes choros angelorum ſe ſecundum ſuam humanam naturam exaltauit. *Et volauit*, quia non curru igneo vt Elias, i. non Angelico remigio quaſi ſibi ad aſcendendum neceſſario, ſed propria ſua virtute ardua illa conſcendit & penetrauit. *Volauit ſuper pennis ventorum*. i. alas Angelorum. Qui venti dicuntur, aut ob nominis communionem (Vt enim Angeli ita & venti ſpiritus dicuntur) aut ob tenuitatem ac velocitatem quam habent Angeli cum ventis communem, aut alia quapiam de cauſa. Per alas autem Angelorum, ſi Dionyſio Areopagitæ credimus, ſignificatur potens Angelorum virtus, qua omnibus modis ad id quod verè eſt, feruntur. Super has autem Angelorum alas is qui prius deſcenderat volauit: Sua enim ſe virtute ad dexteram Dei Patris, ſiue ad conſortium gloriæ ſuæ diuinitatis ſe ſecundum ſuam humanitatem ſubuexit. Quæ diuinitas eius ſublimitatis eſt, vt ad eam compræhẽdendam Angeli per alas ſuas ſiue volatum ſuum pertingere non poſsint. Propter quod deſcribuntur Seraphim habuiſſe ſex alas, & duabus velaſſe facies ſuas, & duabus pedes, vt intelligamus, ſacratum hunc ordinem, inquit Dionyſius, ea quæ in Deo celſiora, & intelligentijs ſuis profundiora ſunt reuereri. Medijs verò alis modicè ad Dei ſpeculationem ferri, diuinis lancibus propriam ſubijciendo vitam, à quibus ad ſui notionem promouetur. De Eccleſ. Hierar. ca. 4. part. 3. Iſaia 6.

Et poſuit tenebras latibulum ſuum. Quicquid in tenebris eſt, inuiſibile eſt. Dicitur itaque Chriſtus tenebras poſuiſſe latibulum ſuum, quia ſe recepit ad gloriam ſuæ diuinitatis, cuius naturæ eſt non videri, inquit Ambr. & Auguſt. & tamen quia, teſte Ambroſio, voluntatis diuinæ eſt videri, addit Pſaltes, *in circuitu eius tabernaculum eius*. i. ordo angelorũ, qui tabernaculum eius montemque ſanctum inhabitant. Idque vt ipſo, tametſi natura ſua inuiſibili, per voluntatem tamen ſuam ſemetipſum manifeſtante, contempla- 13. Libr. 1. in Lucam. Epiſt. 112.

templatione diuinitatis eius omnes pariformiter & concorditer fruantur. Quia tametſi poſuerit tenebras latibulum ſuum, non tamē hominibus prorſus incognitus manſit. Vt enim homines etiam tempore huius mortalitatis nonnullam inuiſibilis Dei cognitionem acciperent, prouidit Deus, vt ſit *tenebroſa aqua in nubibus aëris*. i. vt ſint prædicatores veritatis (paßim in Scripturis ſacris nubibus comparati) qui comparatione angelicę cognitionis, obſcuram diuinitatis in ſe notitiam & doctrinam habeant, eamque in mentes hominum ad concipiendam diuinitatis cognitionem tanquam ſalutarem quandam pluuiam effundant. Ea tamen doctrinæ ratio ad tempus tantum conceſſa eſt, quia

14. *Præ fulgore in conſpectu eius*. i. cum ex hac obſcura nube peruentum fuerit ad claram cognitionem conſpectus atque diuini vultus eius, tum *nubes tranſierunt*, quia officium obſcuræ prædicationis quam fecerint nubes in hac vita, tum tranſierit, nec vſum ſuum amplius habebit, quia iuxta Ieremiam & expoſitionem Auguſtini, tempore illius manifeſtationis non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, Cognoſce Dominum, quia opus non erit, Omnes enim à maiore ad minimū immediatè cognoſcent Dominum, *grando*. i. increpatio, quæ prædicationi veritatis ſubinde iungitur, ſupple, tranſibit etiam tempore illius manifeſtationis, quia in illo beatitudinis loco, vbi obedientia eſt ſumma, locus non erit increpationi, Et bene increpatio grandini comparatur, quia vt lapilli grandinis, ita grauia & dura audientibus efficiuntur verba increpationis, *& carbones ignis*, ſupple tranſierunt, cum peruentum fuerit ad fulgorem vultus eius, quia vt ibi nō docebit vnuſquiſque proximum ſuum, cognoſce Dominum; ita etiam vnuſquiſque ibi per ſuam charitatē atque feruorem, vt in hac vita fieri ſolet, non accendet principaliter proximum ſuum in amorem Dei, quia charitatem illius vitæ in ſingulis, æternus ignis conſpectæ Diuinitatis immediatè accendet inflammabitque. Dixi, vt in hac vita fieri ſolet. Neſcio enim, inquit Auguſtinus, quomodo amplius in ipſius formæ charitatem excitamur, per fidem qua credimus vixiſſe ſic aliquem: & ſpem, qua nos quoque ita poſſe viuere, ex eo quod aliqui ita vixerunt, minimè deſperamus: Vita enim iuſtorū in paris iuſtitiæ formam flagrantiorē excitat charitatem. Itaq; quia ob id quod iuſti in hac vita per charitatem qua feruent frigida aliorum corda Deo cooperante ſuccendunt, rectè dicuntur carbones ignis hîc in vſu eſſe, ita quandoquidem in illa vita omnes immediatè ad dilectionem inflammandi ſunt ab igne Spiritus ſancti, ideo rectè ibi dicuntur carbones ignis, quoad vſum videlicet priſtinum tranſituri. Cæterum poſtquam obiter declaratum eſt, quo tempore miniſterium prædicatorum veritatis ceſſaturum ſit, redit Pſaltes ad proſequendum quod ceperat, pergitque explicare quod etiam aliis

Cap. 32. De ſpiritu & lit. c. 24

8. De Trin. cap 9.

alijs modis, quam per tenebroſam aquam in nubibus aëris, Deus naturâ licet inuiſibilis ſemetipſum in hoc mundo manifeſtum fecerit, dicitque;

Et. i. præter hoc, quod Deus tenebroſam aquam in nubibus aëris ad 15.
communicãdam hominibus ſuæ diuinitatis notitiam dederit, inſuper *intonuit de cælo Dominus, & altiſsimus dedit vocem ſuam*. Hoc in primis factum eſt in mõte Sina cùm lex daretur; Tum enim, vt teſtatur Exod. Deus tonitrua audiri fecit, & ipſe decem præcepta articulata voce, non quam de ſuis viſceribus eduxit, ſed quam ſua virtute in aëre formauit, locutus eſt. Factũ eſt hoc & in nouo teſtamento, cùm baptizato Chriſto, de cælo vox Patris fieret: Hic eſt filius meus dilectus. Et apud Ioannem, cùm diceret Pater Chriſto, Et clarificaui, & iterum clarificabo; tum enim verè Dominus intonuit, quia populus circumſtans hac voce audita, dicebat, Tonitruum eſſe factum: Intonuit quoque de cælo Dominus, & dedit vocem ſuam in die Pentecoſtes, cùm factus eſt repente de cælo ſonus, factaque ea voce conuenit multitudo. Item cùm Paulum de cælo vocauit. Quæ duæ poſtremæ intonationes, hîc propriè denotantur. *grando & carbones ignis*. q. d. vna cum grandine & carbonibus ignis de cælo intonuit Dominus, quia in die Pentecoſtes factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, apparuerũtque Apoſtolis diſpertitæ linguæ tanquã ignis. Cap. 19 & 20.

Et. i. poſtquam baptizato Chriſto, & in die Pentecoſtes de cælo intonuit Dominus, & vocem ſuam dedit, *miſit ſagittas ſuas*. i. Chriſtum, in cuius perſona dicit Eſaias, Poſuit me quaſi ſagittam electam; miſit inquam cum voce delapſa de cælo poſt eius baptiſmũ, ad prædicandum. Præcepit enim hominibus Ipſum audire. Miſit & Apoſtolos eius, de quibus Pſalm. Sicut ſagittæ in manu potentis, quorum prædicationibus velut quibuſdam ignitis iaculis corda hominum ſalubriter compuncta atque transfixa ſunt, verbaque Dei homines in cordibus ſuis gerere ceperunt, quaſi ſagittas acutas. *Et diſsipauit eos*, quia ſagittis ſuis nunc hunc nunc illum ad veram religionem conuertendo, colligationem impiorum diſtraxit multumque diſſoluit. *Fulgura*. i. miracula *multiplicauit, & conturbauit eos*, infideles ſcilicet: viſis enim tot miraculis, etiam illi qui credere noluerunt, conturbati ſunt, timentes miraculorum multitudine euenturum eſſe, vt veritas fidei principatum vbique obtineret. Huius turbationis exemplũ habemus Ioannis 11. vbi Pontifices & Phariſæi multitudine miraculorum Chriſti conturbati, collegerunt Concilium & dixerunt, Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit, &c. 16. Cap. 49.

Et q. d. per vocem Dei de cælo intonantis adhuc aliud quid euenit, quia 17.
per eam *apparuerunt fontes aquarum*, i. Eccleſiæ apparuerunt atque innotuerunt aliqui, è quibus tanquam quibuſdam fontibus doctrina euangelica

Cap 12 primum ſcaturiuit; De quibus fontibus Eſaias: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. & in Pſal. 67. In Eccleſijs benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael, ibi Beniamin adoleſcentulus. i. inter eos Paulus Apoſtolus, de quo hic Pſalmi locus peculiariter eſt intelligendus. *& reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum.* i. fundamenta Eccleſiæ per orbem terrarum diffuſæ, quæ fundamenta Apoſtoli ſunt, eo quod eorum authoritati & prædicationi fides Eccleſiæ incumbat & roboretur, vt docet Cyrillus, hunc Pſalmi locum explicans. In cap. 12. Iſaiæ.

18. *Ab increpatione tua Domine*, quam de cælo audiri feciſti, ſupple *apparuerunt fontes aquarum.* quod manifeſtè factum eſſe ſcimus in conuerſione Pauli, quem Dominus de cælo intonans, voce ſua increpauit, dicens: Quid me perſequeris? & in fontem aquarum conuertit. Similiter Dominus voce ſua cælitus emiſſa, Paulum reuelauit futurum fundamentum orbis terrarum, cùm dixit, Vas electionis mihi eſt iſte, vt portet nomen meum corã regibus & filijs Iſrael. Sed ne increpatio hæc conuerſionẽ & abundantiã Paulini pectoris ſola operata eſſe videretur, ſubijcitur *ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ*, quem vt eum in nouum hominem transformares, vna cum externa increpatione, interius abunde ei inſpiraſti. dicitur autem *ſpiritus iræ diuinæ*, quia per donum Spiritus ſui Deus notitiam iræ ſuæ ei inſpirauit, & inſpirato ſimul eiuſdem iræ ſuæ timore, ſpiritum ſalutis eum concipere & parturire fecit. vnde etiam Paulus tremens & ſtupens dixit, Domine quid me vis facere. His ergo modis Deus naturâ inuiſibilis ſemetipſum tum Angelis tũ hominibus manifeſtauit. Inter quos vocatio Apoſtoli Pauli peculiariter recenſetur, quia in ea Deus peculiari modo ſe reuelauit & manifeſtauit. Poſt hæc verò in perſona Chriſti ſermonem repetens Pſaltes, fusè ſatis cum gratiarum actione enarrat gratiam, per quam Eccleſia ſanctorum ex mortuis ad vitam aſſumpta eſt. De qua gratia B. Apoſtolus; Quæ aſſumptio niſi vita ex mortuis? inter quæ licet quædam ſint quæ Chriſto vt Eccleſię capiti conueniant, quia & ipſe aſſumptus eſt, ſicut teſtatur Pſal. 88. Domini eſt aſſumptio noſtra & ſancti Iſrael Regis noſtri; complura tamen conueniunt Chriſto ratione Eccleſiæ ſeu corporis ſui, dicit itaque:

19. *Miſit*, ſupple Deus pater, *de ſummo.* i. de ſummæ miſericordiæ & charitatis ſuæ in genus humanum propoſito, miſit autem filium ſuum ſecundum diuinitatem: Vel, *de ſummo*, quia à ſummo cælo egreſsio eius. *& accepit me* ſecundum humanam naturam ad perſonæ diuinæ dignitatem. *& aſſumpſit me* ad prædictam dignitatem, *de aquis multis.* i. ex alijs hominibus me eò dignitatis ſingulariter euexit. Ideo dicit Sapiens; virum ex mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni, quia ex ſexu virili, vnicus ille homo qui dicitur Ieſus ſecundum humanam naturam in filium Dei incomprehenſibili Eccles. 7.

bili modo, quem intelligere adhuc quærebat Sapiens, assumptus fuit, &
nulla omnino mulier. Hic tamen versiculus etiam à singulis electis veraciter
dici pôtest, ad singulos enim electos misit Deus spontanea sua bonitate, de
summa bonæ voluntatis suæ arce gratiam Spiritus sancti, per quam eos ad
vitæ initium vitæque complementum assumpsit, idque de aquis multis, quia
ex multis, quos ingredi dimisit vias suas, electos suos selegit atque singula-
ri virtute vocauit.

Eripuit me. i. ecclesiam meam *de inimicis meis fortissimis.* i. diabolo & 20.
angelis eius, *& ab his qui oderunt me.* Sunt enim dæmones etiam in pecca-
tores, inimico animo, quia damnationi eorum inhiant. *quoniam confortati*
sunt super me, potentiores me erant. Ideo etiam dicit Apostolus, Qui eri-
puit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnũ dilectionis filij sui.

Præuenerunt me, scilicet inimici mei, *in die afflictionis meæ* qui est dies 21.
natiuitatis vniuscuiusque: Ille enim dies ad afflictiones varias introitum no-
bis præbet, quod tacita quadam naturæ prouidentiâ, inquit Cyprianus, & *De bono patient.*
approbat Augustinus, ploratus infantis recenter nati futurorum incommo- *Aug. 21. de*
dorum augur testatur. Præueniunt itaque nos inimici in die afflictionis, *Ciu. ca. 14.*
quia antequam in lucem edimur, iamdudum ab ipsa videlicet animæ ratio- *Tert. de anim. ca. 19*
nalis infusione sub diaboli redigimur potestatem. *& factus est Dominus*
protector meus. i. Dominus, re quãtum in me erat desperata, sponte sua cu-
ram mei suscepit.

Et eduxit me de angustijs captiuitatis sub peccato & seruitutis sub dia- 22.
bolo. *in latitudinem* per quam Charitas in Scripturis sacris communiter de-
signatur, eo quod ipsa, vt docet Augustinus, per bona opera quaqua ver- *Epist. 120. cap. 25.*
sum potest se exerceat. *Saluum me fecit.* i. in salutis statum me constituit,
atque postmodum ad æternam salutem me perduxit. *quoniam voluit me.*
i. quoniam ita facere ipse proposuit. Quibus verbis voluntas Dei exprimi-
tur non vt vnica, nam & nos saluos fecit quia eius ope & nos salui fieri vo-
luimus, sed vt primaria & potissima nostræ iustificationis & salutis causa.
Dicit proinde Augustinus, Ideo sancti bene agere possunt, quia sic volunt, *Cap. 12. de corr. & gr.*
ideo autem volunt, quia Deus in ijs operatur vt velint.

Et q. d. tametsi Deus saluum me fecit quia voluit me, nihilominus ta- 23
men *retribuet mihi Dominus.* q. d. tam augustæ bonitatis est Dominus, vt
sua in me munera insuper adhuc præmio afficere proposuerit. de qua diuinæ *Ser. 13. de ver. Apost.*
bonitatis amplitudine Augustinus: Misit Saluatorem, misit qui gratis sana-
ret, parũ est qui gratis sanaret, misit qui sanatis etiam mercedem daret. Ni-
hil addi ad istam beneuolentiam potest. Quis est qui dicat, Sanem te & do
tibi mercedem? optimè facit. Hæc Augustinus. *Secũdum iustitiam meam &*
secundum puritatem manuum mearum. Iungit iustitiæ manuum puritatem,

n ij i. exer-

i. exercitationem operum immaculatorum, quia nec sola iustitia quæ est habitus mentis ab inhabitante Spiritu sancto in homine diffusus, meretur mercedem quæ stipendium est operis, nec opera ab omni etiam peccati labe libera merentur æternam mercedem absque iustitia, è qua educantur; sine iustitia enim non habent opera æternæ vitæ competentē & condignum valorem. Dicebat proindè Apostolus, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. In quibus verbis quia & operum mentionem facit & iustitiæ, non obscurè indicat Coronam non deberi nisi exercitæ iustitiæ. Quæ Corona non solum dici debet dari operibus, sed etiam bene operanti. dicit namque Psaltes, *Retribuet mihi.* & Apostolus, Reposita est mihi corona iustitiæ. Idque quia homo ad bene operandum non sine diuino adiutorio aliquid etiam de suo adfert exercitio iustitiæ, ipsos inquam actus liberi sui arbitrij. Propter quod Apostolus, Plus omnibus laboraui, non ego, sed gra-
Epist.143. tia Dei mecum. Et etiam Diuus Augustinus, ob hanc causam admittit opera virtutum dici posse aliquantum, siue aliquatenus esse ex homine, nullo tamen modo dici debere non esse nisi ex homine. Vt itaque Psaltes rationem redderet, ob quam dixit sibi retribuendum esse à Domino secundum iustitiam suam, &c. enarrat in persona iustorum consequenter quot modis ipse per liberum arbitrium gratiæ Dei sit cooperatus. Dicitque:

24. *Quia custodiui vias Domini.* q. d. Dico quia retribuet mihi Dominus, *quia custodiui.* i. quia ego mea voluntate vna cum diuinæ gratiæ ope mandata eius obseruaui, *nec impiè gessi à Deo meo.* i. deserto Deo aut repudiata Dei gratia, ad iniquitatem etiam mea sollicitudine me non conuerti.

25. *Quoniam.* i. ideo autē impiè non egi à Deo. *quoniam omnia iudicia eius,* quibus & bonis præmia, & malis supplicia decreuit, *in conspectu meo.* i. ob oculos mihi mea etiam vigilantia versantur, *& iustitias eius.* i. iustas retributiones eius, *non repuli à me,* vt aut iniquitatem impunitam, aut iustitiam irremuneratam opinatus, ad libitum viuerem, futuræ retributionis incurius.

26. *Et ero.* i. quia iustitias eius non repuli à me, hanc mihi vtilitatem futuræ retributionis consideratio adferet, vt esse studeam *immaculatus cum eo,* idque tum per bonorum operum munditiem, tum per sedulam quotidianorum peccatorum emundationem, *& obseruabo me ab iniquitate mea.* i. vigilantem curam & obseruantiam adhibebo, ne ad iniquitatem seducar.

27. *Et retribuet mihi Dominus.* q. d. quia hæc omnia sic per Dei adiutorium egi, vt eadem etiam mea volūtate egerim, ob hoc *retribuet mihi Dominus.* i. retributio quam ei facere placet muneribus suis, etiam mihi obueniet. *Secundum iustitiam meam: & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.* Hinc manifestum euadit falsum esse quod hæretici dicunt,

dicunt, Opera nostra bona iudicium Dei sustinere non posse; Quid enim per conspectum oculorum Dei aliud quàm Dei iudicium significatur? Si ergo retribuit secundum nostram iustitiam ante conspectum oculorum eius, igitur opera nostra iudicio Dei iusta sunt & immaculata.

Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Tametsi 28.
Tertull. intelligat his versibus moneri vnumquemque nostrum bonorum hominum consuetudinem sectari, malorum verò fugere, eò quod bonorum consuetudo probitatis prouentum operetur, malorum verò scandalum: tamen Diuus Bernardus, & Augustinus, & alibi ipse Tertullianus intelligunt hîc sermonem ad Deum fieri, vt sit sensus, *Cum sancto sanctus eris*, id est, qualem se quisque tibi præparabit (Bernardi verbis vtor) talis tu ei apparebis, sanctis sanctus, innocentibus innocens, amantibus amans, vacantibus vacans, & sic de reliquis. Id autem vsque adeo verum est, vt etiam Philosophus dixerit, Qualis quisque est, talis & finis illi videtur. Quamquam igitur Diui Bernardi expositionem in eo probemus, quod intellexerit hîc sermonem ad Deum dirigi, tamen quod dicitur Deo, sanctus, innocens, electus eris, propriè intelligendum esse videtur, non de eo quod Deus talis appareat, sed quod se sanctis sanctum, innocentibus innocentem siue innocuum exhibeat; idque quia hactenus de Retributione fuit sermo, vt intelligatur Deum non solum pro meritis mercedem, sed etiam pro dispositione hominis gratiam in pluribus dispensare. Est itaque Deus cum Sanctis sanctus, cum Innocentibus innocens, cum Electis electus, in primis per Prouidentiam, quia cum Deus vnicuique rei prouideat pro ratione naturæ, dignitatis, & conditionis suæ, cum sancto sanctus est, &c. quia de alijs donis, occasionibus & æternæ salutis præsidijs prouidet sanctis, de alijs electis, vnicuique pro ratione dignitatis, vocationis, suique muneris. Deinde est Deus cum sanctis sanctus, &c. per gratiam cooperantem & prouehentem, quia pro mensura dispositionis quæ est in homine, Deus gratiam cooperantem & prouehētem dispertitur, eumq; per gratiam suam excitantē visitat & adiuuat. Tertiò cum sanctis sanctus est Deus, quia vnicuique eorum pro ratione dispositionis & vocationis suæ cooperatur, vt in alijs fructum faciant suis viribus & muneribus congruētem. Quæ cum ita sint, docemur ex his, opus esse, vt illi qui præclara Dei munera ambiunt, prius ad ea se per gratiam præuenientē dispositos, & aptos illis exhibeant: Non enim consueuit Deus per gratiam cooperantem adesse homini, nisi secundum proportionem gratiæ præcedentis, eosque disponentis. Porrò in his verbis *Sanctus* propriè esse videtur idem, quod religiosus: estque Deus cum sancto sanctus, quia viro religioso & diuino cultui dedito, seipsum ostendit & exhibet, & de ijs quæ ad Deum pertinent pro ratione de-

5. aduers. Marc c. 18

Serm 69. in Cant.
Aug. in hũc locum.
Tert. in exhort. ad castitatem.

uotionis suæ instruit. Innocens est, qui quam paucissima habet peccata. Cum innocente itaque innocens siue innocuus est Deus, quia vt dicebat Abraham, non perdet iustum cum impio: eum enim qui non debet puniri,
Sapient.12 condemnare, inquit Sapiens, exterum iudicat à sua virtute.
29. *Et cum electo electus eris*. Electi appellantur, quia eis aliquid præ reliquis conceditur. Quæ autem quidam præ reliquis habent varia sunt, sed ferè ad tres rerum ordines reduci possunt ac reuocari. Primi itaque ordinis electi sunt, qui ad gratiam & gloriam præ reliquis specialiter sunt prædestinati. de quibus scriptum est: Quod sectabatur Israël, non est consecutus: Electio autem consecuta est. Secundi ordinis sunt, qui in virtute excellunt, inter quos videtur Saul fuisse, cùm de eo diceret Sacra scriptura,
1.Reg.9. Erat Cis filius nomine Saul Electus & bonus. Tertij ordinis sunt, qui assumpti sunt præ reliquis ad munus Apostolatus & dignitatis consimilis, de quibus Dominus, Nónne ego vos duodecim elegi? Cum his ergo electis est Dominus Electus, quia electis ad gratiam præ reliquis assistit. Excellentiores excellentius diligit. In sublimitate constitutis, non solum ad salutem eorum propriam, sed etiam vt fructum adferant copiosè cooperatur. *Cum peruerso peruerteris*. non dicit peruersus eris, quia rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo, sed *peruerteris*. Quia sicut Deo vnusquisque bonorũ talis apparet, qualem is se Deo exhibet, vt ex Bernardo diximus, ita etiã peruersi ex semetipsis de Deo conijciunt, & Deum de suo æstimant ingenio, & arbitrantur Deum de peccatis & actibus hominum consimiliter, vt ipsi, iudicare. Quod vitium hominibus oculos diuinæ maiestatis parum trepidãtibus valde familiare, inousãt Dominus, cùm
Esaia.55. dicit, Existimasti iniquè, quod ero tui similis. Et apud Isaiam, Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neq; viæ meæ viæ vestrę; quia sicut exaltãtur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. deinde cũ peruersis siue à peruersis peruertitur Deus, quia peruersi recta & iusta iudicia Dei sinistra interpretatione peruertunt, vt apparet in illo, qui dicebat: Sciebam quod homo austerus es, tollens quod non posuisti. Et in illis qui, cùm Deo obtemperarent eius circa se experirentur suauitatem, postea in peccata lapsi Dei circa se experti iustitiam, interpretantur id indigna Dei mutatione fieri, quorum voces in se transfigurabat Iob, cum diceret Deo; Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.
30. *Quoniam tu populum humilem saluum facies Domine*. Nomine humilis populi, sanctos, innocentes, electos intelligit, quia tres illi, sicut & omnium iustorum ordines, licet peculiaribus Dei donis differant, in vna tamen humilitatis virtute conueniunt. Dicit itaque, *tu populum humilem*
saluum

saluum facies. q. d. ideo cum sancto sanctus eris, quoniam tuum esse iudicas, humilem ad salutem vsque perducere, *& oculos superborum*. i. eorum qui, vt dicit Iob de diabolo, omne sublime vident, quia quicquid sublime est id appetunt, & quicquid in semetipsis aut circa semetipsos vident, id eis magnum & grande esse videtur, hos *humiliabis*, in æterna præsertim retributione, quia qui se exaltat humiliabitur.

Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine. i. oculos mentis meæ, 31.
quæ lucernæ cõparatur, quia prout lucerna, sic mens humana lumine aliunde accepto lucere debet, vt explicat Cyrillus. Hoc autem animæ rationalis *1. in Ioan. cap 8.* lumen solus Deus est, vt docet Augustinus. Adhibetur quidem sermo ve- *1 de pecca. merit. c. 25* ritatis extrinsecus, veruntamen, vt qui audit sentiat & cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine mens eius intus aspergitur, quod æternum manet; quo lumine nisi illustretur, nihil proficit auditor, etiamsi contingat eum non solùm magnum hominem, aut Angelum, sed & ipsum Christum *15. de Ci.* vt docet idem, extrinsecus solummodo habere doctorem. Ideo etiam dicit *cap. 16.* Christus, Venit hora quando mortui audient vocem, non dicit filij homi- *Ioan. 5.* nis, sed filij Dei, quia sola vox Christi corporea non exuscitat quẽquam, sed oportet vt æternum verbum voce sua interius simul loquatur. *Deus meus illumina tenebras meas*. i. tenebrarum reliquias; qui enim nouit se diuina illustratione egere, non per omnia in tenebris est.

Quoniam in te. i. tuo adiutorio, *eripiar à tentatione*, *& in Deo meo*. i. 32.
Dei adiutorio. *transgrediar murum*. i. obstaculum, quod humana cupiditas, infirmitas & humana sapientia interposuit inter Deum & hominem, quod tantum est, vt homini impossibile sit, suis viribus Dei participationem atque consortium acquirere.

Deus meus impolluta via eius. quia non nisi per iustificationis aut iusti- 33.
tiæ opera ad eum tenditur, cum beneuolentia falsorum deorum, per turpissima flagitia gentilibus fuerit ambienda. *Eloquia Domini*, quæ viam ad eum veniendi præscribunt, *igne examinata*. i. ab omni falsitatis corruptione sunt vindicata. Quod hoc loco commemoratur ad distinctionem doctrinarum, quibus gentiles viam beatificandæ animæ tradebant. Omnes enim illæ fabulis imò & turpiloquio erant refertæ. Quod obseruans Porphyrius omnium illarũ doctrinarum studiosissimus, confitebatur, vt refert August. *10. de Ciu.* vniuersalem liberandæ animæ viam nondum sibi esse reuelatam, illamque *cap. 23.* à summa quadam authoritate esse accipiẽdam. *Protector est omniũ sperantium in se*. via enim qua à lapsu ad Deũ perrupto muro iuxta eloquij diuini præscriptum reditur, est cura cælestis Imperatoris munita, inquit August. *7. Confess. cap. vlt.*

Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum no- 34.
strum? q. d. multi diuinitatem ementiti sunt, & viam ad beatitudinem redeun-

redeundi docuerunt. Sola autem via Domini & eloquia eius id præſtant, quia ſicut nemo præter eum verus eſt Deus, ita nemo præter eum viam Dei in veritate docet.

34. *Deus qui præcinxit*. Ab hoc loco vſque ad finem Pſalmus in perſona Chriſti decurrit. Dicit itaque Pſaltes, *Deus qui præcinxit me*. i. ſtrennuum, promtũ, expeditum me ſecundum humanitatem reddidit. In quem ſenſum Chriſtus nomine præcinctionis vſus eſt cùm diceret: Sint lumbi veſtri præcincti. Adhortabatur enim nos, vt eſſemus ad omne Dei obſequium expe-

4. cõt. Mar. cap. 29. diti, teſte Tert. *Virtute*. i. miſericordia, humanitate, ſermonis gratia, & ſimilibus, quibus Chriſtus munus ſibi à patre commiſſum impleuit. *& poſuit immaculatam viam meam*, quia nullum Chriſtus nouerat peccatum.

35. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum*. quia celeriter ob temporis breuitatem, & alacriter ob animi ſui promptitudinẽ & charitatis ardorem, viam ſuæ mortalitatis & officium ſui Apoſtolatus decurrit, & aſpera quæque animi ſui virtutiſque ſublimitate, velut tranſiliens, illæſus pertranſiuit. *& ſuper excelſa ſtatuens me*, Chriſtus enim mentem ſuam ab intentiſsima diuinitatis ſuæ contemplatione & fruitione, quæ valde excelſæ ſunt animæ humanæ operationes, nunquam relaxauit. Nos autem ſi ſpiritu Dei ſubinde adiuti, mentes noſtras ad ardua virtutis conſideranda vel exercenda eleuamus, tamen ſuper excelſa illa non ſtatuimur ſeu ſtabilimur, repercuſsi

2. cõ. Pela. cap. 8. enim à noſtra infirmitate citò reddimur ſolitis, quia neceſſe eſt (inquit Hieronymus) ſanctos ad virtutis perpetuitatem laſſeſcere.

36. *Qui docet manus meas ad prælium*. Si per manus opera intelliguntur, docet Deus manus Chriſti & cuiuſque fidelis ad prælium, cum docet eum facere ea bona opera, per quæ Diabolus expugnari, aut homo quiſpiam ex inimico amicus fieri poſsit. De quibus Chriſti operibus Ambroſius in Lucã. Chriſtus memor gratiæ, immemor iniuriæ, nunc obiurgando, nunc benefaciendo infidæ plebis corda demulcet. Similiter docentur manus noſtræ ad prælium, cùm dicitur; Si ſitit inimicus tuus, potum da illi. Et: Qui te percuſſerit ad maxillam vnam, præbe illi & alteram, & ſimilia. Hæc enim omnia ſuauia armorum genera ad expugnandas inimicitias ordinantur. *Et poſuiſti vt arcum æreum brachia mea*. His verbis idem ſignificatur quod fa-

Exod. 17. cto Moyſi, qui cùm extendiſſet manus ſuas ad Deum, factum eſt vt illæ nõ laſſarentur vſque ad veſperam. Quid enim per brachia æreo arcui (qui ob robur metalli indeſinenter tendi poteſt) aſsimilata aliud ſignificatur, quàm quod Chriſtus in cruce extenſionem illam brachiorum ſuorum licet laborioſiſsimam, infatigabilis patientiæ virtute perſeueranter pertulerit, eoque

Cap. 8. de exhor. mar armorum genere poteſtatem diaboli, qui, vt docet Cyprianus, nõ niſi perſeuerãtia ſuperatur, eliſerit? Et certè oſtendit Chriſtus brachia ærea ſe habere,

bere, cùm dicentibus Pharisæis: Descendat à cruce, morem gerere noluit, Marc. 15.
vt perseuerantiæ daret exemplum, inquit Leo. Serm. 1. de Pasch.

Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, quia Deus saluum fecit Christum à morte, *& dextera tua suscepit me*, quia homo ille crucifixus per ascensionem suam ad æterni Patris receptus est consessum in dextera eius. 37. Col. 3.

Et. q. d. quia ego per passionem perueni ad tuam dexteram, voluisti vt etiam Ecclesia mea per multas tribulationes erudiretur, exerceretur, & dedolaretur, aptaque fieret, & tandem ijsdem mecum vestigijs perueniret ad gloriam. Ob id *disciplina tua*. i. temporalis vitæ incommoda ad erudiendum in iustitia à te ordinata. *correxit me*. i. meliorem fecit & purgauit Ecclesiam meam. *in finem*. dicit in finem, quia, vt dicit Apostolus, Disciplina quæ in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris, postea demum fructum pacatissimũ exercitatis per eam reddet iustitiæ, *Et disciplina tua ipsa me docebit*, patientiam videlicet, longanimitatem, præsentia despicere, inimicos diligere, & similia. Ideo Esaias, Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. 38. Hebr. 12. Cap 26.

39.
Dilatasti gressus meos subtus me. Quandoquidem hîc in via sumus & per bona opera ad finem tendimus, ideo singula bona opera viæ nostræ quidam gressus dicuntur, quia per ea fini nostro propinquiores & digniores reddimur. Et quia per latitudinẽ superius charitatem intelleximus, dicuntur gressus isti sub nobis dilatari, cum omnia opera nostra, vt monuit Apostolus, in charitate fiunt, & præcipuè in tali charitate, cuius ardor & promptitudo bonis operibus non potest expleri, eo quod ipsa in maiora opera atque ampliora ardeat. Quale quid obseruare licet in Apostolo Paulo dicente: Ita cupide volebamus tradere vobis non solum Euangelium Christi, sed & animas nostras, quoniam charissimi facti estis nobis. Et in Galathis erga Apostolum, de quibus tanquam dilectionem suam nullis consuetis officijs pro voto explere valentibus, dicebat Apostolus; Etiam oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Alij autem à quibus bona opera ægrè & cum tristitia proueniunt, non habent gressus dilatatos, sed de ijs verum est quod dicit Apostolus, Angustiamini in visceribus vestris. Intus enim viscera eorum quodam bene operandi tædio contrahebantur, vt ex affectus ac dilectionis amplitudine sua opera producere non possent. Ad dilatatos autem hos gressus adhortatur nos Apostolus cùm dicit, Eandem habentes remunerationem tanquam filijs dico, Dilatamini & vos. *Et non sunt infirmata vestigia mea*, nullo enim tempore Christus remissius quid egit quam par erat aut ratio virtutis exigebat, quia ad bene agendum quouis tempore æque fuit strennuus, secus quam illi, quibus tunc quã prius remissius agentibus dicebat Apostolus, Remissas manus & soluta genua erigite. 1. Cor. vlt. 1. Thess. 5. Galat. 4. 2. Cor. 6. Ephes. 5. Hebr. 12.

40. *Persequar inimicos meos.* Ex hoc loco sicut & ex Psalmo 100. confu-
1.cō.Cresc. tat Augustinus Donatistas, dicentes nullam persecutionem esse iustam.
cap.21. Nescis enim, inquit Augustinus, quam iusta voce dictum sit. detrahentem
secretò proximo suo, hunc persequebar? Et ab ipso Domino Iesu Christo
in excellentissima Prophetia, Persequar inimicos meos? Ex quibus Augu-
stini verbis euidenter constat, in hoc versu vocē Christi esse agnoscendam,
qui victoriam, quam per arcum suum æreum cōtra principem mundi, atque
peccatum ipsum consecutus erat, prosequi & ad effectum volens perducere
dicit. *Persequar inimicos meos*: vbi inimicorum nomine omnes sibi aduer-
santes siue illi Iudæi sint, siue gentiles intelligit. Hos persequitur, cum eis
fidem ac iustificationis gratiam auersantibus & refugientibus, instare non
cessat, vt fidem & iustitiam apprehendant: de qua re pulchre Augustinus
Aug.4.Cō- cum veritatem refugeret: O tu bone omnipotens, imminens dorso fugiti-
fess.cap.4. uorum tuorum. *& comprehendam eos.* i. gratiæ meæ vinculis eos illigan-
do eos mihi reddam captiuos. *Et non conuertar* à persequendo, *donec de-*
ficiant ab obluctamine & rebellione sua.

41. *Confringam illos*, qua parte rebelles & iniqui sunt, *nec poterunt stare.*
i. veritati resistere, animositate illorū confracta. *cadent subtus pedes meos.*
i. subiecti mihi per deuotionem efficientur.

42. *Et præcinxisti me virtute ad bellum.* q. d. Tibi pater tanquam authori
asscribere debeo, hanc quam commemoraui virtutem, *& supplantasti in-*
surgentes in me subtus me. i. tandem pedibus meis subiecisti eos qui se prius
contra me superbi erexerant. Postquam autem Christus de inimicorum
suorum conuersione verba fecit, nunc sermonem infert de supplicio eorum
qui in inimicitia perseueraturi erant, inter quos primi sunt Iudæi, dicitque:

43. *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum.* i. à me multis tandem victorijs
glorioso fugere fecisti, & præ gloriæ meæ celebritate ad latebras conuen-
1.de cōsen. ticulorum suorum se recipere. Quod Augustinus suo tempore euenisse te-
euāg ca.8. statur, dicens tunc tam claram fuisse famam Christi, vt infideles eam timen-
do, tepidas & trepidas suas contradictiunculas in sinu suo roderent, velut
metuentes audiri. Quod etiam hæretici faciunt in locis vbi claret fides &
vrget disciplina catholica. Vel *dedisti mihi dorsum*, quia eos ad me, pro suis
demeritis non conuertendo permisisti mihi pertinaciter dorsum obuertere,
Psalm.20 meque auersari sicut scriptum est. Pones eos dorsum. Qui sensus videtur
contextui magis proprius. *& odientes me*, Iudæos præcipuè, *disperdidisti.*
i. varijs modis atque cladibus in perniciem tradidisti.

44. *Clamauerunt.* Semper enim hostes Christi & Ecclesiæ, factionibus suis,
ac si à Deo essent, diuinæ protectionis & auxilij gratiam implorare ac spe-
rare præsumpserunt. *nec erat qui saluos faceret.* præcipuè à malis futuræ

vitæ

vitæ, Et si malis huius vitæ, In eo exauditi erunt à Deo, qui subinde exaudit iratus. Iudæos autem, tametsi in obsecrationibus legis perseuerantes Deus ne quidem saluos fecit à malis huius vitæ.

Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti. Hoc eundem habet 45.
sensum cũ eo quod dicit Psal. Tanquam puluis quem proijcit ventus à facie *Psalm. 1.*
terræ. *Vt lutum platearum delebo eos*. i. tanquam peripsema conculcabun- *1. Cor. 4.*
tur pedibus, De qua re & Esaias: Pedibus conculcabitur corona superbiæ *Esaie. 28.*
ebriorum Ephraim.

Eripies me de contradictionibus populi, quia Euangelij prædicationem 46.
à gente Iudaica auferes, vt Euangelij præcones non extendant vltra manus *Matth. 21*
suas ad populum non credentem, sed contradicentẽ sibi vel *Eripies me* &c. *Rom. 10.*
ne contradictiones Iudaici populi præualeant mihi, efficiesque ne in me
locum habeat quod scriptum est, Facta est contradictio potentior. quod *Abacuc 1.*
tum fit, cum contradictores plus fidei & fauoris obtinent, quam præcones veritatis, *constitues me in caput gentium*. i. in locum Iudæorum facies gentilitatem mihi obsequentem, meique spiritus in se defluxione viuentem.

Populus gentilis, *quem non cognoui*, quia gentibus dictum est, non popu- 47.
lus meus vos, vel, *Quemadmodum cognoui*, præsentia corporali, inquit Au- *Oseæ 1.*
gustinus. *seruiuit mihi*, cultum enim latriæ & obedientiam mihi præstitit. *Aug. 17 de*
in auditu auris obediuit mihi. quia promptè, inquit Cyrill. ad primam præ- *Ciu ca 16.* *Lib. 9. in*
dicationem credidit. Vel quia illi sunt qui non viderunt Christum mira- *Genes.*
cula facientem, sed crediderunt auditui Apostolico.

Filij alieni. Israel secundum carnem ob gratiã quam à Deo consecutus 48.
est, tum vt præ reliquis nationibus Deum verum coleret, tum vt ad Dei
prouidentiam singulariter pertineret, vt docet Augustinus, filius Dei di- *In psal. 81.*
ctus est, vt Exodi 4. Filius meus primogenitus Israel; sed dicitur alienus, quia alieno à Deo fuit animo, Deum enim nec filiali affectu, nec vt iustitiæ
fontem dilexit, Sicut scriptum est, Dilexerunt eum ore suo, & lingua sua *Psal. 77.*
mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius. *mentiti sunt mihi*, quia iam ab initio fidem Domino datam & pacta cum eo inita non seruauerunt. Frequenter enim dixe-
runt, omnia quæcunque nobis dixerit Dominus faciemus, & nihil minus *Exod. 24.*
præstiterunt. vel *mentiti sunt mihi*. i. expectationem meam fefellerunt. expectabatur enim vt secus quàm fecerunt Christum reciperent. *Filij alieni*
inueterati sunt, quia paulatim in peius profecerunt. Peccatum enim acce- *Rom. 7.*
pto mandato, operatum est in illis omnem concupiscentiam & *claudicauerunt à semitis suis*. Lex & Prophetæ semitæ fuerunt ducentes ad Chri-
stum, vt docet Cyrillus. Ab his filij Israel claudicauerunt, quia cum multo *Libr. 9 in Genes.*
tempore per eas ad Christum cucurrissent, Christo qui finis legis erat iam *Roma. 10.*

3. Reg. 18 præſente, non ſemitas deſerere, ſed in ſemitis ſolitis claudicare, ſiue non rectè ambulare ceperunt. Lege enim abuſi ſunt, & ex ea argumenta contra
Ioan. 9. Chriſtum duxerunt, dicentes: non poteſt hic homo eſſe à Deo, qui ſabba-
Geneſ. 32. thum non cuſtodit, & ſimilia. Quam claudicationem, teſte Cyril. præfigu-
In expoſit. ſymb. Nic. rabat Iacob, qui cum luctatus eſſet cum Angelo, claudicabat altero pede.

49. *Viuit Dominus*. q. d. Illis licet me negãtibus adhuc tamẽ viuit Dominus, viuit & virtus eius. *& benedictus Deus meus*, qui propoſuit gloriam meam in alia gente implere. *& exaltetur* in multorum conuerſione, *Deus ſalutis meæ*, qui ſaluti quæ per me eſt promouendæ intendit.

50. *Deus qui das vindictas mihi*, de populo Iudaico, *& ſubdis populos* gentiliũ *ſub me*: *liberator meus de inimicis meis iracundis*. Iudæis videlicet: ab his autẽ liberauit Chriſtum Deus, tum quia eum à mortuis ſuſcitatũ per reſurrectionem impaſsibilem fecit, tum etiam quia non eſt paſſus nomẽ Chriſti Iudæorum contradictionibus obſcurari, aut perſecutionibus opprimi.

51. *Et ab inſurgentibus in me exaltabis me*, ſicut dicit Apoſtolus, Factus
Philipp. 2. obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit eum. Profecit proinde Iudæorum ſtudium ad exaltandum Chriſtum.

52. *Propterea* quia videlicet illi me negauerunt, & eo non obſtante placuit Deo ſalutis meæ, exaltare me, *confitebor tibi in gentibus Domine*, quia fa-
Roman. 15 ciam, gentes per me æternæ ſaluti reſtitutas, tibi in gratiarum actione confiteri, & ego cum illis *nomini tuo Pſalmum dicam*, quia tu es,

53. *Magnificans ſalutes Regis eius*. i. donans Chriſtum Regem gentium magnifica ſalute. In primis in ſemetipſo ſecundum humanam naturam, quam vſque ad dexteram tuam exaltaſti. Et in corpore ſuo quod eſt Eccleſia, idque & ob magnum numerum eorum quos per eum ſaluaſti. Et quia multos eorum ad magnificam ſalutem in Regis ipſius gloriam perduxiſti, In quorum numero excellunt martyres, alijque glorioſiſsimi ſancti. E quibus
Philip. 1. vnus dicebat, Magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam ſiue per mortem. *& faciens*. i. quia tu facis. *miſericordiam tuam Chriſto tuo*
Roman 1. *Dauid*. i. Chriſto è ſemine Dauid. Qui ſibi quidem ſecundum humanam naturam conſecutus eſt gratiam. Et in humano genere tanquam caput in ſuis membris conſequitur miſericordiam. Idque eo magis, quia in humani generis ſalutem cor miſerum. i. triſtitia affectum atq; compũctum habuit. Cùm enim alicui id cuius gratia ſe afflixit conceditur, illi, quantumuis tranſacta iam triſtitia, miſericordia concedi rectè perhibetur. *& ſemini eius*. i. filijs
Roman. 9. promiſsionis, qui iuxta Apoſtolum æſtimantur in ſemine. Idque non modico tempore, *ſed vſque in ſæculum*. i. quamdiu procurret hoc ſæculum.

PSAL-

PSALMVS XVIII.

In finem Psalmus Dauid.

C*Æli enarrant gloriam Dei.* Quamuis iuxta Ambros. Cælorum & firmamenti nomine visibilis mundi machina hoc loco intelligi possit, quæ enarrat gloriam Dei, quia mundi opus, inquit, cum videtur suum laudat authorem: Inuisibilis enim maiestas eius per ea quæ videntur agnoscitur; tamen secundum eundem (cælorum) nomine sancti Dei homines & præcipuè Apostoli, intelligendi sunt, tum quia Apostolus quartum huius Psalmi versiculum de prædicatoribus Euangelij interpretatur, tum quia illi soli, nón autem cælestia corpora linguis omnium loquuntur. Dicuntur autem Apostoli & reliqui Sancti *Cæli*, quia eorum conuersatio in cælis est, & quia Dominus, cui cælum sedes est in eis præsidet inquit August. Hi *enarrant gloriam Dei* quia postquam ad prædicationem gloriæ Dei, quam sine verborum strepitu mundi machina facit, genus humanum ferè obsurduit, isti tanquam alij cæli verbo atque sermone enarrant gloriam Dei: In primis illam, quam species vniuersæ creaturæ etiamnum prædicare non desinit, nempe quod vnus sit Deus qui fecit cælum & terram. Deinde illam Dei gloriam, quam nulla creatura sua specie eloquitur, quod videlicet Deus sit trinus, quod filium suum miserit in terras eumque post pasionem resurrectione & sedis suæ consortio glorificauerit. Postremo illam gloriam, de qua Apostolus; Omnes peccauerunt & egent gloria Dei, quæ est gratia noui testamenti. *& opera manuum eius*, illa præcipuè quæ egit & agere constituit, vt hominem è damnatione ad salutem reformaret, hæc dico opera, *annuntiat firmamentum.* Quo nomine ijdem intelliguntur qui antea cæli dicti sunt. Idque quia opera & gloriam Dei tanta animi immobilitate crediderunt, vt fides eorum nullo potuerit errore corrumpi, nullis viribus expugnari: Et, quia ipsi Ecclesiæ catholicæ & fidei quæ in ea est, fuerint fundamentum. Hæc enim ab eorum authoritate portatur & firmatur, vt docet Augustinus.

1. 12. Hexa. cap 4. Roman. 1. Epist 85. Rom. 10. Act. 2. 1. Cor. 14. Philip. 3. Esaie 66. 1. de consi. euãg c. 30. Gene. 1. Galat 4. Roman. 3. Apocal. 21

Dies diei. q. d. Inter hos qui vna cum Apostolis atque post eos enarrant gloriam Dei, quidam sunt vt dies, qui clara rerum quas annunciant intelligẽtia præditi sunt, ac pia erga eas affectione imbuti. Affectio enim rei experimentalis eiusdem est cognitio, hi *eructant verbum*, quia, inquit Ambrosius, non perfunctorio sermone, sed de intimo corde suo verbum prædicationis proferunt. planeque loquitur os eorum de plenitudine cordis. eructant autem *diei*, quia etiamsi sonitum verborum quæ prædicant pariter omnes audiant, sensum tamen sermonis sic eructati, & medullam rei prædicatæ illi soli percipiunt, qui lumine intellectus à Deo accepto, etiam

In Psal. 86 2. Epist mox citata. Et lib. 3. de virg. Luce 6. 2. Tim. 2.

Eccli. 15. ipsi dies & filij diei censeri possunt. Huc spectabat Sapiens, cùm diceret. Beatus qui enarrat iustitiam auri audienti. i. intus sensum dicentis percipienti. *Et nox.* q. d. inter eosdem quidam sunt nocti similes, non quasi in densissimis tenebris versentur, sed quia rerum quas annunciant intus claram & luculentam cognitionem non habent, Et præcipuè, quia non diligunt ea quæ prædicāt, Qui enim non faciunt veritatē, ambulāt in tenebris: Hæc nox *indicat scientiam,* quia ex sanis verbis hominis perspicuum veritatis intellectum aut eiusdem amorem non habentis, emicant quædam scintillæ veritatis, quæ tenui quodam indicio insinuant notitiam veritatis, *nocti.* i. ijs quorum mentes crassa quædam & pigra hebetudo absque intelligentiæ lumine aut veritatis amore possidet.

3. *Non sunt loquelæ neque sermones eorum, quorum non audiantur voces eorum.* i. quorum voces siue sermones non audiantur etiam esse voces istorum. Vel, non audiuntur ex ore eorum. Locuti sunt enim Apostoli linguis omnium nationum, Et, si Cypr. credimus, vna lingua, operante Spiritu sancto, intellectum omnium erudiebat. Quapropter D. Augustinus videtur Apostolis vtrumq tribuisse, cùm dixit: Omnium linguis locuti sunt, ab omnibus intellecti sunt.

Cypr. ser. de Spiritus. In psal. 54

4. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* i. Sermo Apostolorum, *& in fines orbis terræ verba eorum.* i. sensa eorum. verbum enim propriè non est sermo, sed sensus & conceptus mentis. Et notandum quod dicatur *Sonus & verba* eorum exiuisse in omnem terram, non autem ipsi, quia Apostoli, quamuis multas terræ regiones peragrauerint, non tamen simpliciter omnes; nihilominus ad omnes terræ partes suo tempore sonus Apostolorum eorumque verbum peruenit, quia Apostolici viri, qui primordia Apostolica prosecuti sunt, nō suam, sed Apostolorum doctrinam atque sermonem ad fines vsque orbis protulerunt. Et ideo Ecclesiæ etiam illæ quæ ab Apostolis immediatè conuersæ non sunt, Apostolicæ dicuntur, propter consanguinitatem Apostolicæ, inquit Tertull. doctrinæ. Dicuntur præterea *sonus & verba* Apostolorum in omnem terram exisse; quia ecclesijs traditum & in ecclesijs auditum est, non solùm quid Apostoli credendum aut sentiendum esse docuerunt, quod significatur per *verba*; sed etiam quomodo censuerint de rebus fidei & religionis esse loquendum, quod significatur per *sonum eorum.* Dicebat ob id Apostolus Timotheo. formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide. Quæ autem erat illa sanorum verborum forma, nisi vna cum fidei integritate, certa & præfinita de ijsdem rebus loquendi regula? Quocirca dicit Augustinus, Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus quæ his significantur impiam gignat opinionē. Denique etiamnum hodie cum per omnes

De præscr. cōt. hæret. cap. 31.

2. Tim. 1.

10 de Ciu. cap. 23.

Ecclesias

Ecclesias Apostolorum acta & Epistolæ leguntur, quid aliud, inquit Ambro. quam in omnem terram exit sonus eorum? Serm. 62.

In sole posuit tabernaculum suum. i. Ecclesiam militantem ex prædicatione Apostolica collectam, in manifestatione posuit, inquit Augustinus, ergo & visibilem fecit, idque vt cessante prædicatione Apostolorum, doctrina, obseruatio, consuetudo & conuersatio Ecclesiæ ab Apostolis immobiliter fundatę, perpetua quædam esset diuinæ gloriæ prædicatio. Quæ omnia vt irrefragabilem authoritatem consequerentur, & ab ipso Christo fundarentur, *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* i. coniugatum carni verbum processit de vtero virginali, inquit Augustinus. Sicut enim in thalamo duo efficiuntur in carne vna, ita in virginali vtero duo. i. verbum & humana natura in vnam coaluerunt personam, vt explicat Ambrosius. Atque adeo istud est coniugium, quo verbum Dei Ecclesiæ in suo capite, Christo videlicet secundum humanam naturam iunctum fuit per incarnationem. In quo coniugio verbum sponsi, humanitas eius sponsæ, personalis vero vnio copulæ habet rationem. Huic autem coniugio alterum quoddam per modum appendicis annectitur, in quo Christus totus sponsus est, Ecclesia sponsa, copula charitas mutua. Quod coniugium in Christi incarnatione desponsatum fuit. Processit namque Christus de virginali vtero, si Lirano credimus, ad desponsandam sibi Ecclesiam. Ob hoc enim quod verbum Dei humanam naturam gratuita Dei voluntate sibi personaliter copulauit, ipse Christus humanum genus, sicut Moyses Æthiopissam sibi desponsauit, vt illud Æthiopissæ deformitate abstersa, sibi per charitatem in sponsam assumeret. Cùm autem hominum aliquis accepta peccatorum remissione Christo per charitatem copulatur, tunc desponsatio prædicta in spirituale coniugium transit.

5. 1. de cons. cap. 30. De incarn. Dom. sacr. cap. 5. Nume. 12.

Exultauit vt gigas, maximus enim fuit diuinitate, & secundum humanam naturam fuit maximus, quia illa in Verbo subsistebat. Ob quæ duo Ambrosius loco citato & in Hymno vocat eum gigantẽ geminę substãtiæ. Huic autem magnitudini par virtus & fortitudo aderat. Cuius virtutis sibi probè conscius iam statim à natiuitate *exultauit ad currendam viam*, quia magna charitate alacris, ac magna virtute bene animatus, gestiebat instantis sibi laboris & certaminis stadium decurrere, *à summo cælo egreßio eius*, quia in sinu patris existens & ab eo non recedens, hominis formam accepit, & in ea similis nobis foris apparuit. 6.

Et occursus eius vsque ad summum eius: quia serui formam per quam egressus erat, ad summum cælorum reduxit, quando eam in patris dextra collocauit. Qui eius ad patrem regressus hoc loco occursus dicitur, quia ei ascendenti honoris ac celebritatis causa Angeli à summo cælorum, seu à summo 7.

summo ordine Angelorum in montem Olìueti vsque occurrerunt. *Nec est qui se abscondat à calore.* i. igne *eius.* Quibus verbis futurum Christi iudicium designatur quod futurũ dicit Apostolus in die Domini, qui in igne reuelabitur, in quo die ipse Dominus erit quasi ignis conflans, à cuius calore se nemo abscondet, quia vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit, vt latius declarat Ambrosius. Hunc huius loci sensum indicat Augustinus dicens; Quod cum nemo se abscondat à calore eius, infideles malint ab eo vt stipula consumi, quã vt aurum purgari & probari. Qui præter hoc etiam proposito satis conuenit. Decebat namque, vt sicut in Actis Apostolorum in Ascensione Domini à viris qui astabant in vestibus albis futurum eius iudicium annuntiabatur, ita in prophetia vna cum Domini ascensione idem iudicium prænuntiaretur, vt postmodum animaduerteretur prophetia cum Euangelio eodem spectasse. Sed his explicatis transit Psaltes ad explicandam præstantiam legis quam adduxit Christus, idque per collationem & rursus distinctionem legis nouæ à lege veteri. Id autem admodum oportunè. Sicut enim conueniebat, vt quanto maior Moyse erat Christus, tanto excellentiorem & efficaciorem legem Christus proferret: Dignitas siquidem Christi probatur & illustratur ex legis & ministerij eius efficacia, inquit Cyrillus; ita cõueniebat vt enarrata dignitate Christi & Euangelistarũ eius, simul explicaretur quænam esset illa lex à Christo prolata, & prædicata ab Apostolis, & ex his intelligeretur, quod si ministratio damnationis fuit in gloria, multo magis ministerium iustitiæ abundet in gloria. Quidam tamen per id quod dicitur: *Nec est qui se abscondat à calore eius*; intelligunt descensum Spiritus S. qui in igne in die Pentecostes apparuit, à quo se nemo abscondit, quia non est in potestate hominis prohibere Spiritum, Vbi enim vult spirat; Vnde & Apostolus Petrus de eo dixit: Ego quis erã qui poteram prohibere Deum? Quamquam ego priorem expositionẽ præferam, eò quod cum dicitur: *Nec est qui se abscondat*; significetur quosdam inueniendos qui conabuntur, & tamen non poterunt se abscondere à calore eius. Id autem iuxta testimonia scripturarum aduẽtante die iudicij præcipuè futurum est. Nihilominus si quis per calorem hunc Spiritum S. eiúsque gratiam intellexerit, ea quæ sequuntur huic intelligentiæ non incongruè cohærebunt quia Spiritui viuificanti conuenienter subiungitur lex Spiritus vitæ viuificans nos in Christo Iesu. De quo sequitur:

[Margin: 1. Cor. 3. / Malach. 3. / Ser. 10. in Psal 118. / De consen. Euang supra alleg. / Act. 1. / Hebr. 3. / 8 thes. c. 2. / 2. Cor. 3. / Act. 2. / Ioh. 3. / Act. 11. / Roman. 3. / 1. Cor. 15.]

8. *Lex Domini immaculata.* q. d. per legem veterem solummodo præstabatur cognitio non abolitio peccati, nunc autem lex Domini est immaculata, quia facit immaculatos, præstãs purgationem peccatorum. *conuertens animas* ad sui obedientiam, cùm lex vetus operata sit præuaricationem. *testimonium Domini.* quo Dominus noui testamenti prædicationem testatam

[Margin: Roman. 3.]

ſtatam facit: De quo teſtimonio Apoſtolus, conteſtante Deo ſignis & prodigijs & varijs Spiritus ſancti diſtributionibus. Hoc dico teſtimonium Domini *Fidele.* i. fideles faciens, cum è contrario teſtimonia Domini, quibus ſemetipſum ſuamque voluntatē & promiſſa in veteri teſtamento comprobauit, fidem in incredulo populo non effecerint. Ideo dicit Dominus; Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis quæ feci coram eis? Et iterum: Dominus portauit te ſicut ſolet mater geſtare paruulum, & nec ſic quidem credidiſtis Domino. *Sapientiam præſtans paruulis.* q. d. Ideo voco teſtimonium hoc Domini fidele, quia per occultam cooperationem Spiritus ſancti facit paruulos credere, & per fidem quæ in ſe magna ſapientia eſt, ad ſapientiæ perſpicuitatem peruenire: Cum è contrario vna cum veteris teſtamenti teſtimonijs ſigniſque illis magnis & portentis ingentibus, Dominus, vt ipſemet profitetur, non dederit illi populo cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ poſſent audire.

Ad Hebr. 3 *Numer. 14* *Deuter. 1.* *Deut. 29.*

9. *Iuſtitiæ Domini.* i. quas Dominus iuſtificans operatur, *rectæ*, quia rectos faciunt. Spiritum enim rectum in viſcera iuſtificatorum infundunt, cum iuſtitiæ legis, aut quæ ex lege ſunt, eos qui in lege iuſtificantur per ſpeciem recti operis foris rectos facerent, nō intus. *Lætificantes corda.* quia ob hoc quod cor intus iuſtitiæ rectitudine, atque ipſa charitate afficiunt, faciunt cor in iuſtitiæ exercitatione gaudere, atque iuſtitiæ opera hilariter exercere: Cum è contrario illi qui iuſtitiam, quæ ex lege eſt, faciunt, illam iniuſti faciant, timore pœnæ aut rerum temporaliū cupiditate. *præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Quod hic additur *illuminans*, exponit id quod præceſsit nempe lucidum, q. d. ideo lucidum quia illuminans. Atque adeo probat hæc particula, omnia adiectiua ſuperius poſita videlicet *immaculata*, *fidele*, *rectæ*, effectiuè (ſicut fecimus) exponenda eſſe. Illuminant autem oculos præcepta noui teſtamenti, quia occulta quædam diuinæ gratiæ operatio ipſa præcepta comitatur. voces enim docentium & literæ paginarum, inquit Proſper, quæ ad eruditionem audientium Deo ſeruiunt, non carent virtute eius cui ſeruiunt.

Epiſt. ad Demetria.

10. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi.* q. d. Eſt in nouo teſtamento etiam timor, ſed à timore veteris teſtamenti multum diſtinctus. Hic enim timor Domini eſt ſanctus, quia oritur ex charitate, atque paribus cum ea progreſsibus increſcit, vt docet D. Auguſtinus, cuius metus eſt Dominum offendere: Ille vero veteris teſtamenti timor ex ſui amore oritur, metuens ſubire ſupplicia. hic permanet in ſæculum ſæculi, quoad auerſationem, non autem quoad metum peccandi, propter perſeuerandi ſecuritatem, quæ in futura vita eſt. Aut quia fructum ſuum habet, atque mercedem accipit in æternitate, vt ſentit Auguſtinus. Meritorius enim

Epiſt. 110 cap. 21. *14. de Ciuitate cap. 9.*

P eſt quia

eſt quia ex charitate oritur. Ille vero veteris teſtamenti timor nec in hoc ſæculo in iuſtificatis permanet, quia ſuccedens charitas eum foras mittit, & in futuro, quia ibi, eo quod meritorius non fuerit, mercedem non accipit. *Iudicia.* hæc vox variam ſortitur à varijs interpretationem, omnibus tamen & quæ præcedunt & quę ſequuntur bene attentis, videtur veriſsimus hic eſſe ſenſus. *Iudicia Domini vera.* q. d. Sicut in veteri teſtamento fuit lex, teſtimonium, iuſtitia legis, timor, & eadem ſunt in nouo teſtamento, ſed præſtantia atque virtute diſtincta, vt declaratum eſt; ita etiam, vt in veteri teſtamento fuerunt iudicia ſeu præcepta iudicialia, quæ ad conſtituendum Reipublicæ ſtatum iuſtitiamque rite adminiſtrandam plurimum valebant, ſic & nouum teſtamentum quædam præcepta habet quæ iudicia dici poſſunt, quia quædam veteris teſtamēti Iudicialia, in hæc præcepta commutata ſunt atque tranſierunt, quæ profectò ad pacem & charitatem in Republica Chriſtiana conſeruandam & redintegrandam ſunt efficaciſsima. Horum iudiciorum aut quaſi iudicialium præceptorum exemplum clariſsimum habemus Matth. 5. vbi cum Dominus commemoraſſet iudiciale præceptum veteris teſtamenti, oculum pro oculo, dentem pro dente; in locum illius præcepti aliud præceptum iudiciali ſimile inſtituens nouo teſtamento magis conſentaneum, ſubdit: Ego dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in maxillam vnam, præbe illi & alteram. Et qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Quo verbo ſignificatur conſultiſsima & præſtantiſsima iudicia noui teſtamenti eſſe, vt non contendatur iudicio, nec expetat quis talionem, niſi id fiat in gratiam eius qui iniuriam intulit, vt is qui nulla patientia aut diſsimulatione fratris ſui potuit ab iniuria conuerti, acrimonia ac rigore iuris ad deſerendam aut reparandam iniuriam vrgeatur, vt docent

Baſili. reg. fuſ. diſp. cap 9.

Baſilius, & Auguſtinus. Hæc ergo iudicia Domini ſunt vera. i. in numero iudicialium præceptorum præſtantiſsima. Iudicialia enim veteris teſta-

Aug lib. 2. de ſer Domini in mõ te.

menti cohibebant iniuriam, aut temperabant, vt docet Auguſtinus, talionem: Hæc autem prouocant & ædificant charitatem. Inſuper ſunt *iuſtificata in ſemetipſa.* quia omnia hæc quæ prædicta ſunt, ſunt pariter notoriè iuſta, ita vt non egeant operoſa defenſione ſi eorum æquitas vel iuſtitia in dubium vocetur. Debent propterea vnicuique eſſe,

11\. *Deſiderabilia,* iudicia ſcilicet hæc Domini, *ſuper aurum & lapidem pretioſum multum*, quia magis deſiderabile vnicuique eſſe debet, ob lucrum,

1. Cor. 6.

præſertim mutuæ charitatis iudicio non contendere, nullamque talionem expetere, quam contendendo aurum & lapides pretioſos ſibi acquirere aut recuperare, Vel, *Deſiderabilia* debent vnicuiq; eſſe lex, iuſtitia, timor, iudicia noui teſtamenti, *ſuper aurum & lapidem &c.* quia quouis terreno pretio iu-

tio iustitia melior est atque præstantior, Sicut scriptum est, Salus animæ in sanctitate iustitiæ, & melior est omni auro atque argento. *& dulciora* iudicia scilicet prædicta *super mel & fauum*, quia obdulcant cor iniurias inferentis, & cor, cum inimici conuersione eadem exercctis, Vel *dulciora*, Omnia scilicet hæc prędicta. *super mel & fauum*, quia, vt inquit Eccles. Religiositas custodiet & iustificabit cor, & iucũditatem atque gaudium dabit. non est autem gaudium super gaudium cordis, mel autem & fauum dulcia sollummodo sunt ori & gutturi. Ecclef. 30. Cap. 1. Cap. 30.

Etenim seruus tuus custodit ea. Loquitur Psaltes in persona propria, nam & ipse quæ diximus noui testamenti iudicia tempore veteris legis obseruauit, cum noluit Semei maledicum occidi, nec filium paricidam interfici & similia. *In custodiendis illis retributio multa*, Illa scilicet de qua Christus; Merces vestra multa est in cælis. Quod reliquis conuenienter additur, vt insinuetur quod sicut lex noui testamenti cum reliquis antedictis, distet à veteri lege præstantiâ, ita & fructu ac retributione, quam hæc habuit temporalem, illa æternam. Quia tamen etiam ijs qui iudicia Dei custodiunt, non adeo de conscientiæ integritate est fidendum, inquit Leo, vt humanam suam fragilitatem inter scandala tentationesque degentem, nihil potuisse arbitrentur quod eam læderet incidere, ideo subijcit Psaltes: 12. 2. Reg. 16. 2. Reg 18. Luca 6. Serm. 6. de Quadrag.

Delicta quis intelligit. Circa quæ verba notandum, quod etiamsi tam delictum quàm peccatum aliquando indifferenter sumatur, subinde verò differenter, vt peccatum sit perpetratio mali, delictum vero desertio seu omisssio boni, inquit Augustinus: hoc tamen loco delicta dicuntur illa peccata, siue sint omissionis siue commissionis, quæ imprudenter aut ignorãter admittuntur: Quod præter D. Augustinum etiam Hieronymus testatur dicens id quod Dauid dicit, *Delicta quis intelligit*, de erroribus seu ignorantijs accipiendũ esse. Sensus itaque est. Etsi aliquis legem & iudicia Dei tam accuratè custodiat, vt nullius peccati sibi conscius sit, non tamen de innocentia potest esse securus, *Delicta enim quis intelligit*? i. quis sibi potest esse conscius peccatorũ quæ ignoranter admittit? Ob quam causam D. Basilius bene monet vnũquemque, vt in orationum suarum exordio confiteatur Deo, & dicat: Non sum Domine dignus qui coram te verba faciam, quoniam vehementer peccator sum. Et licet nullius, inquit, tibi culpæ conscius sis, nihilominus tamẽ ita te oportet dicere. Etenim cum multis in rebus offendamus omnes, maiorẽ tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. Propter quam causam ait Apostolus, Nihil mihi conscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum, & Psaltes, delicta quis intelliget? Hæc Basilius. 13. q. 20. super Leuit. Epist. 39. Cõst. mon. cap. 2. Iacobi 3. 1. Cor. 4.

Ab occultis meis munda me. i. remitte mihi ea peccata quæ conscientiam meam fugiunt. Ex qua oratione intelligitur quam vere dixerit Leo, quod multi- Epist 91.

multiplex sit misericordia diuina quæ lapsibus subueniat humanis, Non solum enim Deus illa peccata dimittit, de quibus tristi dolore sigillatim cōterimur, verumetiam ignorata, quæ confusa solummodo animi pœnitudine deploramus. *& ab alienis*. i. à peccatis quę aliorum quidem sunt opere, nostra autem efficiuntur communione, eo quod ratione scandali aut neglecti officij (attendant pastores & Principes) eorum nos reddiderimus participes. *Parce seruo tuo*. i. ab ijs me puniendis seueritatem tuam compesce. Horum autem peccatorum iram Psaltes hoc loco oportunè deprecatur, quia aliena peccata quam maxime in causa sunt, vt non liceat alicui nostrum, etiam cui peccatum non est in conscientia, per omnia dicere de diuinis iudicijs, Seruus tuus custodit ea. In hoc enim mortis loco vt præclare docet Ambrosius, etiamsi quis operibus aut cogitationibus suam propriam personam contingentibus non contaminaretur, non est tamen à peccatis immunis, quia euadere non potest contactum mortui. i. consortiū alieni peccati. Cæterum ne pro occultis & alienis peccatis nimia trepidatio sit, subijcit Psaltes consolationem & dicit:

Serm. 1. in Psalm. 118. ver. 2

14. *Si mei non fuerint dominati*, reatus scilicet occultorum & alienorum peccatorum. Qui tunc dominantur, cum meritis bonis & charitati præualent. Præualent dico, quia vt dicit Basilius; hominum omnia dicta & facta ex eo quod superat æstimantur. Neque enim, inquit, Deus hominem examinat particulariter: Nam ego, inquit Isaias, & opera & cogitationes ipsorum coniunctim producturus venio. Hæc Basilius. Si ergo in homine præualeat, imò fuerit, charitas, tum facile omnium delictorum & alienorum peccatorum accipiet indulgentiam. Pendet enim, inquit Ambrosius, per singulos nostrorum statera meritorum, & exiguis, vel boni operis vel degeneris flagitij momentis, huc atque illuc sæpe inclinatur. Si mala vergant, heu me, si bona, præsto est venia, nemo enim à peccato immunis, sed vbi propendent bona, eleuantur peccata, obumbrantur, teguntur. de qua re videatur idem, in Psal. 118. *Tunc immaculatus ero*, carens macula quam peccatum mortale inurit animæ. *& emundabor*. i. immunis ero *à delicto maximo*, siue magno quod est quoduis peccatum mortale, Superlatiuus enim hic pro positiuo quibusdam ponitur. Potest tamen & hic esse sensus, *à delicto maximo*. i. ab Apostasia, quæ est delictum maximum. Ad hanc enim solent homines peccando, & præsertim superbiendo deuenire, vnde & D. Augustinus per delictum maximum hoc loco intelligit superbiam, loco effectus ordinariam eius causam.

Homil. 22 & 29.
Cap. 66.
Epist. 44.
Serm. 10. vers. 4.

15. *Et erunt*, q. d. per prædictam legem Domini immaculatam conuertentem animas eueniet, *vt complaceant eloquia oris mei*. nō enim placent Deo sermones qui de corde contaminato procedunt. Ideo dicebat Apostolus: Exhor-

Exhortatio nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis euangelium, ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda. *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Idque, quia mens hominis nõ permittitur meditando in Dei conspectum, Deique salubrem notitiam peruenire nisi mundata fuerit, Beati siquidem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, hic in ænigmate, postmodum in veritate, inquit Bernardus. Emunda itaque, inquit Ambrosius, cor tuum, vt quasi nouum creetur renouato spiritu, omnes pollutas cogitationes de corde tuo abijce, nihil sit quo tuus inquinetur affectus, talibus se Dominus demonstrare dignatur.

1. Thess. 2. Matth. 5. 1. Cor 13. De cõuers. ad cleri. cap. 25. Serm. 8 in Psal 118.

Domine. q. d. In conspectu tuo dico Domine, qui es, *adiutor meus*, te enim nos alleuante meditationes nostras in conspectum tuum subducimus, *& redemptor noster*, Te enim nos liberante à cordis immunditia expiamur. 16.

PSALMVS XIX.

In finem Psalmus Dauid.

PSaltes in hoc Psalmo Christo opẽ precatur pro suo corpore quod est Ecclesia, vel si Athanasio credimus, precatur hanc opem vnicuique afflicto. Rectius tamen intelligitur Psalmi huius oratio in Christum dirigi, qui sic habet:

Exaudiat te, ô Christe, *Dominus in die tribulationis*, cum scilicet in tribulatione tua, vt Psal. 17. dictum est, pro hominum salute inuocabis 1.
Dominũ. Quæ Prophetæ precatio non Christum iuuabat, vt ipse exaudiretur, ipse enim nullius comprecantis egebat adiutorio, vt inquit Ambrosius, qui exauditus est pro sua reuerentia, sed conducebat ad effectum orationis ac tribulationis Christi in nobis amplificato merito, pluribusque eum ex eodem meriti fonte promerẽtibus, augustius producendum. Ideo Gen. 49. dicit Iacob ad Ioseph, sustinentem personam Christi: Benedictiones Patris tui, quas scilicet Deus Pater tuus in gratiam tui generi humano dare decreuit, confortatæ sunt benedictionibus patrum tuorum, quia ob benedictiones quibus Patriarchæ Christo pro suo corpore bene precati sunt (quarum manifestum exemplum habemus in benedictione Isaac ad Iacob, in quo benedicebat Christo pro sua Ecclesia) Dei benedictio confortata est, quia de plurium sanctorum merito tanquam de ampliore, & ratione amplitudinis quodammodo validiore quodam principio, augustius prouenit. Voluit autem Deus meritis Christi etiam Patriarcharum benedictiones accedere, non rei necessitate, sed ex abundanti, vt effectus nostræ salutis, ad quem solius Christi meritum sufficit, plurium meritis ex Christo pro-

Epist. 82. in fine. Hebr. 5.

sto prouenientibus redderetur acceptus. Idque abũdaret in gloriam Christi, cui gloriosum est quod non solum habendæ, verumetiam alijs emerendæ vel impetrandæ iustitiæ consortium ac dignitatem suis largiatur, *protegat te*. i. Ecclesiam tuam *nomen Dei Iacob*. i. protegat te Deus ad inuocationem sui sub nomine Dei Iacob. sicut benedixit Deus Ephraim atque Manasse, ad inuocationem sui sub nomine Dei Abraham atque Isaac, cum
Genes. 48. diceret Iacob: Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea benedicat pueris istis. Inuocetur quoque super eos nomen meum, nomen quoque patrum meorum Abraham & Isaac.

2. *Mittat tibi auxilium de sancto*, quod quasi inexpectato de cælo illabatur tibi, *& de Sion*. i. specula, *tueatur te*. q. d. Sint oculi eius semper intenti è sublimi sua habitatione ad defendendum te in tuis membris, etiam tum, cum periculum, in quo versantur, ignorant.

3. *Memor sit omnis sacrificij tui*. i. bonorum operum tuorum, quæ pro membrorum tuorum salute Deo Patri obtulisti. Sit autem memor vt in eorum gratiam multiplicem tibi in corpore tuo impartiatur salutem. Vbi notandum est consultum esse hominibus, vt ante diem tribulationis, bona quædam & maxime misericordiæ opera exerceant, vt habeant in tempore tribulationis, ob quod eis dicatur, memor sit omnis sacrificij tui; Qui enim miseretur pauperis, bonum thesaurum thesaurizat sibi in tempore necessita-
Tobiæ 12. tis, vt dicebat Tobiæ Angelus. *& holocaustum tuum pingue fiat*. Holocaustum sacrificium erat, quod integrum Domino cremabatur, Per quod significatur hoc loco sacrificium corporis Christi in cruce. hoc optat Psaltes, vt *pingue fiat*. i. vt vberem & abundantem à Deo Patre fructum in nostra salute acquirat.

4. *Tribuat tibi secundum cor tuum*. i. cordis tui desiderium, Quod expres-
Lucæ 12. sit Christus, cùm dixit, Ignem veni mittere in terram & quid volo nisi vt accendatur? *& omne consilium tuum confirmet*, vt quicquid in salute hominum procuranda facere disposuisti, prospere succedere faciat.

5. *Lætabimur in salutari tuo*. vox est patriarcharum & omnium Christo benedicentium, Hi enim tanquam amici sponsi gaudent, cum salutem quæ à Christo est, ad multos extendi conspiciunt, *& in nomine Dei nostri*. i. in inuocatione nominis Domini Dei nostri *magnificabimur*, idq; vel ob multitudinem saluandorum, vel ob iustitiæ & beatitudinis magnitudinem.

6. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas*, quas in oratione pernoctans Domino exposuisti. *Nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum*. videtur Psaltes cum Psalmum hunc caneret & huc vsque peruenisset accepisse peculiarem reuelationẽ salutis, quam Christus in suis membris

bris esset accepturus, ob quam reuelationem exclamans ait, *nunc cognoui*, q. d. ecce iam video quanta multitudo per Christum saluanda sit, Et mox rediens ad propositum subdit,

Exaudiet illum de cælo sancto suo, hoc factum est cum Christus orans, 7.
Pater clarifica filium tuum, de cælo responsum accepit: Et clarificaui, & *Ioan. 12.*
iterum clarificabo. *In potentibus salus dexteræ eius.* q. d. cum vt ei voce lapsa de cælo promissum est, iterum clarificatus fuerit, tum sedebit in dextera Patris, & salus eius erit in potentatibus, quia non solum salutem accipiet, sed potens erit ad dandam hominibus salutem.

Hi in curribus, & hi in equis. Significantur his verbis secundum Cypria- 8.
num, castra diaboli, hominum salutem impugnantia, *nos autem*, (fideles *De exhort.*
loquuntur) *In nomine Domini Dei nostri.* i. Christi, qui Deus & Dominus *mar. c. 10.*
noster singulariter dicitur, quia nos redemit; Qui & hîc Deus dicitur, quia post suam ascensionem, cuius mox mentio facta est, sortitus est nomen super omne nomen, vt nempe tum ab omnibus Deus vocetur. In nomine er- *Philip. 2.*
go Domini Dei nostri tunc temporis inuocabimus, quia tunc implebitur quod prædixit Christus; In illo die in nomine meo petetis, *inuocabimus* *Ioan. 16.*
autem, auxilium contra omnem inimici irruptionem. Vtriusque autem horum euentum subijciens subdit:

Ipsi qui in curribus & equis, *obligati sunt*, Rei enim facti sunt magno- 9.
rum suppliciorum, *& ceciderunt*, quia conatus suos ad effectum non perduxerunt, *nos autem* scilicet qui in nomine Dei inuocabimus *surreximus*, ex infirmitate ad virtutem, *& erecti sumus*, in spem futuræ gloriæ. Videns autem Propheta, ea quæ hactenus vt præterita narrauit, & vt fierent optauit, eo demum tempore quo glorificatus erit Christus reipsa implenda esse, optat vt veniat tempus, quo Christus à morte saluus fiat, & ad dexteram Dei consedeat, dicitque:

Domine saluum fac Regem. i. prædestinatam Christo salutem ei tribue- 10.
re accelera, *& exaudi nos in die qua inuocauerimus te*. Rege enim nostro ad gloriam perducto, aduocatum habebimus apud te Iesum Christum iu- *1. Ioan. 2.*
stum, qui apud te pro nobis interpellet.

PSALMVS XX.

In finem Psalmus Dauid.

PSalmus hic iuxta Athanasium describit Regnum Christi. In primis beatum, quia in eo canitur lætitia & gloria quam Christus habebit & etiamnum habet in vita æterna de æterna salute sua, & eorum qui per eum salutem consecuti sunt. Ideoque etiam conuenientissimè Psalmus iste in festis Sanctorum, quæ instituta sunt ad gloriam Christi, legitur, vt ex eo

ex eo lætitia & gloria quam accepit Christus, ex beatificatione sanctorum suorum intelligatur. Describit etiam regnum Christi eiusque durationem in hoc sæculo. Quamobrem aptè subiungitur priori. In eo enim labor & tribulatio commemorata fuit, quam Christus pro hoc regno adipiscendo sustinuit, in hoc verò gloria & honor atque lætitia quibus abundabit, vbi regnum hoc tanquam laboris sui fructum acquisierit. Dicit itaque Psaltes Deum Patrem compellans, cui omnia Christi & salutis humanæ opera & collata beneficia tanquam originali auctori tribuuntur.

1. *Domine in virtute tua*, quam operaberis in illa die cum constitues Christum ad dexteram tuam, faciens eum Regem gloriæ, de qua virtute alibi: Tecum principium in die virtutis tuæ. Magnæ enim virtutis est creaturam humanam diuinæ sedis facere consortem. In hac virtute *lætabitur Rex*, qui est Christus, *& super salutare tuum.* i. plenam salutem atque gloriam quam ei secundum humanam naturam illo die omni ex parte dabis *exultabit vehementer*. Dies enim huius salutis est dies ille lætitiæ cordis eius, de

Cap. 3 quo in Canticis.

2. *Desiderium cordis eius*, quo flagrabat cùm diceret: Pater clarifica me claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te. His enim verbis petebat illius diuinæ claritatis in humana natura consortium. Hoc ergo desiderium cordis eius *tribuisti ei*, cum eum in dextera tua collocasti, *& voluntate labiorum eius*. i. voluntate illa quam labijs suis expressit, cùm dixit;

Ioan. 17. Volo pater vt vbi ego sum, illic sit & minister meus, *nõ fraudasti eum*, quia vna cum ipso multos quos secum ad te euexit, tui vultus aspectu donasti, & ab illo tempore reliquis aditum ad te patefecisti. Et quia in illa beatitudine summa lætitia & gratulatio erit de beneficijs, per quæ tam ipse Rex quam sancti eius in hac vita ad illam gloriam præparati sunt, ibi etiam *exultabit vehementer*,

3. *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. i. lætabitur ibi de illa gratia tua qua tam ipse in se quàm in suis mẽbris, vt ad hanc gloriam pariter peruenirent, præuentus est. Quæ benedictiones vocantur benedictiones dulcedinis, quia Deus in dulcedine dilectionis suæ, qua voluit nos ex inimicis amicos facere, eas & Christo & nobis præparauit; ac si diceret Psaltes: In benedictionibus dulcedinis, quas parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Quæ verè dulcissimæ sunt, quia nihil dulcius sapit, inquit

Ser. 39 inter paruos. Ierem. 29 Bern. ea gratia, quæ non modo immeritos, sed etiam male meritos præuenit, & dum adhuc filij iræ sumus, Deus ipse cogitat cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imo impetentibus, non inuocantibus, sed prouocantibus, non interpellantibus, sed etiam repellentibus spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur. Quid illi dulce sapiat, cui miseri-

cordia

cordia tanta non sapit? Hæc Bernardus. D. vero Augustinus vocat benedi- 1. ad Boni.
ctiones gratiæ præuenietis benedictiones dulcedinis, quia per eas obdulca- cap. 9.
tur cor recipientis vt opera pietatis exerceat ex charitate. Deinde lætabitur Rex, quia *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* i. per gratiam consummante, illius ciuitatis sanctos, lapides pretiosos fecisti eorumque gloriam in capite Christi posuisti, quia gloriam sanctorum, Christo vt eorum capiti & victoriæ auctori deferri fecisti. Quæ est enim, inquit Ambrosius, corona gloriæ nisi Ecclesia, quæ caput suum Christum coro- In exposit.
nat, quia gloriam victoriæ suæ Christo vt capiti suo asscribit? Porro quàm tit ser. 15. in psa. 118
ingenti lætitia quantaque gloria Rex gloriæ Christus ex beatitudine Sanctorum suorum afficiatur sermone explicari non potest, poterit autem id mente vtcunque concipi, si mens extra semetipsam egressa, cælestibus Spiritu sancto sibi impertito, se immiscuerit. Ad quod eam adhortantur Angeli, cùm dicunt: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis eius, in die Cantic. 3.
lætitiæ cordis eius.

Vitam petijt à te. Descendit nunc Psaltes ad describendam Christi glo- 4.
riam quæ ei obtingit ex regno suo in hoc mundo militante, ac si dicat, *Vitam* nominis scilicet sui, qua in fide & prædicatione Ecclesiæ viuit, quam vitam extinctam petebant, qui dicebant: Quando morietur & peribit no- Psalm 40.
mẽ eius? Et alibi: Eradamus eum de terra viuentiũ, & nomen eius non me- Ierem. 11.
moretur amplius. Hanc *vitam petijt à te, & tribuisti ei longitudinem dierum, in sæculum & in sæculum sæculi*, vt in fide & cordibus Christianorum viuat, quamdiu voluetur præsens sæculum. Propterea videmus non solum prima post Christum sæcula, sed singula hucusque suos sanctos habuisse, eosque hinc ad æternitatem transeuntes, decorem coronæ Christi cordisque eius lætitiam cum extensione auxisse. Hæc vita nominis Christi præfigurata fuit, cùm præciperet Dominus, vt Aaron in tunica superhumerali Exod. 28.
deorsum haberet mala punica & tintinnabula, vt cum ingrederetur Sãctuarium, audiretur sonitus tintinnabulorum & non moreretur. Per fidem enim & charitatem eorum, qui veri Christiani sunt & malis punicis comparati, & per prædicationem eorum, qui tintinnabulis aureis comparantur, efficitur vt Christi iam sanctum sanctorum ingressi nomen mundo non moriatur. Hebr 9.

Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam & magnum decorem im- 5.
ponas super eum. i. magna gloria debetur huic Regi ob salutem quam tu in hominibus operaris, illamque gloriam facies ei obuenire. Cuius ratio est,

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi. i. quia facies eum 6.
omnis benedictionis fontem, vt ex ipso tanquam principio meritorio omnis benedictio in homines promanet, *lætificabis enim in gaudio cum vultu*

tuo. i. vbi aliquem ex eius membris ad conspectum vultus tui perduxeris, lætificabis eum: Gaudet enim super salute suorum.
7. *Quoniam*, q. d. Ideo fidenter dico, lætificabis, *quoniam Rex* Christus in suis membris *sperat in Domino* per benedictionem huius vitæ ad beatitudinem vsque prouehi, *& in misericordia altissimi non commouebitur*. i. spei suæ prouentu non fraudabitur. Post hæc Psaltes orationem adiungit, vt illi qui ad Christum nondum sunt conuersi, ad eum conuertantur, quia non solum consummatio sanctorum, sed etiam conuersio impiorum ad regnum & gloriam Christi pertinet, & dicit:
8. *Inueniatur manus*. i. operatio *tua omnibus inimicis tuis*. & ne relinqueretur ambiguitas num hęc operatio iustæ retributionis esset, an vero gratię subiungit, *dextera tua*. i. operatio gratiæ tuæ (dextera enim semper in bonam partem intelligitur) *inueniat omnes qui te oderunt*, vt per eam odium eorum in dilectionem transferatur. Et bene dicit *Inueniat*, Petit enim vt hæc gratia obueniat ijs, qui non quærunt eam, vt ibi locum habeat quod
Rom. 10. scriptum est: Inuentus sum à non quærentibus me. Quæ quamuis optauerit, prospiciens tamen Propheta quosdam impios in inimicitia contra Deum perseueraturos, illorum finem prædicens subdit,
9. *Pones eos* inimicos tuos, qui ad amicitiam tuam transituri non sunt, *vt clibanum ignis*, quia in infernum eos præcipitabis, quem videbat Abraham
Genes. 15. vt clibanum fumantem, *in tempore vultus tui*. i. in die iræ tuæ, cùm fiet
Psalm. 33. vultus tuus super facientes mala, vt perdas de terra memoriam eorum. *Dominus in ira sua conturbabit eos*, quia omni pace & tranquillitate eos priuabit, *& deuorabit eos ignis*, quia sine spe euasionis in ignem æternum sunt præcipitandi.
10. *Fructum eorum de terra perdes*, quia omnis fructus propter quem in terra laborabant, honor videlicet, abundantia rerum, voluptas & similia, in hac terra finem habebunt, & insuper æternam perditionem hæreditabunt, *& semen eorum* perdes *à filijs hominum*, quia cum filijs hominum, quo nomine iusti intelliguntur, non metent vitam æternam, quia cum illis non seminauerunt iustitiam.
11. *Quoniam declinauerunt in te mala*. q. d. hæc eis obuenient, quia tibi rebelles fuerunt, & multi eorum tibi male facere, si fieri potuisset, intenderunt; *cogitauerunt consilia quæ non potuerunt stabilire*. quia multi eorum, nescio quibus eleemosynis inordinato amore distributis, aut ex alieno, aut alijs quibusdam operibus cogitauerunt æternum interitum euadere, sed consilium stabile non fuit, quia nullum sortietur effectum.
12. *Quoniam pones eos dorsum*. i. permittes vt te ac gratiam tuam veramque iustitiam auersantes, dorsum tibi opponere videantur, & tu eorum iniqui-

iniquitatem auersando, eósque deserendo vicissim eis dorsum opponas, sicut per Prophetam dicitur: Dorsum & non faciem ostēdam eis: *in reliquijs* Ierem. 18.
tuis. i. in eis, quos ex medio eorum tanquam reliquias, quæ per electionem Rom. 12.
gratiæ saluæ fiant, tibi saluandos assumpsisti. *præparabis vultum eorum*. i. per præuenientem gratiam illuminabis eos, vt vultum iustorum induant. Vt autē hæc postrema prophetiæ particula, quæ dicit *in reliquijs tuis*, quæ magnam diuinæ gratiæ vim & misericordiæ virtutem prædicat, impleatur, concludit Psaltes per orationem Psalmum.

Exaltare Domine in virtute tua. i. Tu Christe, de quo prius dixi, quod 13.
in virtute Domini lætaturus esses, *exaltare in virtute tua*. i. vna cum Deo Patre temetipsum secundum humanam naturam in gloriam & plenam vndique beatitudinem eleua, *cantabimus* cum lætitia *& psallemus* cum gratiarum actione, *virtutes tuas*, quas in conuersione malorum ex eo tempore operaberis.

PSALMVS XXI.

In finem pro susceptione matutina Psalmus Dauid.

PRima huius Psalmi parte enarratur series Dominicæ passionis, Christo loquente in persona infirmi hominis, & per modum querelæ. Cui tamen querelæ cum in posteriore Psalmi parte subijcitur oratio, vt Deus passionem prius recensitam in gloriam patientis & salutem eorum pro quibus passus est conuertat, ex eo manifestum euadit, ei qui priore Psalmi parte loquitur, non fuisse in votis vt passionem euaderet, sed per eam nostram salutem in susceptione matutina inueniret. i. vt per eius passionem in resurrectione futura ad plenam atque æternam salutem susciperemur. Loquitur autem Christus in priore Psalmi parte per modum querelæ, vt diximus, vt se infirmis in modo dicendi conformando, eosdem cum quadam humanitate doceat huc proficere, vt passionum suarum fructum præ oculis habentes, contemplatione fructus inde prouenturi querelam quam infirmitas ex aduersitate concipit, solentur; ipsisque curæ fiat, mala huius vitæ non tam declinando, vt docet Leo, effugere, quàm tolerando superare: Docetque hoc loquendi ordine Christus gratiam noui testamenti, non tribulationes, (intellige viribus vniuscuiusque proportionatas) vt in veteri testamento euadere, sed vincere, & huius victoriæ fructum in æterna retributione magno cum fœnore expectare. Loquitur
itaque Psaltes in persona Christi, cuius in se gerebat originem, inquit Leo, Ser. 16. de pass.
ideoque etiam Christus in cruce prima huius Psalmi verba voluit repetere, vt declararet prophetiam hanc ad se pertinere, ac dicit:

Deus Deus respice in me. i. misereat te huius passionis meæ, *quare me* 1.

dereliquisti? derelictus est Christus, non per diuinæ personæ separationem, sed quia Deus propriam illius in qua erat carnem à passione immunem non conseruauit. derelictus est enim Christus in quantum passus, inquit Ambrosius. *Longe à salute mea.* Quemadmodum Christus, cùm in horto ex parte infirmæ carnis suæ, & etiam in persona infirmorum dixisset, Transeat à me calix iste, mox subiecit; non mea voluntas sed tua fiat, vt doceret priorem illam orationem, quatenus infirmorum erat, corrigendam esse, ita in hoc Psalmo querelam infirmi hominis, quæ præcessit, hoc versu corrigens hominemq; erudiens dicit: *longe à salute mea verba delictorum meorum.* q. d. quid ego conqueror? verba hæc delictorum. i. carnalium desideriorum meorum, vt interpretatur Augustinus, aut lamentationum mearum, vt ex Hebręo legendum esse testatur Hieronymus, *longe à salute mea*, i. nō loquuntur nec desiderant, quæ saluti meæ æternæ expediunt. Attamen D. Ambrosius hunc dat sensum, *longe à salute mea.* q. d. ne quis Arriano errore capiatur, ac si hæc secundum diuinitatem dicerem, quæ passionis omni ex parte exors est, verba enim hæc lōgè sunt *à salute.* i. diuinitate mea, quia illa deseri aut deserta esse non potest. Interposita autem hac carnalium desideriorum correctione, reuertitur ad querelam cœptam & dicit.

Serm. 1. in Psal 118. — *In cap. 49. Esaiæ.* — *Cap. 5. de incarnat. Domi. sacr.*

2. *Deus meus clamabo*, in infirmis membris meis pro temporali adiutorio tuo, *per diem.* i. in prosperis, ne ea amittam, *& nocte.* i. in aduersis, vt prospera redeant, *& non exaudies*, idque *non ad insipientiam mihi*, sed potius vt sapiam quid iam per noui testamenti gratiam à te expectare, quid desiderare, quid poscere debeam.

3. *Tu autem in sancto habitas.* i. in illis habitas quos sanctificasti, inquit Augustinus, & quos facis intelligere quia ad vtilitatem quosdam non exaudis, *laus Israel.* i. à cuius participatione vera laude dignus est omnis qui pertinet ad Israel secundum spiritum. Porrò eius quod est non exaudiri, & tamen hoc non ad insipientiam, exemplum habemus in Apostolo, qui cum terna oratione non obtinuisset stimulum carnis sibi auferri, ex eo discere meruit, quod virtus in infirmitate perficitur.

2. Cor. 12.

4. *In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos.*

5. *Ad te clamauerunt & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt confusi*, quia salute temporali quam à te implorauerunt non sunt fraudati, Non tamen alieni fuerunt à salute æterna, sed æternæ salutis acquisitio in eis latuit, inquit Augustinus. Huius rei exempla sunt Daniel, tres pueri, & omnes quos recenset Matathias.

Epist. 120 Cap. 13. — *1. Mach. 2.*

6. *Ego autem.* q. d. cum sicut illi ad te clamasse visus sim, aliud tamē quàm illi consequor, *sum enim vermis & non homo.* i. in oculis persequentium propter vulnerum atque liuoris deformitatem, abiectissimum quid & contemptissi-

temptiſsimum animal ſum, Sicut dicit Eſaias; Vidimus eum & non erat *Eſaie 53.*
aſpectus. Qui ſenſus Auguſtino literalis, Tertulliano aduerſus Iudæos &
Marcionem probatus eſt. In quibus tamen verbis non videtur Auguſtino
prætereunda profunditas myſterij, ſecundum quam Chriſtus *vermis* eſt,
quia ſine concubitu de mortali matris ſuæ carne natus, & eſt *non homo*, quia
non pertinet ad ſortem primi hominis, in quo omnes moriuntur, ſed ſin- *1. Cor. 16.*
gularis eſt homo, in quo omnes viuificabuntur, *opprobrium hominum & ab-*
iectio plebis, cui omnes exprobrant, & cuius diſcipulis in opprobrium ver-
titur, diſciplina eius.

Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labijs, & mouerunt ca- 7.
put. Prætereuntes enim blaſphemabant eum mouentes capita ſua & dicen- *Matth. 27*
tes, Vah. Similiter & Principes illudebant ei cum Senioribus.

Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum quoniam vult eum. 8.
i. quoniam iactauit quod Deus vellet eum aut filius Dei eſſet. Iam verò ma- *Matth. 27*
nifeſtè vana facta eſt præſumptuoſa expectatio eius.

Quoniam tu es. Poſtquam Chriſtus ſuæ paſsionis ſeriem ex parte enar- 9.
rauit, nunc ad Deum ſe conuertit, atque ea quæ conſolationem adferre &
languidum animum erigere poſſent commemorat, idque non ſui, ſed noſtri
cauſa, vt ſuo nos exemplo doceat, inter querelas quas ſuggerit infirmitas,
ne per eas nimis deijciamur, animum ad Deum conuertendo, bonitatis ac
gratiæ ipſius recordatione atque inuocatione nobiſmetipſis animum adde-
re, dicitque; *tu es qui extraxiſti me de ventre.* Pro eo quod noſter textus
legit, *extraxiſti*, Tertullianus legit *auulſiſti*, quod vocabulum pulchrè *De carne*
vrget, ex eo probans Chriſtum ſecundum corpus materni vteri viſceribus *Chriſt. c. 20*
realiter cohæſiſſe: Quid enim, inquit, auellitur ab aliquo, niſi quod inhæ-
ret infixum, innexum eſt ei à quo vt auferatur auellitur? Ex eo autem quod
Chriſtus Beatæ Mariæ viſceribus cohæſit, docet naturæ lege conſequi,
eum ex eadem vere conceptum eſſe. Sed noſtra lectio quæ eſt *extraxiſti*
ex ventre, aliud quid non minus verum indicat, nempe Chriſtum ex vir-
gine natum eſſe. i. ex matre ſua clauſo vtero prodijſſe. Quod enim extra-
hitur, potenter eruitur; Et quod Chriſtus de virgine natus eſt, omnipo-
tentiæ diuinæ aſſcribitur, quia id iura naturæ ſuperat. Porro quamuis ne-
mo niſi diuina virtute cooperāte ab vtero matris ſuæ auellatur aut naſca-
tur, propter quod Apoſtolus dicit ad Galath. Qui me ſegregauit ab vtero *Cap. 2.*
matris meæ, peculiariter tamen Chriſtus dicit Deo, *Tu es qui extraxiſti*
me: quia vt à matris ſuæ viſceribus auelleretur, aut ex ea extraheretur, non
manu hominis, ſed ſingulari Dei virtute obſtetricante factum eſt. *Spes*
mea. i. fiducia, felicitas, ac robur meum, *ab vberibus matris meæ.* i. à pri-
mo tempore meæ natiuitatis. Quo verbo indicatur Chriſtum iam à primo

tempore suæ natiuitatis mentis ac rationis vsum habuisse, Sperari enim non
potest, nisi mentis officio. Quin & id quod addit, *ab vberibus matris meæ*,
veritatem conceptus ex matre confirmat, non enim fieri potest nauraliter
In cap. Lucæ 11. vt docet loco citato Tertullianus, & Beda, vt vbera fœminea lac habeant
nisi ex vteri fœcunditate. *In te proiectus sum ex vtero.* i. ab initio me to-
tum tibi gubernandum tradidi, totúsque à te dependi.
10. *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* i. Sicut ego tuus, ita vicissim
meus fuisti. *ne discesseris à me.* Orationem hanc Christus adiungit, non vt
Serm. 20. pro se obsecret, sed vt pro nobis impetret, non enim impetrandi egebat
vers. 4 in Psal. 118. auxilio, inquit Ambrosius, qui facere ipse poterat quod rogabat.
11. *Quoniam tribulatio proxima est.* i. quia persecutio quam dico, non bo-
na exteriora solummodo, non famam, sed carnem ipsam, qua homini na-
turaliter nihil magis propinquum attentat, *quoniam non est qui adiuuet*, ne-
mo enim ad liberandum Christum aliquid auxilij attulit, hoc autem tri-
bulatis auget tristitiam.
12. *Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* i. pro-
Serm. 9. de passione. terua petulantia plebeorum, & superbus tumor magnatum, inquit Leo.
Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens, cum crude-
13. rugitu clamarent Crucifige, quod & Ieremias prędixit. Facta est, inquiens,
Marci 15. Cap. 12. hæreditas mea mihi, quasi Leo in silua, dedit contra me vocem suam.
Sicut aqua effusus sum, quia sanguis Christi ac si aqua fuisset, in terram
14. *Homil. 18* copiosissimè est effusus, inquit Cyrillus, *& dispersa sunt omnia ossa mea.*
Propter integritatem corporis Christi, quod nullatenus fuit dissolutum
aut luxatum, hic versus de ossibus Christi metaphoricè dictis debet intelli-
gi, Apostolis scilicet, qui reliquis ad Christi corpus tunc temporis perti-
nentibus erant fortiores, & totius corporis Christi quædam columnæ.
Matth. 26. Ossa ergo Christi dispersa sunt, cùm discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.
15. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Nec
hoc de corporeo Christi corde intelligendum est, quia cor hominis non
est in medio ventris eius. Metaphoricè itaque hîc intelliguntur corda fi-
delium eorum, qui tempore passionis Christi fide & Spiritu sancto non-
dum plenè imbuti, cura & magisterio Christi fouebantur, donec Spiritus
Christi perficeretur in eis. Et ob id quod solummodò concepissent spiri-
tum salutis, similes erant ijs qui adhuc in vtero portantur, donec ad per-
fectionem quam requirit partus, peruenerint. De qualibus dicit Christus
Cap. 46. per Esaiam: Qui portamini ab vtero meo, qui gestamini à vulua mea. Ex
quorum numero erant Galathæ, cùm ad eos scriberet Apostolus: Quos
Galat. 4. iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Istorum cor liquefa-
ctum est vt cera in medio ventris Christi, quia cùm tēpore passionis Chri-
sti à

sti à fide & amore eius non omnino recederent, sed in desiderio magistri sui permanerent, tamen soliditas fidei, & spei robur, si quod antea habuerant, illo tempore in eis multum labefactatum est.

Aruit tanquam testa virtus mea, quia sicut testa præ siccitate fragilis 16.
est, ita præ siccitate quam passus est Christus, vitæ mortalis vigor in eo atteri cœpit, multumque debilitari. Et sicut testa sorbet guttam aquæ quæ ei superfunditur, ita Christus in siti aruit, vt vniuersorum, inquit Ambrosius, absorberet tentationes. *& lingua mea adhæsit faucibus meis*, præ ardore sitis, vel iuxta Tertullianum, quia Christus in passione, tanquam agnus coram tondente se obmutuit, *& in puluerem mortis deduxisti me*, non illum de quo scriptum est; Puluis es & in puluerem reuerteris; non enim in cinerem dissolutum fuit corpus Christi, sed in illum puluerem mortis, quo apud Iudęos solent corpora mortuorum condiri, Corpus enim Christi deductum est in sepulchrum cum aromatibus, sicut mos est sepeliri Iudæis.

Epist. 56. & ser. 18. in Psa. 118
4 cõt. Mar. cap. 42.
Genes. 3.
Ioan. 19.

Quoniam circundederunt me canes multi. Canum nomine Iudæi significantur vt hic, & Psalmo 58. & apud Apostolum, ob id quod cum Christus eis sanctum Dei verbum tradidisset, conuersi sunt tanquam canes ad dirumpendum eum. *consilium malignantium*. i. mala mihi machinantium. venerunt enim in Conciliũ pleni iniqua cogitatione aduersus Christum, sicut olim Seniores aduersus Susannam. Principes enim Sacerdotum quærebant falsum testimonium aduersus Iesum, vt eum morti traderent. *Obsedit*. i. circumsedit me. 17.

Philip 3.
Matth. 26.

Foderunt manus meas & pedes meos. hic aperte indicatur quod ex Euangelio aperte non colligeretur, videlicet Christum crucifixum esse, manibus pedibúsque eius clauorum transfixione terebratis & perforatis. *dinumerauerunt omnia ossa mea*. Significatur corpus Christi in cruce vsq; adeo distentum fuisse vt oculis patuerint omnia ossa corporis eius. 18.

Ipsi vero considerauerunt & inspexerunt me, sicut dicit euangelium, sedentes seruabant eum. *Diuiserunt sibi vestimenta mea*. Ad literam notum est, quo tamen significabatur, quod multæ gratię gratis datę haberi possint in schismate, atque ab iis possideri, qui per charitatem sibi mutuo copulati non sunt. *Et super vestem meam*, desuper contextam per totum, quæ quid significat, inquit Augustinus, nisi charitatem? quæ ex dilectione Dei tota contexitur, quia dilectio proximi ex dilectione Dei oritur, inquit Greg. Oportet enim diligere proximum, quia Deus eum in se, inquit Augustinus, censuit diligendum, *miserunt sortem*. hæc enim non diuiditur, quia ad schismaticos aut discordes non transit, sed ex occulta diuinæ gratiæ prouidentia, sorti comparata, quasi accidit ei cui donatur. 19.

Tract. 13. in Ioan & epist. 171.
7. Moral. cap. 11.

Tu

20. *Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice*. Iterum orat hic Christus vt pro nobis impetret.quod hinc manifestum euadit, quia subijcitur:

21. *Erue à framea. i.* gladio, *animam meam*,ne ipsa metu gladij in æternam incidat perditionem. Christus enim à gladio nihil est passus,sed Martyres eius. Cùm autem martyres complura tormenta passi sint,in quibus diuina eguerunt protectione, singulariter tamen orat Christus erui à framea animas eorum, eo quod complures Martyres, qui innumera supplicia superauerunt, gladio demum interfecti sint, vt huius vocabuli vsu insinuet Christus se martyribus suis petere constantiam vsque ad mortem, quæ eis per frameam, vt plurimum,illata est. *& de manu canis*, id est, cuiusuis hominis quod sanctum est prosequentis. *Vnicam meam*. i.Ecclesiam meam. Aut vniuscuiusque animã. Quæ per emphasim vnica dicitur,eo quod ea perdita cætera omnia temporalia bona, si quæ salua esse possunt, nihil prosint.

22. *Salua me ex ore leonis*, vt nulla crudelitas aut sermone aut opere mihi intentata, à salute me abducat, *& à cornibus vnicornium humilitatem meam*.i.ne illi qui in Ecclesia mea conditione humiles & infimę sortis sunt, potentiam & sublimitatem superborum extimescentes, eorum metu aut reuerentia à iustitia deficiant. Per *vnicornes* enim, inquit August.superbi intelliguntur, quia omnis superbus solus & singularis esse cupit; ideóque superbiam inuidia semper comitatur, tanquam vindex singularitatis, quam sibi superbia vendicat. Post hanc orationem recenset Christus fructum suæ derelictionis,docens nos contemplatione prouentus & exitus solari querimoniam infirmitatis, dicitque:

23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Dignationis est ista appellatio,
Ad Heb. 2. fundata super cõmunicatione carnis & sanguinis vt docet Apostolus. Quod autem dicit *narrabo*,quid aliud importat,quàm quod post passionem suam
Matth. 26 Euangelium esset prædicandum in vniuerso mundo? *In medio Ecclesiæ*,in publico & aperto, *laudabo te*,in membris meis. Quia tamen quod Christus in membris suis facit per operationem gratiæ, idipsum membra Christi faciunt per suum liberum arbitrium, ideo subijcitur exhortatio, qua dicit:

24. *Qui timetis Dominum*,id est,qui seruitis Domino, *laudate eum*: *vniuersum semen Iacob*. i. omnes qui ex semine Iacob estis electi. Sermo eosdem
Daniel. 12 designat quos ille quo dicebatur ad Danielem: Saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro vitæ. Prius autem nominat semen Iacob quàm gẽtiles,tum quia ad eos qui electi erant ex Israel secũdum carnem primariò pertinebant Dei promissa,tum etiam quia fructus Dominicæ passionis prius ad Iudæos pro parte deuenit, *glorificate eum*.

25. *Timeat eum*. i. ad cultum eius conuertatur *omne semen Israel*. i. omnes electi

electi ex Iſrael ſecundum carnem. Et cauſam meritoriam huius rei ſubiungens: *Quoniam*, inquit, *non ſpreuit nec deſpexit deprecationẽ pauperis*, Quæ deprecatio non illa erat qua dicebat, Tranſeat à me calix iſte; Illa enim oratio pertinebat ad verba delictorum, ſed oratio pauperis erat quam Chriſtus paſſurus fundebat pro ſalute filiorum promiſsionis. Matth. 26 Ioan 17.

Nec auertit faciem ſuam a me, & cum clamarem ad eum exaudiuit me. 26.

Apud te laus mea in Eccleſia magna. Loquitur Chriſtus ad patrem, & 27. ſenſus eſt: Magna congregatio fidelium vera laude ante te ſeu coram te glorificabit me. *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum*, Vota hæc ſunt ſacrificium corporis Chriſti, inquit Auguſtinus, quod eſt ſacramentum fidelium. Ipſe enim Chriſtus illud per Sacerdotes offert, aſtante omni populo, & offerente, atque vota ſua, vt habet Canon Miſſæ, Deo reddente. Hoc autem ſacrificio oblato, ex hoſtia eius,

Edent pauperes. i. humiles & iuſtitiæ famelici. Quibus verbis ſimul in- 28. nuitur, quod pauperes populi prius ſint ad Chriſti fidem conuertendi, ita vt primis Eccleſiæ temporibus locũ habuerit illud Apoſtoli: Infirma mun- 1. Cor. 1. di elegit Deus vt confundat fortia. *& ſaturabuntur.* cùm apparuerit gloria Dei, ad quam de ſacrificio altaris mãducando educantur, *& laudabunt Dominum qui requirunt eum*, Sacrificiũ enim corporis Chriſti eſt ſacrificium Euchariſticum. *viuent corda eorum*, Euchariſtia enim cibus eſt animam nutriens, atque vitam inſtaurans, *in ſæculum ſæculi*, Dicit in ſæculum ſæculi, quia Euchariſtia in vſu erit, & vitam quibuſdam dabit vſque dum venerit Dominus finem imponens ſæculo.

Reminiſcentur. Ab hoc loco Pſaltes vſque ad finem in ſua perſona lo- 29. quitur prædicens conuerſionem gentium, quæ conuerſioni aliquorum Iudæorum ſucceſsit, de quo dicit, *Reminiſcentur.* Reminiſcimur, vt docet Auguſtinus, cùm nobis in mentem venit id cuius nos non cogitabamus ha- 14. de Tri- bere notitiam, admoniti autem eius recordamur. Cum ergo vnius Dei no- nit cap. 13 titia menti humanæ non ſit omnino exempta, ſed ſit in multis obliterata, cùm audita prędicatione Euangelij gentilis cognitionem vnius Dei concipit, tum Domini Dei ſui reminiſcitur (inquit Auguſtinus) tanquam recipiens notitiam quam prius aliquouſque habuerat, ſed de qua cogitarat. Hoc ergo modo gentiles *reminiſcentur.* Qui ne ſint ex numero illorum qui cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, etiam *conuertentur* Rom. 1. *ad Dominum.* i. ad vnius Dei cultum & obſequium. Id autem facient non vnius regionis gentiles, ſed *vniuerſi fines terræ.* i. gentiles diffuſi per vniuerſos fines terræ. Neque pauci & rari, ſed

Adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium. Tam pleni enim 30.

erunt fines terræ fidelibus, vt non sit futura familia vlla (familiæ nomine latius vt scriptura solet accepto) de qua non aliqui crediturí sint.

31. *Quoniam Domini est regnum.* i. Christo à passione sua dabitur regnum, *& ipse dominabitur gentium.* i. vtetur etiam regia sua potestate atque per
Daniel.7. eam conuertet gentes, sicut dixit Daniel, filius hominis vsque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem, honorem & regnum, & omnes populi tribus & linguæ seruient ei.

32. *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* Numerus enim Christianorum qui primitus ex pauperibus fere collectus est, tandem sic multiplicabitur vt etiam potentes secundum sæculum ad eum accessuri sint. Hi manducauerunt & adorauerunt. Nemo enim corpus Domini manducat nisi & adorauerit illud. Augustinus tamen per pingues terræ, superbos intelligit, & secundum sæculum potentes. Eiusmodi enim in se tolerat Christi Ecclesia. De his autem notat Augustinus, quod Psaltes dicat eos quidem manducasse & adorasse, non autem addit eos saturatos esse, quia sumunt vna cum reliquis sacramentum corporis Christi, non autem satu-
Matth.5. rantur, quia non esuriunt & sitiunt iustitiam, & reuera non quærunt per sacramenta effici meliores. *in conspectu eius cadent*, vel vt Hebræi legũt, genu flectent, *omnes qui descendunt in terram.* i. omnes qui mortui fuerint.
Rom.14. Hoc implebitur in die iudicij cum in conspectu iudicis ab illis qui tunc à
Philip.2. mortuis resurrexerint, flectetur ei omne genu, vt dicit Apostolus.

33. *Et anima mea illi viuet.* Id Psaltes de se dicit. Nouerat enim id per prophetiæ spiritum. Et dicit, viuet illi, quia sanctorum est nõ suam sed Christi
Act.13. facere volũtatem. quod Dauidem fecisse Paulus testatur, cùm dicit, Dauid cùm administrasset voluntati Dei dormiuit. *& semen meum seruiet ei*, quia posteri de semine Dauid Dei cultores fuerunt iuxta Prophetiam. Prædicit
2.Reg.7. tibi Dominus, quod domum tibi faciet Dominus, & fidelis erit domus tua in sempiternum.

34. *Annuntiabitur Domino generatio ventura.* Patres enim familiarum, & maiores Ecclesiasticarum congregationum, *annuntiabunt* seu commendabunt Deo suos posteros, vt gratiæ quam ipsi cõsecuti sunt efficiantur hęre-
2.Reg.7. des. Ideo & dicit Dauid, Incipe & benedic domui serui tui, vt sit in sempiternum coram te. *Et annuntiabunt cæli.* i. prædicatores apostolici, *iustitiam eius.* i. iustitiam quæ ex Deo est & per Spiritum sanctum, *populo qui*
Philip.3. *nascetur*, quia à generatione in generationẽ transibit hæc prædicatio; quam prædicationem audiet ille populus, *quem fecit Dominus*, vt salubriter audiat verbum salutis & recipiat salutem.

PSAL-

PSALMVS XXII.

Psalmus Dauid.

IN hoc Psalmo cum gratiarum actione enumerat Psaltes specialiter siue in specie beneficia atque pręsidia per quæ Deus in nouo testamento homines ad salutem perducit. Nam quis sufficit sigillatim enumerare singula quæ Deus regendo, deducendo, protegendo, in vno atque eodem homine operatur? Quando enim sufficio, inquit Augustinus, lingua calami enunciare omnia hortamenta tua, terrores, consolationes, gubernationes tuas, quibus me hucusque perduxisti? Dicit itaque Psaltes in persona bonorum Ecclesiæ filiorum, quibus solis, teste Augustino, competit Psalmus. *11. Confess. cap. 2.* *2. cont. lit. Petil. c. 47*

Dominus regit me, Legunt Hieronymus & alij, *pascit me*. Quæ diuersitas hanc affert vtilitatem, vt discamus in Scripturis sacris (pascere) poni pro (regere) ideoque Dominũ cùm dixit Petro, Pasce oues meas, Petrum non tantum Doctorem, sed Rectorem & Præpositum populi sui instituisse. Sensus itaque est, Dominus salutis meæ prouidentiam gerit, meque ad eam adipiscendam gubernat & dirigit. *& nihil mihi deerit.* i. facit id tanta diligentia vt vere dici possit, eorum quæ ad salutem fidelis populi necessaria, imò commoda sunt, nihil deesse, *in loco pascue ibi me collocauit.* Hic locus est Ecclesia Christi, quæ siue in sacramentis, siue in scripturis, siue in doctorum ac concionatorum vberibus, necessaria iustis habet & præbet pascua. Quæ promittebat Dominus cùm diceret: Si quis per me in ouile introierit, ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Bona pascua, quibus iustus alitur, & nutritur, Viuit enim homo ex omni verbo quod procedit de ore Dei. 1. *Ioan. 21.* *Ioan. 10.* *Matth. 4.*

Super aquam refectionis educauit me, Per aquam hanc Augustinus baptismum intelligit, qui bene dicitur aqua refectionis, eo quod per eum reficiamur in nouum hominem, & per eum anima à labore & angore pristino refocilletur. Super quam aquam educauit Dominus bonos filios Ecclesiæ, cùm eos tanquam modo genitos infantes fecit lac doctrinæ spiritualis concupiscere, & per id crescere ad sapientiam in salutem. Quamquam per aquam etiam intelligere possimus gratiam Spiritus sancti, quæ præbet nobis, & sine qua non præbent nobis dicta Ecclesiæ pascua refectionem. *Animam meam conuertit.* Si hoc de prima conuersione intelligatur, videbitur sententia hæc esse Psalmo ordine præpostero inserta; prius enim oportet à sæculo ad Deum viuum conuerti, quam super aquam refectionis, aut in loco pascuæ collocari. Itaque ordinatum magis erit sententiam hanc intelligere de conuersione, qua oportet vt iustus animã suam frequẽter ad Deum 2. *1. Pet. 2.*

pro auxilio gratiæ eiusque cooperatione conuertat. de qua conuersione
8 de Gene. ad lit. c. 12 Augustinus, Non tale aliquid est homo factus, vt deserēte eo qui fecit posit aliquid agere bene tanquam ex seipso, sed tota eius actio bona est conuerti ad eum à quo factus est, & ab eo iustus, pius, sapiens beatusque semper fieri, Et vt iustè, piè, sapienter agat, nouo semper auxilio Dei adiuuari. Itaque *animam meam conuertit*. i. tempore & loco me regeneratum ad se pro auxilio confugere fecit.

3. *Deduxit me super semitas iustitiæ*. i. direxit me vt in vijs iustitiæ ambularem atque proficerem. Vbi notandum est, nomē *Iustitiæ* poni singulariter, & *semitarum* pluraliter, eo quod, vt notat Bernardus, Iustitia seu charitas vna sit, sed in diuersa se diffundat opera. Dicuntur quoque viæ iustitiæ semitæ, quia arcta est via quæ ducit ad vitam. *propter nomē suum*. i. propter semetipsum suamque ipsius bonitatem, Vel, vt faceret sibi nomen. Et quia propter mala & tentationes huius vitæ præter cætera egemus etiam Deo protectore, post expositum auxilium Dei quo adiuuamur in bonis, transit Psaltes, & explicat protectionem contra mala, dicitque:

Apolog. ad Guil. Abb. Matth. 7.

4. *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis*. i. inter pericula peccatorum mortalium, *non timebo mala, quoniam tu mecum es*. i. meus protector es. Qua autem id ratione?

5. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. q. d. quamdiu ventura tormenta, quæ per virgam & baculum significantur formido, gratiam quam acceperam seruo. Sic Hieronymus. Diuus verò Bernardus in declamat. hunc sensum videtur requirere. *Si ambulauero in medio*, &c. i. si semitas iustitiæ deserens, in peccata mortalia (quæ eo quod mortem adferant & simul obscurent, vmbra mortis dicuntur) incidero, in ijsque ad tempus perseuerando quasi deambulauero, *non timebo mala*. i. non erit mihi propterea metuendū quasi damnatio mihi ineuitabiliter esset obuentura, *quoniam tu mecum es*, vt ab vmbra mortis in lucem iustitiæ educas me. *Virga tua* qua conscientiam percutis, *& baculus tuus*, quo percussam conscientiam spe futuræ remisionis contra pusillanimitatem sustētas & erigis, *ipsa me consolata sunt*, quia, inquit Bernardus, eo modo peccatores sentiunt sibi remitti peccata. Cæterum quia in via huius vitæ præter cætera etiam tribulatio adfert periculum, contra illam quoque remedium & protectionem nobis prouidit diuina benignitas, de qua dicit Psaltes consequenter,

Epist. 127 quæ est de 42 mansionib. mā. 23

6. *Parasti in conspectu meo mensam*, visibilis enim est mensa hæc, *aduersus eos qui tribulant me*. Quæ mensa Augustino & Ambrosio est sacramentum Eucharistiæ. Quod quantopere nos muniat aduersus omnes qui tribulant nos, explicat Cyprianus. Viuentibus inquit, communicatio nobis danda est, vt quos excitamus & hortamur ad prelium, non inermes ac nudos relin-

Aug. loco præall. Amb. de Elia cap. 10. Cypr. Epistola 54.

relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia vt posſit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, eos munimento dominicæ saturitatis armemus. Notat interim Augustinus mensam Dominicam eos demum aduersus omnes tribulantes munire, qui ex ea vitam, non autem iudicium sibi manducant & bibunt. His enim ex ea charitas instauratur vel increscit, quæ eos bene munit aduersus tribulantes, quia patiens est, benigna est. *1. Cor. 13.*

Impinguasti in oleo caput meum. Hoc de oleo sacramentali intelligit Augustinus. Impinguatur itaque in oleo caput fidelium, qui cum bene præparati Chrismate per Episcopum in fronte consignantur, charitatis pinguedinem seu vbertatem, atq; adeo eam quæ spirituales viros deceat perfectionem consequuntur. Impinguatur quoque in oleo caput eorum qui in Episcopos consecrantur, quia oleo in capita eorum effuso, pinguescit charitas eorum, vt in perfectam aliorum salutē abundet. Potest interim per oleum hoc, gratia Spiritus sancti metaphoricè intelligi, sicut cùm dicitur: Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non recedat, vt fiat hîc olei mentio tanquam effectus mensæ de qua præcesſit, *Parasti in conspectu meo mensam.* Mensa enim illa non præbet præsidium aduersus eos qui tribulant nisi per gratiam Spiritus sancti, quam dignè sumētibus impertit. Quæ expositio per id probabilis redditur, quia secundum eam, inter mensam Domini & calicem mensæ eius, nullius alterius sacramenti mentio interseretur. *Et calix meus.* i. calix sanguinis tui vsui meo concessus *inebrians.* i. hominem ab amore sui alienum faciens, suique quasi obliuione donans. *Quam præclarus est?* dicit id per admirationem, eo quod præstantiam huius calicis ob continentiam Dominici sanguinis realiter præsentis, nullis verbis effari sufficiat. His ergo verbis teste Augustino insinuatur, quod mensa Domini aduersus tribulantes sic muniat, vt etiam faciat martyrium cum lætitia omnisque tristitiæ obliuione tolerare. De qua re Bernardus: Stat martyr tripudians atque triumphans toto licet lacero corpore. Vbi ergo tunc anima martyris? in tuto, in vulneribus Iesu ad introeundum patentibus. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profectò sentiret. Nunc autem exul à corpore dolores corporis non sentit, neque hoc facit stupor sed amor, submittitur sensus nō amittitur, nec deest dolor, sed contemnitur. Ex Christo martyris fortitudo, inde planè potens ad bibendum calicem Domini, *& hic calix inebrians quam præclarus est?* Hæc Bernardus. Ebrietatem tamen hanc quam operatur calix Domini, D. Cyprianus nō solis martyribus, sed reliquis qui inter Christianos sęculum perfectius contemnunt, & diuino cultui ardentius incumbunt, tribuit atque accommodat in hęc verba: Spiritus sanctus in Psalmis faciens mentionem

Margin notes: 7. *Loco in explic. tit. all.* — *Eccles. 9.* — *August. in Psal. 35.* — *Serm 61. in Cant.* — *Cypr. epist. 63.*

calicis Domini, Calix inquit tuus inebrians quàm peroptimus est, quia bibentes sic inebriat, vt sobrios faciat, & mentes ad spiritualem sapientiam redigat, vt à sapore isto sæculari ad intellectum Dei vnusquisque resipiscat. Et quemadmodum vino isto communi mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur, ita & potato sanguine Domini & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuersationis pristinæ sæcularis, & mœstum pectus ac triste diuinæ indulgentiæ lætitia resoluatur. Hæc Cyprianus. Vis autem inebriandi hîc Dominico calici tribuitur, non quasi corpus Domini sub panis specie illam nõ habeat, sed quia
Caiet in 3. p.q 80.q. 2.ad 1. illa in calice Domini per vini speciẽ singulariter & euidenter figuratur & promittitur. Sacramenta etiam semper quidem operantur gratiam quam significant, operantur tamen etiam gratiam quam subinde non significant. Vt autem in his Domini muneribus homo perseuerare posit, subijcitur:
8. *Et misericordia tua subsequetur me*, per gratiam subsequentem, quam D.
Cap 32. Enchir. Augustinus distinguit à præueniente, quod præueniens gratia facit vt homo velit, subsequens verò facit ne frustra velit: Suppeditat enim bonæ voluntati vires vt opere perficiat quod voluntate inchoauit; Suppeditat etiã bene operanti voluntatis & virtutis perpetuitatem, vt in cœptis perseueret
Epist. ad Ctesiph. *omnibus diebus vitæ meæ*, necesse enim est, vt docet Hieronymus, vt gratiam Dei accipiamus quotidie, non solum ob iustitiæ incrementum, verum etiam quia nihil nos sumus nisi quod ipse donauit, in nobis ipse seruauerit. Et quandoquidem qui super semitas iustitiæ deducti, & à Domini mensa sunt refecti, sine peccatis non sunt.
9. *Et.* s. subsequetur me misericordia eius, *vt inhabitem in domo Domini*,
beata, *in longitudinem dierum.* i. in æternum, quæ longitudo dierum etiam
Exod 20. promittebatur, cùm diceretur: Vt sis longæuus super terram. i. æternus in terra viuentium, si Augustino credimus; Subsequetur autem iustos hæc misericordia vsque ad diem iudicij, vt in illo misericordiam inueniant, quam
2.Tim 1. precabatur Apostolus domui Onesiphori.

PSALMVS XXIII.

Psalmus Dauid prima Sabbathi.

PEr primam Sabbathi quidam intelligunt diem Dominicæ resurrectionis. Resurrexit enim Dominus mane prima Sabbathi. Sed cum in hoc Psalmo nulla Dominicæ resurrectionis fiat mentio, Sabbathi nomine, requiem æternæ vitæ hoc loco aptius intelligimus: In qua significatione etiam sumitur Sabbathi nomen Esaiæ 66. Erit Sabbathum ex Sabbatho. i. continua erit requies in futuro. Sabbathi ergo nomine prænotatur hic Psalmus, eo quod in medio eius declaretur qualem eum esse oporteat

oporteat qui ad æternam requiem peruenire velit. Et nomine primæ Sabbathi, quia circa finem eius exponitur quid geſtum ſit cùm Chriſtus intraret in requiem ſuam, die videlicet ſuæ aſcenſionis, quæ erat prima Sabbathi, quia eo die primum introitum in ciuitatem ſupernam humana natura ſortita eſt. *Hebr. 4.*

Domini eſt. i. à Domino eſt, & diuini iuris atque diſpoſitionis eſt, *terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.* hoc ad literam intelligendum eſt, eo quod Apoſtolus ex hoc loco doceat nullam creaturam Chriſtiano fugiendam eſſe tanquam immundam. dogmata enim ex ſenſu ſcripturæ literali ſtatui & probari debent. Rationem autem ob quam Domini ſit terra ſubdens, ait, 1. *1. Cor. 10.*

Quia ipſe ſuper maria. i. mari circumfuſam, inquit Baſilius, *fundauit eam.* i. ſtabilem fecit eam. Super quo enim baſes illius conſolidatæ ſunt? inquit Dominus ad Iob. Non ergo mare fundamentum ſeu baſis terræ, ſed poteſtas Domini qui terram in medio elementi fluidi præcepti ſui firmamento ſuſpendit, ita vt eam inclinari, inquit Ambroſius, non patiatur. Dicitur tamen ab eodem terra fundata, quia ipſa eſt fundamentum, inquit, in quo conſiſtimus. *& ſuper flumina.* i. fluminibus perfuſam, *præparauit eam,* vt eſſet apta recipiendæ culturæ reddendiſque frugibus. flumina enim terræ paſsim interfuſa ſunt, aut vt ardorem ignis à terra prohibeant, ſi Baſilio credimus, aut vt irrigent terræ ariditatem, ſi Tertulliano; Sine fluminibus ergo terra eſſet infrugifera. Sed quandoquidem Deus temporalia, teſte Irenæo, fecit propter hominem, vt matureſcens in eis fructificet æternitatem, tranſit Pſaltes ad inquirendum ea quæ hominem à terra mortalium ad terram viuentium perducere poſſunt, & dicit: 2. *Hom. 2. epif. Cap. 38. 1. Hexam. cap. 6. Ser. 12. in pſal. 118. Ho. 2. epif. Li. 4. c. 10.*

Quis aſcendet in montem Domini. q. d. Quamuis terra & plenitudo eius hominis cauſa creata ſint, non tamen ob id homo terrenarum rerum amoribus ſe immergat, quin potius in terra cōſtitutus cogitet qua ratione *aſcendet in montem Domini, aut ſtabit.* i. ſtabilitatem habebit, *in loco ſancto eius!* i. cælo quod non niſi ſanctorum eſt. Quamobrem veteres etiam docuerunt terrena commoda, quamuis in hominis gratiam à Deo ſint creata, propter præſtantiam iuſtitiæ, & futuræ gloriæ, potius deſerenda quam ſectanda eſſe. Inter quos Leo, Omnis quidem creatura Dei bona eſt, ſed non ſumus creati, vt omnes mundi copias expetamus, tanquam quod liceat ſumi, non liceat prætermitti. Agnoſcat autem Chriſtianus maiores menti dandas diuitias quàm carni. Similiter Ambroſius & Hieronymus. Quod ipſum etiam Deus attendens, abſtinentiam à rebus à ſe creatis præcepit homini in ſtatu innocentiæ cauſa obedientiæ. in veteri teſtamento, cauſa myſterij, in nouo teſtamento cauſa continentiæ. Ideoque ex eo quia Domini eſt terra & pleni- 3. *Leo Ser. 4. de iei. Pēt. 2. de Iacob cap. 10. Hier. 2. cō. Ioui. ca. 11*

plenitudo eius,nihil aliud colligi poteſt quàm nullius creaturę quaſi immũ
dæ vſum fugiendum. Reſpondens autem interrogationi ſuæ Pſaltes ſubdit:
4. *Innocens manibus*. i. qui ſuis operibus nec ſibi, nec alijs nocuit, *& mundo corde*, per quam particulam à beatitudine excluduntur Iudæi, infideles, & hæretici, tametſi à ſceleribus & facinoribus ſibi caueant aut cauere videantur, non enim hi mundo ſunt corde, quia fidem non habent qua Deus purificat corda hominũ. Excluduntur per eam & hypocritæ, quibus inquinatæ ſunt mens & conſcientia, quibus ob id dicitur, Munda prius quod intus eſt paropſidis & catini. Interim ſufficienter mundo eſt corde, qui cupiditati qua inuitus non caret, ratiõe & voluntate dominatur, *Qui non accepit in vano animam ſuam*. i. qui tempore huius vitæ per bona opera, bona æterna theſaurizare ſibi non neglexit, vanum enim eſt, quicquid ad æternitatem non prodeſt, inquit Ambroſius.

Act. 15. *Ad Tit.* 1. *Matth.* 23

Cap. 1. *de fuga ſec.*

5. *Hic accipiet benedictionem* æternæ beatitudinis, de qua Pſal. Benedixit filiis tuis in te, *à Domino, & miſericordiam* in die iudicij, *à Deo ſalutari*, ſeu vt legit Tertullianus, ſanctificatore ſuo.

Pſal. 147.

6. *Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob*. q. d. qui hæc in præſenti vita faciũt, conſtituunt progeniem illam quæ dicitur quærere Deum. Sed quia regnum cælorum nemo etiam iuſtorum ingredi potuit niſi Dei filius ingreſſum eius omnibus per ſeipſum reſeraſſet, vnde & dicebat: Nemo aſcendit in cælũ, niſi qui deſcẽdit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo, ideo admodum conuenienter Pſaltes ſermonem ſubiungit, de illis quæ geſta ſunt in Dominica aſcenſione. Per hanc enim initiauit nobis viam nouã, & præcurſor pro nobis ingreſſus Ieſus introitum æterni regni nobis aperuit. Propterea tria huius Pſalmi membra, tametſi res multum diuerſas complectantur, hoc inter ſe cohærent ordine, vt primo membro doceamur vnde nobis ad beatitudinem aſcendendum ſit, ſecundo quibus operibus, tertio per quem. Dicit itaque Pſaltes:

Ioan. 3.

Hebr. 10.

7. *Attollite portas principes veſtras*. In quibus verbis proponuntur nobis ſecundum Dionyſium voces Angelorum primi ordinis, qui in aſcenſione Domini Domino præeuntes, angelis qui cæli, inquit Ambroſius, ianuas ſeruant (collocauit enim Dominus Cherubim & flammeum gladium ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. i. æternæ ſapientiæ, inquit Baſilius) His inquam dicunt Angeli: *attollite portas principes veſtras*, & vos ipſæ *portæ æternales*. i. ad æternitatem introitum præbentes *eleuamini*. i. altius diducimini vt ſpatioſum præbeatis ingreſſum. *Et introibit Rex gloriæ*, cui quodammodo ſpatioſior debetur ingreſſus quàm erat eius egreſſus. Portæ enim cæli quem emiſerant, (licet nunquam eius capiant, inquit Ambr. maieſtatem) redeuntem capere non poterant, quia redibat trophæis auctus & manubijs.

Cap. 7. *cæl. Hierarc.*

Geneſ. 3.

Homil. 13.

Amb. 4. *de fide cap.* 1.

manubiis copiosus. Et præsertim quia in eo vt omnium redemptore totus inquit Ambrosius, mundus intrabat. Hæc considerantes Angeli Christo præambuli, dicebant *Attollite portas principes*, quia ob id quod dictum est, maiorem, inquit Ambrosius, quærebant viam reuertenti. Angeli autem portarum custodes qui vsque ad id tempus verbum siue Dei filium secundum suam diuinitatem, teste Cyrillo, non ignorauerant, ignorauerunt autem eum fuisse carne indutum, & simul ea quæ in carne egerat, vt fateri videntur Dionysius loco citato & Ambrosius. Aut saltem si hęc non ignorauerunt in Dei sapientia, ignorauerunt eadem in propria existentia, vt arbitratur Augustinus; hi inquam cùm viderent Christum trophæa suæ victoriæ ferentem, & gradientem in multitudine fortitudinis suæ, ignorantes quis esset, aut gloriam eius admirantes, dixerunt:

10. in Ioã. cap. 9.
De instit. virg. ca 5.
5 De Ge. ad litt. ca 19.
Esaiæ 63.

Quis est iste Rex gloriæ? quibus Angeli præambuli. *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* q. d. Iste est qui diabolum, peccatum & mortem congrediendo vicit & potēter superauit. merito itaque suo portas vestras ipsi attollite, vt benedicatur in æternum in præmium operum suorum heroicorũ, inquit Basilius. Verum quia Christus etiam alio titulo regnum cælorum conscendit, iure videlicet eo quo erat cælorum Dominus, ideo vt eius causæ explicandæ occasionem accipiant, antecessores Angeli iteratò mandant. 8.

In psal. 44

Attollite portas principes vestras & eleuamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ. Angeli vero custodes, quia teste Ambrosio, processus habent scientiæ & capacitatem profectus, iterato interrogant. 9.

Loco præal legato.

Quis est iste rex gloriæ? & respondetur eis, *Dominus virtutum*. i. qui nunc & semper atque natura sua erat Dominus virtutum angelicarum, vt pulchrè vrget hæc verba Cyrillus, *ipse est Rex gloriæ*. i. ipse idem est, quem in humana sua natura ad propria remeantem cernitis, ideo attollite portas, vt iure suo vna cum sua humanitate ingrediatur in requiem suam. 10.

3. Thes. c. 2

PSALMVS XXIIII.

In finem Psalmus Dauid.

IN hoc Psalmo non est oratio Christi, sed cuiusuis iusti, qui dicit:
Ad te Domine leuaui animam meam, per mei ad te conuersionem, Cùm enim anima moueatur affectibus, cùm se conuertit ad ea quæ sursum sunt, dicitur se leuare, cùm vero ad ea quæ deorsum, dicitur se deijcere. *Deus meus in te confido*, Confidentia robur spei est, in quam spes ipsa tandem increscit, *non erubescam*, quia prouentu confidentiæ meæ non fraudabor. Cùm enim Deus ijs qui pusillo sunt animo frequenter sponte occurrat, qua ratione deerit sperantibus, cùm spes & confidentia 1.

Serm 9 in Psal 90. diuinæ gratiæ obtinendæ, magna sint causa? vt latius declarat Bernardus.
Neque irrideant me inimici mei. quod facient, si expectationem meam
2. non fuero assecutus, sicut patet in vxore Tobiæ, quæ arbitrata Tobiam temporalem retributionẽ à Deo spectasse, cum iam nihil minus obtinuisset, illudebat ei dicens: Manifestè vana facta est spes tua. *Etenim vniuersi qui sustinent te non confundentur*. verba sunt fiduciæ, quæ confirmat Ecclesiasticus cùm dicit. Respicite filij nationes hominum, quis sperauit in Deo, & confusus est! Quin potius.
3. *Confundantur*. i. confundentur æterna confusione, *omnes iniqua agentes superuacuè*. i. iniquitatem exercentes etiam cum nulla eis subest ratio vel infirmitas, sed mera malè agendi libido, vel *superuacuè*. i. qui iniqua agunt, & qui in vanum accipiunt animam suam. Vtrique enim in æternam deuenient confusionem.
4. *Vias tuas Domine*, per quas ad te itur, *demonstra mihi*, *& semitas tuas*. i. angustas illas vias quas pauci inueniunt, *edoce me*, per id doctrinæ genus, quod præter manifestationem veritatis simul præbeat charitatem, de quo
Cap. 13. de gra. Christi. Augustinus.
5. *Dirige me*. i. ad rectè consiliandum atque eligendum vel ordinandum ea quæ mihi facienda sunt, adiuua me. Auxilio enim Dei ad bene eligendum dicitur homo dirigi, auxilio vero ad exequendum dicitur confortari
3. cõt. gent. cap 82. inquit Diuus Thomas. *in veritate tua*, sola enim Dei directio, vera directio est, humanæ autem prudentiæ directio, abductio. quid enim sine te mi-
4. cõfes c. 1 hi sum, inquit Augustinus, nisi dux in præceps? *& doce me quia tu es Deus saluator meus*, *& te sustinui tota die*. i. in omnibus consilijs, actionibus, & ijs quæ mihi agenda aut arripienda forent, tuam directionem spectaui, & cum longanimitate expectaui.
6. *Reminiscere miserationum tuarum Domine*, *& misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt*. vt ijsdem miserationibus me præuenias, quibus sanctos tuos ab initio sæculi huc vsque direxisti.
7. *Delicta iuuentis meæ & ignorantias meas ne memineris*, hoc adijcit, ne ob peccata præcedentia directione diuina habeatur indignus. nominatim vero petit obliuionem fieri delictorum suæ iuuentutis, eo quod iuuentus
1. de Interpell. cap. 7. inualida viribus, inquit Ambrosius, infirma consilijs, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delitijs, sic obnoxia sit peccatis, vt pau-
21. de Ciu. cap. 16. cissimi sint, inquit Augustinus, tantæ felicitatis, vt ab ipsa ineunte adolescentia, nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitijs, vel in facinoribus, vel in nefariæ cuiusquam impietatis errore, sed magna spiritus largitate opprimant, quicquid in eis posit carnali delectatione dominari.
8. *Secundum misericordiam tuam*. hoc verbo indicat, vnde petat impendendæ

dendæ ſibi miſericordiæ menſuram à Deo deſumi, videlicet ſecundum rationem infinitæ ſuæ miſericordiæ; vt miſericordiam impertiendam Deus metiatur proportione facta, non ad meritum vel dignitatem orantis, ſed ad amplitudinem ſuæ bonitatis. *memento mei tu propter bonitatem tuam Domine.* cùm petimus vt Deus quid præſtet propter ſemetipſum ſuamque bonitatem, tum obſecrare dicimur. Dicendo itaque *propter bonitatem tuam*, petit vt Deus ipſe cauſa eſſe velit propter quam, ſicut cùm dixit, *ſecundum miſericordiam tuam*, rogauit, vt Deus vellet eſſe menſura, ſecundum quam miſericordiam diſpenſet, vt manifeſtũ fiat, quam ſit omni ex parte verum quod dixit Eſaias, Iſrael autem ſaluabitur in Domino.

Dulcis & rectus Dominus, *propter hoc legem dabit delinquentibus in* 9.
via, vt normam habeant, ſecundum quam diſtortos ſuos mores rectos faciant. Ex eo enim quod Dominus rectus eſt, competit ei vt ſit regula obliqui, ex eo quod dulcis eſt, placet ei vt ſe præbeat regulam obliquo.

Diriget manſuetos in iudicio prudentiæ ſuæ, *docebit mites vias ſuas.* Hi 10.
enim ad accipiendam à Domino eruditionẽ, proximè diſpoſiti ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei. Hoc autem, vt *Eccli. 5.* notat Auguſt. non ita eſt intelligendum, quaſi tantummodo tales adiuuet *1. Retract.* Deus, cùm adiuuet etiam feroces vt miteſcant, ſed adiuuat Dominus man- *cap. 13.* ſuetos vt proficiant, non manſuetos, vt manſuetudinem induant.

Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Si hoc ſine ſequentis 11.
particulæ adiectione abſolutè diceretur, tum nomine veritatis iudicium Dei iuſtum intelligi poſſet, ſicut intelligit Diuus Proſper: Sed quia ſub- *Cap. 14. ad cap Gell* iungitur, *requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius*, ideo conue- *Ad obiect.* nientior eſt ſenſus, Illis qui requirunt Deum vt faciat ſecundum teſtamen- *Vinc c. 10.* tum aut promiſſum ſuum, eſt miſericors, quia exhibet illis miſericordiam cùm dicũt; Miſerere mei ſecundum eloquium tuum, & ſimilia. Eſt illis & *Pſal. 118.* verax quia fideliter implet ijs quod promiſit.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo; multum eſt 12.
enim. Propter nomen tuum. i. propter temetipſum. Aut, vt per experientiam indulgentiæ tuæ glorificetur nomen tuum in eo quod omnes magnitudinem indulgentiæ tuæ, vt quæ cõſentanea ſit verbis Prophetarum tuorum, prædicent.

Quis eſt homo qui timet Dominum? Et ne hoc quiſpiam ſibi tribueret 13.
adiungit Pſaltes. *Legem ſtatuit ei in via quam elegit?* q.d. Quis eſt homo qui timet Dominum, & vt ad Dei pertingeret timorẽ, legem ab eo accepit, per quam eum timeret? Quicunq; is fuerit, non fruſtra Deum timebit, quia,

Anima eius in bonis demorabitur. i. æternis bonis in fine fruetur, & 14.
ſemen eius. i. quæcunque bona opera hic ſeminauerit, *hæreditabit terram.*

i.per ea hæreditatẽ in terra viuentium acquiret, Vel, in bonis *demorabitur*, vt ipse etiam in mortali corpore positus, in bonis spiritualibus habitet, & terrenum suum corpus in seruitutem redactum, in pace possideat. Vtrumque sensum dat Ambrosius. *De bono mor. ca. 9.*

15. *Firmamentum est Dominus timentibus eum*, per prædestinationem secundum suum propositum, per hanc enim infallibiliter & insuperabiliter eos vocat, iustificat, lapsos erigit atque magnificat. *& testamentum ipsius vt manifestetur illis*. i. promissio quam post mortem ipsis implere affirmauit, est, vt semetipsum illis manifestet sicut dicit Christus, Manifestabo illi meipsum. *Ephes. 1.* *Ioan. 14.*

16. *Oculi mei semper ad Dominum*, vt ab eo adferatur auxilium mihi, *quoniã ipse euellet de laqueo pedes meos*. ne scilicet affectus mei ab illecebra peccati illaqueentur aut capiantur. Cui oculorũ erectioni precẽ adiungens, addit.

17. *Respice in me & miserere mei quia vnicus*. i. vnius ecclesiæ, inquit Augustinus, filius. vel *vnicus*. i. humana ope & fauore nõ illibenter destitutus, *& pauper*. i. exiguus meritis *sum ego*.

18. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*. multi enim qui persequuntur me & tribulant me, quia vexamur in hac vita à tribulatione malorum & dolore. *De neceßitatibus meis*. i. aduersitatibus, quibus me necesse est obnoxium esse, *erue me Domine*. quod fieri videtur, cum datur homini vt faciat de necessitate virtutem, & aduersitate quam euadere non potest bene vtendo, eam sibi aliquousque facit voluntariam. De quo aduersitatis bono vsu sequitur.

19. *Vide humilitatem*. i. vilitatem *meam* (inquit Bern.) cuius eruditione ad virtutem humilitatis exerceor, de qua Dauid, si forte videat Deus humilitatem meam, *Et laborem meum*, quo iustitia hic in tolerandis imo tolerando corrigendis aliorum iniquitatibus desudat. *Et dimitte omnia peccata mea*. humilitas enim quæ tribulationum exercitijs acquiritur, & labor quo cum aduersitatibus Christiano more congredimur, impetrandæ veniæ non parum conducunt. *Bern. in declamat.*

20. *Respice*, cohibendo, *inimicos meos, quoniam multiplicati sunt*. numero, & ob id simul inualuerunt audacia & iniquitate, *& odio iniquo*, quia gratis & sine causa *oderunt me*.

21. *Custodi animam meam*, ne odium inimicorum mihi scandalo sit, *& erue me*. Eruitur ab illis qui eorum infestatione ad peccatum non seducitur, & magis qui per eam augetur merito. *non erubescam*. verbum est confidentiæ, *quoniam speraui in te*. Spes enim non confundit. vel, *non erubescam*. i. non patiaris me erubescere. *quoniam speraui in te*. *Roman. 5.*

22. *Innocentes & recti adhæserunt mihi*. Superius ergo dixit se esse vnicum, quia

quia erat humana ope destitutus, *quia sustinui te.* In omni enim aduersitate quam à malis perpetitur, nunquam iustus omni ex parte destituitur solatio & fauore bonorum. Porrò Psaltes qui hactenus Christianorum singulos informauit qua ratione sibi deprecandum esset, adiungit orationem generalem pro omnibus in angustia constitutis. Christianæ enim charitatis est, vt quisque ex suis recordetur omnium eorum qui in angustijs positi sunt, & oratione pro se facta etiam pro illis precetur, quia Ecclesia vt in commune tentatur, ita etiam in commune orat, inquit Ambr. dicit itaque: *Amb. 1. offic. cap. 29.*

Libera Deus Israel. i. totam ecclesiam Dei, *ex omnibus tribulationibus suis.* Itaque ex cohærentia Psalmi satis apparet sensum quem circa verba *De necessitatibus meis* dedimus, huic loco proprium esse. D. August. tamen & qui eum secuti sunt, intelligunt hęc de necessitatibus, quibus anima humana gratia Dei destituta subiecta est. Inter quas necessitates vna est necessitas habendæ concupiscentiæ & motuum eius, Est & alia quam vocat August. necessitas peccandi; sed id hoc sensu, quia homo sine gratia Dei non potest per semetipsum omnia peccata grauiora aut damnationem euadere. Cui tamen qualicunque necessitati ratio obtinendæ à Deo subuentionis suggeritur, per hoc quod dicitur de necessitatibus meis erue me Domine. Necessitates enim suas euadet quisquis hæc debitè orauerit. 23. *Aug de natu. & gra. cap. 66. de perf. instit. ratio. 9. Prosper. 3. de vita contempl. ca. 2*

PSALMVS XXV.

In finem Psalmus David.

IVdica me Domine. i. Iudicio approbationis, idque facito; vel hîc, vel saltem in futuro. Cùm enim Dominus sit expectatio gentium ad iudicium, teste Augustino, videtur hoc verbo exponi fiducia aut desiderium iustorum in diem iudicij. *quoniam ego in innocentia mea.* i. cordis mei, *ingressus.* i. conuersatus *sum.* Et occurrendo obiectioni qua dici ei posset, quomodo audes expetere iudicium Dei, cùm nondum perseueraueris? demonstrans se perseuerantiam in spe habere, dicit. *Et in Domino sperans.* i. cùm in Domino sperem, *non infirmabor.* i. non deficiam ab innocentia mea. 1.

Proba me Domine & tenta me. Tentatur quis, vt docet Aug. tentatione noxia, vt in peccatum inducatur. Tentatur etiam tentatione vtili vt probetur. De posteriore hîc sermonem esse tum fides docet, quia Deus intentator malorum est, & ipse neminem tentat, tum ipse Psalmi textus; præcedit enim, *Proba me*, quod verbum præcedendo dirigit intellectum nostrum, vt tentationem hanc, de ea quæ ad probationem fit intelligamus. Porro dicere Deo. *Proba me*, non omnium, sed fortium est, vt indicat Augustinus. Qui etsi Deo testimonium perhibente conscientijs eorum, se illi no- 2. *Cap 6. de bon. perse. Iacobi 1.* *14. de Ciuit. cap 9.*

 tos esse

tos esse & acceptos bene confidant, probari tamen orant, quia, vt inquit
Ser. 8. v. 2. in psal. 118 Ambrosius, cognosci & probati esse plenius & euidentius desiderant. *Vre*
igne charitatis omnia desideria consumente *renes meos*. i. ipsam cupidita-
tum mearum carnalium sedem. *& cor meum*. i. sedem cupiditatum corru-
ptæ mentis. Ne autem probari desiderans præsumere videatur, subijcit.
3. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est*. q. d. ideo confidenter
1. Cor. 10. probari expeto, quia præ oculis habeo misericordiam tuam, per quam non
tentabor, supra quam potero, & à qua adiuuabor, vt bene vtar tentatione.
& complacui in veritate tua. q. d. eo iam perueni, vt mihi in me hoc tan-
tummodò placeat, quod est in me efformatum ad veritatem tuam. non er-
go mihi molestum erit tentatione tua argui, aut igne tuo castigari, quia his
modis magis magisque reuocor atque reformor ad veritatem tuam. Per
quæ autem opera ingressus est iste qui hic loquitur in innocentia sua?
4. *Non sedi*. i. non consensi, nec cooperatus sum, *cum consilio vanitatis*.
i. ijs qui captant consilia vanitatum. *& cum iniqua gerentibus*. i. facinoro-
sis, *non introibo*, consentiendo vel cooperando.
5. *Odiui ecclesiam*. i. conuentum. *malignantium*. i. mala machinantium,
& cum impijs. i. in Deum peccantibus, *non sedebo*. i. consortem me illis
non præbebo. Veruntamen licet innocens homo à prædictorum peccato-
rum consortio immunem se seruauerit, quia tamen sine peccato non viuit,
ne per negligentiam emundandi se à peccatis quotidianis in eorundem in-
cidat contemptum, eaque ratione innocentiam perdat, subijcit Psaltes:
6. *Lauabo inter innocentes manus meas*. i. operam dabo me vna cum om-
nibus iustis à quotidianorum peccatorum sordibus per quotidanam pœ-
nitentiam emaculare. *& circumdabo altare tuum Domine*. i. cultui tuo qui
præcipuè in visibili altari tibi exhibetur, circumquaque adero. Circundare
enim frequentiam & multitudinem, si Euthymio credimus, importat.
7. *Vt audiam vocem laudis tuæ*. i. audiendo discam ea quæ laudis tuæ sunt;
quæ vbi didicero, *enarrem vniuersa mirabilia tua*, sic Augustinus.
8. *Domine dilexi decorem domus tuæ*. i. eos qui in domo tua. i. ecclesia tua
2. Timo. 2. vasa sunt in honorem, *& locum habitationis gloriæ tuæ*. i. eos quos inha-
bitando glorificas, & à quibus tu vicissim ob inhabitationis tuæ gratiam
glorificaris.
9. *Ne perdas cum impijs Deus animã meam*. q. d. quia tamen in domus tuæ
communione, vna cum impijs qui in ea tolerantur aut latent, viuo, *ne per-
das*. i. non perdes ob hanc communionem vna cum eis animam meam, sed
suo tempore nos ab illorum societate, vt in hac vita amorum dissimilitu-
dine, ita in futura, retributionis diuersitate separabis. *& cum viris sangui-
num*. i. homicidis, *vitam meam*. i. animam.

In quo-

In quorum manibus iniquitates sunt. i. qui pleni sunt iniquis operibus, 10.
& dextera eorum repleta est muneribus, quia muneribus ad iniquitatem seducuntur, & muneribus aguntur.

Ego autem. q.d. illis licet mala agentibus, Ego tamen in innocentia *mea* 11.
ingressus sum, & ideo iniquitas eorum mihi in futura vita obesse non poterit, *redime me*, à malorum consortio, *& miserere mei.*

Pes enim *meus stetit in directo*, id est, rectam viam quæ ducit ad perfe- 12.
ctam iustitiam perseueranter ambulaui. In qua via si vltimus dies hominem bene ambulantem inuenerit, etiamsi perfectam iustitiam tum nondum apprehenderit, potius erit perficiendus quam puniendus, inquit August. *In Ecclesiis.* i. vnitate ecclesiastica, *benedicam te Domine*, nisi enim pro his Dei beneficijs gratus existeret, per ingratitudinem innocentiam perderet.

2. de bono pers. ca 21 & 14. de Trin c. 17.

PSALMVS XXVI.

Psalmus Dauid priusquam liniretur.

Linitus est Dauid cum in Regem vnctus est. Priusquam autem à Samuele vngeretur, dixit de eo ad Samuelem Dominus: Prouidi, i. per prouidentiam meam iam præparaui de filijs Isai mihi in Regem. In quem sensum precabatur & Moyses, Prouideat. i. præparet Dominus Deus spirituũ omnis carnis, virum qui posit ingredi & egredi ante populum hunc. Itaque titulus Psalmi, qui, vt ex Augustino diximus, velut clauis quædam, ad sensum Psalmi introitum præbet, indicat Dauidem hoc Psalmo ea cantare, quæ Dominus in eo operatus erat, priusquam in Regem vngeretur, per quæ & eundem præparauerat vt idoneus esset regiæ dignitati accipiendæ. Et vere sic se res habet. Priore enim parte psalmi describit Psaltes ea quæ in eo præcesserãt priusquã ad regni gubernacula promoueretur. Deinde quid sibi ob id iam ad regiam dignitatem exaltato sperandum fuerit à Domino. Postremò quid tempore illius suæ sublimitatis egerit. Et hæc, ad informationem eorum qui postmodum in petra. i. Christo seu corpore Christi exaltandi sunt, vt ex hoc Psalmo animaduertant qualiter oporteat eos esse præparatos priusquam exaltentur, qua spe fultos cum exaltantur, cui rei in primis deditos cum in sublimi versantur. Dicit itaque Psaltes:

1. Reg. 16.

Num. 28.

Dominus illuminatio mea. Dicit potius illuminatio mea, quam lumen 1.
meum, quamuis & hoc verum sit, vt significet eos præcipue qui præparantur continuis potius illuminationibus proficere, quam lumine aliquo perfecto gaudere. *& salus mea.* q. d. saluans me, vt omnia quæ agam salutariter exerceam. Quo versiculo vsus est Diuus August. vt probaret contra Pelagium gratiam Christi, non solum veritatis ostensionem, sed eiusdem etiam

etiam dilectionem præstare, *Quem timebo*? Nemo enim mihi quippiam quod pro nocumento ducendum sit, hoc casu poterit inferre. Per salutem enim à Domino mihi concessam omnia sunt salua. Quapropter & Dominus dicebat: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animã autem non possunt occidere. An autem timendum mihi erit, ne iustitia à Domino mihi concessa, & ex consequenti salus sperata, per aduersitatem aliquam expugnetur? ne id quidem, quia,

2. *Dominus protector vitæ meæ*, qui ipsam quam dedit gratię vitam tuetur & propugnat, *à quo trepidabo*? Quis enim Deo propugnante fortior erit, quia si Deus pro nobis, quis contra nos?

3. *Dum appropiant super me nocẽtes, vt edant carnes meas*. i. dum aduersitas non solum in ea quæ circa me sunt desæuit, sed tam propinqua accedit, vt etiam carnem meam inuadat:

4. *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt*. quia iustitiam & animi tranquillitatem, nec quidem attrectata carne mea, expugnare, Deo protegente, potuerunt. *& ceciderunt*, quia in maius peccatum prolapsi sunt. Dicit autem Psaltes hæc in præterito, non tam enarrans ea quæ sibi cum priuatam vitam ageret euenerant, quam quæ nata sunt euenire eis quibus Dominus illuminatio & salus & protector vitæ est.

5. *Si consistant aduersum me castra*. i. aduersariorum societas instructa numero, fœdere, authoritate, & omnis generis armatura, *non timebit cor meum*, de Domini protectione confidens & securum.

6. *Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo*, quia prælium exercet ad probationem, probatio adfert spem.

7. *Vnam*. i. vnum. Apud Græcos enim & Hebræos adiectiua substantiuantur, non solum in neutro genere vt apud Latinos, sed etiam in fœminino, vt notat Augustinus. dicit itaque *Vnam petij à Domino, hanc requiram*. q. d. Ideo non timebo, quia nihil est quod in præsenti vita appeto, aut magnopere requiro, & ob id damna præsentium rerum quarumcunque non reformido, sollicitus id solum assequi, *vt inhabitem in domo Domini*, beata scilicet *omnibus diebus vitæ meæ*. i. in æternum. Ne autem in hoc appetitu Psaltes suum solummodo bonum, & non potius Deum ipsum diligere videatur, subijcit:

In psa. 118 ad verba, Hæc facta est mihi.

8. *Vt videam voluntatem Domini*. Error est in hoc vocabulo, nõ interpretis, sed scribarũ vel typographorũ. Græci enim & cum Hieronymo, Aug. Ambros. legunt *iucunditatem* aut *delectationem*. Ideo verisimile est scriptores vocabulorum vicinitate deceptos, voluntatem pro voluptate scripsisse. Optat itaque in domo Domini videre etiam *voluptatem Domini*. i. videre delectationem, quæ Deus est sibi. Quia præ amore amicitiæ quo

Deus

Deus principaliter diligendus est, diuinam beatitudinē videre desiderat, ipsius Dei ac diuinæ pulchritudinis & suauitatis amore. Proinde, in vno hoc quod petijt à Domino & requisiuit, duo cōplexus est, videlicet videre Deum illudque bonum quod Deus est sibi, & inhabitare in domo Domini, ipsiusq; summi boni participatione beari. Quæ duo spectasse videtur Ambros. cùm dixit. Epulatoriū & plenum iucunditatis est requiescere in Deo, & eius delectationem videre. Hoc autem quid aliud est quam facie ad faciem videre, quod de se dixit æterna sapientia, Delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum? Dicitur ergo hic Voluptas Dei, non quæ à Deo deriuatur, sed qua Deus ipse in semetipso delectatur, Sicut B. Augustino ad Phil. 4. Pax Dei dicitur, nō quæ à Deo est, sed qua Deus in semetipso pacatus est. Voluptas enim quam percipiūt beati, tāetsi voluptas Dei dici possit quia ab eo est, ea tamen hoc loco non satis cōmodè intelligi potest nomine Voluptatis Domini, quia dicit Psaltes vt videam voluptatem Domini, illa verò non tam videtur quàm gustatur, quia non tam intellectu quàm appetitu intellectiuo ad diuinam visionē consequenter, percipitur. *Et visitem templum eius*. Templum illius ciuitatis est Dominus Deus, inquit Ioannes, & Agnus. i. Dei filius secundum humanitatē templum est, in quo etiam in illa beatitudine singulariter habitat Dominus. Dicendo ergo *vt visitem templum eius*. quid aliud innuit, quam se appetere vt in vita æterna vna cum cognitione Dei veri, de qua supra, cognoscat etiam quem Deus Pater misit Iesum Christum? Eo quod lucerna illius ciuitatis. i. secundarium obiectum futuræ beatitudinis sit Agnus? Ad hæc ergo per Dei prouidentiam peruenerat Psaltes priusquam liniretur. Quid vero spei ad accipienda à Deo reliqua quæ ei iam vncto & exaltato erant ad salutem necessaria ex præmissis eum capere oportuerit, sequitur:

De fug. sæ. cap. 8.

Prouerb. 8.

Epist. 112 cap. 18.

Apoca. 21

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. q. d. Cùm adhuc priuatam vitam agerem, & needum essem velut in theatro mundi positus, contra tentationes domesticas ac priuatas protexit me, secreta ope auxilij sui: At nunc, 9.

In petra qui est Christus. i. in Christi corpore siue ecclesia *exaltauit me*. 10.
i. superiorem locum siue Regium thronum ascendere fecit, qui locus plures inimicos & grauiores plerumque aduersitates sortitur, ac bellis publicis obnoxius est; Proindè sicut tunc, ita & nunc *exaltauit* siue exaltabit *caput meum super inimicos meos*. q. d. priora eius cum in silentio agerem auxilia experto mihi de eo sperandum est, quod per auxilium cooperationis & protectionis suæ etiam nunc in hoc rerum statu, me omnibus inimicis meis faciet superiorem. Superior autem efficitur in primis qui aduersa per

patientiam vincit, magis autem qui aduersantes sibi ad meliorem mentem conuertit, & facit iustitiam, disciplinam, ac pietatem, superioré semper locum obtinere. Quid vero Psaltes in petra exaltatus sibi agendũ esse putauit?

11. *Circuiui*. i. varijs sanctorum congregationibus ob participanda eorum merita, voto, amore, atque etiam consortio me vniui. Quod vt efficacius faciat Christianus, varia etiam sanctorum loca corporaliter obit. *& immolaui in tabernaculo eius*. i. Ecclesiæ vnitate. *Hostiam vociferationis*. i. ardentis desiderij ac deuotionis. *Cantabo & Psalmum dicam Domino*. i. orationi huic, vt omni ex parte bene instructa sit, addam gratiarum actionem. Dicam autem in hac hostia vociferationis.

12. *Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te, miserere mei, & exaudi me*. Hæc verba obsecrationis sunt. Petebat autem quod sequitur:

13. *Tibi dixit cor meum*. i. non verbotenus, sed medullitus tibi dixi, *exquisiuit te facies mea*. i. non solo interno desiderio, sed etiam plano & expresso studio te requisiui. *faciem tuam Domine requiram*. i. etiam in hoc sublimi gradu operam dabo tibi occupari animo, tuique contemplatione frui, eamque si amisero requirere. Quibus verbis docet Psaltes, quod non debeant illi, præsertim qui rebus spiritualibus aut Reipublicæ per spiritum præsunt, desiderium seu studium vitæ contemplatiuæ prætermittere.

14. *Non auertas faciem tuam à me*. Hoc additur, quia videre faciem Domini non est in præiudicio aut conatu scrutantis, sed in dignatione Domini semetipsum scrutanti manifestantis. Sicut dicit Bernardus: Si quando ait contingat hominem rapi in cognitionem diuinæ maiestatis, digitus Dei est iste, dignanter leuans hominem, non hominis temeritas insolenter Dei alta peruadens. Hoc desiderio præcipuè ante suum Pontificatum ardebat Gregorius, cùm de se scriberet: Conabar namque quotidie extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere, & superna gaudia incorporaliter videre, & non solum vocibus, sed medullis cordis ad Dei speciem anhelans dicebam: Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum. Si autem hoc quod dicit, *Faciem tuam Domine requiram*, intellexerimus fieri pro futura vita, tunc sensus est, Requiram te in futuro videre facie ad faciem. *Ne declines in ira à seruo tuo*. i. noli peccatis meis indignatus me deserere, quod est, gratiam iustificantem atque tuum in me incolatum à me auferre. Quod vt non fiat, quandoquidem potius humanarũ non dico virium, sed partiũ est, quam Dei, prius enim per auxilium gratiæ præuenientis agendum est homini ne ipse deserat Deum, quia Deus non deserit nisi desertus, ideo subdit Psaltes orationem pro se, & dicit:

Ser. 62. in Cant.

1. Regist. epist. 5.

15. *Adiutor meus esto ne derelinquas me*. i. non permittas me etiam iustificatum mihimetipsi, ne, quod tunc certò euenturum esset, ego deseram te.

Iustificati

Iustificati enim qui absque diuina protectione suo dimittuntur libero arbitrio, cadunt & Deum deserunt. Te autem me iustificatum dirigente & adiuuante, eueniet vt ego non deseram te, nec tu declines à me. *neque despicias me Deus salutaris meus.* Qui enim hoc modo deseruntur, vel potius sibi derelinquuntur, despici videntur, inquit Lyra. Sic enim derelinquuntur quos Deus ad perseuerantiam non prædestinauit, vt docet Augustinus, Hi autem inter illos numerari possunt quos Deus despexit. Quamquam iústificati subinde derelinquantur & corruant ad correptionem non ad damnationem, vt Psalmo 29. patebit. *Cap. 13. de cor. & gra.*

Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me. q. d. Adam & Eua, 16.
mediantibus parentibus proximis fecerunt me à iustitia desertum & virtute spirituali sic destitutum, vt tota infirmitate necdum sanata, adhuc hodie supersit mihi pronitas ad declinandum, & difficultas ad surgendum. Et hoc quidem illi; ex alia autem parte *Dominus autem assumpsit me* in curam & protectionem suam. Qui morti ac infirmitati à patre & matre ingenitæ gratiam ex diametro opponens, *me*, non solum à præteritis redemit peccatis, sed sciens me iterum posse peccare, ad reparationem sibi, vt post ista, inquit Cælest. Pontifex, posit corrigere, multa seruauit, & quotidiana præstat ille remedia, vt illis omnes nos freti & nixi, humanos posimus vincere errores & lapsus. Per spem itaque diuini huius auxilij dicit Psaltes: *Epistol. ad Presb. ca 6*

Legem pone mihi Domine in via tua. Lex vnicuique ponitur, cum ei le- 17.
gis intelligentia datur, & qua ratione dicta & facta sua legi consentanea reddat, intus informatur. *& dirige me* per prelucentem mihi gratiam tuam, *in semitam rectam.* i. vt inter varias agendi rationes quæ animo humano occurrunt, amplectar id quod rectum est. Hoc autem hic (*semitæ*) nomine appellatur, quia fere angustum est & arctum. *propter inimicos meos.* egemus enim peculiari Dei protectione ob pericula quibus subijcimur per aduersarios.

Ne tradideris me in animas tribulantium me, non dicit in manus, præ- 18.
cipua enim illi cura est, ne à Deo permittatur ad impietatem seduci, vt anima impiorum desiderat. *quoniam insurrexerunt in me testes iniqui.* Inter reliquas enim tentationes quibus iustus impetitur, vna est, quod iustis crimina non solum obijciuntur, sed etiam productis testibus in speciem probantur, vt euenit Naboth, alijsque cõpluribus. *Et mentita est iniquitas sibi.* q. d. peior est conditio illorum quam mea; Illi enim mendaciter testificando plus sibi sua iniquitate nocent quam mihi. Ego enim tametsi hic falsis testibus quasi conuictus, testimonio tamen conscientiæ meæ confortatus, *3 Reg. 21.*

Credo. i. spero. Cum enim bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud 19.

Enchir.c 8 quam ſperantur, inquit Auguſtinus. *Videre bona Domini*, æterna ſcilicet, *in terra viuentium*. Abraham videlicet, Iſaac & Iacob, qui Deo viuunt,
Matth. 22 vt interpretatur Hieronymus, colligens ex hoc loco terram promiſsionis
Epiſt. 129 ad Darda. nõ fuiſſe Palæſtinam, ſed patriam regni cæleſtis. Pſaltes itaque quandoquidem ea quæ præceſſerunt de ſe fere cantauit, ad informationem illorum qui in Petra ad finem vſque ſæculi forent, vt diximus, exaltandi, Nunc ad eoſdem ſermonem conuertit, & tanquam ſuo exemplo eos corroborare & animare geſtiens, vnicuique eorum dicit in ſua perſona.

20. *Expecta*. ô tu quicunque in tribulatione aut difficultate poſitus es, *Dominum*. i. Domini conſolationem & auxilium, ſi pro voto non ſtatim ad-
Abacuc 2. fuerit, quia veniens veniet, & non tardabit. Quod enim Deo citum eſt, id
In pſal. 41. deſiderio humano tardum eſt, inquit Auguſtinus. *viriliter age*, Quæ enim
Epiſt. 35. in rectè factis magna ſunt & præclara, inquit Cyrillus, non ſine labore peraguntur. Eſt autem omnino ita comparatum, vt quodcumque bonum, labor præcedat. Et quia ardua tibi præ manibus ſunt in quibus te oporteat laborare, *viriliter age & confortetur cor tuum*. i. vna cum aduerſitate cor
1. Cor. 10. tuum paulatim increſcat robore vt accipias cum tentatione prouentũ, *& ſuſtine Dominum*. i. Domini retributionem eam cum longanimitate quamdiu Domino viſum fuerit expectando, *ſuſtine*, dico eam, memor eius quod
Eccli 1. ſcriptum eſt, Vſque ad tempus ſuſtinebit patiens, & poſt hæc redditio iucunditatis.

PSALMVS XXVII.

Pſalmus huic Dauid.

ORat in hoc Pſalmo Chriſtus, ne ſigna & teſtimonia ſanctimoniæ atque diuinitatis ſuæ tempore prædicationis & paſsionis ſuę Deus Pater contineat, aut poſt ſuum tranſitum Euangelij prædicationem permittat ceſſare. vtroque enim ceſſante, Chriſti nomen non ſolum apud homines facilè intermoreretur, ſed etiam criminantibus inimicis fœdaretur, crederetur; ipſe mortuus, vt ſceleratus. Pſaltes itaq; hîc pluribus verbis exequitur petitionem, quam Chriſtus vno verbo complexus eſt cùm
Ioan. 17. diceret: Clarifica me Pater. & Pſalmo 108. Deus laudem meam nẽ taceuris, Atque dirigitur Pſalmus cõtra propoſitum Iudæorum dicentium: Era-
Ierem. 11. damus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Dicit itaque Chriſtus, non tam ſui gratia, quam quia hoc expediebat noſtræ ſaluti ad Deum Patrem.

1 *Ad te Domine clamabo Deus meus ne ſileas à me*. i. ne cohibeas prædicationem nominis mei neq; patiaris gloriam nominis mei ſilentio ſepeliri. *nequãdo taceas à me*. i. ne ſi tu id paſſus fueris, *& aßimilabor*. i. ſimilis habebor *de-*

bor *descendentibus in lacum.* i. peccatoribus, qui mortui ad inferna descendunt.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuũ. Humano aut etiam Iudaico more loquitur de Christo Psaltes; solent enim homines orantes, manus ad cælum, sanctum Dei templum, leuare: Et Iudæi vbicunque orabant, solent se ad templum conuertere. Vnde & Daniel in captiuitate, positus, oraturus aperuit fenestram versus Ierusalem. Hanc tamen manuum Christi eleuationem Diuus Augustinus peculiariter refert ad extensionem manuũ eius in cruce. 2. Daniel. 6.

Ne simul tradas me cum peccatoribus. i. non tu me sine testificatione gloriæ meæ in ea ignominia permanere permittas, qua affectus sum, cum vna cum latronibus crucifigerer, *Et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.* q.d. Iudæi laborantes nomen meum extinguere, sibimetipsis perditionem acquirunt. tu autem ne permittas vna cum ipsis & nomen meum extingui atque perire. 3.

Qui, Iudæi scilicet, *loquuntur pacem cum proximo suo.* i. mecum qui sum Iudæis proximus, quia eis promissus, & ex eorum gente prognatus, *mala autem in cordibus eorum.* Factum est hoc manifestè, cùm Iudæi miserunt ad Christum, qui se iustos simularent, & dicerent: Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, cùm tamen sub prætextu illius pacis machinarentur ei perniciem. verum interim est complures inueniri, qui loquuntur pacem cum proximis seu fratribus suis, mala autem in cordibus eorum. 4. Matth. 22

Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum. Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis. Prædictio est; in quibus tamen verbis ob id quod dicitur: *Secundum nequitiam adinuentionum ipsorum.* Credendum est Psalten per Spiritum Prophetiæ respicere ad id quod mox ex Euangelio citatum est, quia de illa Iudæorum astutia expressè dicit Euangelium: Cognita Iesus nequitia eorũ. Ex identitate autem vocabulorum quibus Scriptura varijs in locis vtitur, sermonem in varijs illis locis de eadem re esse, colligit Irinæus. 5. 6. Ibidem. Li. 3. c. 27

Quoniam non intellexerunt opera Dei, & in opera manuum eius. i. non intellexerunt opera illa Christi Dei esse, ab eoque esse ordinata ad generis humani redemptionem. Quem versiculum de cæcitate Iudæorum contra Christum intelligendum esse, testis est Cyprianus, ex eo probans, ante prædictum esse, quod Iudæi neque cogniturí, neque recepturi essent Christum. Ex qua Cypriani interpretatione consequitur, etiam reliquam partem Psalmi Iudæos concernere. *destrues illos & non ædificabis eos.* Templum enim eorum & principatus genti illi ablatus est, nec aliquid eorum 7. 1. aduers. Iud. cap 3.

vnquam Domino impediente restituetur. Cùm enim Iulianus templum eorum restaurare vellet,conatus illius, igne ex terræ visceribus erumpente frustratus est,teste Zozomeno & Socrate. Sed Christus se exauditum esse certissimè cognoscens, hanc subijcit gratiarum actionem.

8. *Benedictus Dominus quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ*. Est cum gratulatione enarrans Dei circa se beneficia,

9. *Dominus*, inquit, *adiutor meus & protector meus, & in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum*. Hoc addit vt ex eo discamus, quod nemo frustra speret in Domino. Quod autem dicit, *sperauit cor meum*, designat spem
Daniel. 13 non tenuem esse debere: quemadmodum nec in Susanna, de qua dicitur: Erat cor eius fiduciam habens in Domino. Id autem dicitur ad distinctionem eorum, qui vt sperent in Domino, ex rationis rectæ imperio vim quandam affectui suo adferre debent.

10. *Et refloruit caro mea*, cùm à mortuis resurrexit. Diciturque tum refloruisse, quia Christi caro, quæ cum de virgine prodiret, ascendebat vt flos
Esaia 11. de radice Iesse, per mortem corporalem velut à radice succisa & emortua, per virtutem resurrectionis ad proprium suum & genuinum nitorem atque vigorem redijt, vt eleganter notat auctor Serm. 54. inter Sermones D. Ambrosij. *& ex voluntate mea*. i. ob id quod impleuit voluntatem meam, *Confitebor illi*, Cui enim res ex voto succeßit, is ex voto seu voluntate sua gratias agere dicetur.

11. *Dominus fortitudo plebis suæ*, quia eos quos ex plebe Iudæorum suos fecerat, fide atque constantia sic corroborauit, vt non scandalizarentur, cùm Christum cum sceleratis reputatum cernerent, *& protector saluationum Christi sui est*. i. ad se pertinere voluit protegere illa, quæ Christus in hominibus ad eorum salutem fuerit operatus. Porro hanc salutem quæ
Hebr. 2. vt dicit Apostolus initium cepit à Christo, ad omnem prædestinatorũ populum extendi optans Psaltes, in sua persona ad Christum, tãquam qui iam à resurrectione saluandi auctoritatẽ acceperat, sermonem cõuertit & dicit:

12. *Saluum fac populum tuum*. à te in brachio extento redemptum. *Domine*,
Deuter 5. *& benedic* omni benedictione spirituali in cælestibus *hæreditati tuæ*. i. ijs qui tibi in hæreditatẽ dati sunt, de qua re in Psalmũ 2. *& rege eos* per gratiã iugiter præcedentẽ & prouehentẽ *& extolle illos*, vt eruditione erroribus, charitate criminibus, mansuetudine inimicis, religione impietatibus semper præualeant & semper præemineant, nullamq; præter hãc exaltationẽ sæculi expetãt. Iuxta quam interpretationẽ etiã interpretanda esse arbitror verba literarũ Apostolicarũ, in quibus petitur vt oratio fiat pro exaltatione fidei catholicæ aut Ecclesiæ Romanæ. desiderãt enim fidem nostrã & Ecclesiam Romanã ea qua dictũ est ratione omnibus posse preualere & præeminere.

PSAL-

PSALMVS XXVIII.

Psalmus Dauid in consummatione Tabernaculi.

SEu vt legit Basilius in exitu tabernaculi. i. cum Tabernaculum & templum Iudaicum cum omnibus cæremonialibus finem acciperet. Eo enim tempore locum habere cepit quod dicit Psaltes *Afferte Domino filij Dei.* tum enim, quotidie maxima multitudo etiam ex gentibus ad Ecclesiam adducta est, de qua re magnificentissime Esaias, Ecce ego leuo manum meam ad gentes, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. Inter quos filios ex gentibus præcipuè congregandos, quia Magi, qui Christi cunabula præuenerunt, fuerunt primi, ob id conuenienter hic Psalmus in die Epiphaniæ in Ecclesiastico officio legitur. Itaque in principio Psalmi conuertit Psaltes sermonem ad Apostolos, eosque votis omnibus quasi extimulat & exhortatur in hæc verba: *Cap. 49. & 60.*

1. *Afferte Domino.* i. ad fidem & religionem Christique corpus adducite, *filij Dei.* i. vos qui à Christo immediatè edocti, Dei filij singulariter vocamini, Quos Esaias Ecclesiam compellans vocat filios sterilitatis eius, quia eo tempore in Christo Ecclesiæ nati sunt, cùm Ecclesia necdum multos pareret. *afferte Domino filios arietum.* Filij arietum sunt quos prædicatione sua lucrati sunt Apostoli, inquit Augustinus, Apostoli enim arietes dicuntur, quia sunt Dominici gregis ductores. Fideles autem ab illis conuersi sunt eorum boni filij, si eodem cum illis spiritu imbuti, iisdem cum illis etiam ambulauerint vestigiis. Dicit enim Apostolus Ephesiis: Estote imitatores Dei sicut filij charissimi. *Cap 49.* *Serm 113 in edit per Vlimmeriũ* *Ephes. 5.*

2. *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Bene hoc additur, quia ex Christianorum multiplicatione gloria Dei illustrior efficitur, & honor ei, vt salutis auctori amplior defertur: sicut scriptum est: Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum. *Adorate Dominum in atrio sancto eius.* i. ecclesia eius, quę vt atrium, vestibulũ est penetralium domus, ita ipsa est vestibulum cæli. Sed quia hæc filiorum apportatio fieri non potest, nisi mediante Euangelij prædicatione, ideo Psaltes his dictis, sermonem conuertit ad prædicendum euangelicæ prædicationis initium, progressum, virtutem, effectum finemque, & dicit. *Esaiæ 43.*

3. *Vox Domini super aquas.* q. d. Prima vox Domini per quam præparari cœperunt qui Domino adferendi erant filij, facta est super aquas; cum nimirum vox clamantis in deserto circa fluenta Iordanis prædicare cepit, Appropinquauit regnum cælorum. i. ecclesia noui testamenti, Cuius prædicationis tẽpore & ipse *Deus maiestatis intonuit*, cùm scilicet baptizato *Matth. 3.*

Dei

Sic Chrom. Episcop. in ca 6. Mat. Ioan. 3. Dei filio, Deus Pater futuræ eius prædicationi auctoritatem attribuens, de cælo intonuit: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. *Dominus super aquas multas*. Addit hoc exaggerationis gratia, q.d. Ipse inquam Dominus hanc vocem dedit *super aquas multas*, quia in Ænon iuxta Salim, vbi aquæ multæ erant, & vbi Ioannes baptizabat. Quod autem intonare propriè de Dei voce intelligendum sit, constat ex Psalmo 17. & cap. 41. Iob: Si inquit vt Deus voce simili tonas?

4. *Vox Domini*, illa videlicet qua post prædicta, locutus est in Apostolis. Hæc inquam vox fuit *in virtute*. i. persuadendi commouendique efficacia.
Psal. 67. de qua & alibi: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Et,
Act. 4. virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, *vox Domini*, eadem videlicet, *in magnificentia*. Magnificentia magis rerum atque operum quam verborum est. Est proinde vox Domini in magnificentia, cum prædicationi Euangelij miracula magnæque charitatis & aliarum virtutum opera & experimenta iunguntur. Qualis fuit vox Domini in Paulo de sua prædicatione dicente: Sermo meus in
1. Cor. 2. 2. Cor. 12. ostensione spiritus & virtutis. Et alibi: Signa Apostolatus mei manifesta facta sunt vobis in omni virtute. Et hæc quidem breuiter de euãgelicæ prædicationis initio, progressu & potestate: nunc consequenter de eius effectu dicit:

5. *Vox Domini confringentis cedros*, i. superbiam atq; sublimitatem ani-
2. Cor. 10. mi sæcularis. Quod testatur Apostolus, Arma nostra potentia Deo, ad destructionem munitionum, ad destruendum omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, *& confringet Dominus cedros Libani*. Libanus mons altus erat Cedrorum feracissimus, cuius beneficio Cedri natura alioqui proceræ in summam vsque altitudinem subrigebantur. Sicut itaque per cedros sæcularis animi altitudinem, ita per Libanum dignitatem aut sublimem aliquam sæculi potestatem accipimus. Hæc enim si superbo alicui accedat, ita mirificè eum extollit, vt Libanus suas Cedros. Itaque vox Domini tantæ est virtutis & magnificentiæ, vt non solum Cedros, sed etiam Cedros Libani. i. superbos de sua potestate se plus extollentes, & præ potestate feroces, humiliauerit.

8. *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani*. Quemadmodum Libanus
Esaiæ 40. cedris, ita & armentis pecudum abundabat teste Esaia dicente, Et Libanus non sufficiet ad succendendum & animalia eius non sufficient ad holocaustum. Confringet itaque Dominus Cedros Libani vt vitulum Libani, cum confracta eorum, qui in publica auctoritate aut potestate erant, superbia, auctoritatem atque potestatem eorum conuertit in sacrificium (Vitulus enim sacrificium significat) sibi, ita vt potestates sæculi quæ præ superbia in prin-

in principio Domino obſiſtebant, poſtea ei ſuam poteſtatem ſacrificarint, & per eam Eccleſiæ deſeruierint, velut cùm oratores ſæculi effecti ſunt Euangelij præcones; Principes, Eccleſiæ vindices ac protectores, &, vt prædixit Iſaias, Eccleſiæ nutritij. *& dilectus quemadmodum filius vnicornium.* Hîc nomen vnicornis in bonum ſumitur, ſecundum Baſilium. q. d. faciet, inquam, prędictam virtutem hâc per ſuam in Apoſtolis vocem Dominus, *& dilectus.* i. Chriſtus, qui nomine dilecti paſsim in Scripturis intelligitur, Patre dicente de cælo; Hic eſt Filius meus dilectus. i. faciet inquam, cum Deo Patre idipſum Dilectus eius, *tanquam filius vnicornium.* i. tanquam filius eius; dictus filius Vnicornium, eo quod habeat patrem ſine matre, & matrem ſine patre, & ſit tamen vnus in gemina natura filius; ſecundum diuinitatem conſors paternæ poteſtatis ac operationis ratione conſubſtantialitatis, & ſecundum humanitatem eiuſdem poteſtatis ac operationis particeps ratione hypoſtaticæ Vnionis. Itaque hæc particula à Pſalte additur, ad inſinuandum quod Chriſtus in vtraque natura vnus, vna cum patre ſalutem hominum per euangelij prædicationem operetur. Quod & Abacuc indicare voluit, cum in ſuo Cãtico ad Deum Patrem dixit. Egreſſus es, per euangelij præcones, in ſalutem. i. ad operandam ſalutem populi tui, cum Chriſto tuo. i. cooperante tibi Chriſto tuo. Explicato autem Euangelicæ prædicationis effectu, Pſaltes ſubijcit in quibus populis effectus ille producendus ſit, dicitque:

Eſaiæ 49. *Matth. 3.*

7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Quam ſententiam Baſilius eleganter interpretatur, dicens id accidiſſe cum Dominus in Rubo loqueretur Moyſi. Tum enim verè intercìdit Dominus flammam ignis, quia ſeparauit ibi ſplendorem ignis ab eius ardore, apparebat enim in rubo flamma, & non comburebatur rubus. Poteſt quoque Dominus intelligi intercidiſſe flammam ignis in die Pentecoſtes, quando factus eſt repente de cælo ſonus, & cum eo deciderunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Contextus tamen Pſalmi potius requirit vt per *flammam ignis* praui ac ardentes Iudæorum affectus intelligantur, de quibus dicit Eſaias, En vos omnes accẽdentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis vobis. Iudæi enim intus flammis odij, variarumque cupiditatum ſuccenſi, per has flammas vehementer accendebant ſibi, & in ſe prouocabant ignem futuri ſupplicij. *Vox* itaque *Domini intercidentis flammam ignis*, quia cum igne, quem diximus, populus Iudaicus promiſcuè flagraret, Dominus per euangelicam prædicationem ex medio corruptæ gentis, quoſdam, reliquis flagranti igni permiſsis, conuertendo, flammam illam ignis intercìdiſſe intelligendus eſt. *Vox Domini concutientis deſertum.* i. commouentis gentilem populum, quem deſerti nomine

Ho 6. opif. *Exod. 3.* *Act. 2.* *Cap. 50.*

u ſigni-

ſignificari, ex Eſaia clariſsimum eſt. verum quia prædicatio euangelica gentilem populum diuerſimodè permouit, quoſdam ad irridendum obſiſtendumque, alios ad credendum, ne vterque animorum motus ex eadem prædicatione conceptus, diuinæ voci pariter tribueretur, determinando qua ratione vox Domini deſertum ſua voce concuſſerit, ſubditur, *& commouebit Dominus deſertum Cades*, quod interpretatur ſanctum aut ſanctificatio. Vox enim Domini, virtute ſua ſolummodo ad ſanctificationem ſuſcipiendam commouit deſertum, non ad rebellionem. Vel, commouit vox Domini deſertum Cades, quia eos, qui ſanctificationi ſuſcipiendæ erant præordinati, ad fidem & pœnitentiam tuba euangelica permo-
Act. 13. uit. Prædicantibus ſiquidem Apoſtolis crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Denique quandoquidem aliqui ſuſcepta fide, ea ſola contenti non ſunt, ſed ex fide ad ſapientiam ſcientiamque fidei inueſtigandam & percipiendam contendunt, cuiuſmodi erant in Berrhœa fra-
Act. 17. tres, qui ſuſcepta fide, quotidie erant ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent. i. vt ea quæ crediderant, adhibita Scripturarum lectione ita ſe habere intelligerent; horum causâ ſubiungit Pſaltes.

8. *Vox Domini præparantis ceruos*. Per quos intelligimus ſpirituales, eosque qui ſpiritalia rimantur. Hos ad hæc inueſtiganda vox ſiue inſpiratio Domini dicitur præparare, quia non ſolum fœlicitas inueniendi, ſed etiam ardor & induſtria ſcrutandi ſpiritualia Dei donum eſt, oratur enim,
Pſal. 118. Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, *& reuelabit condenſa*. q. d. non permittet inanem eſſe ſcrutandi laborem, ſed piè ſcrutantibus, abdita
11. *Confeſ. cap.* 2. myſteriorum & opaca ſcripturarum reuelabit. De qua re Auguſtinus: Largire ſpatia meditationibus noſtris in abdita legis tuæ, neque aduerſus pulſantes claudas eam, neque enim fruſtra ſcribi voluiſti tot paginarum opaca ſecreta. Aut non habent illæ ſyluæ ceruos ſuos recipientes ſe in eas, & reſumentes & ambulantes, & paſcentes, recubantes & ruminantes? O Domine perfice me, & reuela mihi eas. *& in templo eius*. i. in Eccleſia, quæ conſenſu & fraternitatis mutuo amore, tanquam vinculis quibuſdam colligata, templum Dei viui eſt, quia Deus concordiam omnium, inquit Au-
10 *de Ciu. cap.* 4. guſtinus, inhabitare dignatur. *omnes*. i. tam qui filios adduxerunt, quam qui adducti ſunt, & inter hos tam ſimpliciores quam ſpirituales *dicent gloriam* per gratiarum actionem. Poſtremo Pſaltes indicans multitudinem
Prœmio in lib. 17. *côm. in Iſa.* eorum, qui ex vtroque & præcipuè gentili populo Chriſto adferendi ſunt, vt notat Hieronymus, ſubdit.

9. *Dominus diluuium inhabitare facit*. i. faciet populos tanto numero ad Eccleſiã confluere, vt cõfluxus illius multitudinis diluuio cõparari poſsit, & eccleſia ad quam indeſinenter confluunt, videatur diluuium ad ſe vndique ir-

que irruens inhabitare. De quo diluuio Esaias: Ecce ego declino super Hie- *Cap.66.*
rusalem. i. primitiuam Ecclesiam quasi fluuium pacis, & torrentem inun-
dantem gloriam gentium. Vel, *diluuium inhabitare facit*. i. facit Ecclesiam
inhabitare siue saluam permanere inter medias vndas præsentis sæculi, sicut
Arca Noë incolumis natabat in medio diluuij. vtrumque sensum probat *Genes. 7.*
Augustinus. Quid autem erit vbi diluuium hoc siue confluentis populi siue *Epist 57.*
fluctuantis sæculi acceperit finem? *Et sedebit Dominus* in eadem sua ec- *in fine.*
clesia, tanquam in beato templo suo, iam in vita æterna, inquit Augusti-
nus, post fluctuationem huius sæculi æterna stabilitate confirmato. Sedebit
inquã *Rex* regnans in domo Iacob *In æternum*, & regni eius nõ erit finis. *Lucæ 1.*
Dominus virtutem dabit populo suo, in futura vita, vbi ablata omni in- 10.
firmitate erunt omnes fortes, sicut dicit Isaias, Super hoc laudabit te po- *Cap. 25.*
pulus fortis. & alibi; Vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini *Cap. 61.*
ad glorificandum. *Dominus benedicet populo suo* æterna benedictione *in pace*, præstita beatitudinis plenitudine & securitate.

PSALMVS XXIX.

Psalmus cantici.

ID est, iubilationis & gratiarum actionis, *in dedicatione domus Da-
uid*. i. ecclesiæ, quæ iuxta Augustinum, ædificatur in hac vita, de- *6 cont. Iul.*
dicatur in futura, cùm ibi Domino per beatitudinem perfectè in- *cap. 5.*
habitanda offertur. Itaque quamuis iuxta Basilium & alios in hoc Psalmo
quædam sint, quæ de ipso Christo ratione suæ resurrectionis non incom-
modè possint exponi; proprie tamen videtur Psaltes hîc describere gratia-
rum actionem, quam decãtaturi sunt Domino omnes sancti in resurrectio-
ne, cum transmisso diluuio, ad securitatem littoris peruenerint. Tametsi
non negauerim hoc Canticum etiam illis aliquousque competere, qui è
morte peccati per Dei gratiam translati sunt ad iustitiam, quæ est resurre-
ctio prima. dicent itaque sancti à Domino glorificati in illa die: *Apocal. 20.*
Exaltabo te Domine. i. altitudinem miserationum tuarum vt potero 1.
confitebor & prædicabo, in eo propriè exaltando te, quod agnoscam &
profitear te omni laude esse maiorem. Scriptum est enim, Glorificantes *Eccles. 43.*
Deum quantumcunque potueritis, superualebit adhuc, *quoniam suscepisti
me* vt tempore mortalis vitæ meæ mihi esses propugnator ad saluandum,
& nunc ad glorificandum. *nec delectasti inimicos meos*, dæmones & eos
homines, qui ob id quod perditione sodalium delectantur, quasi in dæmo-
nes transierunt, *super me*, ex meæ cum eis damnationis communione. De
quo eorum gaudio Ezechiel: Vidit eos, damnationis scilicet suæ consor- *Cap 33.*
tes, Pharao. i. princeps dæmonum, & consolatus est super vniuersa multi-

 tudine

Cap. 14. tudine ſua. Et apud Eſaiam damnatorum alij ad alios velut ludentes dicunt, & tu vulneratus es, ſicut & nos, ſimilis nobis effectus es. Hæc autem damnatorum delectatio & gaudium in eo poſitum eſt, quod è ſocietate damnatorum minuantur eis tormenta inuidiæ, quæ patiuntur ex beatitudine aliorum. diminutio autem tormenti quædam delectatio cenſetur, vt
Quodli. 8. explicat Diuus Thomas.
artic. 18. *Domine Deus meus*. vox eſt plena affectu, *clamaui ad te*, cùm adhuc in
2. via ad iuſtitiam conſiſterem. *& ſanaſti me*, per infuſam & ſenſim auctam mihi iuſtitiam.

3. *Domine eduxiſti ab inferno animam meam*, cùm me è ſtatu damnationis per remiſsionem peccati originis, aut aliorum mortalium liberaſti. Eſt enim anima per peccatum mortale in inferno, non ſupplicio, ſed merito, vt
In pſal. 85. docet Auguſtinus. *Saluaſti me* per protectionem tuæ gratiæ, *à deſcendentibus in lacum*, ne à ſtatu damnationis liberatus, in infernum iterum à iuſtitia relapſus, deſcenderem.

4. *Pſallite Domino ſancti eius*. Inuitat vnus Sanctorum alium ad diuinarum laudum concentum, q. d. magnificate Dominum mecum Sancti eius, *& confitemini memoriæ ſanctitatis eius*, quod ſanctitas eius memor noſtri fuerit, vt nos ex impietate ſanctificaret.

5. *Quoniam ira in indignatione eius*. i. quoniam quamdiu indignatio eius perſeuerat ſuper nos, ita vt noſtri nō miſcreatur, nil aliud manet ſuper nos quam ira eius, & imminens vindicta, *& vita in voluntate eius*. i. è contrario cum nobis bene velle ceperit, ex eo prouenit & perſeuerat nobiſcum vita iuſtitiæ atque ſalutis.

6. *Ad veſperum demorabitur fletus*. i. afflictio labor & dolor, qui ſunt fletus atque triſtitię cauſa, quæque primo peccato admiſſo, quaſi aperto oſtio in genus humanum irruerunt; hæc inquam demorabuntur ad veſperam. i. perſeuerabunt cum genere humano etiam quoad illos, qui iam ab inferno
Cap 7. educti ſunt, vſque ad mortem: Sicut teſtatur Iob: Si dormiero, dico quando conſurgam? & rurſum expectabo veſperam & replebor doloribus vſque ad tenebras, *& ad matutinum*. i. ad primum futuræ vitæ ac reſurrectionis diluculum, demorabitur *lætitia*, nullo dolore aut metu intercedente interrumpenda nulloque abrumpēda fine. Poſt hæc tranſit Pſaltes & transfigurat in ſe perſonam hominis in iuſtitiæ ſuæ, etiam à Deo acceptę, viribus ſecluſa Dei ope & protectione confidentis, & dicit:

7. *Ego autem dixi*, tempore mortalis vitæ, *in abundantia mea*. i. cùm me arbitrarer præditum eſſe multæ ac omnigenæ virtutis copia. Hoc autem exiſtimare primus erat actus ſuperbiæ, ex quo conſequebatur vt diceret, *non mouebor in æternum*, à iuſtitia ſcilicet. Præſumebat enim qui hæc dicit, ſe

cit, ſe, ob iuſtitiam quam acceperat, non egere auctoris ſui conſeruatione,
contra propriam fragilitatẽ, protectione contra tentationes à tempore pri-
mi lapſus renatis obuenientes, quotidiana reſtauratione ob quotidianas
defectiones (ad deficiendum enim ſemper nũc vergit homo ſpiritus vadens
& non rediens) cooperatione ad agendum, directione ad bene conſilian- *Pſalm. 77.*
dum & eligendum, & ſic de reliquis.

Domine in voluntate tua. q. d. licet id aliquando dixerim & fuerim ar- 8.
bitratus, nunc reipſa edoctus profiteor, quod bona voluntate tua. i. ope ac
ſcuto bonæ voluntatis tuæ, *præſtitiſti decori meo.* i. rectitudini interioris
hominis, qua me exornaras, *virtutem* perſiſtendi & bene operandi. Cùm
autem id in abundantia mea dixiſſem.

Auertiſti faciem tuam à me. i. deſeruiſti me. quod faciendo dicitur 9.
Deus faciem ſuam auertere, quia prouidentiam ſuæ gratiæ ab homine pro
illo tempore ſubducit. *& factus ſum conturbatus.* i. à iuſtitia ſum lapſus.
de quo ſuo lapſu rectè dicit ſe eſſe conturbatum. Quia fieri non poteſt, in-
quit Auguſtinus, vt propria voluntas non grandi ruinæ pondere ſuper ho- *8. De Genè. ad lit c. 14*
minem cadat, ibique miſeriam percipiat, ſi eam voluntati ſuperioris extol-
lendo præpoſuerit. Ad hanc autem miſeriam præcauendam docet Hiero- *3. cont. Pe-*
nymus, nec in ſapientia noſtra, nec vllis virtutibus eſſe fidendum, ſed in *lag. cap. 3.*
Domino virtutum auctore, à quo greſſus hominis diriguntur. Quod autẽ
Deus hominem, eo quo dictum eſt modo ſuperbientem deſeruerit, id fecit
in primis iuſto iudicio. Quid enim vel naturali ratione teſte magis indi-
gnum eſt Dei ope, quam pauper ſuperbus? fecit id & in correptionem, vt
per malorũ, quæ conturbatus ſenſit, experientiam, tanquam per duri cuiuſ-
dam Pædagogi diſciplinam, diſcat homo cauere ſuperbiam. Quoniam ſu-
perbiæ tumor, inquit Aug. doloribus eſt ſanandus. de qua Dei correptio- *De nat. &*
ne Diuus Baſilius & Auguſtinus verba facientes, docent Deum ſubinde *grat. c. 27.*
permittere vt viri religioſi in peccata corruant, ad ſanandum in eis aliquam *Baſi. Inter. Bren. 81.*
animi eorum elationem. Vbi non lapſus Dei eſt, ſed bonus ruinæ prouen- *Aug. de na*
tus. Deum autem eum qui hîc loquitur ad correptionem deſeruiſſe, mani- *tu. & gra.*
feſtum eſt ex eo quod ſequitur: *cap. 28.*

Ad te Domine clamabo, iam è lapſu per tuam gratiam nonnihil erectus, 10.
& ad Deum meum deprecabor. Deprecaturus autem Chriſti verbis vtitur,
ac ſi Chriſtus ex ore eius oraret ac diceret.

Quæ vtilitas. i. quis fructus, *in ſanguine meo*, quem pro lapſorum repa- 11.
ratione effudi, in hac parte erit, *dum deſcendo.* i. ſi aliquis eorum pro qui-
bus illum effudi, deſcenderit *in corruptionem* æternam? Vel poſſunt hæc
verba intelligi ex perſona lapſi iam pœnitentis, ac ſi is dicat: Quæ vtilitas
mihi erit, aut quis iuſtitiæ prouentus, inquit Ambroſius, *in ſanguine.* i. in- *2. offic. c. 6*

teritu *meo* erit *dum* à morte peccati *descendo in corruptionem* siue mortẽ secundã? Et aliud adiungẽs propter quod eũ exaudiri cõueniat, dicit lapsus.

12. *Nunquid confitebitur tibi*, confeſsione laudis, *puluis*. i. homo peccator, iam tanquam puluis à facie terræ proijciendus? *aut annunciabit* prædicando
Psal. 113. *veritatem tuam*? q. d. non, quia non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Ergo propter gloriam nominis tui ad iustitiam me repara.

13. *Audiuit Dominus*, & vocem sanguinis Christi ex ore meo interpellantis, & vocem meam qua petebam gloriam diuini nominis per meam reparationem augeri *& misertus est mei*, vtraque enim illa oratio misericordiæ illex est, *Dominus factus est adiutor meus*, curando superbiam & reparando iustitiam perditam.

14. *Conuertisti planctum meum*, postquam scilicet me à lapsu reparasti *in gaudium mihi* per remiſsionẽ peccatorum & rediuiuam iustitiam. *conscidisti saccum meum*. i. completa tandem satisfactione, ipsum pœnitentiæ habitum qui saccus esse solet (sub quo & reliqua satisfactionis opera intellige) à me amouisti. *& circundedisti me lætitia* recuperatę salutis, de quo Isaias;
Cap. 61. Spiritus Domini super me vt darem coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Idq́ue in hunc finem,

15. *Vt* in futura vita *cantet tibi gloria mea* ad quam è lapsu me perduxeris, *& non compungar* liber ab omni stimulo conscientiæ, carnis atque pœnalitatis. *Domine Deus meus*, ibi, *in æternum confitebor tibi*. Potest tamen, vt diximus, Psalmus quoad multas eius partes satis commode intelligi ex persona Christi, hoc modo. *Quoniam suscepisti me*, tempore resurrectionis ad immortalitatem, *nec delectasti inimicos meos*, Iudæos, qui gauisi fuissent, si in morte detentus fuissem, *clamaui ad te*, obtulit enim Christus pre-
Hebr. 5. ces cum clamore valido ad eum, qui illum saluum faceret à morte, *& sanasti me* immortalitate, *eduxisti ab inferno animam meam*, quia non dereli-
Psal. 15. quisti animam meam in inferno, *saluasti me à descendentibus in lacum*, quia per vnionem humanę naturæ ad personã Verbi factum est, vt non potuerit Christus in peccatũ descendere, aut in infernũ. *Ego dixi in abundantia mea*, i. considerata plenitudine virtutis meæ certò cognoui quod *nõ mouebor in*
Ioan. 10. *æternũ*, nemo enim me inuito tollere poterit animam meã à me. *Auertisti faciem tuam à me*, quo ad protectionem vitæ meæ corporalis, *& factus sum conturbatus*. i. temporaliter mortuus. *Quæ vtilitas* ad hominum salutem
In exp. symbo. Apost. ad verba Tertia die resurrexit. prouenire poterit *ex sanguine meo, dum descendo in corruptionem*? i. si tam diu in morte derelictus fuero, vt etiam caro mea videat corruptionem? q. d. nulla, quia si id permissum fuisset, non remansissent discipuli in fide, inquit Diuus Thomas hunc locum exponens. Et quia sine fide impoſsibile est placere

cere Deo, fide in Christum extincta aut labefactata, nullus hominum ex Hebr. 11.
Christi morte vtilitatem habuisset. *Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam?* i. nunquid corpus meum (vt loquitur Augustinus) in sepulchro in puluerem redactum, testimonium dare poterit te in prædictionibus tuis veracem esse, cum per prophetas prædixeris quod caro mea non videret corruptionem? *Conuertisti planctum meum.* Superius dixit, *Clamaui ad te*, hic clamorem illum planctum vocat, quia clamori lachrimas adiunxit, iuxta Apostolum. *Concidisti saccum meum.* i. ipsam mortalitatem carnis meæ in nihilum redegisti. Reliqua eum quem dedimus sensum habent, sic tamen vt Christo excellentius conueniant.

Epist. 120. cap. 15.

Psal. 15.

Hebr. 5.

PSALMVS XXX.

Psalmus Dauid pro extasi.

Extasis, vt interpretatur Hieronymus, mentis excessus est, qui aliquando oritur ex vehementi animi in sublimiora intentione, qualis est raptus. Aliquando vero ex vehementi pauore aut admiratione: Diciturque hæc extasis mentis excessus, quia mens pauore perturbata, limites rationis tranquillitatemque iudicij nonnihil egreditur. Sumitur autem in titulo, extasis, in significatione posteriore. Describitur enim hic ea malorum, Ecclesiam, in cuius persona hic Psaltes loquitur, obruentium abundantia, vt hominem vehementi tristitia afficiat, & quasi rapiat in mentis excessum. verum priusquam ad enarranda mala sua perueniat, prius se spe atque diuinæ protectionis inuocatione armat atque confortat, hoc modo exordium faciens.

De tradit. Hebraic.

In te Domine speraui non confundar in æternum. Benè dicit In æternum, 1.
quia certum est, quod si spes aliquo interdum temporali prouentu frustretur, eam tamen prouentu æternæ salutis, nisi ipsa defecerit, nunquam esse frustrandam. *In iustitia tua.* i. iusto tuo iudicio, *libera me* à malis vndique me prementibus. Iustum enim est apud Deum, inquit Apostolus, retribuere 2. Thess. 1.
tribulationẽ iis qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiẽ nobiscũ.

Inclina ad me aurem tuam: accelera vt eruas me. 2.

Esto mihi in Deum protectorem & in domum refugij, vt in omni aduer- 3.
sitatis procella ad te me recipiens, sub protectionem alarum tuarum excipiar, idque non vt temporaliter me felicem, sed *vt saluum me facias.*

Quoniam fortitudo mea. i. præter te agnosco me nihil roboris habere. di- 4.
gnus autem est, vt à Domino auxilium recipiat, qui de suis viribus diffidit, *& refugium meum es tu.* i. ad te me conuerto in omni difficultate, consequar itaque quod à te expecto. *& propter nomen tuum deduces me.* i. prosequi me facies ceptum iustitiæ iter, *& enutries me*, pabulo verbi tui, vt à la-

cte Christianæ doctrinæ auulsus, participatione sapientiæ vberioris in maiorem vigorem interioris hominis semper cum accessu ætatis, officiorum, & dignitatum, indesinenter increscam.

5. *Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi*. i. contra insidias inimicorum, quibus latenter ad peccata me seducere conantur, oculatum & cautum me facies, *quoniam tu es protector meus*. Vt autem eam protectionem, quæ suo effectu non frustretur, à Deo consequi posit, subdit:

6. *In manus tuas*. Hæ sunt manus Dei auxiliatrices, quibus nostram salutem protegit & operatur ab initio vsque ad consummationem, secundum

Ioan. 10. suum propositum. De quibus manibus Dominus: Non rapiet oues quis-

Cap. 33. quam de manu mea. & Deuter. Omnes sancti eius in manibus eius sunt. In has dico manus *commendo spiritum meum*. i. vitam spiritus mei, tui auxilij manibus conseruandam, dirigendam, augendam, & confortandam commendo. Dicit autem, *commendo*, non committo, quia vt in manibus dirigentis atque conseruantis Dei simus, fide, sollicita prece, bonisque operibus per auxilium gratiæ preuenientis nobis emerendum est, dicente Petro;

1. Pet. 4. Commendent animas suas fideli creatori in benefactis. Porro moriturus Christus hoc versu vsus est propter nos: per hæc enim verba & mortis suæ merito, animas nostras corporibus exutas apud Patrem deponit, vt à mor-

Lib. postr. de fide ad Reg. Athan. cõt. Apollin. te Christi, iam non amplius ad Limbum descendant, sed ad ipsum Dei Patris sinum perueniant, vt docet Cyrillus & Athanasius. Tametsi valde credibile sit, Christum extremis his suis verbis animas omnium quos ei pater saluandos dederat, in manus Dei auxiliatrices, quas descripsimus, commendasse. Ideoque vtitur Ecclesia hoc versu in Completorio, implorans sibi propter timores nocturnos, in omnibus Dei protegẽtis auxilium. Vtitur & in morte vniuscuiusque, implorans vniuscuiusque animæ exeunti diuini sinus diuersorium. *Redemisti me*, scilicet per mortem Christi, Suscipe itaque saluandum, quod ipse redemisti.

7. *Odisti obseruantes vanitates*. i. cum magna obseruatione sibi procurantes falsam sæculi beatitudinem, *superuacuè*. i. sine vlla solida oblectatione in præsenti, aut boni retributione in futuro.

8. *Ego autem in Domino speraui*, id est, contempta huius sæculi beatitudine, beatitudinem futuræ vitæ cum patienia expectaui, sicut monuit Psalmo 4. Sperate in Domino. *exultabo & lætabor*, in futura vita, in id tempus bonorum fruitionem differens, *in misericordia tua*. i. beatitudine mihi obtinenda, mediante tamen misericordia.

9. *Quoniam*. q. d. Ideo ego speraui, cùm tamen alij interim obseruarent vanitates, quia oculis misericordiæ tuæ, *respexisti humilitatem meam*, de qua Psalmo 9. vide humilitatem meam de inimicis meis. *saluasti de necessitatibus*

tatibus animam meam, de quibus Psalmo 24. Hoc autem dicit erepti hominis gratulatio, inquit Augustinus. De perf. iusto rat. 9.

Nec conclusisti. i. conclusum *me* remanere permisisti, *in manibus inimici*, Diaboli scilicet, à quo captiui tenentur, qui à te non liberantur, ad ipsius voluntatem. *statuisti in loco spatioso pedes meos*, quia affectus meos charitate latißimè & velut spatiosissimè se diffundente atque extendente confirmasti. Hactenus autem Ecclesia sanctificationem suam elocuta, nunc ad tribulationem suam enarrandam conuertitur, & dicit: 10.

Miserere mei Domine quoniam tribulor, eo quod abundauit iniquitas 11.
& refrixerit charitas multorum, *conturbatus est* ex hac tribulatione, *in ira* Matth. 24
qua alienis peccatis irascor, *oculus meus*, præ ira minus considerans ea, quæ ad dilectionem inimicorum prouocandam, aut ijs à me exhibendam pertinent. Rectè autem dicit in ira conturbari oculum, nam commotionis tempore iustum omne putat ira quod fecerit, inquit Gregorius. *anima mea* supple conturbata est, quia ipsa per iustam iram commota, spoliata est pristina sua tranquillitate, *& venter meus*. Per ventrem generatio allegoricè significatur, qui conturbatus esse dicitur, quia præ ira iusta tædio affectus homo minus habet alacritatis, spei, & gratiæ ad lucrandum animas Christo. 7. Reg c. 11

Quoniam defecit in dolore vita mea. i. in dolore vitam transegi & dolore me consumpsi, videns mala quæ emendare non potui, *& anni mei in gemitibus*, quia eos in dolore tacito consumpsi, cum desperarem me corripiendo aut conquerendo quid posse proficere, & timerem per ista animos malorum magis irritare. 12.

Infirmata est in paupertate virtus mea. Dicit id Ecclesia ratione malorum, qui magno numero in ea sunt, quorum paupertatem suam dicit, quia illi de quibus querelam exponit sua vera, tametsi non viua, sunt membra, vbi paupertatis nomine imbecillitatem fidei, tenuitatem sapientię & scientiæ, atque exiguitatem timoris Domini & reliquarum virtutum accipimus, eo quod apud Esaiam: Fides, sapientia, scientia & timor Domini, diuitiæ & thesauri Ecclesiæ esse dicuntur. In hac paupertate virtus ecclesiæ infirmata est, quia ob illam nō est in hominibus aut vigor, aut robur bene operandi. Ideo etiā subditur *& ossa mea*. i. qui vt ossa in corpore deberent pro loco & gradu suo robustiores esse in ecclesia, *conturbata sunt*, quia cùm nulla pene roborentur virtute, ad primum aduersitatum odorem conturbantur. 13. Cap. 33.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde, 14.
id est, exprobrantur mihi longe grauiora scelera, quàm vllis congregationibus Ethnicorum, Iudæorum, hæreticorū, qui inimico in me sunt animo, ita vt in me torqueatur illud Apostoli: Auditur inter vos fornicatio, qualis 1. Corin. 5.
nec inter gentes. Et illud Ierem. Quis audiuit talia horribilia quæ fecit ni- Cap. 18.

mis virgo Iſrahel? & hæc exprobrantur mihi à *vicinis meis*. i. ijs qui vndique iuxta me ſunt ita vt mala non temere de me credant aut confingant, ſed aperta in me videant, vt docet Auguſtinus. *& timor notis meis*. i. qui me penitius introſpexerunt & cognouerunt occultos lapſus & occulta odia, ambitionem, ſuperbiam, machinationes etiam eorum qui reliquis pietate prælucere videbantur, timere de me ceperunt omnes meos aut manifeſtè aut occultè iniquos eſſe, nec eſſe de alicuius integritate ſperandum. Quibus tamen non licet huic timori multum indulgere, eo quod eis cogitandum ſit etiam hic locum habere illud Domini ad Heliam arbitrãtem ſe ſolum relictum eſſe, Reliqui mihi ſeptem milia virorum qui non curuauerunt genua ante Baal.

3. cõt Gaudent. *3. Reg 19. Rom 11.*

15. *Qui videbant me*. i. etiam illi qui non ignorabant me eſſe veram Eccleſiam, malorum verò quæ intra me videbant indignatione commoti, *foras fugerunt à me*. i. extra vnitatem ſe ſegregauerunt, & odio mei ſchiſmata ac hæreſes inuenerunt, ſecus quam monet Apoſtolus, Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut moris eſt quibuſdam. Et Auguſtinus, quia vt inquit hæreditas Dei. i. ſpiritus atque iuſtitia ſeu ſanctificatio cum paucis, ſignacula vero eius. i. ſacramenta eccleſiæ participanda ſunt cum multis, *obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde*, quia cognitio veræ eccleſiæ per hæreſes & ſchiſmata paulatim ita in cordibus hominum obſcuratur, vt apud multos eccleſiæ veræ nulla ſuperſit cognitio, vel fiat mentio. Vel, nullam mei mentionem aut rationem habere dignati ſunt, tanquam quem exiſtimabant corde emortuum ac omni vita ſpirituali exutum, religionem ſolo ore, & exteriore obſeruanti ſuperſtitioſè crepare.

Hebr. 10. *De fide & oper. ca. 5. & cõ Gau. 13 cõ. Fauſtũ ca. 16.*

16. *Factus ſum*, in ſermone & opinione eorum, apud quos mei cognitio nondum omnino interijt, *tanquam vas perditum*. i. ſocietas perditorum, & in æternam perditionem præcipitandorũ. Talis eſt Eccleſia Romana Moſcouitis, habent enim eam eo loco, vt cum maledicere alicui voluerint, dicant, vtinam te videam Latinæ fidei. hoc autem inde naſcitur, *quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu*, id eſt, quia nihil aliud vndique de me dicitur, quam quod ad vituperium mei pertinet.

Poſſeuinus comment. poſt. de rebus Moſco.

17. *In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me accipere animam meam conſiliati ſunt*. i. in hoc omnes conueniunt, vt ſimul ſtudeant, omnes qui in Eccleſia reliqui ſunt, ad ſuas quiſque partes diſtrahere, atque ita animas eorum interficere.

18. *Ego autem* loquitur Eccleſia in perſona bonorum *in te ſperaui Domine, dixi* Domino *Deus meus es tu, in manibus tuis*. i. prouidentiæ ac voluntatis tuæ *ſortes meæ*. i. ea quæ mihi accidunt atque obueniunt, ſiue proſpera ſint ſiue aduerſa.

Eripe

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me. 19.

Illustra faciem tuam super seruum tuum & saluum me fac in misericor- 20.
dia tua Domine non confundar. i. sciò quia non confundar, vel, non permittas vt confundar, *quoniam inuocaui te.*

Erubescant impij per confusionem in die iudicij, *Et*, accepta sententia 21.
iudicis, *deducantur in infernum*, prædictio est, *muta fiant labia dolosa*, non enim poterunt in die Iudicij aliquid allegare per quod se excusent vel negent quod dixerunt. sed sicut ille cui cùm dicebatur: Quomodo huc intra- Matth. 22.
sti non habens vestem nuptialem? obmutescent.

Quæ loquuntur aduersus iustum. i. iustorum Ecclesiam *iniquitatem*, quia 22.
iniquitates malorum ecclesiæ membrorum volunt in totum corpus contorquere vt manifestum est de Donatistis. *in superbia & in abusione*, quidam enim id faciunt calumniosè, alij per ignorantiam aut imprudentiam, quam vocamus abusionem. Sed enarrata sua afflictione conuertitur iustorum ecclesia ad enarrandam suam consolationem, quam à Deo etiam in medijs angustijs, ignorantibus id inimicis percipit, vt hic locum habeat quod dicit Apostolus: Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita abun- 2. Cor. 1.
dat per Christum & consolatio nostra, dicitque per modum admirantis abundantiam consolationis.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timen- 23.
tibus te. i. infirmis te colentibus, qui tamen adhuc trepidant & timent pro te opprobria pati. Abscondisti autem, quia dulcedinis tuæ abundantiam absconditè siue in occulto eis communicasti, vt hic verum sit quod dicit Bernardus, vident inimici cruces nostras, non vident autem vnctionem Serm. 1. de dedi. Eccle.
consolationis.

Perfecisti. i. perfectius & luculentius communicasti hanc multitudinem 24.
dulcedinum tuarum *eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* i. fortioribus Christianis, qui de tua virtute confisi, inter inimicos & irrisores religionem veram atque iustitiam confiteri & propugnare non verentur.

Abscondes eos videlicet timentes te, *in abscondito faciei tuæ.* i. occulta 25.
dispositione prouidentiæ tuæ, *à conturbatione hominum*, ne ab ea impetantur aut tangantur.

Proteges eos fortiores videlicet *in tabernaculo tuo*, quod est domici- 26.
lium militare. q. d. tempore militiæ huius in qua exercentur, tu defendes eos *à contradictione linguarum*, ne ab ea seducantur, Et ne contradictio sicut conquerebatur Abacuc, veritate fiat potentior. dabis enim, vt detra- Cap. 1.
ctores non omnibus persuadeant quod intendunt. Quid autem ob hanc consolationem Ecclesiæ in pressuris constitutæ erit dicendum?

27. *Benedictus Dominus quoniam mirificauit*.i.ad miraculum vſque & quaſi ſupra ſpem noſtram magnificauit, *miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita*, id eſt, Eccleſia quæ dicitur ciuitas munita, quia Chriſtus de ea di-
Matth.16. xit,quod portæ inferi non præualerent aduerſus eam.
28. *Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ*. i. eo tempore quo mens mea exceſsiuè obſeruat,expendit& exaggerat mala,quibus exterius obruor, non ſimul conſiderata gratia tua,per quam inter tot mala erigor,dixi inquam, *Proiectus ſum à facie oculorum tuorum*. i. depoſuiſti curam mei. Quod ſi-
Epiſt.71. bi contigiſſe Diuus Baſilius fatetur, cui ex conſideratione immanitatis & impudentiæ quam hæretici in ſelectiſsima Eccleſiæ membra exercuerant, ſtupefacto & pene ſenſu ipſo deſtituto, acceſsit, inquit, & iſta cogitatio, An Eccleſias ſuas prorſus reliquit Dominus?
29. *Ideo*, ne ſcilicet per illum exceſſum in deſperationem aut nimiam puſillanimitatem ruerem, *exaudiſti vocem orationis meæ dum clamarem ad te*. Qua Dei ad ſubueniendum fide, & promptitudine animatus adhortatur Pſaltes & dicit.
30. *Diligite Dominum omnes ſancti eius*. i. in dilectione perſeuerate, non enim fruſtra id facietis, *quoniam veritatem* fidei ſcilicet, vitæ, integritatis atque iuſtitiæ hîc malorum hominũ importunitate obſcuratam, abiectam, abſtruſam & ſine honore contemptam, *requiret Dominus* è ſuis latebris, in quas malorum hominum abſtruſa eſt importunitate, ad eam ſuo tempore glorificandam, *Et retribuet abundanter* abundantem vindictam *facien-*
Iacobi 2. *tibus ſuperbiam*. Illi enim ſine miſericordia iudicabuntur. Quæ cum ita ſint, hic iterum Pſaltes ad eos qui in preſſura ſunt.
31. *Viriliter agite*, ne metu aut puſillanimitate diſſoluamini *& confortetur cor veſtrum*, *omnes qui ſperatis in Domino*, quia vobis perſuaſum habere debetis,quod ſpes faciet in vobis Deo locum ſubueniendi. Quo ergo maior eſt ſpes, eo & animum veſtrum magis increſcere oportet, propter præſentiſsimum Dei erga ſperantes in ſe auxilium.

PSALMVS XXXI.

Ipſi Dauid intellectus.

DIcit *intellectus*, magnarum enim rerum intelligentiam adfert nobis iſte Pſalmus, quia in eo docetur, neminem ex præuijs ſuis meritis iuſtificari, Docetur etiam peccata confeſsione remitti, quibus adduntur quædam alia eodem pertinentia: qui ſic incipit.
1. *Beati*.i.cùm ſpe beatitudinis iuſti ſiue pij ſunt. *quorum remiſſæ ſunt ini-*
Aug.11.de ciuit.c.12. *quitates*, quę remittũtur,cùm applicato nobis pretio ſanguinis Chriſti,reatus æternæ damnationis,cui eramus obnoxij, aboletur. Et ob id remiſsio peccato-

peccatorum in æternæ damnationis, non in nuda diuinæ facilitatis indulgentia, ſed in redemptione ſeu compenſatione per Chriſtum parta, pœnitentibus autem applicata, conſiſtit. *Et quorum tecta ſunt peccata*, hoc in idem redit cum particula præcedente: Peculiariter tamen innuit per remiſſionẽ peccatorum etiam abſcondi peccata. Abſcondi inquam, quia tametſi peccata non abeant apud Deum in omnimodam obliuionem, turpitudo tamen eorum ſic contegitur, vt in die iudicij in publicum prolata, nullam afferant ſuis authoribus confuſionem.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Idem ſignificatur. 2.
Circa quod tamen obſeruandum, non imputare peccatum, non eſſe diſsimulare peccatum, aut pro peccato non reputare quod verè peccatum eſt, quia non imputare peccatum negatiuum eſt eius, quod eſt imputare peccatum. Hoc autẽ, imputare ſcilicet peccatum, nõ eſt peccatũ quod non eſt admiſſum alicui imponere, ergo, non imputare peccatum non eſt diſsimulare peccatum, aut pro peccato non reputare quod peccatum eſt. *Nec eſt in ſpiritu eius*. i. ipſius hominis, de quo Apoſtolus, quæ hominis ſunt nemo nouit niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo. de quo & Propheta, Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum & nihil vident. Ergo in ſpiritu eius non eſt *dolus*, qui non decipit ſemetipſum fide vel temerè perſuadens ſibi à Deo remiſſa eſſe peccata, vel exiſtens de propitiatu peccatorum ſine metu. Quæ particula videtur ſuperioribus addita per ſpiritum prophetiæ, vt preſignaret cauendos eſſe hæreticos, qui de ſpiritu ſuo in ſpiritu hominum operantur dolum, dum docent peccatorum remiſsionem vnicuique eſſe apprehendendam & intrepidè credendam. Eſt tamen & in ſpiritu catholicorum dolus, dum remiſsionem peccatorũ ſibi nimis facile arrogant. Nec tamen ex his ſequitur iuſtitiam nihil aliud eſſe quàm remiſsionem peccatorũ, quia Pſaltis propoſitum hîc nõ eſt docere quid ſit iuſtitia, ſed quod in homine lapſo non ſit iuſtitia niſi ex remiſsione peccatorum. In hominis enim iuſtificatione ex parte hominis ordine naturæ prior eſt liberatio à culpa gratię infuſione. In iuſtificatione enim hominis lapſi culpa, ſi D. Thom. credimus, eſt terminus à quo, iuſtitia verò terminus ad quem. Quocirca & Apoſtolus ex hoc Pſalmo probat Iuſtitiam non eſſe ex meritis. Si enim beatus eſt cui remiſſa ſunt peccata, ergo beatitudinem ſiue iuſtitiam præcedit remiſsio peccatorum, non ergo dignitas meritorum, quia non poſſunt merita conſiſtere cum mortalibus peccatis. Alibi vero vbi locus requirebat, vt ſuppleret Apoſtolus, quod hîc expreſsè nõ dixerat, dicit: Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, in remiſsionem peccatorum videlicet, iuſtificati eſtis, ſanctificati eſtis in ſpiritu Dei noſtri, ergo præter remiſsionem acceperant iuſti ſpiritum rectum in viſceribus ſuis. Poſt hæc vero con-

1. Cor. 2. Ezech. 13. Eccli 5. 1. 2. quaeſt. 113 art. 8 ad primũ. Roman. 4. 1. Cor. 6.

uertit se Psaltes ad exponendum, quid sit quod remisionem peccatorum remoretur, & quid eam præcedere debeat, & dicit.

3. *Quoniam tacui*.i.à confeßione & accusatione peccatorum memetipsum continui *inueterauerunt*. i. vetustatis incrementum acceperunt *ossa mea*, i.ipsæ animæ meæ medullæ, in quibus est vetustas, *dum clamarẽ tota die*.i. clamoribus verbosis, nõ autem sermonibus veris conarer iustitiam meam prædicare, & innocentiam defendere, aut alios incusare, vel mores eorum seuerè censere.

4. *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua*. i. quandoquidem iusisti Domine, vt omnis inordinatus animus sibimetipsi sit pœna, ita euenit & mihi; in culpa enim & eius excusatione positus, die ac nocte non habuit in semetipso requiem infelix animus meus. *conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina*. siue vt legit Hieronymus, dum mihi infigitur spina. i. aculeus inquietæ conscientiæ, atque supplicij peccatum concomitantis. Multi enim inquit Bernardus cum sentiunt pœnam, corrigunt culpam. Et quia conuersio quam ærumnis exagitatus facere cepit, ab agnitione & accusatione sui exordium sumere debet, sicut scriptum est, dic iniquitates tuas vt iustificeris, ideo subdit:

In cap. 18. Ezech.

Ser 48 in Cant.

5. *Delictum meum cognitum tibi feci & iniustitiã meam non abscondi*. Non quod Deus ignoret hominis peccatum, sed expectat, inquit Ambrosius, vocem confitentis. Confeßio enim peccati peccatori bona est & vtilis. Quod luculenter explicat Tertullianus: Confitemur, inquit Deo, non vt ignaro, sed quia satisfactio confeßione disponitur, confeßione pœnitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur.

2. de pœniten. cap. 7.

Cap. 9. de pœnit.

6. *Dixi*. q. d. non contentus nuda peccati mei notificatione, Hæc enim si sola fuerit, impudentiæ, aut etiam cuiusdam iactantiæ notam sibi adiunctam habet, vt notat Ambros. Ob id insuper dixi. *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino*.i.notificãdo peccatum meum, insuper accusabo me, & quamuis id aduersum me militet, me tamen plagis atque supplicijs dignum esse pronunciare non cessabo, *& tu remisisti impietatem peccati mei*. non quidem ordinariè cum id dixissem, sed cum id quod dixeram effecissem. Quod sic intelligendum esse, satis manifestum euadit ex facto filij prodigi, Qui cum prius apud se dixisset, vadam ad patrem meum, & peccatum meum ei cognitum faciendo, dicam ei: Pater peccaui in cælum & coram te. & idipsum aduersum me confitendo, dicam, Iam non sum dignus vocari filius tuus; tamen in gratiam receptus non est nisi postquam propositum suum fuisset reipsa executus, atque dixisset coram patre, Peccaui in cælum, &c. Per conuersionem autem aduersum me factam, *remisisti impietatem peccati mei*, quia, inquit Augustinus, Iudicium quod contra nos assu-

De Noe & arca c. 29.

Lucæ 15.

De perfect. iust.

nos assumimus, pro nobis facimus, si peccata nostra accusamus. Dixi autem illis qui dicunt *Dixi confitebor* siue confiteri proponunt, ordinariè nō remitti peccata, nisi vbi id quod proposuerant reipsa præstititerint, quia contingit, imo in necessitate ordinariū est, solo voto faciendæ cōfessionis dimitti peccata. Magna enim pietas Dei est, inquit Augustinus, vt ad solam promissionem peccata dimittat, nondum enim pronunciat ore, & tamen Deus audit in corde, votum enim pro opere reputatur. Hæc August. Porro in eo quod dicit Psaltes *Dixi confitebor*, &c. antequam confessionis sacramentum sit institutum, insinuatur confessionem peccatorum Deo deferendam, omni tempore idque de conuenientia Iuris naturæ, ad remissionem peccatorum necessariam fuisse. Et ob id etiam remissioni peccatorum tempore veteris legis fuit præmissa peccatorum confessio, vt manifestum est in pœnitentia Dauidis coram Nathan, filij prodigi, & ex confessione Danielis. Quæ peccatorum confessio non solum facta est in genere, sed subinde etiam peccatis sigillatim enumeratis, vt Esaiæ, Iniquitates nostras cognouimus, peccare & mentiri contra Deum, & auersi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri vt loqueremur calumniam & transgressionem. Et postea. Corruit in platea veritas, & iustitia non valuit ingredi. Cui similem confessionem videre est 2. Esdr. vbi non solum in particulari peccata populi Leuitæ confitentur, sed exprimunt & circumstantiam peccatum aggrauantem, per hoc quod dicunt. Patres nostri dederunt caput, vt conuerterentur ad seruitutem suam quasi per contentionem, Quod facere, erat peccare ex malitia. In confessionibus autē illis erat inuisibile tribunal, Deo agente partes iudicis, peccatore vero partes rei & accusantis. Quod tribunal Christus tempore noui testamenti in tribunal visibile conuertit, instituens, vt confessio quæ prius soli Deo vt Iudici deferebatur, nunc in visibili quadam se humiliandi (inquit Tertull.) & prosternendi specie fieret in tribunali conspicuo, vbi sacerdos Dei loco vt Iudex visibilis cum potestate præsideret; Idque magno fidelium bono, Visibile enim illud tribunal pœnitentem iuuat ad commouendam in eo humilitatem, informat ad confessionis integritatem, extimulat ad compunctionem. Denique consequendæ remissionis facilem certamque præbet rationem. Quam rem eleganter explicans Ambros. Dominus inquit, quod ante erat iudicij sui, dedit Apostolis, videlicet peccata dimittendi æquitatem, ne citò soluenda diu ligata manerent. Christus ergo instituendo sacramentum confessionis non mutauit pœnitendi legem aut rationem, sed formam, quia tribunal inuisibile coram quo prius reus plorabat & confitebatur, in nouo testamento sub ijsdem pœnitendi legibus, in tribunal visibile, translata in sacerdotem, siue concessa sacerdoti iudicandi potestate, conuertit.

Citatus à Gra. 17. q. 1. Qui bona

2. Reg 12.

Cap 9.

Cap. 59.

2. Esdr. 9.

Loco præalleg.

In psal. 38 ad verba Remitte mihi.

7. *Pro hac* remiſsione peccatorum, inquit Hieronymus, *orabit ad te om-*
2.cõ.Pela. cap.2. *nis ſanctus*, quia nemo ſine peccato, *in tempore oportuno.* i. certis ad hoc
delectis temporibus, quæ ſunt velut quidam dies expiationum. Cuiuſmo-
Serm.3.de ieiu.7.mẽſ. di nunc ſunt dies ieiuniorum & vigiliarum, quia, vt docet Leo, licet quoti-
diano Dei munere à diuerſis contaminationibus emundemur, inhærent
tamen incautis maculæ craſsiores, quas oportet diligentiori cura ablui, &
Hom.2. de bapt.ca.8. maiore impendio deleri. Baſilius tamen per ſanctum intelligere videtur
ſanctitatis candidatum ſiue ad accipiendam ſanctificationem ſe diſponen-
tem, quem dicit oraturum pro remiſsione peccatorum ſuorum mortalium,
in tempore oportuno. i. tempeſtiuè, dum viuit & valet, ne ſero tandem ad
pœnitentiam diſponenti claudatur ianua, priuſquam pœnitentia ſufficiens
fuerit & vera. Sed forte timendum erit ne is qui remiſsionem peccatorum
conſecutus eſt, ob multas quæ eum inuadent tentationes, non poterit in
iuſtitia perſeuerare? nequaquam, ſequitur enim:

8. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum.* i. inundatione multarum
tentationum, *ad eum non approximabunt.* i. eum qui iam ad iuſtitiam à Do-
mino reſtitutus eſt, inimici non ſuperabunt, Ad Deum enim protectorem
ſuum confugiens dicet ei:

9. *Tu es refugium meũ à tribulatione quæ circundedit me.* i. tentatione quę
tribulationem operatur, *Exultatio mea.* q. d. tu cuius participatio mihi in
medijs tribulationibus exultationem ſpiritus facit, *erue me à circundanti-
bus me.* Reſpondens autem confugienti ad ſe Dominus dicit:

10. *Intellectum tibi dabo & inſtruã te in via hac qua gradieris*, ne per igno-
rantiam ſeducaris, *firmabo ſuper te oculos meos.* i. iugem tui curam geram.
Et bene hoc Dominus promittit Chriſtiano, quia Chriſtianorum propriè
Deut.11. illa regio eſt, de qua dicit Dominus: Terra quam ingredieris poſsidendam
de cælo expectat pluuias, in quam oculi Domini ſunt à principio vſque in
finem. Sed quia charitas propriæ ſalutis conſecutione non contenta etiam
inimicorum curam gerit, vt eorum ſalutem lucretur, iſte à lapſu iuſtifica-
tus, & ſpe diuinæ protectionis de ſua perſeuerantia ſecurus, ad inimicos
ſuos per fraternam correptionem conuertitur, & dicit ijs:

11. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* i. feroces,
indomiti, laſciui, non intelligentes nouiſsima veſtra. Et quia adhortatio
1.Reg 2. præcedens lenis fuit, qualis erat & adhortatio Heli, qua dicebat filijs ſuis:
Nolite filij mei rem hanc facere. Et quia malæ beſtiæ ventres pigri potius
vrgendi ſunt quam admonendi, conuertit Pſaltes ſermonem ad Deum,
& dicit:

12. *In camo & freno maxillas eorum conſtringe.* i. ſtimulis internis vrge ne
ceſſent, & circumualla eos ne effugiant, quale quid faciebat Deus Auguſti-
no, cùm

no, cùm diceret, Vndique circumuallabar à te *qui non approximant ad te*, id est, qui leniter & dulciter vocati non accedunt ad te.

Multa flagella peccatoris, in futura vita manent peccatorem *sperantem* 13.
autem in Domino misericordia circundabit, quia præueniet, aderit, & subsequetur. Tandem Psaltes fructum veræ iustitiæ vltimo versiculo explicans, iustos compellat, & dicit:

Lætamini in Domino, & exultate iusti. i. vobis est de Domini vnctione 14.
atque præsentia iugis lętitia, *& gloriamini omnes recti corde*, quia vera vobiscum est gloriandi materia & causa. Vobis enim competit illud Apostoli: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quia in omni simplicitate & sinceritate, & non in sapientia carnali conuersati sumus in hoc mundo. 2. Corin. 1.

PSALMVS XXXII.

In finem Psalmus Dauid.

EXultate iusti in Domino. Cùm exultare D. Bernardo significet quasi extra se saltare, exultare est mente in Dei diuinæque bonitatis contemplationem sublata, in eadem se cum spirituali lętitia oblectare. Et quia decet vt hanc rem consequatur gratiarum actio, subdit: *rectos decet collaudatio*. i. concors & de mutuo profectu concepta communis gratiarum actio.

Confitemini Domino in cythara. i. carnis mortificatione, Vel Cythara, 1.
i. confessione per gratiam Spiritus sancti desuper accepta, Cythara enim, inquit Basilius, à parte superiore sonandi potentiam accipit. *in Psalterio decem chordarum*. i. in plena diuinæ legis obseruatione. *Psallite illi*, quia Eccli 15.
non est speciosa laus in ore peccatoris.

Cantate ei canticum nouum. i. ex nouitate spiritus proueniens *bene Psal-* 2.
lite ei in vociferatione, tali scilicet quæ auribus Dei non autem hominum clamosa sit.

Quia. q. d. hæc est laudis ad quam vos adhortor, causa, *rectum est ver-* 3.
bum Domini. i. æternum Dei Verbum, quod, in principio erat apud Deum, rectum est, ab omni iniquitate aut vitio alienum, *& omnia opera eius*. i. omnia quæ per ipsum facta sunt *in fide*. i. absque fraude facta sunt. Fides enim hoc loco & Deuteron. 32. vbi dicitur Deus fidelis, fraudi opponitur, vt sit sensus. Sicut verbum Dei per omnia rectum est, sic pro rectitudine sua, bona fide omnia quæ fecit, recta & rectè fecit.

Diligit misericordiam & iudicium. Quod Verbum misericordiam dili- 4.
gat, ab omnibus facile creditur, quod autem Iudicium, licet id quibusdam atrocitatis aut inclementiæ speciem habere videatur, id tamen hîc Psaltes

confidenter de Verbo prædicat, præmunit enim contra omnem offensionem corda audientium per hoc quod dixit, Rectum est verbum Domini, &c. quia vbi fixum nobis fuerit, quod ante omnia fixum esse debere semper inculcat Augustinus, videlicet Verbum Domini rectum esse, aut quod
Rom 9. non sit iniquitas apud Deum, nunquam nos offendet quodcunque eius iudicium. Porrò vna cum misericordia diligit iudicium, quia vtrumque bo-
Tract 110. in Ioan. num est & sanctum, ita vt dicat August. quod Deus amat in malis damnationis iudicium. *Diligit* quoque Iudicium, quia iudicium misericordiam illustrat. præponitur autem misericordia iudicio, quia Deus ex semetipso misericordiam solummodo exercet. Iudicium verò non nisi causa ex crea-
Serm. 5. de Nativ. turis accepta. Ob quam causam Bernar. misereri Deo proprium esse docet. Ne autem per hoc quod Deus Iudicium diligere dicitur, misericordia eius in paucos tantum erogata credatur, subijcit Psaltes per Prophetiæ spiritum id quod noui testamenti tempore implendum erat. *misericordia Domini plena est terra* quia in omni terra, lingua, populo, natione imo tribu misericordia Domini per eius Euangelium effusa est. Vnde autem euangelizantibus virtus huius misericordiæ tam efficaciter annunciandæ aduenerit, declarat, cùm subdit:

5. *Verbo Domini.* i. æterno Dei Verbo eos dirigente, suaque sapientia implente. In quibus verbis nomine [Domini] Deus Pater intelligitur, qui Dominus dicitur non respectu Verbi, quia eius respectu Pater appellatur, sed respectu Psaltis hæc enarrantis, & totius creaturæ. Quod ipsum non
Matth. 11. obscurè Christus insinuauit, cùm dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, appellans Deum suum Patrem, creaturarum vero Dominum, vt
3. Thes. c. 5 notat Cyrillus. Dicit itaque *Verbo Domini*, eius scilicet, qui non Verbi, sed noster Dominus est. *Cæli*, i. Apostoli, *firmati sunt*: vt & ipsi veritatem constantissimè seruarent, & Ecclesiæ quæ est columna & firmamētum veritatis, immobilis ædificij præberent fundamentum. Quod autem Verbum firmitatem hanc cælis præstiterit non sine cooperatione Dei Patris sui, id euidenter demonstratur hoc ipso quod dicitur Verbo Domini. Si enim verbum sua virtute cælos firmauit, Et Verbum Domini est, ergo Domini virtute cælos firmauit, quia hoc ipsum quod Verbum est, Domini seu
Ioan 5. Patris est. Vnde & dicit: Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: Sed ne Verbum id cum Patre sine Spiritus sancti cooperatione fecisse putetur, subdit Psaltes: *& spiritu oris eius.* i. cooperante vna cum Verbo Spiritu sancto, *omnis virtus*, tam prædicationis, quàm bonorum operum & miraculorum *eorum.* i. cælorum. Dicitur autem Spiritus sanctus, spiritus diuini oris, ad designandā propriam Spiritus sancti processionem. Quia enim per os hominis flatus seu spiritus eius procedit, &

dit, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio per ſpirationem procedit, ideo ab humana ſpiratione ad diuinam ſpirationem tranſlata ſimilitudine, Spiritus ſanctus ſpiritus diuini oris dicitur, vt à Patre & Filio per ſpirationem procedere doceatur. Idque ſimili per omnia metaphora, qua ad deſignandum quod Dei Filius genuinus ſit Patri & conſubſtantialis, dicitur ex vtero genitus. *Pſal. 109.* Naturales enim & conſubſtantiales Filij in humanis generationibus ex vtero generantur. Poteſt tamen Spiritus ſanctus etiam dici ſpiritus oris Domini, quia per donum linguarum atque ſermonis, Eccleſiæ Chriſti primitus innotuit, vt notat Gregorius. *In pſal. 50* Porro in eo quod dicitur, *oris eius*, quidam intelligunt, *eius*. i. Domini. Rectius tamen cum Tertulliano hoc *cõ. Praxeã.* modo intelligemus, *oris eius*. i. Verbi, quia ſi intellexerimus Spiritum ſan- *cap. 7.* ctum eſſe ſpiritum oris Domini, non inde poterimus tam euidenter concludere Spiritum ſanctum etiam à Filio procedere. Si autem intelligamus eum eſſe ſpiritum oris Verbi, neceſſario inde ſequetur, ſpiritum etiam à Patre procedere, quia cùm Verbum non niſi à Patre ſit, & ſpiritum eius à Patre quoque eſſe oportet. Quis autem virtutis iam dictæ effectus ſit, ſubditur:

Congregans quaſi in vtre aquas maris. Mare ſæculum eſt, Aquæ eius 7.
ſunt feruor & furor eius, quo in perſecutionem fidelium concitatur. Hæ aquæ congregantur in vtre, cum feritas Tyrannorum & populorum à perſecutione inferenda cohibetur, defectu, non malignitatis, ſed poteſtatis aut virtutis. Quando enim malignantibus deeſt poteſtas, aut audacia malefaciendi, coguntur ipſi motus ſuos malignos in cordibus ſuis, quaſi vtribus concludere. Quale quid Circũcellionibus ſuo tempore contigiſſe teſtatur Auguſtinus his verbis. Sæuire vos nolle dicitis, ego non poſſe arbitror, *Epiſt. 48.* ita enim eſtis numero exigui, vt ſæuire non audeatis, etiamſi cupiatis. *ponens in theſauris abyſſos*. i. eos qui ob id quod in profundum peccatorũ peruenerint, & tam profundo corde ſint vt credant ſe poſſe abſcondere à Domino conſilium, hos inquam, ponit in theſauris. i. abſconditis, non concedendo eorum malignitati malefaciendi occaſionem vel poteſtatem. Eo enim caſu abſtruſam facit eorum malitiam, & in theſaurum detrudit, quia theſauri nomine in ſcripturis ſignificatur quidem copia rei in latebras abſtruſæ, ſed non ſemper pretioſæ. Vnde Deuteron. 32. Nónne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? Et apud Iob: Nunquid ingreſſus *Cap. 38.* es theſauros niuis & grandinis?

Timeat Dominum. Votiua prædictio eſt, & eſt ſenſus. Congregatis 8.
quaſi in vtre aquis maris, eaque ratione præſtita ſecuritate à priſtina perſecutione, *timeat*. i. cultum veræ religionis amplectatur *omnis terra*: *ab eo autem* Domino videlicet *commoueantur*, id eſt, ad fidem & religionem

ſuſcipiendam infallibiliter commouebuntur, *omnes inhabitantes orbem.* i. per vniuerſum orbem plurimi.

9. *Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* q.d. Dico per Dominum commouendos omnes inhabitantes orbem, quia Domino per virtutem vocis ſuæ ad eos loquente, abſque dubio fiet quod Dominus eis locutus fuerit. Scriptum eſt enim, Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me, non inquit Auguſtinus, dicit Chriſtus, poteſt venire, ſed venit, quia vox diuinæ gratiæ, vna cum veniendi poteſtate præſtat poteſtatis effectum. Porrò quæ & quanta ſint, quæ Dominus tempore euangelicæ prædicationis dicat & fiant, mandet & creentur, explicat Iſaias, Ego ſum Dominus ſuſcitans verbum ſerui ſui, & conſilium nunciorum ſuorum complens; qui dico Ieruſalem habitaberis, & ciuitatibus Iudæ ædificabimini, & deſerta eius ſuſcitabo: qui dico profundo deſolare, qui dico Ieruſalem habitaberis, & templo fundaberis. Sed fortaſſe timendum erit, ne aduerſarij obſtaculum ponant huic voci Domini, quominus ei obtemperetur. Imo ne id quidem, quia

Ioan 6. — *Cap. 8. de præd. Sanc. & 14 de grat. Chri.* — *Cap. 44.*

10. *Dominus diſsipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia Principum.* q. d. multi quidem cogitabunt, imo conſpiratione facta inter ſe conſultabunt, qua ratione impedire valeant ne timeat Dominum omnis terra. Sed Dominus diſsipat conſilia gentium, reprobat cogitationes populorum, vt non poſsint, inquit Iob, manus eorum implere quod ceperant. Quam gratiæ diuinæ virtutem etiam Iſaias conſiderans exclamat ad populum diuinæ virtuti obniti parantem: Congregamini populi. q. d. eſto, conſpirate inter vos, & inuicem animate ad obſiſtendum, attamen vincemini. Inite conſilium & diſsipabitur; loquimini verbum, & non fiet, quia nobiſcum Deus.

Cap. 5. — *Cap. 8.*

11. *Conſilium autem Domini.* i. propoſitum Domini, quod nomine conſilij appellatur, quia Dominus omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, *in æternum manet.* i. nunquam effectu deſtinato fraudabitur. Ideo Iſaias, Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Et Actorum 4. Si ex Deo eſt conſilium aut opus, non poteritis diſſoluere. Circa quæ verba contra Manichęos bene notat Diuus Thomas, opus Dei bene diſſolui, quia multi à charitate quam Deus in eis operatus eſt, excidunt, Conſilium autem Dei. i. propoſitum diuinæ prouidentiæ non poſſe à ſuo effectu impediri. Cùm ergo opus Dei diſſoluitur, per hoc tamen conſilium Dei non diſsipatur, quia Deus opus illud ordinauit quidem vt eſſet, non autem vt eſſet indiſſolubile. *Cogitationes cordis eius in generatione & generationem.* Vnicus ac æternus eſt diuinæ cogitationis actus, & tamen cogitationes pluraliter dicuntur propter multitudinem eorum, quæ Deus cogitatione

Ephes. 1. — *Cap 46.* — *Quodlib. 3. ar. 11. ad 7* — *Apocal. 2.*

tatione

ratione sua compræhendit, Itaque significatur futurum, vt impleatur quicquid Deus de genere humano per omnes suas generationes facere cogitauit. Intelligens autem Psaltes quam gratuitum & salutiferum munus sit homini, Dei vocatio secundum propositum, exclamat admirabundus.

Beata gens cuius est Dominus Deus eius. q.d. O verè felicem illam gentem, cui Dominus Deus eius fieri dignatur, *populus*, inquã, beatus est *quem elegit.* i. reliquis relictis, assumpsit (hoc enim D. Thomæ & verissimè, est eligere) *in hæreditatem sibi.* i. vt eos æternæ vitæ hæredes faciat. Sed vnde huius beatitudinis est in homine initium, nunquid ex homine, an ex Deo? 12.

De cælo respexit Dominus vidit omnes filios hominum. q.d. Quod Deus gentis alicuius Deus sit, non inde prouenit quia gens illa prior ad Deum suspexerit, sed quod Deus de cęlo prior eam respexerit, & respiciendo eius misertus sit. Quod autem dicit, *omnes filios hominum*, ibi nomen [omnes] distribuitur pro vniuersitate bonorũ, sicut & alibi frequenter. Deinde quia vt ad religionẽ homines perueniant, prædicatorũ veritatis egẽt ministerio, Et quia infideles vt ad veritatis cognitionẽ perueniant, magis debẽt à prædicatoribus veritatis pręueniri quam eos præuenire, ideo adiungit Psaltes: 13.

De præparato habitaculo suo respexit. i. in eis, & per eos, quos Deus ad aliorum salutem quærendam præparauit, qui sunt Apostoli, alijque Euangelij pręcones, respexit Deus, quia eos cum commiseratione respicere fecit *super omnes qui habitant terram*, vt attenderent tenebras occupasse vniuersam terram, ipsique hoc attendentes, per charitatem inardescerent ad eruendam è tenebris terram. Hunc respectum in primis Deus fecit per Christum suum, qui singulare habitaculum & templum Dei fuit, cùm videns turbas, misertus est eis, quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Vt autem pastorem acquirere possent, dixit: Rogate Dominum messis. Et ad hunc respectum faciendum adhortatur discipulos, cùm diceret: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem, vt videlicet id videntes, commiseratione tangerentur, & charitate accenderentur ad messem illam propheticæ sementis in horreũ Ecclesiæ colligendam. Hunc etiam respectum fecit Dominus per diuum Gregorium, qui, vt refert Beda, videns quosdam adolescentes Anglos Romæ venales, cùm intelligeret eos totamque eorum gentem adhuc paganismo laborantem, misertus eorum, voluit Euangelij lucem genti Anglorum afferre, quod postmodum Pontifex factus per alios præstitit. His itaque duobus modis respiciendo, præuenit Deus filios hominum vt ipsi gens & populus eius, & ipse eorum Deus fiat. 14. *Matth 9.* *Ioannis 4.* *Lib. 1. hist. Angl.*

Qui finxit sigillatim corda eorum. Per corda hominum hic ab aliquibus intelliguntur animæ rationales quas Deus sigillatim vnicuique creat. 13.

Epist.28. Rectius autem secundum August. intelligimus Deum corda fingere, non secundum substantiam, sed secundum pietatis affectum. Sicut enim Deus cor mundum creat in homine innouatione iustitiæ, sic cor innouatum fingit confirmatione doctrinæ, idque sigillatim, quia alteri datur spiritus sa-
1.Cor.12. pientiæ, alteri scientiæ, alteri fidei, & sic de reliquis: *qui intelligit omnia opera eorum*, videlicet operum scopum, qualitatem, bonáne sint an mala;
Prouer.16 & 21. quantitatem, Appendit enim corda Deus, ac spirituum ponderator est Dominus. i. explorat quantum pondus iustitiæ aut iniustitiæ habeant. Quod peculiariter Deo asscribitur, quia de suis operibus vnicuiq; cum Apostolo
Roman.7. quodammodo dicendum est: Quod operor, nõ intelligo. Ne autem quispiam humanis viribus putet salutem æternam consequi aut apprehendere, subdit Psaltes:

16. *Non saluatur Rex per multam virtutem*, quam sibi habet in multitudine sui exercitus velut ad manum positam, *neque gigas*, qui non vt rex aliena, sed propria ac domestica virtute valet, suis viribus æternam salutem acquiret. Et quia Regum vires subinde in equitatu positæ sunt, additur:

17. *Fallax equus ad salutem*, qui enim viribus equitatus sui confisus putabit salutem æternam consequi, inueniet se deceptum, quales fuerunt illi quibus
Cap.30. dicebat Isaias: Si reuertamini & quiescatis, salui eritis, & dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus, & super veloces ascendemus, &c. Quanquam hæc etiam de temporali salute vere dicta sint, quia dicebat Propheta Regi:
2 Para.25 Quod si putes in robore exercitus consistere victoriam, superari te faciet Deus ab hostibus. Videntur tamen hæc & allegoricè esse intelligenda, vt regis nomine ille intelligatur, qui quam plurimos habet ad æternam salutem sibi auxiliares. Gigantes sint, qui non indigent humana ope, sed sibi sufficiunt. Hi enim non peruenient ad salutem, si in his viribus quantumuis spiritualibus fuerint confisi, vt iam subinde dictum est, oportet proinde vt in Domini protectione confidant: propterea subditur:

18. *Ecce oculi Domini*. q. d. Si ergo quæsieris qua ratione isti peruenient ad salutem. *Oculi Domini*. i. diuinæ prouidentiæ inspectio. *Super metuentes eum*, & in eis qui sperant super misericordia eius. i. super eos, qui & timent Dei iudicia, & nihilominus sperant de benignitate quam solet exhibere timentibus se: Interim quod dictum est: *Fallax equus ad salutem*, satis accommodatè illis dicetur, qui in negotijs æternæ salutis efferuntur, iræ, indignationis, prodigalitatis, & humani fauoris intemperatis passionibus. Cùm enim equi nomine effrenis passio rectè designetur, verè dicetur illis, *Fallax equus ad salutem*, quia passionum tumultus, neque suis authoribus, neque aliis in quos sic feruntur, conducit ad veram salutem. Sunt autem oculi Domini super metuentes eum,

Vt eruat

Vt eruat protegendo *à morte* æterna *animas eorum, & alat eos in fame* 19.
vitæ æternæ, inquit Tertullianus, quæ est fames veritatis & iustitiæ, quæ 2 cõ. Mar-
ducit ad vitam æternam. Iusti itaque diuinæ protectionis necessitatem in- ci. cap. 19.
telligentes, eam quoque sibi expectandam arbitrantur. Dicunt proinde:
Anima nostra sustinet Dominum. i. præuiam eius directionem & prote- 20.
ctionem expectat, *quoniam adiutor & protector noster est.*
Quia in eo. i. in eo adiutore & protectore nostro *lætabitur cor nostrum.* 21.
eo enim adiuuante nihil deesse, eo protegente nihil obesse potest. *& in nomine sancto eius.* i. in eo ipso *sperauimus*. Quia autē spes rem hîc speratam ex gratia consequitur, ideo spei suæ adiungunt iusti orationem, & dicunt:
Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te. 22.
i. fiat super nos tantum tuæ misericordiæ, inquit Basilius, quantum nos in te coniecimus spei.

PSALMVS XXXIII.

David cùm immutauit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum & abijt.

DIuus Augustinus ex eo motus, quod in verbis huius tituli (mysterij vt putat indicandi causa) nomen Abimelech pro Achis ponatur, titulum hunc mysticè exponit, dicitque nomine Dauidis vultum immutantis Christum significari, qui vultum suum immutauit, In primis, quia cùm in forma Dei esset, visibiliter mortalis apparuit. Deinde in transitu ex *Philipp. 2.* hac vita, cùm corpus & sanguinem suum sub specie panis & vini, velut immutato vultu, mundo reliquit. Fecit autē vtrumque coram Abimelech, qui interpretatur Patris mei regnum, & designat Iudæos. Illi enim viderunt Christum & in vita mortalem, in passione nō habentē speciem neque deco- *Isaiæ 53.* rem. Post resurrectionē verò viderunt memoriam Dominicæ passionis, per sacrificium Melchisedech in pane & vino, repudiato sacrificio veteri celebrari, & nihil horum crediderunt. Itaque dimisit eos, & abiit ad saluandas gentes. Basilius autem & qui eum sequuntur, non considerant in titulo esse parabolam, sed respiciunt ad ipsam historiam, & quod pro nomine Achis Abimelech ponitur, non arbitrantur mysterij causa factum esse, quia nomen Abimelech erat commune nomē Regis Philistijm, quemadmodum nomen Pharaonis commune fuit Regibus Ægypti. Quæ Basilij annotatio satis rectè videtur conuenire Psalmo, quia Psalmus continet gratiarum actionem pro euasione è periculis, in quibus Dauid in primis versabatur, cùm necesse ei fuit vultum immutare coram Achis. Interim tamen admitti potest Psalmum hunc sacrificij Dominici mentionem in titulo præferre, quia sicut sacrificium illud, ita & Psalmus iste Eucharisticus est.

Bene-

1. *Benedicam Dominum in omni tempore.* i. indeſinenter, Cogitatio enim
quæ de Deo eſt ſemel menti impreſſa & velut ſigillo obſignata rectè ap-
Baſi. in hũc locum. pellatur laus Dei ſemper in anima exiſtens, inquit Baſilius, ſicut tacitum
animi deſiderium, fide, ſpe & charitate ſubnixum, D. Aug. iugis eſt oratio.
Aug. epiſt. 121. Vel *in omni tempore.* i. tam in aduerſis quam proſperis, *ſemper laus eius*
1. Cor. 10. *in ore meo.* Id fieri poterit ſi omnia quæcumque agas ſiue manducando, ſi-
ue bibendo, ſiue aliud quippiam agendo in gloriam Dei facias. Ipſa enim
externa opera eò relata perfectam laudem Dei quodam ore loquuntur. vel,
ſemper, vt ſupra.

2. *In Domino laudabitur anima mea.* i. quicquid illud erit quod in me lau-
de videbitur proſequendum, Domino authori aſſcribi volo. *audiant* hanc
meam voluntatem meumque ſtudium, *manſueti.* i. humiles ſpiritu, *& læ-
tentur.* Superbi enim indignantur, ſi id quod in nobis laudabile eſt Do-
mino aſſcribitur.

3. *Magnificate Dominum mecum.* i. quantum poteſtis diuina beneficia me-
cum extollite. *& exaltemus nomen.* i. qua poſſumus verborum magnifi-
centia concorditer & certatim prædicemus quæ de Deo creduntur atque
Eccli. 43. experiẽtia comprobata ſunt, ſed vt Sapiens dicit, Superualebit adhuc. Poſt
hæc incipit Pſaltes enumerare Dei in ſe beneficia ob quæ ad concentum di-
uinarum laudum manſuetos inuitauit, & dicit:

4. *Exquiſiui Dominum*, manibus ſcilicet aut operibus meis, vt habet &
Pſal. 76. *& exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis, eripuit me.*
non ſinens, inquit Baſilius, me anxietate opprimi, ſed cum tentatione
prouentum patientiæ faciens vt potuerim ſuſtinere. Vos ergo meo exem-
plo corroborati, ſimiliter,

5. *Accedite ad eum*, i. conuertite vos in tribulatione ad Dominum, *& il-
luminamini*, augmentum enim lucis ſpiritalis ab eo accipietis. eſt enim Do-
Ioan. 8. minus lux. *Et facies veſtræ non confundentur*, tanquam qui repulſam ſitis
Cap 49. paſſi. Dominus enim eſt de quo dixit Iſaias: Super quo non confunden-
tur, qui expectant eum. Et ne iſti quos Pſaltes inuitat, ob fidei & ſuorum
meritorum tenuitatem detrectent ad Deum accedere, animat eos exemplo
alterius alicuius pauperis, qui in paupertate ſua Dominum acceſsit & adiu-
tus eſt, & quaſi digito, inquit Baſilius, demonſtrans dicit:

6. *Iſte pauper.* q. d. talis qui notoriè pauper & inops meritorum videtur,
*clamauit ad Dominum & exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius
ſaluauit eum*, Tu ergo quicunque paupertatis tuæ conſcius es, ne reformi-
des ad Dominum accedere. Baſilius tamen per pauperem, qui hic demon-
ſtratus eſt Chriſtum intelligit. q. d. Si de tuis meritis diffidens ad Deum
trepidas accedere, Ecce tibi Chriſtus præſto eſt, qui propter nos pauper
factus

factus cùm esset diues, pro nobis ad Deum per semetipsum accessit & exorauit.

Immittet. i. proteget ne prosternantur, *angelus Domini in circuitu timentium eum.* De vno angelo dicitur, *Immittet in circuitu*, ad designandam magnitudinem virtutis angelicę, quoniam vniuerso exercitui & castris hominum numerosæ multitudinis, vnus, inquit Basil. angelus assimilatur. *in circuitu timentium eum*, dicit timentium eum. Omni enim in Christo credenti angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones profligauerimus. Sicut enim fumus apes fugat, & fœdus odor columbas, sic angelum vitæ nostrę custodem graueolens peccatum. *& eripiet eos*, quos aut quatenus eripi expedit, aut pro tempore eripi expedit; quod multis martyribus euenisse clarum est, qui angelica ope carceribus, plagis, internecioni sunt erepti, vel in suppliciis miris modis recreati. 7.

Basil. in hunc locum.

Gustate & videte. i. intellectu simul & affectu apprehendite, *quoniam suauis est Dominus.* Dicit autem *gustate*, quia saturitate in futurum reseruata, non datur in hac vita dulcedinem Domini nisi prælibare, vt notat D. Augustinus. *Beatus vir qui sperat in eo.* 8.

21 de Ciu. Dei, ca 24

Timete Dominũ. i. in timore siue cultu eius perseuerate, ac vosmetipsos exercete *omnes sancti eius*, *quoniam non est inopia timentibus eum.* Pietas enim quæ cultus Dei est, promissionem habet vitæ quæ nunc est & futuræ. 9.

1. Timot 4.

Diuites eguerunt & esurierunt, quia diuitiæ absque timore Domini facile deseruerunt possessores suos. *inquirentes autẽ Dominum non minuentur omni bono* præsentis vitæ nec futuræ. Deus enim inquirentibus se, remunerator est. 10.

Hebr. 11.

Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. i. cultum & obseruantiam Dei. Ex ijs enim quæ longo ordine consequuntur, manifestè satis apparet, Psaltem nomine timoris Domini non intelligere vnam aliquam particularem virtutem, sed id quod ad verum Dei cultum pertinet: 11.

Quis est homo qui vult vitã, diligit dies videre bonos? Inter ea autẽ quę necessaria sunt ei *qui vult vitã & diligit dies videre bonos*, primo loco ponit, 12.

Prohibe linguam tuam à malo, detractionis videlicet, quia, vt docet Hieron. vitium detractionis vel in primis extingui debet, & ab iis qui se sanctè instituere volunt prorsus excludi. *& labia tua ne loquantur dolum.* i. quoduis mendacium, aut quicquid ad alterius iniuriam pertinet. 13.

Epist. 14. ad Celant.

Diuerte à malo & fac bonum, Licet declinare à malo quoddam bonum sit, est tamen inter hæc duo præcepta hæc differentia, quod iuxta Tertull. declinare à malo is dicitur, qui non facit quod obest: facere autem bonum dicitur, qui addit insuper quod prodest. Atque adeo inter hæc duo præcepta hanc differentiam explicat Hieron. dicens: Priore præcepto impro- 14.

1. ad vxo. cap. 3.

Epist. mox allegata.

bari otium, posteriore imperari studium. ibi animum coërceri, hic incitari, illic fecisse, hic non fecisse culpabile est. Quod enim damnatio immineat non solum prohibita patrantibus, verumetiam iussa prætermittentibus, ex Basilio supra Psalmo 14. probatum est. Porrò Psaltes prius dicit:
In Psal 1. *Diuerte à malo* & post *fac bonum*, quia vt notat Ambros. initium bonorum nobis est abstinentia peccatorum. Hic enim est ordo disciplinæ, vt ab inferioribus ad perfectiora contendas. Quæ verba Ambrosij non sic accipienda sunt, quasi Christiano ab initio suæ professionis prohibita solum-
2.2.q.24. art 9. modo cauẽda, iussa autẽ obseruanda non sint: sed quia vt docet D. Thomas Christianus in principio principaliter intendit vitare mala, prouectior autem effectus, præcipuo studio incumbit vt faciat bona. *inquire pacem.* i. sedulo omnem conciliandæ & fouendæ inter te & omnes homines pacis rationem excogita, & per id quod facta inquisitione tibi commodum visum fuerit, pacem conciliare & confirmare satage. In qua inquisitione ne præ-
In psa 131 posterè procedatur: Oportet nos, inquit Hilarius, ea cogitare quibus alienę voluntates ad concordiam redigendæ, & in ea detinendæ sint. Inter hæc
1. Offi c 21 autem primum esse docet Ambrosius, vt pacis studiosus mentem suam ab indignatione iniuriæ aut molestiæ sibi illatæ compescat. Sin id non potuerit, saltem linguam suam à sermone, qui dissidenti bilem mouere posset
In psa 147 cohibeat. Cito enim inquit, culpa culpam excutit. Deinde vt docet Aug. pacifici est de incertis non iudicare, incognita non confirmare, debetque procliuior esse ad bene credendum de suo aduersario, quam malè suspicandum. Denique officijs humanitatis debet dissidentem ad concordiam pro-
2. de Iacob cap 6. uocare exemplo Iacob, qui vt notat Ambros. fratrem suum ad concordiam studuit humilitate inuitare, officijs acquirere, muneribus emere. Si autem dissentiens his modis ad pacem prouocatus eam nihilò minus repudiauerit, imo visus fuerit fugere pacem, nunquid eo casu licebit pacifico à pacificationis studio supersedere? nequaquam, sequitur enim, *& persequere*
Epist 4. cap. 6. *eam*, quo verbo docetur, inquit Hieron. pacem non solum quærendam, sed fugientem omni studio insequendam esse.

15. *Oculi Domini super iustos*, quia eos cum benignitate inspicit, eorumque curam gerit. *& aures eius in preces eorum.* i. aures per obuiam beneuolentiam inclinatas habet in preces eorum, eo quod iustitia orantis gratissima orantis vox sit, quæ aures Dei demulceat.

16. *Vultus autem Domini super facientes mala*, quia eos cum ira & indignatione inspicit. Per vultum autem intuentis iracundiam significari liber He-
Cap. 7. sther docet, vbi dicitur quod Aman vultum Regis & Reginæ ferre non sustinuerit. *vt perdat de terra memoriam eorum.* ad hoc Deus iniquitatem eorum non præparat, sed ordinat.

Clama-

Clamauerunt iusti & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulatio- 17.
nibus eorum liberauit eos, vel persecutionibus modum aut finem mirabiliter imponendo, vel persecutionum acerbitatem Spiritus sancti sui vnctione leniendo.

Iuxta est Dominus ijs qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu sal- 18.
uabit. de hoc supra Psal. 9. vers. 9.

Multæ tribulationes iustorum, tum quia mali animas iustorum iniquis 19.
operibus cruciant, tum quia iram iniquorum iusti bene agendo in semetipsos prouocant, *& ex omnibus his liberauit eos Dominus*.

Custodit Dominus omnia ossa eorum, Per ossa fortitudo significatur, for- 20.
titudo autem simplicis via Domini, Custodit itaque Dominus iustitiam Prouer. 10
atque virtutes iustorum, ne ista eorum ossa bonaque præstantissima tribulatione deficiant. *vnum ex his non conteretur*, quia si modicè per seruorem tribulationis attritum fuerit, per Dei gratiam reparabitur. Est tamen magis verisimile, quod ossa hoc loco significent prædestinatos, de quibus allegoricè scriptum est, Os non comminuetis ex eo, nemo enim eorum, etiamsi Ioan. 19.
subinde confractus fuerit conteritur, quia ad æternum interitum non confringetur.

Mors peccatorum, secunda videlicet, *peßima, & qui oderunt iustum de-* 21.
linquent. non est propterea eis irascendum, quia odiendo satis mali sibi inferunt.

Redimet Dominus animas seruorum suorum ab iniquitate, *& non delin-* 22.
quent omnes qui sperant in eo. Grauiora delicta intelligit, de minoribus enim scriptum est, In multis offendimus omnes.

PSALMVS XXXIIII.
Psalmus huic Dauid.

IN hoc Psalmo per modũ orantis in persona Christi prædicit Psaltes mala, quæ tam in futuro, quàm in hoc sæculo obueniunt hostibus iustitiæ, interserens quid iusto erga suos persecutores faciendum sit. Orditur autem Psalmum à prædictione eorum quæ in futuro iudicio impiis obuenient, & dicit:

Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Expugnatur qui 1.
superatur, & per omnia in potestatem redigitur. Hoc fiet impijs in fine sæculi, cum auferetur eis omnis potestas Ecclesiam vlterius oppugnandi, de quo Isaias: In bellis præcipuis expugnabit eum. *impugnantes*. Propriè di- Cap. 30.
cit, Inimici enim Ecclesiæ, Ecclesiam semper impugnant, nunquam expugnant.

Apprehende arma & scutum. Arma Dei metaphoricè dicuntur. Metapho- 2.

Sapient. 5. ram explicat Sapiens: Induet, inquiens, pro thorace iustitiam & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem, acuet autem diram iram in lanceam. *& exurge in adiutorium mihi.* Vox est iu-
Psalm. 45. storum, Adiuuabit enim eam Deus mane diluculo. i. alterius vitæ exordio, quia tum plenissimum auxilium ei præbebit.
3. *Effunde frameam.* Framea gladij genus est, sub qua omnis Dei armatura continetur. Hæc effunditur, cùm Deus ad expugnandum inimicos omnem suam potentiam exercet, nec eam vlla in parte continet. *conclude aduersus eos qui persequuntur me*, ita vt effugere non possint. quod fiet in die iudi-
Isaiæ 8. cij, cùm implebitur quod scriptũ est; Non poterit auolare ab angustia sua. *Dic animæ meæ*, vt reipsa audiat, *salus tua ego sum.* i. te è tantis aduersitatibus atque periculis saluam facio. Hoc enim cum solicitudine orandum est iusto, quia multi in illa die, in magna de salute sua erunt trepidatione.
4. *Confundantur*, per opprobrium sempiternum, *& reuereantur quærentes animam meam*, vt scilicet auferant eam.
5. *Auertantur retrorsum & confundantur, cogitantes mihi mala*, quia separabuntur à iustis in die illa, vt non pateat illis amplius accessus ad eos.
6. *Fiant tanquam puluis ante faciem venti.* i. Fiant è numero eorum quos ventus furoris Domini proijciet à facie terræ, *& Angelus Domini*, qui est
2. ad Simplic q 1. diabolus, dictus angelus Domini, quia in hoc negotio, vt notat August. ministerium exhibet Domino, *coarctans eos.* tum enim iudex tradet impium ministro, qui Diuo Chrysostomo est angelus pœnarum, conijciendum in
Matth. 5. carcerem, è quo non est exiturus, donec soluat, quem nunquam soluet, nouissimum quadrantem.
7. *Fiat via illorum tenebræ.* i. dum sunt adhuc in statu viæ, contenebrentur vt peccata sua eorumque futura supplicia non videant. Fiat *& lubri-*
Psalm. 36. *cum*, vt deserti ab ope eius, qui labascentibus supponit manum suam, sinantur semetipsos inserere peccandi occasionibus, quæ cupidis hominibus viam suam lubricam efficiunt, *& angelus Domini persequens eos.* i. permittatur diabolus eos ita contenebratos atque lubricos insuper vrgere, vt in
9. in Ioan. cap 19. peccata corruant. Magnas enim, inquit Cyrillus, diabolus ad imperandum eis quos iam cepit, possidet vires, cogere videtur ad opus etiam nolentes, timet, vt credo, ne morando locus pœnitentiæ detur, & quasi è temulentia sua mentem homo rectius cogitans eripiat. Hac de causa festinat & impel-
21 in Psal 118 ver. 1 lit. Et Ambrosius, Dæmones non gratis persequũtur eos qui se eorum derunt potestati, & in possessionem sæculi toti intrauerint. In suos enim iure sibi dominatũ vendicant, atque ab his mercedem iniquitatẽ efflagitant.
8. *Quoniam gratis absconderunt mihi.* Christus loquitur pro se & suis mẽbris, *interitum laquei sui.* i. sine iusta causa voluerunt me laqueis suis innectere,

ctere, & ad interitum pertrahere. *superuacuè exprobrauerunt animam meã.* i. probri loco mihi obiecerunt, quod exprobrandum non erat.

Veniat ille laqueus æternæ mortis, de quo Dominus in Euangelio, tan- 9.
quam laqueus superueniet eis illa dies, *quem ignorat*, aut per incredulita- Lucæ 21.
tem, aut vanã eius euadendi fiduciam. *& captio quam abscondit.* i. sibi euenturam non credidit. *apprehenbat eum* nihil tale cogitantem.

Anima autem mea exultabit in Domino, tempore enim quo in interi- 10.
tum præcipitabuntur impij, magna oborietur iustis exultatio cum gratiarum actione, quod per Dei gratiam tantum interitum euaserint, *& delectabitur super salutari suo*. mirificè enim delectabit iustos consideratio salutaris auxilij, quod ad perseuerantiam vsque tot modis in hac vita à Deo acceperunt.

Omnia ossa mea. Christus id dicit de membris suis prædestinatis, quæ 11.
vbi iam pericula huius vitæ euaserint, simulque ad diuinæ opis, qua eousq; protecti sunt, cognitionem perfectam peruenerint, *dicent*: *Domine quis similis tibi?* in operibus scilicet, q. d. quisnam ea quæ tu in negotio salutis nostræ præstare posset? videlicet:

Eripiens inopem de manu fortiorum eius, omnes enim, in futura præser- 12.
tim vita, apertissimè agnoscent & profitebuntur, hostium virtutem humanis suis viribus maiorem fuisse. *egenum & pauperem.* i. eripiens eum qui ex semetipso virtutis inops est, & impos *à diripientibus.* i. vndique deprædantibus *eum*. nituntur enim hostes nostri certatim hinc fidem rapere, illinc charitatem, alia ex parte mansuetudinem, cæterasque virtutes.

Surgentes testes iniqui, manifestum est id in passione Christi cõtigisse, 13.
quæ ignorabam interrogabãt me. Non ipsi testes, sed princeps sacerdotum Matth. 26
interrogauit num vera essent, quæ illi contra Christum essent testificati.
Illa autem Christus ignorabat, quia non nouerat peccatum. 2. Corin. 5.

Retribuebant mihi mala pro bonis: *sterilitatem animæ meæ.* i. cùm diu 14.
laborassem terram illam Iudaicæ gentis frugiferam reddere, tandem nullum culturę meæ mihi fructum pro mercede reddidit, sed in pristina sua sterilitate perseuerauit.

Ego autem cum mihi molesti essent. His verbis docet Christus, quid vni- 15.
cuique nostrum, cui cum huiusmodi hominibus res erit, faciendum sit, tum pro semetipso, vt molestiam qua afficitur, ea qua par est animæquitate & charitate sustineat, tum vt improbis & importunis illis hominibus impetret conuersionem. Duo autem dicit. *Induebar cilicio*, Cilicij nomine comprehendens quicquid ad carnis castigationem pertinet, &:

Humiliabam in ieiunio animam meam. Per quæ significat se animam ab 16.
omni voluptate cohibuisse. Ita vt Ieiunij vox hîc generaliter significet ab-

stinentiam ab omni eo, quod animum oblectare solet. Hæc autem fecit, vt oratio quam tempore suæ aduersitatis Deo offerre cogitabat, sterilis ac inefficax non esset. Sunt enim ieiunia hæc orationum quædam remigia, per quæ ad sedem Dei vsque deferuntur; nec frustra id fecit: sequitur enim, *& oratio mea* talibus operibus fulta ac infarcita, *in sinu meo conuertetur*, vt fructum referat, si non aduersanti, saltem oranti, inquit Ambros. Vel, *in sinu meo conuertetur*. i. semel à me emissa, iterum quasi redibit ad me, vt iteretur & frequentetur. Docet itaque hoc versu Christus, quomodo aduersitatis tempore quis se habere debeat erga Deum; sequenti verò versu, quomodo se habere ac gerere debeat erga inimicum molestias inferentem, qui sic habet:

In psal. 40 in fine.

17. *Quasi proximum & fratrem nostrum sic complacebam*. i. conabar gratiam aduersantis mihi in me prouocare, eique me gratiosum reddere illis charitatis officijs, quæ impenderem proximis meis, imò fratribus. Vel hoc modo: Si illi qui mihi molesti erant, aliquid agebant laude aut commendatione dignum, id mihi placebat, & in eo mihi complacebam, idque laudabam perinde ac si id in proximis ac fratribus meis repertum fuisset. Qui sensus notandus est contra eos, qui odio contenebrati, in aduersarijs suis nihil obseruant quod laude dignũ sit, imo omnia eorũ quæ alioqui laude digna sunt reprobant, eaq; peruersitate dissensiones concitant irreconciliabiles, *quasi lugens & contristatus sic humiliabar*. i. errata atq; perperam facta aduersariorum ego cum tristitia plangebam, perinde ac si mea fuissent, & ego ipse ob ea luctui & tristitiæ fuissem obnoxius. His tamen & similibus erga inimicos officijs cum quidam ex inimicis Christi nihilo meliores efficiantur, subdit de ijs in persona Christi Psaltes.

18. *Et aduersum me lætati sunt*. i. delectabantur, si quid mihi aduersi accideret, *& conuenerunt*. i. simul conspirauerunt, *congregata sunt super me flagella*. i. multifaria supplicia in caput meum parauerunt, *& ignoraui*. i. humanitus loquendo, ne cogitassem quidem eos tantis charitatis officijs à me affectos, tanta mala contra me conflare potuisse. Hoc Christo & electis suis de Ecclesia bene meritis commune est.

19. *Dißipati sunt*. i. dissipata, & euentu frustrata sunt sæua eorum consilia, conati enim sunt sæpè Christum comprehendere, sed frustra. *nec compuncti*. i. nec ea quidem ratione ad pœnitentiam, aut vt à malo cessarent commoti sunt, *tentauerunt me*, alijs modis perdere, *subsannauerunt me subsannatione*. Commune est omnibus qui hostilitatem in proximos exercent, si mala inferre non possunt, ad probra inferenda se conuetere. *frenduerunt super me dentibus suis*. i. crudelitatem suam quam opere nondum poterant, fremitu in me effundebant.

Domine

Domine quando recipies? vt sit finis iniquitatum, & adueniat tantæ pa- 20.
tientiæ meæ fructus? *restitue animam meam à malignitate eorum*, Corpori, Daniel. 9.
vt citò resurgat. Vel, restitue eam suæ auctoritati & dignitati, quæ per im-
piorum malignitatem apud multos imminuta est. Multi enim in Christo
scandalum passi sunt, atque in eum credere desierunt, per id quod viderunt
eum tot aduersitatibus quasi dehonestatum, *à leonibus* restitue *vnicam
meam.* i. animam meam, quæ quare vnica dicatur in Psalmo 21. dictum est.
Vel, *Vnicam meam.* i. Ecclesiam meam, inquit Augustinus, videlicet vt In hunc lo-
fides & charitas vnicæ huius per meam passionem multum conturbata, ci- cum. & e-
tò reflorescat. pist. 110 c. 16 & 17.

Confitebor tibi, vbi animam meam restitueris *in Ecclesia magna*. i. mul- 21.
tarum gentium conuersione copiosa. Paucis enim Iudæorum Christi fidem
amplectentibus, cæterisque euangelium repellentibus, compensationis lo-
co, gentiles magno numero ad Christum conuersi, Deum per Christum
Dominum nostrum laudauerunt. *In populo graui.* i. qui aduersariorum op-
probrijs & persecutionibus non citò mouebitur à suscepta fide. Dicitur
enim populus gentilis populus grauis, ad differentiam Iudæorum, qui ma-
gna instabilitate, leuitatis filia, Christum diu expectatum, cùm iam adesset, Amb in ps.
sine causa reiecerunt. Quam leuitatem exprobat eis Ieremias, Videte si fa- 39 in fine.
ctum est huiusmodi, si mutauit gens deos suos? populus vero meus muta- Cap. 2.
uit gloriam suam in idolum. Quod idem deplorat in Threnis, Peccatum Cap. 1.
peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est.

Non supergaudeant mihi, tanquam deleto nomine meo, *qui aduersan-* 22.
tur mihi iniquè, qui oderunt me gratis. quod Iudæos fecisse testatur Domi- Ioan. 16.
nus *& annuunt oculis.* i. exteriore corporis habitudine se mihi consentire
& fauere insinuabant.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, cùm dicerent: Scimus quia 23.
verax es, & viã Dei in veritate doces. *& in iracundia terræ*. i. ex immodica Marci 12.
rerum terrenarum amore exorta *loquentes*, *dolos cogitabant*, vt patet in
Euangelio mox commemorato.

Et dilatauerunt super me os suum, cùm me in crucem egerunt, tum enim 24.
iactabant se mihi præualuisse, atque me à Deo desertum esse, *dixerunt, eu-
ge, euge, viderunt oculi nostri*, eum, vt diu expectauimus, extinctum.

Vidisti Domine ne sileas: Domine ne discedas à me. i. auxilium tuum à 25.
me ne cohibeas.

Exurge & intende iudicio meo Deus meus, vt quod iustum est, circa me 26.
exerceas. *Et Dominus meus*. Vt homo loquitur Christus in similitudi-
nem hominum factus. *In causam meam*, vt eam tuo iudicio termines. Id-
que, non iudicio iniquo aut fauorabili, sed

Iudica

27. *Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus, vt non supergaudeant mihi* semper, sicut ad tempus gauisi sunt cùm me crucifixerunt.

28. *Non dicant in cordibus suis, euge, euge animæ nostræ*; voces sunt exultãtium sibique applaudentium de votiuo rerum successu. *nec dicant deuorabimus eum.* Desiderauerunt enim, vt testatur Sapiens, deuorare Christum, vt infernus viuentem, vt & ipse in æternum periret, & memoria eius de terra prorsus exterminata maneret.

Prouerb. 1.

29. *Erubescant & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis.*

30. *Induantur confusione & reuerentia*, per hoc quod manifestata Christi gloria, impia eorum præsumptio atque conatus mundo ea detestanti innotescat. *qui maligna loquũtur super me*, ea quæ propria cordis eorum malitia concinnat & comminiscitur.

31. *Exultent & lætentur qui volunt iustitiam meam.* i. qui optant iustitiam meam per membrorum meorum multiplicationem dilatari. *& dicant semper, magnificetur Dominus.* i. iustitia hæc per omnia Domino vt auctori asscribatur. Faciant autẽ hoc *qui volunt pacem serui eius.* Qui enim veri serui Dei sunt, pacem animi nec vllam quietem suo habent spiritui, nisi de salute atque profectu hominum viderint Dominum glorificari, suum autem ministerium in æstimatione hominum minui: Sicut dicebat Ioannes; Illum oportet crescere, me autem minui.

Ioan. 3.

32. *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.* Meditabitur, inquit, tanquam quæ eam laudare & explicare conetur, sed nũquam sufficienter valeat. vel *meditabitur*, oportet enim illa, quæ ore prædicanda sunt meditando prius mente concipere.

PSALMVS XXXV.

In finem serui Domini ipsi Dauid.

IN solo hoc titulo appellatur Christus seruus Domini, inquit Ambrosius, hoc fine, vt nos derelicta seruitute peccati quod describit prima Psalmi pars, efficeremur serui Dei ad iustitiam, de qua in secunda, in vitam æternam, de qua in tertia parte Psalmi. Itaque malignitatem tanquam à qua per altissimam Dei misericordiam ad iustitiam traducimur, prius describens Psaltes, dicit:

1. *Dixit iniustus vt delinquat in semetipso.* i. iniustus, eò quod hominum oculos vereatur, audacter proposuit ea quæ adhuc palam non audet, in semetipso flagitia, vel absque arbitris facinora committere. Cuius hypocrisis causa est, *non est timor Dei ante oculos eius.* q.d. tametsi nõ ignoret, quod scriptum est: Si absconditur homo in occulto, & ego non videbo eum, dicit Dominus? id tamen eum ab iniquis operibus non deterret, quia non timet vel

met vel

met vel non veretur oculos diuinæ maiestatis sciens & prudens offendere. Cui accedit quod sequitur:

Quoniam dolose egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. i.verbis, protestatione, operibus quibusdam in speciem rectis (præsertim cùm suas iniurias vindicat & explet atque exequitur odia) agit vt censeatur iniquitatem odisse. sed nihil minus, quia omne id dolosè agit, idque in conspectu Dei. i. non obstante eo quod nouerit Deum huius doli esse inspectorem. vel: In conspectu Dei. i. dolo tam astutè concinnato, vt solis Dei oculis possit esse perspectus. 2.

Verba oris eius iniquitas & dolus. i. iniquitatem loquitur dolo velatam, *noluit intelligere vt bene ageret.* Hoc eorum est qui præditi sunt ignorantia affectata, quæ peccatum, eo quòd voluntaria sit, non vt alia ignorantia minuit, sed auget, vt docet Augustinus. 3. *De gra & lib arb. c. 3*

Iniquitatem meditatus est, quam scilicet aut quânâ eam arte patrare valeat, *in cubili suo,* vbi, vt Psal. 4 monuit, compũgi deberet. *astitit omni viæ non bonæ.* Cùm astare idem sit quod simul stare, videtur verbum astandi hic societatem aliquam denotare, vt sit sensus: Omnium eorum qui iniqua moliebantur aut agebant, se fautorem, cooperatorem, aut defensorem præbuit. Omnium autem horum malorum radix est, quia *malitiam autem non odiuit.* Malitiæ nomine D. August. intelligit illud improprij nominis peccatum, de quo dicit Apostolus, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore vt obediatis concupiscẽtiis eius, quod nos vsitato nomine appellamus Concupiscentiam. Hanc malitiam nos odisse oportet in primis in suis motibus, quibus nõ solum obsistendum, sed etiã obuiandum est. Non solum enim nobis agẽdum est, vt motus isti oborti comprimantur, sed prouidendum ne oboriantur. Oportet eam & odisse ratione suiipsius, dicit namque Iudas, Odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam. Quod odium exequimur, si eam eiusque in nobis incolatum auersemur, viresque eius per exercita contra eam gloriosa certamina, conuenientisque disciplinæ remedia atterere ac debilitare conemur, idq́; non securis & otiosis, vt dehortabatur Ambros. sed studiosis ac indignatione plenis affectibus. Cui doctrinæ nõn aduersatur Concil. Trident. cùm dicit: In renatis nihil odit Deus. Inde enim non sequitur, Habitualem concupiscentiam non esse Deo inuisam, & proinde nec nobis odio quo diximus prosequendam, sed eam, vt quæ inuitis insit, nulla esse damnatione dignam. Cùm enim scriptum sit; Impium Deo odio esse & eius impietatem, inde colligitur, Deum aliquid duobus modis odisse, auersando & vlciscendo, quia impietatem per se cõsideratam Deus detestatur, in impium verò vlciscitur. Verba ergo Concilij de odio vltionis intelligenda sunt, vt etiam ipsum concilium testatur, cùm

4. *Rom. 6.* *In sua epis.* *Ambr ser. 13. in Psal. 118.*

mox addit; Quia nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu. Si enim Deus in renatis nihil odit, quia nihil in eis est damnationis, ergo nihil in eis odit odio vltionis; & ob id nec oportet renatos concupiscentiam suā motusque qui præcisè eius sunt, ad satisfactionem vindicare. Sed sicut Deus in renatis auersatur concupiscentiam tanquam ab artis suæ, Augustini verbis vtor, regula alienam, eamque indignitate rei commotus vult in nobis sanare, ita & nos oportet etiam ipsam cupiditatem auersari, ac paulatim consumere. Quæ cùm ita sint, rectè hic inter cætera improperatur iniusto quod malitiam nullo istorum prædictorum modorum odiuerit. Cæterum sicut in præsenti vita hominum vitio magna hæc in eis regnat atq; grassatur iniquitas & fictio, ita è diuerso ex misericordia Dei in alijs est iustitia & rectitudo iniquitate prædicta nullo gradu inferior. Ad quam considerandam Psaltes se conuertens, Dominum de sua misericordia, dictæ iustitiæ & rectitudinis causa, compellat in hæc verba, & dicit:

Aug. tract. 110. in Ioā.

5. *Domine in cælo misericordia tua.* q. d. Duo hæc grassantur in terra, tua interim in cælo misericordia non est otiosa, aut opere vacua, quia sicut illi qui iniquitatem meditantur, latebras quærunt & studia sua abscondunt; ita tu è diuerso donans quosdam fidei & vitæ veritate, facis eosdem veritatem illam *ad nubes vsque* extollere. i. clarè & apertè profiteri atque exercere, & fiducia consciæ veritatis publicum non refugere, sed id magis expetere vt manifestentur eorum opera, quia in Deo sunt facta. Quomodo autem quid magis est conspicuum, quàm id quod extollitur *vsque ad nubes*? deinde ex hac misericordia tua,

6. *Iustitia tua*, qua quosdam iustificas *sicut montes Dei.* i. sublimis ingens & alta est, ita vt cōparari possit montibus, qui ab altitudine dici merentur montes Dei: vsque adeo vt per misericordiam tuam iusti eousque increscant iustitia, quousque iniusti nequitia. verum eminuero cum misericordia tua Domine potens sit, omnes hac veritate atque iustitia donare, cur tantam in iniustis iniquitatem permittis? aut cur hos præ illis ad iustitiam eligis? *iudicia tua abyssus multa.* i. sunt inuestigabilia, inquit Augustinus. Id propterea nobis inuestigandum non est, sed metuendum & reuerendum. Et quamuis misericordiam hanc quibusdam solummodo exhibeas, nunquid iniustos illos à misericordia tua per omnia excludis? Non, quia

Epist 120. cap. 25.

7. *Homines & iumenta saluabis Domine*, q. d. nec iniustos illos quos diximus, omni tuæ benignitatis beneficio vacuos esse permittis, das enim eis salutē temporalem qualem das & bestijs, vitam videlicet, incolumitatem, implens cibo & lætitia corda eorum; In hoc tamen eos distinguens à bestijs, quia voluisti homines per hæc quærere Deum, si fortè attrectent eum aut inueniāt. Et quia aliqui his Dei beneficijs derogant, eaq; vix dignantur

Act 17.

pro

pro Dei beneficijs agnoscere, sicut nec prędicationes correptionesque quæ
forinsecus solummodo hominibus adhibentur, ideo ad sinistrum hoc iudi-
cium in sapientibus istis curandum, oportunè subijcit Psaltes, *quemadmo-
dum.* i. quot modis atque mensuris, *multiplicasti.* i. multigenis beneficijs
dispensasti, *misericordiam tuam Deus*! Itaque Dei beneficia bonis malis-
que, imo hominibus & bestijs communia, inter opera diuinæ misericordiæ
reponenda sunt, tametsi non sint gradu & præstantiâ summa. Ideo bene
dicit Prosper: Gratia Dei omnibus gentibus affuit prouidentia pari, boni- *2. de voca.*
tate generali, sed multimodo opere, diuersaque mensura. *gent. ca. 31.*

Filij autem hominum. Qui hoc loco distinguuntur ab illis qui mox dicti 8.
sunt, *homines*, & intelliguntur iusti, *in tegmine alarum tuarum* fomento &
protectione gratiæ tuæ adiuti, *sperabunt.* i. æterna bona expectabunt. Ad
quæ cùm peruenerint,

Inebriabuntur. i. replebuntur pro voto Apostoli dicentis, Vt implea- 9.
mini in omnem plenitudinem Dei. Deinde, quandoquidem ebrij etiam *Ephes. 3.*
extra se positi sunt, *Inebriabuntur*, quia ibi in extasin atque quodammodo
extra se rapientur; suam enim felicitatem amabunt, non tam quia sua est,
quàm quia in sua beatificatione Dei voluntas, teste Bernardo, impleta est. *Bern. de di*
Delectabit sane nos, inquit, non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita *ligen. Deo.*
felicitas, quàm quod Dei de nobis, & in nobis impleta erit voluntas. Deni-
que, quia ebrium rerum suarum obliuio occupat, *Inebriabuntur*, quia Deo
pleni, ne semel quidem cogitabunt vel appetēt, deo deserto ad semetipsos
velle conuerti, vel in semetipsis beari, vel se sibimetipsis boni sui velle esse
principium, quale quid fecerunt Angeli & Protoplasti, cùm Dei quidem
nonnulla participatione fruerentur, sed ab eo nondum inebriarentur. His
ergo de causis, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* i. ab vbertate tua,
cuius participes sunt inquilini beatæ domus tuæ. Quæ vbertas in Deo esse,
imo Deus esse censenda est. An nō enim magna vbertas cēseri debet, quod *1. Cor. 15.*
cùm Deus vnus & simplex sit, de se vno præbeat ibi singulis hominis parti-
bus, animæ dico & corpori, singulisque animæ viribus plenum sibi atque
conueniens bonū, effectus omnia in omnibus? An non magna vbertas Dei,
quod quantumcunque capiatur ab omnibus & singulis, in ijsdem in quibus
capitur ipse superualeat adhuc? Sic enim capitur vt non comprehendatur.
Denique an non magna vbertas, quod Deus quo capitur felicius, eò ar-
dentius desideretur? Hæc ergo de bonis domus Domini, quibus replebun-
tur filij hominum. Ex his autem quid capient castissimæ voluptatis? *Et
torrente voluptatis tuæ potabis eos.* i. voluptatis quæ tu es, præsentissima
& abundantissima communicatione replebis eos. Sicut enim, teste Augu- *22. de Ciu.*
stino: Pax Dei dicitur qua Deus pacatus est, ita voluptas Dei dicitur de- *Cap. 29.*

lectatio quæ Deus eſt ſibi, vt in Pſal. 26. v. 7. diximus, quæ cùm beatis pro ſuo captu communicatur, dicuntur torrente ex Dei beatitudine quaſi defluente potari. Beatitudinem enim quæ Deus eſt ſibi, non eſſentialiter, ſicut Deus ipſe, ſed participando percipiunt.

10. *Quoniam.* q. d. dico de torrente voluptatis, *quoniam apud te eſt fons vitæ.* i. tu ipſe es fons vitæ. Apud Deum enim eſſe dicitur non ſolum Verbum quod à Deo eſt: Verbum, inquit, erat apud Deum, ſed id etiam, quod *Cap. 12.* Deo eſſentiale eſt, ait namque Iob de Deo: Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo, ipſe habet conſilium & intelligentiam. quæ autē habere dicitur Deus, eadē & eſt. dicit ergo Pſaltes, *apud te eſt fons vitæ.* i. tu eſſentialiter vita es, & omnis vitæ origo, quam quia nos nō eſſentialiter, ſed per animæ noſtræ potentias ad ipſam capiēdam munere tuo diſpoſitas capimus, ideo vitæ & voluptatis tuæ torrente. i. abundante & affluentiſsima communicatione donabimur; oportet enim deriuationem eo eſſe abundantiorem, quo *3. de virg.* fuerit fonte propinquior; *& in lumine tuo.* i. filio tuo, inquit Ambroſius, *vi-* *Aug. 3. cōt.* *debimus lumen,* quia in filio tanquam in propria ſua imagine videbimus Pa- *Maxi c 23* *Cyrill 1 in* trem. Hoc tamen recentiores interpretantur de creato lumine gloriæ quo *Ioan. ca 7.* beati cuiuſque oculus adiuuatur: eſt enim lumen gloriæ ad diſpoſitionem oculi beati neceſſarium, vt ab oculo creato videatur Deus. Enarrauit itaque Pſaltes his verſibus ea in quibus beatitudo conſiſtit, nempe Dei viſionem, diuinamq́ue quę ex ea in nos deriuatur ſimilitudinem & voluptatem, *Quodl. 8.* quæ hunc inter ſe habent ordinem, vt iuxta Diuum Thomam, Beatitudo *art. 20.* in Dei viſione ſit originaliter (addo & principaliter) cōpletiuē vero in delectabili Dei fruitione. Poſt hæc verò Pſaltes deſcriptæ beatitudinis auidus, donum perſeuerantiæ quod nec ſub meritum cadit, nec in hominis etiam iuſti poteſtate eſt, à diuina miſericordia (ſine eo enim ad beatitudinem non peruenitur) implorat, & dicit:

11. *Prætende Domine.* i. præueniendo tribue, *miſericordiam tuam ſcientibus te.* i. illis qui beatitudinis, quæ à te eſt, præſtantiam intelligunt, hi enim cum maiore magiſq́ue ſollicito ardore eam exquirunt. Æquum autem eſt, vt quo maiore cū affectu quid expetitur, eo propenſius illi idipſum *Cap 7. de* præſtetur. Tametſi autem Auguſtinus in verbis, *Prætende Domine,* intelli- *ſpir & lit.* gat eſſe orationem pro gratia omne donum ſupernaturale vel meritum pręueniente, propoſito tamen magis conuenit intelligere illa de gratia, iuſtorum actiones & orationes aſpirando, vt orat Eccleſia, præueniente, & adiuuando proſequente; per hanc enim gratiam perſeueratur, de qua Proſper in fine ad Ruffinum: Scimus humanam naturam per liberum primi hominis arbitrium proſtratam, nullo modo ab æternæ mortis debito liberari, niſi eam ad imaginem Dei ſecundæ creationis Chriſti gratia reformauerit, liberum-

berumque eius arbitrium agendo, inſpirando, auxiliando, & in finem vſque
præeundo ſeruauerit. Quæ præueniens gratia cùm omnibus neceſſaria ſit,
ideo opus eſt, inquit idem, vt gratiam Dei excitantem, iuuantem, locuple- *Epiſto. ad*
tantem, & quotidie prouehentem vigilanter & ſobriè ſubſequamur. Præ- *Demetriū.*
tende ergò miſericordiam *his qui recto*. i. nō fallaci aut duplici *ſunt corde*.
q. d. iuſtificatis. Et quia præter adiutorium gratiæ præuenientis ad perſe-
uerandum etiam opus eſt Dei protectione, adiungit Pſaltes:

Non veniat mihi pes. i. affectus *ſuperbiæ*. Et bene ante omnia contra 12.
ſuperbiam protegi poſtulat, tum quia, vt docet Proſper, malum ſuperbiæ *ad Demet.*
maximè virtutibus eſt cauendum, quia nullis oportunius inſidiatur, quàm
quibus laus iuſta debetur: Deinde quia initium omnis peccati eſt ſuperbia, *Prouer. 16*
eo quod ante ruinam exaltetur cor, ita vt qui à ſuperbia petit cuſtodiri, is
omnium vitiorum oſtium in ſe poſtulet obturari, *& manus peccatoris*.
i. actuale peccatum *non moueat me* à iuſtitia & beatitudinis conſecutione.

Ibi. i. intus in affectu, *ceciderunt qui operantur iniquitatem*. i. intus prius 13.
per affectus illiciti complacentiam lapſi ſunt, priuſquam manifeſto opere
foris præuaricarentur, ideoque ante omnia expoſco, vt non veniat mihi
pes ſuperbiæ. Illis autem prius intus lapſis, *expulſi ſunt* in opera iniqui- *De ſpir. &*
tatis, inquit Auguſtinus. Idque non à Deo cogente, ſed merito ſuperbiæ *liter. ca. 7.*
deſerente, *nec potuerunt ſtare*. i. in iuſtitia aut operibus bonis quæ antea
exercebant perſeuerare.

PSALMVS XXXVI.

PSalmus hic moralis eſt, diuerſa demonſtrans virtutum genera, vi-
uendique præcepta, quibus noſtrorum hulcera ſanantur errorum,
mores reformantur, ac intimi ſanantur affectus.

Noli æmulari in malignantibus. i. noli ô homo Dei inuidè ſectari illa 1.
bona quæ vides poſsideri à malignantibus. i. malitioſis ſiue mala machi-
nantibus, *neque zelaueris*. i. zeloſè ſtudueris acquirere tibi illa bona quæ
conquirunt illi qui faciunt *iniquitatem*.

Quoniam tanquam fenum velociter areſcent, & quemadmodum olera 2.
herbarum cito decident. i. tam illi quàm omnis eorum felicitas breui tem-
pore euaneſcet: noli ergo magnopere, inquit Ambroſius, affectare quod
perpetuum eſſe non poſsit. Quin potius

Spera in Domino. i. per patientiam cum ſpe coniunctam futuri ſæculi à 3.
Deo bona expecta, *& fac bonitatem*. i. exerce iuſtitiā, *& inhabita terram*.
i. inquit Ambroſius, animam tuam, quam is inhabitat, qui ſe ad interna, ſi- *in Cōment.*
ue interiorum rerum ſtudia recipit. Si autem per *terram*, Auguſtinum ſe-
cuti intellexerimus Eccleſiam, fatendum erit illos Eccleſiam propriè in-

S. eõ Donatist. ca. 27. habitare qui in ea iusti sunt. Suntque, vt idem docet, in Ecclesia intus intrinsecè & in occulto. Hi ergo qui terram inhabitant *pascentur in diuitijs eius*. Animæ videlicet, quæ sunt thesauri sapientiæ & charitatis diuinæ, quæ non nisi intimo hauriuntur affectu. Vel, *eius*, id est Ecclesiæ, cuius diuitiæ sunt sacramenta, scripturæ sacræ, Thezaurus meritorum Christi & sanctorum eius, quę diuitiæ mirificè reficiunt, præcipuè eos qui per nexum charitatis in Ecclesia sunt. De quibus Isaias: Super montes pascentur & in omnibus planis pascua eorum.

4. *Delectare in Domino*, Qui gustat saporem castitatis, humilitatis, charitatis, inquit Bernardus, & sapientiæ spiritum super mel dulcem, earumque rerum sapore gaudet, is delectatur in Domino, tanquam horum donorũ auctore, atq; totius iustitiæ fonte. *Et dabit tibi petitiones cordis tui.* Dicit cordis tui, audit enim Deus petitiones, inquit idem, quas approbat iudicium rationis, quæ distinguuntur contra petitiones eas, quas carnalis appetitus suggerit. Quas petitiones cordis sui, teste Bernardo, consequuntur etiam illi, qui delectantur in Domino tota intentione, si non tota affectione. Cæterum, quia inter malignantium bona non solum diuitiæ numerantur, verum etiam gloria, quæ est rerum gestarum famosa cum laude celebritas; vt homo Dei, qui hoc Psalmo eruditur, præter diuitias etiam nec gloriam sæculi, sed gloriam quæ à solo Deo est sectetur, subdit Psaltes,

Serm. 5 de Quadrag.

5. *Reuela Domino viam tuam.* Sicut in scripturis Deus dicitur ea nosse quæ probat (vias enim quæ à dextris sunt nouit. i. probat Dominus) ita nos dicimur Deo reuelare, quod ei non notum, sed probatum reddimus. Itaque *reuela Domino*. i. satage probatam facere Domino *viam*. i. conuersationem tuam, *& spera in eo* quod te gloria viæ tuæ debita non fraudabit, *& ipse faciet*. Interrogas quid?

6. *Et educet quasi lumen iustitiam tuam*. i. se procurante, te autem id minimè agente, faciet iustitiam quam absque gloriæ studio in occulto soli Domino probatam fecisti, suo tempore omnibus in modum lucis euidenter & splendidè conspicuam, *& iudicium tuum tanquam meridiem*. i. efficiet, vt luce meridiana clarius appareat quale iudicium, bonum scilicet, de te passim debeat haberi. Hæc autem faciet Deus, aliquando quidem in hac vita, idq; aliquousque, in futuro autem iudicio semper & perfectissimè. Cum itaque Domini sit hominis iustitiam vt lucem educere, ô tu homo Dei *subditus esto Domino*. i. in acquirenda tibi gloria, diuinæ eius prouidentiæ & dispositioni te subijcito, *& ora eum*, ante omnia quidem vt id quod gloria verè dignum est ab eo accipias, deinde, si Deo ita visum est, dignam te gloriam. Pulchrè proindè Basil. Si aliquem Deus aliquando ad locum in Ecclesia superiorem deligat, prorsus idem etiam probè nouit, quemadmodum

Constit monast. c. 10.

etiam

etiam idoneum præbeat. i. idoneũ exhibeat, vt nulla in parte conſcij ſimus, nos eam ad rem ſtudium impendiſſe, aut ad id conſectandum delitéſcẽtem in animo compreſsiſſe cupiditatem.

Noli æmulari. i. indignari, *in eo qui proſperatur in via ſua, in homine* 7.
faciente iniuſtitias. i. in eo quod homo faciens iniuſtitias proſperatur in via ſua, ſiue in eis quæ facere inſtituit atque proponit.

Deſine ab ira. i. ſi ob hanc rem indignatione aliqua ſubitanea mouearis, 8.
compeſce iram illam *& derelinque furorem.* i. recede ab illa non ſana animi tui offenſione. His enim verbis, inquit Ambroſius, dat Pſaltes medicamẽtum ne diutius vis hulceris ſerpat. *noli æmulari vt maligneris.* q. d. cũm videris impios per iniquas vias ad felicitatem peruenire: noli malitiam eorum imitari, vt per eam ad eandem proſperitatem deueniãs, ſcriptum eſt enim, Ne æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum eis, quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. Itaque hæc tertia æmulatio eſt, à qua hominem Dei Pſaltes dehortatur. Primo enim dehortabatur eum à conſectatione temporalium bonorum. Secundo ab indignatione ob proſperitatem impiorum. Iam tertio ab impiorum imitatione, ne quis ob conſequendam eorum vanam felicitatem eorum imitetur impietatem. Huius autem æmulationis cauendæ cauſam ſubindicans dicit: Pronér. 24

Quoniam qui malignantur. i. ad iniqua ſtudia prolabuntur, *extermina-* 9.
buntur à vera beatitudine. quid ergo eis proderit deſerta iuſtitia ad iniqua opera ſpe aſſequendæ felicitatis terrenæ conuerti? Econtrariò vero *ſuſtinentes autem Dominum.* i. qui felicitatem futuræ vitæ à Domino patienter expectant, & potius pauperem vitam cum timore Domini, quàm opulentam cum impietate eligunt, *ipſi hæreditabunt terram.* i. terram viuentium in perpetuam hæreditatem accipient.

Et adhuc puſillum, modicum enim eſt omne tempus æternitati compa- 10.
ratum, *& non erit peccator*, in ea qualitate & proſperitate in qua infirmo homini, & minus benè de rebus iudicanti æmulandus videbatur. Nec ſolum ille non erit, ſed & *quæres locum eius.* i. mundum ipſum. *& non inuenies*, quia mundus tranſit & concupiſcentia eius. Expectamus verò (inquit Petrus) nouos cælos, & nouam terram, in qua iuſtitia inhabitet. i. quæ iuſtis & ſpiritalibus conueniens ſit. Vel, *quæres locum eius*, quia, vt inquit Iſaias, oculi beatorum cernent terram deſuper. *Et non inuenies*, quia ne veſtigium quidem priſtinæ felicitatis impio ſupererit.

Manſueti autem. i. illi, inquit Ambroſius, quos nullus ſtimulus diſſen- 11.
ſionis exagitat, non ira perturbat, non ſæuitia exaſperat, non rabies crudelitatis inflammat, qui etiam terrenarum voluptatum delectatione ſe ſine impatientia animi putauerunt in hac vita eſſe fraudandos, vt adipiſcerentur æ-

tur æternam: Hi inquam *hæreditabunt terram* futuræ vitæ. Et ne consolatio eorum nimis diu videatur differri, subijcitur, *& delectabuntur in multitudine pacis*, quam ex vsu suæ mansuetudinis percipient. Quia per mansuetudinem animi etiam inter belligerantes, pacem & quietem obtinet homo mitis. Potest tamen hæc pars intelligi cum Ambrosio., de pace futuræ vitæ, vbi erit pacis multitudo, quia orietur in diebus illis abundantia pacis.

12. *Obseruabit peccator iustum*, vt videat quid in eo reprehendat & mordeat, secus quam monet Apostolus, considerãtes inuicem in prouocatione charitatis, *& stridebit super eũ dentibus suis*, sæuitiã quam in iustum exercere gestit, iam antequam eius exercendæ oportunitatem habeat vultu ac minis intentans. Quod Cyprianus describens: In liuido, inquit vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, manus ad cædis violentiam prompta, etiamsi à gladio fuerit vacua.

De zelo & liuore, nu. 3

13. *Dominus autem irridebit eum*, tãquam qui casso labore nihil aliud quàm sibimetipsi molestiam & damnationem paret, *quoniam prospicit quia veniet dies eius*, qui est dies retributionis.

14. *Gladium euaginauerunt peccatores*. i. non solum minas intentant, sed etiam gladios. Sicut autem gladius spiritus est verbum Dei: ita vna ex parte gladius peccatoris, inquit Ambrosius, est verbum malum, hunc exerunt, cùm maledictis & susurrijs iustũ lacerant. *Intenderunt arcum suum*, struentes insidias. Ad quem sensum insinuandum proximè subijcitur.

15. *Vt decipiant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde.*

16. *Gladius eorum intret in corda ipsorum*, quia animas suas suis maledictis & maleficijs interficiũt, ideo subijcit Cyprianus, Quicunque es inuidus & malignus, videris quàm sis ijs quos odisti perniciosus, insidiosus, & infestus, nullius magis quam tuæ salutis es inimicus.

17. *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorũ multas*. dicebat namque Tobias, Multa bona habebimus si timuerimus Deũ & fecerimus bene.

18. *Quoniam brachia peccatorum*. i. illa in quibus cõfidit peccator, inter cætera sperans in incerto diuitiarum, *conterentur*. i. ad nihilum redigentur. Diuitiæ enim, inquit Iacobus, putrefactæ sunt, Aurum & argentum ærugi-nauit. Per brachium autem robur in quo confiditur significari, Ieremias testatur, cùm dicit: Maledictus homo, qui ponit carnem brachium. i. robur ac firmamentum suum. *confirmat autem iustos Dominus*. i. Dominus in cuius prouidentia iusti sperant, ponentes spem suam in Deo viuo: Hos dico Dominus confirmat & conseruat, aut redintegrat eis etiam inter multa aduersa illud modicum quod possidebant.

Iacobi 5. *Ierem. 17.*

19. *Nouit Dominus dies immaculatorum*. i. nouit Dominus quos dies reseruet illis qui hic parant ingredi sine macula, Illos nempe de quibus scriptum est: Dies

est: Dies pleni.i omnibus bonis referti inuenientur in eis. Et ob id in præsenti eis modicum tribuit. *& hæreditas eorum.* i. bona quæ ad eorum hæreditatem censebuntur pertinere, *in æternum erit.* i. erunt æterna.

Non confundentur in tempore malo. i. in die iudicij, quia spe sua non frustrabuntur. *Et in diebus famis*, qua iugiter in hac vita laborant impij. Semper enim, inquit Ambrosius, famem patitur sui qui alimentis perpetuis, (Verbi videlicet & spiritus Dei) nescit impleri. dum ergo impij hæc perpetua sustinent ieiunia, iusti *saturabuntur.* i. affatim reficientur Verbo quod procedit de ore Dei. 20. *In cap. 15. Lucæ.*

Inimici vero Domini. q. d. iusti inter sæculares sunt inglorij, impij vero hic exaltantur, veruntamen, *mox.* i. breui post tempore, *vt honorificati fuerint & exaltati*, *deficientes quemadmodum fumus deficient*, id est, euanescent. 21.

Mutuabitur peccator & non soluet, iustus autē miseretur mutuum dando, eleëmosynam erogando, *& retribuet.* i. arbitrabitur insuper se obligatum esse ad præstandam retributionem illi, cui misericordiam impendit, eo quod ab eodem occasionem boni operis exercendi acceperit, noueritque eleëmosynam plus danti prodesse, quàm accipienti. Ideo Cyprianus cum clero suo scribens illis per quos cognouerat necessitates captiuorum, quibus parabat subuenire; Maximas, inquit, vobis gratias agimus, quod tam bonæ & necessariæ operationis nos participes esse voluistis, vt offerretis nobis agros vberes, in quibus spei nostræ semina iaceremus, expectaturi messem de amplissimis fructibus qui de cælesti & salutari operatione proueniunt. Aut sensus est, *miseretur & retribuet.* i. cum miseretur, paratus erit, paratumque se declarabit, iteratò si opus fuerit misericordiam impertiri. Ideo subijcit Cyprianus: Si necessitas similis vobis aliquando obuenerit, nolite cunctari nūciare illam nobis literis vestris, pro certo habentes Ecclesiam nostram subsidia libenter & largiter præstiturā. 22. *Epist. 60.*

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, *maledicentes autem ei disperibunt.* Christus videtur designari per spiritum prophetiæ de quo & Isaac: Qui maledixerit tibi sit ille maledictus; qui autem benedixerit, benedictionibus repleatur. Et sensus est: Qui in Christi membra benedictiones contulerit, benedictionem hæreditabit: qui autem verbis vel operibus irrogauerit eidem maledictiones, in æternum peribit. 23.

Apud Dominum. i. à Domino *gressus hominis dirigentur & viam eius.* i. Dei, *volet* homo, Deo enim dirigente inclinatur hominis iam præparata voluntas, vt amplectatur id quod oportet. Vel, *viam eius.* i. hominis *volet* Deus. Probat enim Dominus actus voluntatis quam dirigit. Vtrumque sensum probat Ambrosius. 24.

25. *Cum ceciderit*, non enim eſt iuſtus ſuper terram qui non peccet, *non collidetur*. i. charitas eius non confringetur, *quia Dominus ſupponit manum ſuam*, vt à grauiori ruina protegat eum.

26. *Iunior fui etenim ſenui*: Dicit hoc Pſaltes in perſona Eccleſiæ, quæ iunior fuit tempore Abel & patriarcharum, ſeneſcit verò hoc tempore, ad ſenium autem perueniet circa diem iudicij. Merito autem Auguſtinum ſecuti verſum hunc in perſona Eccleſiæ dictum eſſe interpretamur. Ex experientia enim & obſeruatione vnius hominis, parum efficaciter colligeretur iuſtorum neminem deſertum eſſe, quia vnus homo nec multo viuit tempore, nec omnia quæ eius tempore in mundo fiunt obſeruare poteſt. Sed cum id dicit Eccleſia quæ à principio ſui continua fuit, & à tempore Chriſti per vniuerſum orbem terrarum extendi cepit, & vſque in ſenectam & ſenium à Deo deſerenda non eſt; tum validè colligitur verum eſſe quod Pſaltes argumento ab obſeruatione deducto vult aſſerere, maxime cùm Eccleſia ipſa firmamentum veritatis ſit. Quid autem ſit quod à tempore iuuentutis ſuæ obſeruauit, explicat conſequenter & dicit: *& non vidi*, inquit, *iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem*. Quem verſiculum Diuus Cypria. ad literam intelligit. Quando enim, inquit, factum eſt, vt iuſto poſsint deeſſe ſubſidia vitæ, cum ſcriptum ſit, non occidet Deus animam iuſti fame? Qui intellectus quamuis verus ſit quoad aliquos, Eliam nempe, Danielem & ſimiles, habeatque hanc vtilitatem, vt iuſti eleëmoſynis erogandis alijsque in æternam ſalutem acquirendis vacantes, probabiliter ſperare poſsint, non defutura ſibi per Dei prouidentiam temporalia ſubſidia; non eſt tamen vniuerſaliter verus quoad omnes. Sufficientia enim temporalium rerum ſolummodo cadit ſub bonorum operum meritum, quatenus neceſſaria aut multum expediens eſt acquirendę vitæ æternæ. Expedit autem quibuſdam iuſtis temporalium rerũ ſufficientiam non habere, ſed per penuriam in patientia exerceri. Quamobrẽ multi iuſti inueniuntur temporaliter à Deo derelicti, inter quos illi numerãdi ſunt qui iuxta Apoſtolum errabant in montibus & ſpeluncis, egentes, anguſtiati, afflicti. Quin & Lazarus mendicus, optimum priorum iuſtorum ſemen, iacebat ante oſtium diuitis, quærens panem. Itaque veriſsimum intellectum huius verſiculi dat Diuus Baſilius (quem ſequuntur Ambroſius & Auguſtinus hunc Pſalmum exponentes) ſoluens ibidem argumentum ex Prouerb. 10. cui innitebatur Cyprianus in hæc verba. Ab interno mentis ieiunio caueamus, quod & Propheta deprecabatur, Num fame occides Domine animas iuſtorum? Ac rurſus, Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Nec enim loquitur de panibus ſenſibilibus, qui nouerat filios Iacob fame coactos in Ægyptum deſcendiſſe, ſed de ſpirituali loquitur alimonia, qua

Tract. de oper. & ele.

Prouer. 10

Hebr. 11.

Hom 1. de ieiu circa finem.

qua interior noster homo reficitur. Hæc Basilius. Sed etsi versiculus hic de pane corporali intelligi deberet, adhuc tamen nihil concluderent hæretici, ex eo arguentes religiosorum mendicationem ad officium iustorum non pertinere: dicit enim Psaltes se non vidisse iustum fuisse derelictum, vt vel ipse vel semen eiûs quæreret panem. Religiosi autem mendicant non à Deo deserti, sed bona tẽporalia iuxta Christi consilium derelinquentes.

Tota die. i. quauis habita occasione, *miseretur.* i. interno affectu compatitur, *& commodat.* i. multa commoda alijs adfert, consolando, instruendo, & vt diuites hortatur Apostolus, communicãdo, alijsque modis: Ac si diceret Psaltes, interno pabulo mens eius tam copiosè saginatur, vt non solum sibi sufficiat, sed spiritualem aliorum inopiam multis modis subleuet. Et quidam eorum tametsi pauperes sint & modici, in paupertate tamen sua per diuitias charitatis tam sibi sufficiunt, vt ipsum modicum quod habent studeant libenter impertiri, & de sua tenuitate alios ditent. In qua re excelluerunt Macedones, quorum altissima paupertas, inquit Apostolus, abundauit in diuitias simplicitatis eorum, quia ad subueniendum alijs supra virtutem voluntarij fuerunt. Excelluit & Exuperius Episcopus Tolosæ, qui, vt inquit Hieronymus, esuriens alios pauit, & ore pallente ieiunijs, fame torquebatur aliena, semper enim, vt docet Leo, illi occurrit quod det, cui bene velle non deficit. *& semen illius* id est, posteri illius *in benedictione erit*, misericordia enim miserentis prodest posteris eius, vt ex hoc loco docet Cyprianus. 27. 2. Corin. 8. Epist. 4. Ser. 1 de ieiu. 10 mẽ. Lib. 3. test. ad Quirinũ

Declina à malo & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi, id est, in illis iugiter permane. 28.

Quia Dominus amat iudicium. i. diligit, gratumque ei est iudicium exercere, & bonis bona, malisque mala retribuere, *& non derelinquet sanctos suos,* qui videlicet secundum eius propositum vocati sunt sancti. *in æternum conseruabuntur.* 29.

Iniusti punientur, & semen impiorum peribit. 30.

Iusti autem hæreditabunt. i. hæreditatis titulo. Vel, in perpetuam possessionem acquirent *Terram*, viuentium scilicet, *Et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam*, nemo enim eos acquisita sibi hæreditate poterit pellere. 31.

Os iusti. i. mens iusti, *meditabitur.* i. incognitam inuestigabit, inuestigatam dijudicabit, dijudicatã ruminabit *sapientiam.* Quod Ambrosium fecisse in hæc verba describit Augustinus: Occultum, inquit, os eius quod erat in corde eius, quàm sapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec conijcere noueram, nec expertus eram, *& lingua eius loquetur iudicium.* i. nihil loquetur nisi prius dijudicatum: nempe si dicendum sit, inquit Ambrosius, 32. 6. Cõfe. c 4. 1. offi. c. 4.

 si aduer-

ſi aduerſus hunc, ſi tempus ſit ſermonis huius, & plura quæ huc pertinent.
1 offic. c.4 Quod vt fiat, caueat iuſtus, inquit idem, ne loquatur ex iracundia, ne ex animi mœrentis afflictione, non ex dolore, non ex aliqua paſsione, ſed loquatur ex veritate, loquatur ex æquitate, vt non propendeat affectu, ſed quę loquitur vero pendat examine. Caueat præterea, ne non ex certa ſententia,
In Pſal 38 ſed impetu quodam curſuque loquendi verba fundat, inquit idem, memor eius quod ſcriptum eſt, Labia ſapientum ſtatera ponderabuntur; ſtatera inquam veritatis & prudentiæ, quæ ſi doloſa ſit & fallax, abominabilis eſt
Epiſt. 44. apud Deum, vt docet idem.

33. *Lex Dei eius in corde ipſius.* addit hoc, quia lex Dei non ſolum agendi
Serm 7. in pſal. 118. ver. 3. munus informat, inquit Ambroſius, verum etiam ſecretæ mentis mundat affectum. Non ſolum enim in operibus, ſed etiam in ipſis occultis noſtris Domino militamus. Itaque in corde iuſti lex Dei eius, quia iuſtus non ſo-
Roman. 2. lum facit ea quæ legis ſunt, vt gentiles, de quibus Apoſtolus, ſed ipſam iuſtitiam, per donum charitatis in ſuis viſceribus ſeu animi affectibus, Spiritus ſancti digito gerit exaratam, *& non ſupplantabuntur greſſus eius*. Liberat enim à laqueo verbum Dei in corde, inquit Auguſtinus, liberat à lapſu, tecum eſt cuius verbum à te non recedit.

34. *Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum.* i. mortem peccati ei adferre, inquit Ambroſius:

35. *Dominus autē non derelinquet eum in manibus eius*, quia tempore opportuno eum ab infeſtatione & ſcandalis iniquorum eripiet, Non enim derelinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas. *nec damnabit eum* iuſtum ſcilicet, *cùm iudicabitur illi.* i. cùm ſibi iudicandum erit, hic enim iudicio impiorum frequenter innocens condemnatur.

36. *Expecta Dominum*, vel auxiliatorem vel remuneratorem. frequenter id monet Scriptura, vt Abacuc 2. Iacob. vltimo. ne impatientia moræ expectanti tædium moueat, & murmur contra Dominum excutiat. *& cuſtodi viam eius.* i. perſeuera in iuſtitia, *& exaltabit te:* Quæris in quo? *vt hæreditate capias terram* viuentium, *cùm perierint peccatores*, interitu ſcilicet æterno *videbis* hanc quæ te manet exaltationem, Interea obſerua quod dixit Abacuc, Iuſtus ex fide viuet.

37. *Vidi impium ſuperexaltatum* gloria ſęculi, *& eleuatum ſicut Cedros Libani.* i. ſæculari poteſtate ſublimem,

38. *Et tranſiui.* i. cogitationem meam in ea quæ poſt hoc ſæculum futura ſunt transtuli, *& ecce non erat, & quæſiui eum, & nō eſt inuentus locus eius*, quia gloriæ illius ne veſtigium quidem ſupererat.

39. *Cuſtodi innocentiam & vide æquitatem*, vel, vt alij legunt, perfectionem. i. inten-

i.intentus esto in ea quæ perfectionis sunt, *quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*.i.iusto: non enim cum morte corporis ipse & bona eius pereunt, sed post mortem residua ei manet felicitas. Bonæ reliquiæ, inquit Ambrosius, quia post mortem superesse videntur.

Iniusti autem disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt. 40.

Salus autem iustorum à Domino, & protector eorum in tempore tribu- 41.
lationis.

Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos; & eruet eos à peccatoribus: 42.
& saluabit eos, quia sperauerunt in eo.

PSALMVS XXXVII.

Psalmus Dauid in rememoratione diei Sabbathi.

EST in hoc Psalmo oratio & lamentatio pœnitentis, quæ vt pia sit & vtilis, oritur ex recordatione Sabbathi.i.quietis futuræ vitæ, vel quietis conscientiæ: quando considerat peccator harum vtramque aut alteram se perdidisse, ita vt titulus hic non multò aliud importet, quàm titulus Psalmi Sexti pro octaua. Sabbathi itaque rememoratione ad informationem verè pœnitentis sic dicit Psaltes:

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Eun- 1.
dem habet sensum cum initio Psalmi Sexti. Id autem tam sollicitè precatur, quia manum Dei vindicantis iam ceperat experiri, sequitur enim:

Quoniam sagittæ tuæ.i.supplicia vindictæ tuæ, *infixæ sunt mihi*, de qui- 2.
bus sagittis Iob ait: Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit Cap.6.
spiritum meum.i.omnem mihi aufert animi alacritatem. Quarum sagittarum nomine etiam illa mala designantur, quæ peccatricem animam ex semetipsa consequuntur & affligunt. *& confirmasti super me*.i.continuam super me fecisti *manum tuam*. i. tuæ vindictæ virtutem. Cuius vindictæ primum malum est, quod

Non est sanitas in carne mea, quia multa in me est ægritudo famis, si- 3.
tis, fatigationis, & mortalitatis, addi possunt ægritudines carnisque afflictiones, quibus quisq; particulari ex causa torquetur. Addit verò Ambrosius morbum concupiscentiæ, quo infirmatur caro. Idque, *à facie iræ tuæ*. i.ex irrogatione vindictæ tuæ, *non est pax*.i.ordinata temperatura, *ossibus meis*.i.corpori meo. Vnde autem dicta Dei ira? *à facie peccatorum meorũ*, vindicta enim Dei ob peccata nostra nobis infligitur.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, quia omnis pec- 4.
cator superbè agit contra Dominum. vel *supergressæ sunt caput meum*, quia ego seruus earum effectus sum, permisi enim eas super caput meum sese extollere, & locum capitis in me occupare, ne eum Christus magister pœni-

in hũc locũ tentiæ, inquit Ambrof. teneret. *& sicut onus graue grauatæ sunt super me*. hîc enim grauant conscientiam, vnde & iniquitas sedere dicitur super talentum plumbi. Postea grauabunt authores suos vt ruant in infernum, de qua re Isaias: Grauabit eam iniquitas eius.

5. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ*. Cicatrices istæ sunt passiones peccatorum, quæ à baptismo vel pœnitentia remanent in regenerato aut reconciliato. Iniquitas siquidem originalis & quæuis habitudo mentis iniustæ rationem habet mortiferi vulneris. Quod in baptismo & pœnitentiæ sacramento curatur quidem, sed sic vt tamen postmodum in homine supersit fomes peccati tanquam cicatrix ex mortifero vulnere. Hæ ergo cicatrices *putruerunt* inquit, *& corruptæ sunt*. i. suæ corruptelæ incrementum acceperunt, *à facie insipientiæ meæ*. i. à peccatis quæ voluntate saltem facti, si non voluntate peccati, sciens & prudens velut corã facie mea admisi. Consuetudine enim malè agendi vires pasionum augentur, vt docet Augustinus.

6 cõt. Iu'i cap. 7 & ser. 151. de tempore.

6. *Miser*. i. veris miserijs plenus, *factus sum, & curuatus sum*, non valens ex memetipso omnino sursum ad Deum respicere, vt illa Euangelica mulier quam dimisit Dominus ab infirmitate sua; Imo quantũ est ex parte peccatoris perseueraret cum eo curuitas hæc *vsque in finem*, quia à semetipso ne quidem in fine resurgeret. *Tota die contristatus ingrediebar*, tristitia qua conscientia iniqua torquetur, non qua fides vera iustificatur. Talis enim est tristitia peccatoris, quem Dominus verbo suo nondum sursum per spem erexit. Sed est & aliud malũ in peccatore deplorandũ de quo sequitur.

7. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus*. i. concupiscentia carnis, quamdiu magnas vires habuerit in anima etiam non consentientis, illudit ei in somnis etiam vsque ad contaminationẽ carnis. Sic Ambrosius. Quem sensum etiam agnouit Augustinus, dicens, quod homo castus euigilans ex eiusmodi insomnijs cum gemitu sibi dicat: Quomodo impleta est anima mea illusionibus? Quod August. dicit cum gemitu à castis esse dicendum, quia alibi dicit huius illusionis effectum esse ingemiscendum. Primum quia caro libidinibus diffluit, nec seruat moderamina castitatis. Deinde quia seminaria quæ deberent proficere soboli procreandę, inquinamentum corporis non fructum posteritatis operantur, inquit Ambr. Attamen pro eo quod legimus nos, *lumbi mei*, August. & alij legunt, Anima mea impleta est illusionibus, & intelligunt id fieri, cum anima orationi, bonæ cogitationi, aut inquisitioni veritatis intenta, non inuenit nec ei occurrit quod ad rem pertinet, imo loco eius verisimiles falsitates, atque imagines vanarum aut turpium rerum se ei offundunt, & histrionum more ludos insanos exhibent, eamque sua pia intentione fraudant.

10. Cõfess. cap. 30.

2. de pecc. mer.

Afflictus

Afflictus sum per supplicia mihi inflicta, *& humiliatus sum nimis*, præ cõ- 8.
fusione, quam mihi fecit putredo cicatricum, & illusio nugarum. Ob quæ
duo dolore affectus *rugiebam à gemitu cordis mei.* i. cordis mei dolorem
hinc inde conceptum non gemitu aliquo tacito, sed præ doloris abundantia sonoro rugitu, ita vt ab alijs vel nesciens audirer, exprimebã. Et ne quis arbitretur rugitum hunc pietate vacuum ac proinde infructuosum fuisse, addit Psaltes:

Domine ante te omne desiderium meum. i. tu scis quanto tenear desiderio 9.
accipiendæ à te sanitatis & iustificationis, *& gemitus meus* quantus scilicet ille sit & quam ob rem ille à me frequentetur, *à te non est absconditus.* Quo versiculo interposito redit Psaltes ad prosequenda quæ ceperat, & dicit:

Cor meum conturbatum est. Impij enim quasi mare feruens quod quie- 10.
scere non potest. Aut, conturbatum est præ pauore futuri iudicij. *dereliquit me virtus mea*, virtus inquam spei, pietatis, ac virtus pœnitendi atque bene operandi. *& lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Error enim & tenebræ, inquit Sapiens, peccatoribus concreatæ sunt, quia peccata lumen veritatis, & in primis illud, quo peccata ipsa arguuntur & manifestantur, opprimunt aut extinguunt. Ex hoc autem versiculo probatur, quod docuit Augustinus, naturam per peccatum debilitatam esse atque vitiatam. Pœnitentibus proinde non solum implorandam esse veniam, verumetiam instaurationem virium perditarum. Nõ itaque importunè inculcetur pœnitentibus, quod satis multas vires pœnitendi & resurgendi habeant si velint, sed vt piè monuit prædicto libro Augustinus, sinantur & permittantur confiteri imbecillitatem virium suarum, & ad medicum clamare: Ego dixi Domine miserere mei, sana animã meam, quia peccaui tibi. Et hactenus quidem de morbo & supplicio quod peccatum animæ adducit. Post hæc digreditur Psaltes & enarrat quot molestias perpetiatur pœnitens ab amicis suis carnalibus, qui confictis rationibus student pœnitentem ab asperitate & sollicitudine pœnitendi ad securitatem & mollioris pœnitentiæ facilitatem seducere, dicitque:

De nat. & grat ca. 19 & 40.

Amici mei, carnali amore in me propensi, *& proximi mei*, sanguinis 11.
aut amicitiæ non vulgaris cõmunione mihi coniuncti, *appropinquauerunt*, i. commiseratione mei cõmoti sunt, sed *aduersum me.* i. quia in modum hostilem ac meam iniuriam, *& steterunt.* i. in hac iniqua commiseratione cõstantes fuerunt, & multum apud me institerunt.

Et qui iuxta me erant, sanguinis aut beneuolentiæ carnalis coniunctio- 12.
ne, *de longe steterunt.* i. in rei veritate à proposito meo & salutis meæ dilectione longe absuerũt, *& vim faciebant qui quærebant animam meam.* i. qui

præ se

præ se ferebant animæ meæ bona quærere, in effectu vt raptores vim mihi inferebant.

13. *Et qui inquirebant mala mihi*, volebant enim me à pœnitentiæ actione studioque attentioris vitæ auocare, *locuti sunt vanitates*. i. assertiones quibus non subest veritas, Alius enim dicit ea quæ admissa sunt, peccata non esse, aut non esse tam grauia, aut saltem non esse tantis impendiis expianda.

Thren 4. De quibus vanitatibus Ieremias in Threnis: Prophetæ tui dixerunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitētiam prouocarent: viderunt autem tibi assumptiones & eiectiones, &c. *& dolos tota die meditabantur*. i. continuo intenti erant astutis ratiocinationibus vanas suas assertiones mihi plausibiles facere & me fallere.

14. *Ego autem*. Hic docere incipit Psaltes, qua ratione pœnitens se erga hos blandos aduersarios gerere debeat, & dicit: *tanquam surdus non audiebam*. q. d. et si sermones eorum ab auribus meis nō potuerim repellere, eos tamen ad animum meum nōn magis admittebam quàm si surdus fuissem, *& sicut mutus non aperiens os suum*.

15. *Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargu-*
In psal. 43 *tiones*. Hoc faciendum tibi est, inquit Ambrosius, non quo respondere nequeas, sed quo respondere non debeas: omni enim rei tempus est, tempus tacendi est, & tempus loquendi: loquendum est quando Dominus linguam eruditionis indulget, vt sermo tuus operetur in affectibus audientiū. Quomodo autem te audiet qui ideo tibi obloquitur quod salubrem tuum non velit audire sermonem? aut quomodo tibi acquiescat qui persecutor est, & velit te sibi vendicare? Hæc Ambrosius.

16. *Quoniam in te Domine speraui*. q. d. ideo suasionibus amicorum non acquieui, quia à te Domine meliorem consolationem per pœnitendi perseuerantiam accipere speraui. Dixi autem apud memetipsum, per spem animum meum nonnihil exhilarans, *tu exaudies me Domine Deus meus*. q. d. licet non ad primæ meæ conuersionis momentum, suo tempore tamen, quod mihi causa exercendæ patientiæ expectandum est, exaudies me. Pœnitens autem præter carnales amicos, insuper alios propositi sui aduersarios patitur, inimicos scilicet, qui proposito eius ex odio obluctantur, de quibus subijcit Psaltes:

17. *Quia dixi* per orationem ad Dominum, *Nequando supergaudeant mihi inimici mei*. i. da mihi virtutem & perseuerantiam, ne cessem à pœnitentia, & conuertar ad vomitum, ne id gaudium faciat inimicis meis id vnicè videre desiderantibus: *& dum commouentur pedes mei*. i. dum aliquis qui viam pœnitentiæ & emendatioris vitæ ingressus, ex ea labitur, & retrorsum vadit, *super me magna locuti sunt*. i. magna scommata, magnas irrisiones, in me

in me iecerunt, illaque quæ prius bene gesta sunt verterunt in opprobrium mihi.

Quoniam ego in flagella paratus sum. Locus insignis ad probandũ quod pœnitens paratus esse debeat ad sustinenda flagella pro peccatis suis, flagella dico sibi inferenda vel à Deo, vel de mandato Sacerdotis in Dei nomine, aut etiam sua sponte à seipso. Moderatione enim, inquit Ambrosius, Dei indignatio lenitur, si non penitus verbera recusemus, sed qualitatem leuandi, non euitandi supplicij postulemus. Hæc autem parati animi moderatio & promptitudo diuinæ misericordiæ illex est. Si enim seruulum, inquit idem, videns peccata propria confitentem vltro se inferre pœnæ, inflecteris, ignoscis, & de Domini miseratione diffidis? *& dolor meus in conspectu meo semper.* i. dolorem meum non dissimulaui: sed mihi ob oculos posui, vt mihi competeret quod scriptum est; Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ in gaudio eius non miscebitur extraneus. 18. *In hũc psalmum.* *Prouerb.14*

Quoniam iniquitatem meam annunciabo confitendo *& cogitabo pro peccato meo.* i. non persunctoriè, sed attentè faciam illa quæ mihi facienda sunt pro peccato meo. 19.

Inimici autem mei viuunt. q. d. Ipsi interim in bonis ducunt dies suos, viuuntque illa vita, de qua Apostolus carnalibus Corinthijs: Mors operatur in nobis, vita autem in vobis. *& confirmati sunt super me.* i. pertinaciter restiterunt mihi, *& multiplicati sunt*, id est, numero increuerunt *qui oderunt me iniquè.* 20.

Qui retribuunt mala pro bonis, id est, qui bene operantes, pro eo quod eos fauore & amore iuuare deberent, molestia & plagis afficiunt, *detrahebant mihi quoniam sequebar bonitatem.* i. tum ad detrahendum mihi se conuerterunt cum viderét se non posse me auertere à proposito. Contra quam tentationem quandoquidem opus est homini auxilio Dei, ne sicut maleficijs, ita nec detractionibus moueatur à cepto tramite virtutis, ideo subdit Psaltes. 21.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me. 22.

Intende in adiutorium meum Domine Deus, auctor & consummator *salutis meæ.* 23.

PSALMVS XXXVIII.

In finem pro Idithum canticum Dauid.

IDithum, inquit Ambrosius, disciplinis leuiticis & sacerdotalibus eruditus, ante arcam Domini Psalmorum seriem pangendi solertissimus præcinebat. Quod etiam testatur 4. Paralipomenon. *Cap.15.* Præsens autem Psalmus peculiariter decantandus traditus fuit Idithum,

quod interpretatur Transiliens, cùm tamen plures principes & ordines sacrati chori in templo fuerint, quia in hoc Psalmo describitur affectus, studium & desiderium transilientis, id est, eius qui omnia bona & peccata sæculi, amoris ac spiritus sui sublimitate transcendit. Conueniebat enim vt is Psalmum hunc decantandum peculiariter acciperet, qui talem, cuius affectus in hoc Psalmo describuntur, nominis sui vocabulo præsignaret. Et quandoquidem oportet eum qui re vera Idithum esse vult, ante omnia lapsorum vallem & peccata superare, ideo Psaltes propositum transilientis explicare orditur à cautione qua sibi inuigilat ne incidat in peccata, & dicit:

1. *Dixi custodiam vias meas.* i. tacito, inquit Ambros. cogitationis præcepto indixi mihi vt custodiam vias meas. Aliæ sunt enim viæ quas sequi debemus, aliæ quas custodire. Sequi vias Domini, custodire nostras. vnde & Propheta dixit: Super custodiam meam stabo, Cuius verba hic addenda putaui, quia super custodiam suam stare, est custodiæ sui constanter & perseueranter incumbere, vnicuique autem, teste Ambrosio, stabile esse debet, quod sibi ipsi constituerit. Si enim indecorum est quod alium fallat, quanto grauius si seipsum suo proposito putauerit esse fraudandum? At, quandoquidem illi qui sibi inuigilat prolapsio linguæ eò quod facilis sit, & teste Ambrosio vitari difficillima, præ omnibus cauenda est, eique lingua sit ante omnia refrenanda, subiungit Psaltes: *Vt non delinquam in lingua mea.* q.d. primum mihi curæ fuit, ne verbo offenderem, memor eius quod scriptum est. Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, huius vana est religio. Peculiariter tamen,

2. *Posui ori meo custodiã cum consisteret peccator aduersum me.* Hoc enim casu linguæ adest singulare periculum ne verbo aspero, maledico, aut alias importuno, aliquóve murmure aut quærimonia offendat; Vel se importunè defendat, quia frequẽter dum nos defendere volumus, acerbamus magis, inquit Ambrosius. Notandum autem cum Diuo Ambrosio, quod dicit: Posui ori meo custodiam, non autem imposui ori meo silentium, quia agendum est, non vt aduersarijs nihil respondeamus, sed vt eis cautè respondeamus, eo quod tam silentio offendere possumus quàm verbo. Silentium enim importunum aut indignationẽ aduersarij prouocat, aut saltẽ responsionis mollioris suauitate eam sicut oportuit, non lenit. De qua suauitate Sapiens: Responsio mollis, frangit iram. & alibi. verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. quos verbo non mitigare vbi locus & tempus est, inter peccata omissionis reponitur. Vbi autem oportuit,

3. de inter cap. 8.

3. *Obmutui.* Dicit obmutui, Id enim, vt docet Ambrosius, significat quandam supra modum taciturnitatem patientiæ, vt tanquam sepeliat os suum ne lo-

In præfat. ser. 10. in Psal. 118.

ne loquatur, & velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat, ita vt hanc nulla extorquere, nulla excitare posſit iniuria. Vox enim doloris eſt, litigioſa cum obiurgantibus contentione perſtrepere. *& humiliatus ſum*, vt hac ratione tumorẽ deijcerem ſuperborum, *& ſilui à bonis*. i. à iuſta & rationabili mei defenſione, quia bona conſcientia, inquit Ambroſius in hunc locum, non eget defenſione verborum, quæ ſuo nixa eſt teſtimonio, ipſa ſui iudex eſt. *& dolor meus renouatus eſt*. quia cum peccatores infirmis, priſtina peccata, licet cordis compunctione, aut quod melius eſt, morum correctione iam emendata, conuitiando obijciunt, infirmi quorum perſonam Pſaltes hæc dicens, induit, licet linguam cohibeant, corde tamen vulnerantur, eiſque dolor tanquam reſciſſa cicatrice renouatur. Et hactenus quidem diui Ambroſij expoſitionem, eo quod vtiliſsima ſit, propoſuimus. Expoſitionem tamen Auguſtini cenſemus eidem præferendam, tanquam contextui Pſalmi magis conſentientem, quę eſt hæc. *Obmutui*. i. dum ori meo cuſtodiam ponere volo, quandoquidem difficile eſt in virtutis medio permanere, & neque ad dexteram per exceſſum, nec ad ſiniſtram per defectum declinare, *obmutui*. i. nimium linguam frænando nihil dicendum, nihil reſpondendum eſſe duxi, *& humiliatus ſum*. i. præ puſillanimitate aduerſariis plus quam oportet cedendo, me nimium ſubieci. de qua humilitate Sapiens: Eſt qui ſe nimium demittit à multa humilitate, quam alibi prohibet, cùm dicit: Noli eſſe humilis in tua ſapientia. Sic autem euenit quod *ſilui à bonis*. i. nimio ſilentij ſtudio etiã tum ſilui, cùm bono ſermone aduerſarius aut leniendus eſſet, aut inſtruendus corrigenduſque, *& dolor meus renouatus eſt*, quia dum aduerti peccatũ, quod tacendo euadere volui, me tacendo cõmiſiſſe, cepi nouo dolore torqueri. Itaq; cum tam lubrica ſit linguę cuſtodia, & difficilis ſit loquendi tacendiq; cauta diſcretio, iure rogabat Sapiẽs: Quis dabit ori meo cuſtodiã, & ſuper labia mea ſignaculum certũ. i. vt certo indicio dignoſcam, quando labia ſignanda erunt ad ſilentium, quãdo ſoluenda erunt ad ſermonem? Hoc autẽ ſignaculum certum mens habet ſapientum, de quibus Sapiens: Labia ſapientum alligata ſunt ſenſu, quia, vt docet Ambroſius, nihil loquuntur, niſi quod vero ſenſui conuenire videatur, & ſenſus ſui prudentia intelligunt quæ loqui debeant, quæ taceri. In hoc verò renouato dolore cùm eſſet conſtitutus,

Et ſer. 22. in pſa. 118 verſ. 4.

Eccleſ. 22.

In pſal. 36 ad verba, Lingua oris loquetur iudiciũ 3.

Concaluit, inquit, *cor meum intra me*. i. intus in viſceribus, per præuenientem Dei gratiam, tacitè ardorem deuotionis ac ſpiritum orandi concepi. De quo calore Bernardus, Oportet vt ſancti deſiderij ardor præueniat faciem Dei ad omnem animam ad quam eſt ipſe venturus, qui conſumat rubiginem vitiorum, & ſic præparet Domino locum, & tunc ſcit anima quoniam iuxta eſt Dominus, cùm ſenſerit ſe illo igne ſucceſam, & di-

Serm 31. in Cant.

xerit cum Propheta: Concaluit cor meum intra me. Hæc Bernardus. *& in meditatione mea exardescet ignis*. i. calor iste, quẽ in meis visceribus prius modicè concepi, accedente meditatione, velut ignis flagrare incepit. Meditatio enim pia torrem succensi cordis, quasi quibusdam flabris ac fomentis accendit. Per hoc itaque ad orandum dispositus, orationem deprompsit de qua dicit:

5. *Locutus sum in lingua mea.* i. vocali, vt loquimur, oratione, dixi Domino, *notum fac mihi finem meum*, quæ est diuini vultus reuelatio. Ideo diuus August. intelligit hic orationem fieri, vt cito adueniat clara Dei visio, tanquam Idithũ difficultate seruandæ innocentiæ fatigatus, oret accelerari finem suum, cuius aduentus adducit peccato finem. Alij tamen intelligunt hoc de notificatione finis, quatenus illa fieri potest in hac vita per speculũ in ænigmate. Quò etiam pertinet id quod sequitur, notum fac mihi

6. *Et numerum dierum meorum quis est*, vel vt alij & melius legunt, *qui est*. Ille autem est numerus dierum æternitatis. Id verò hoc fine, *vt sciam quid desit mihi*. i. vt quandoquidem ex memetipso non possum discernere quando mihi tacendum, quando loquendum sit, in lumine diei illius mihi iugiter irradiante, videre possim quid mihi corrigendum sit, quò proficiẽdum, quid agendum, quid prætermittendum. Hunc sensum pulchrè explicat Bernardus in hæc verba: Nusquam se melius deprehendit modus humanæ imperfectionis, quàm in lumine vultus Dei, in speculo diuinæ visionis, vbi in die qui est plus & plus videns quid sibi deest, emendat indies similitudine, quicquid deliquit dissimilitudine. Hæc ergo de proposito, ordine & ratione custodiendi vias suas, transit nunc Psaltes ad describendam vanitatem rerum humanarum & hominum in sæculo sæculariter viuentium, & dicit:

Tract. ad frat. de mõte Dei.

7. *Ecce*. i. ad contemptum rerum humanarum consideratione dignum est, quod *mensurabiles*. i. certa temporis mensura definitos *posuisti dies meos*, posuisti enim terminos eius, inquit Iob, qui præteriri non poterunt. A qua expositione non est alienum, quod alij legunt, Ecce veteres posuisti dies meos: Sunt enim veteres quasi veterascẽtes & ad interitum tendentes, quia quod veterascit prope interitum est. *& substantia mea*. i. vita mea, vt alij legunt, *quasi nihilum ante te*. Quæ est enim vita vestra? inquit Iacobus, vapor est ad modicum parens. Vel, *Substantia mea*. i. Quicquid ad substantiam huius mũdi pertinet, *quasi nihilum ante te*, quia nullius id est apud te loris aut meriti.

8. *Veruntamen*, q. d. tametsi breues dies hominis sint, *vniuersa vanitas*, i. vanitatis quædam vniuersitas est *omnis homo viuens*, quia semetipso rebusque creatis vanè vtitur. Vanitas enim quæ rebus creatis tribuitur, dicitur ab Augustino esse vanitas vanitantium. i. vanè vtentium. Quia ex vano rerum

De vera relig c. 21.

rerum vſu, res ipſæ (quæ alioqui, ſi Tertulliano credimus, createę ſunt à Deo proſpectore, inſtructore, & oblectatore ſui hominis in meras vtilitates, certa ſubſidia & honeſta ſolatia miſeræ huius vitæ) vanę dicuntur. Subiungit proinde Tertullianus ipſam creaturam vanitati ſuccidiſſe, aut iuxta Apoſtolum, ſubiectam eſſe, eo quod vanis plurimum vſibus, tum turpibus, iniuſtis & impijs ſubuerſa ſit. Quæres, Si vſus huius mundi vanus eſt, quid ergo voluptatis aut ſolatij ex eius vſu percipit vanus homo? *De cor. mil. cap. 8.*

Veruntamen in imagine pertranſit homo. i. curſum vitæ ſuæ peragit huiuſmodi homo, nihil percipiens ex ſæculo niſi bonorum imaginem, nō veritatem. Quam imaginem, velut ſomnium ſurgentium, Domine poſt hanc vitam ad nihilum rediges. Tunc enim reipſa apparebit verum eſſe quod ſcriptum eſt: Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cùm autem expergefactus fuerit, vacua eſt anima eius: Et ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus laſſus adhuc ſitit, ſic erit multitudo omnium gentium. D. Auguſtinus tamen & Ambr. id quod hic de imagine dicitur, intelligunt de imagine Sanctæ Trinitatis, in qua pertranſit homo ſæculo deditus, quia nulla vanitas illam imaginem valet de anima vanitantis exterminare. Porrò exemplis declarans quod de vanitate mox dixit, ſubdit Pſaltes: *ſed &* q. d. in vanitatum quam dixi vniuerſitate non poſtrema vanitas eſt, quod homo *fruſtra.* i. vbi nec neceſſe nec vtile eſt, *conturbatur.* i. metu, ira, indignatione, ſolicitudine, & ſimilibus concitati animi turbinibus, à mentis ſuæ tranquillitate deijcitur. Quod prolixius declarat Ambroſius 1. offic. cap. 49. Cuius vniuerſitatis alterum membrum eſt, quod 9. *Pſalm. 72.* *Iſaiæ 29.*

Theſaurizat & ignorat cui congregabit ea. Hoc enim vaniſſimum eſſe & Sapiens expreſsit: Deteſtatus ſum, inquit, omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſsimè laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui & ſollicitus fui, & eſt quicquam tam vanum? 10. *Eccleſ. 2.*

Et nunc, hic rurſus loquitur Idithum, qui præſentis vitę vanitatem, amore æternorum tranſilit. q. d. Cum vanitantium expectatio, ex omni labore ſuo quo ſub ſole laborant, nihil præter fugacem præſentis ſæculi felicitatem præſtoletur. *quæ eſt expectatio mea.* i. quid eſt quod ego expecto omnibus laboribus meis conſequi? *nōnne Dominus*? vt ſcilicet eo fruar? *& ſubſtantia apud te eſt.* i. apud te repoſita eſt. Theſaurizaui enim mihi hic theſaurū in cælis, quo fur non appropiat, nec tinea demolitur, illumq; tibi concredidi, ſciens quia potens es depoſitum meum ſeruare in illum diem. Sed quia is cuius expectatio Dominus eſt, ſine peccatis non viuit, ne peccata interuenientia expectationem eius fallant, & prouentu expectato fruſtrentur, ſubdit: 11.

12. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me*, per veram peccatorum remissionem. Et ne hæc veniæ precatio bono opere vacua & proinde sterilis sit, allegat se fecisse aliquid, quod eum ad veniam dispositum reddat, dicens: *opprobrium insipienti dedisti me.* i. fecisti occultis modis tuis & iustis, vt insipientes opprobrijs & côuicijs mihi insultarêt. Cuius rei clarissimũ extat exêplum in Dauide qui dicit, Deũ præcepisse Semei vt malediceret Dauid.

13. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Id manifestè apparet in Dauide, qui maledico contradicere noluit, postquam cognouit Deum id Semei modo suo præcepisse. Admodum autem oportune is qui veniam precatur, improperiorum sustinentiam Domino offert, quia sustinentia eiusmodi aduersitatum, ad obtinendam veniam efficacissima est, vt dicturi sumus in Psalmo 50. ad verba, Cor contritum, &c. Sed dum Psaltes ad informationem nostram veniam orat & sustinentiam suam Domino offert, transfigurat in se personam illius hominis, cui tempore sustinentiæ suæ aliquid humanæ interuenit infirmitatis ac impatientiæ, qua ab opprobrijs insipientium quæ eum vrunt petat liberari. Ex qua impatientia dicit: *amoue à me plagas tuas.* i. aduersitates has, quas ex quadam animi indignatione plagas appellat. Veruntamen carnalis istius desiderij infirmitatem mox agnoscens, subdit:

14. *A fortitudine manus tuæ ego defeci.* q. d. cùm dixi: Amoue à me plagas tuas, à priore sustinentia ad tædium animi deuolutus sum. Idque *à fortitudine manus tuæ.* i. aduersitatis quam mihi infixisti, acerbitate. Quod tędium mox corrigens, animumque ad pristinam sustinentiam denuo reuocans, subdit: *in increpationibus.* i. quas immisisti aduersitatibus, *propter iniquitatem corripuisti hominem.* i. ad emendationem atque emundationem iniquitatum eius eum exercuisti, non autem ad vexationem aut meram vltionem, vt carnalis iudicat oculus.

15. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* i. animam eius quæ dum terreni hominis molimina exequitur araneę similis est, quia in sollicita caducarum rerũ captatione laborat & consumitur: Hanc dico animã tabescere fecisti, id est, correptione fecisti eam noxiarum passionum suarum crassum humorem decoquere (ob quam causam tribulatio ab Ezechiele sartagini comparatur, in qua carnalis animæ, inquit Ambros. pinguedo decoquitur) & passionum ipsarum ferociam exercitatione tribulationis nonnihil debilitare. Eo itaque animaduerso ipse me reprehendo ob id quod dixi: Amoue à me plagas tuas. *Veruntamen vanè conturbatur omnis homo.* q. d. Supra dixi hominem sæcularem vanè conturbari, nunc tædio hoc quod sustinentiæ meæ paulò ante obrepsit edoctus, aduerto quod vanè conturbatur omnis homo. i. tam pius ac religiosus quàm sæcularis, vsque adeo

Cap. 4. Ambr. in Psal. 38.

adeo vt etiam Elias fuerit homo similis nobis pasibilis, cui ipsi etiam tædium in medio sustinentiæ obrepsit, cùm diceret: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. Post hæc redit Psaltes ad persequendam ceptam pro peccatis orationem, & dicit:

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationẽ meam auribus percipe, lachrimas meas. Addit hoc quia lachrimæ orantis diuinæ miserationis illices sunt. Ideo notãter Angelus Tobiæ: Quãdo orabas cũ lachrimis, &c. 16.

Ne sileas. i. ne retineas verbum tuum à me in tempore salutis, *quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus.* Dicit aduena & peregrinus. Iste est enim sermo qui misericordiam prouocet. Felix enim, inquit Bernardus, qui se alienigenam reputans gratuitum esse non dubitat, neque dissimulat quod sibi tanquam alieno & ignoto impenditur, quicquid impenditur. Addit autẽ *& sicut omnes Patres mei*, vt ad humiliationis incrementum, fateatur hanc conditionem suam sibi esse hæreditariam. 17. Ser. de gra. agend.

Remitte mihi vt refrigerer. i. in refrigerium iustorum, per peccatorum remisionem recipi merear. Iustus enim si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Remitte autem mihi priusquam abeam* ex hac vita, *& amplius non ero*, in hoc quo nunc sum merendi statu. 18.

PSALMVS XXXIX.

In finem Psalmus ipsi Dauid.

IN hoc Psalmo teste Ambrosio loquitur Ecclesia noui testamenti, enarrans beneficia tempore veteris testamenti expectata, & per Christi aduentum sibi collata. Quædam tamen huius Psalmi conueniunt etiam priuatis, Domini ad se aduentum expectantibus, vt eos per gratiam eripiat de præsenti sæculo nequam, dicitque:

Expectans expectaui Dominum. i. diu multumque in illis iustis & prophetis qui ante Christum extiterunt, expectaui vt Dominus veniret in carnem, *& intendit mihi.* i. rationem meæ expectationis habuit. Conuenienter enim expectantibus intendit Deus, inquit Ambrosius, qui reddit (id est, remunerat) patientiam. 1. Epist. 22.

Et exaudiuit preces meas, quas in illis iustis fudi, vt aduentum Dominus in carnem maturaret, & consummaretur præuaricatio, ac finem, inquit Daniel, acciperet peccatum, *& eduxit me* per Christi aduentum, *de lacu miseriæ* qui erat mundus, in quo demersi homines tenebantur suorum voragine peccatorũ, nec poterant se inde eruere obruti multiplicis mole flagitij, *& de luto fecis.* i. de cæno concupiscentiæ, quia fecit eos Dominus abdicare occulta dedecoris, nec ambulare sicut prius post prauitatẽ maligni cordis sui. Vel, *de luto fecis.* i. de humanæ naturæ miseria: Hæc enim sterilis & sicca est, in- 2.

18. de Ciu. Dei, cap. 35 est, inquit August. vbi non sunt iustitiæ fluenta, sed iniquitatis lutum.

3. *Et statuit supra petrã pedes meos.* i. fecit vt Christum pro fundamento fidei, spei, & totius salutis meæ haberem, quia prædixerat per Isaiam; Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem probatum angularem: *& direxit gressus meos*, quia cùm homo sub lege positus sibi dux vellet esse ad seruãdam legem, per fidem Euangelij se diuinæ gratiæ dirigendum subiecit.

4. *Et immisit in os meum canticum nouum.* i. gratiarum actionis. *carmen* Deo nostro, pro beneficiis noui testamenti, cuiusmodi canticorum formulas habemus Isaiæ 12 & 26. & in Psalmis quamplurimas.

5. *Videbunt multi*, hanc mutationem, & exultationem Ecclesiæ, *& timebunt.* i. iustificationis initium per donum timoris concipient, *& sperabunt in Domino.* i. non vt in veteri lege temporalium, sed futurorum retributionem à Domino expectabunt. Ob cuiusmodi expectationẽ exclamat Psaltes;

6. *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius.* i. qui æterna bona à Deo per spem fideli corde expectat, *& non respexit.* i. finem, quo veraciter beatus esse posset, non constituit *in vanitates.* i. fallaces sæculi voluptates, *&* 13. de Tri. c. 7. & præcipuè 19. de Ciu. c. 4 *insanias falsas.* Diuus Augustinus docet Philosophos quosdam docuisse, quod sapientes, quales illi mirabili vanitate describunt, etiamsi excæcetur, membris debilitentur, doloribus excrucientur, & si quid aliud malorum quod dici aut excogitari potest in eos inciderit, non solũ spe, (quod Christiani suis tribuunt martyribus in tormento constitutis,) verum etiam re Epist. 52. beati sint. Et addit: Superbiam huius opinionis inuentricem fuisse, vt quæ fateri noluit vitam hanc etiam prædictis calamitatibus obnoxiam, esse miseram. Idque ne oraret Deum, ne supplicaret misericordi, qui potens est mala huius vitæ auertere vel mitigare, vel ad ea toleranda armare, vel ab iis omni modo liberare & post hæc dare vitam verè beatam. Itaque quod hic dicitur, *non respexit in insanias falsas*, ad prædictam refert Philosophorũ opinionem. q. d. Psaltes: Beatus homo qui in Deo sperauit, & insana opinione non putauit se etiam in mediis huius vitæ miseriis posse per præsumptionem humanam esse beatum. Veruntamen non improbabile est, quod Psaltes sub *vanitatibus, & insanijs falsis*, omnem mundi voluptatem comprehensam esse velit. Id enim quod in mundo diligunt homines, partim vanum solummodo est, partim insuper insaniæ plenum. Quod ex spectaculis tragicis, Circensibus ludis, similibusque, multis verbis declarat, & pulchrè Epist. 2. exequitur Cyprianus, vt sit sensus: Beatus, qui mundi voluptates partim vanas, partim insanas pro scopo sibi propositas non habuit. Hunc huic loco sensum tribuit Ambros. Ne autem is qui non respexit in vanitates & insanias falsas, arbitretur se ante contemplationem futuræ vitæ tempore huius vitę nihil considerandũ habere aut obseruatione dignum, subiũgit Psaltes:

Multa

Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua. q. d. multa mirabiliter (vt Psal. 8. enarratum est) fecisti, quæ præstantia sua sic totam hominis intentionem requirunt, vt superuacaneum sit & præposterum respicere in vanitates & insanias falsas. *& cogitationibus tuis.* i. occultis consilijs tuis, quibus vnum sic, alium autem sic ad salutem dirigis, & in ea promoues, *non est qui similis sit tibi.* es enim magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu. Dicebat proinde cùm hæc sibi innotuissent Augustinus: Non satiabar dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui, super salutem generis humani. 7.

Annunciaui & locutus sum. i. hæc mirabilia tua prędicare cepi, & ad eorum considerationem relicta mundi vanitate & insania apprehendendam adhortari. *multiplicati sunt* illi, qui me audierũt hæc annunciantem, *super numerum*, iustorum scilicet, quia multo plures numero facti sunt, qui annunciantem audierunt tantum, quàm illi qui vnà cum auditu obtemperauerunt. Docet tamẽ August. in scripturis sacris dici esse super numerum, quod tanto numero est copiosum, vt copia nomen omnis vsitati numeri excedat. 8. q. 137 in Genes.

Sacrificium & oblationem noluisti. Hinc euidenter colligitur, quod in hoc Psalmo noui testamenti Ecclesia loquatur, quia sacrificium & oblationem quę secundum legem, vt interpretatur Apostolus, offerebantur, tẽpore noui testamenti nolle cepit Deus. Bene autẽ postquam de prædicatione Euangelij dixit: *Annunciaui & locutus sum*; subiungit, *Sacrificium & oblationem noluisti.* Hæc enim ne in posterũ essent salutis præsidia, auferri demũ debuerunt ab illis quibus fides noui testamenti per Euangelij prædicationẽ erat reuelata, vt docet Aug. Dicit itaque Psaltes: *Sacrificiũ & oblationẽ noluisti*, non quod oblationes & sacrificia veteris testamẽti, Deo per se molesta fuerint aut abominabilia, vt somniauerũt Manichæi, cùm passim dicat lex, quædã eorũ oblata esse in odorẽ suauissimũ Domino: & Apost. hæc verba explanãs, nõ dicit quod Deus abominabatur prius, vt sequẽs acceptaret, sed dicit; Aufert prius vt sequens statuat. Rationẽ ergo ob quã illa noluerit Deus subiungens Psaltes dicit: *Aures autem perfecisti mibi.* Quæ verba dicuntur in persona Christi ad Deum Patrem, eorumque sensus est, me tibi perfectè obaudire fecisti. Eorum verò loco Apostolus, exemplaria græca secutus, legit: *Corpus autem aptasti mihi.* quia Deus Pater in incarnatione filij sui, eidem corpus vna cum reliquis S. Trinitatis personis, operatus est. Diciturque id ei adaptasse, quia corpus eidem tam apposite vniuit, vt in illo corpore absque vlla diuinitatis passione, ipse Filius Dei passus sit, & semetipsum in redemptionem totius mundi secundum humanam naturam obtulerit. Proindè diuersæ lectiones istæ, idem, Oblationem videlicet Christi in cruce, circumscribunt, nostra quidem circumscri- 9. Hebr. 10. Epist. 19.

bit eam per obedientiam ex qua Chriſtus oblatus eſt: Græca verò, per corpus quod ab eo oblatum eſt. Cùm ergo veteris teſtamenti ſacrificia fuerint vmbræ, vt loquitur Apoſt. futurorum, corpus autem huius vmbræ, i. ſoliditas ſeu veritas eius, ſit Chriſti, cuius erat figuras implere; oportuit vt præſente corpore occumberent vmbræ. Secus enim, vmbræ verſæ fuiſſent in mendacium, proloquendo eum venturum qui iam aduenerat. Itaque per oblationem corporis Chriſti debuerunt quidem legalia auferri, ſed non niſi prædicato, vt mox annotauimus, euangelio, quia ex parte Dei non conueniebat vt inter mortem Chriſti & prædicationem euangelij populus Dei ſine præſidio & remedio ſalutis relinqueretur: Ex parte verò populi non oberat vti vmbris vſque dum veniſſet Dei populus in notitiam veritatis, ſicut nec glorificato Chriſto oberat fides venturi, niſi poſt auditam prædicationem euangelij.

Coloſſ. 2.

10. *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti.* Eodẽ referendum eſt. *Tunc* ſcilicet, cum illa præfinitũ ſibi à Deo tempus impleſſent, *dixi: Ecce venio.*

11. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam,* qua voluiſti, vt in ſalutem generis humani viuam hoſtiam memetipſum offerrem. *Deus meus volui & legem tuam in medio.* i. meditullio, *cordis mei,* Diligebat enim Chriſtus patrem, & ſicut mandatum dederat illi pater, ſic tota dilectione faciebat. Sed his verſiculis per parentheſin inſeritur. *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Circa quæ verba notandum eſt, quod ſicut Actorum 1. liber Pſalmorum vnus dicitur, ita & vniuerſa ſcriptura ſacra liber vnus dici poteſt, inquit Auguſtinus. Huius libri caput eſt Pentateuchus, & imprimis Geneſis, ideoque complures veteres per caput libri de quo Pſaltes, Geneſim intelligunt, idque admodum probabiliter. Sed cum in Geneſi multa in figuram Chriſti dicta vel facta ſint, aliquibus videtur Pſaltem reſpicere ad illa omnia ſine diſcrimine. Alijs autem ad eorum vnum quid. Mihi verò videtur maxime probabile, Pſaltem hoc loco reſpicere ad occiſionem Abel. In hac enim & illa quæ circa eam contigerunt præſignabatur & victima Chriſti, & quod illa oblata abrogandæ eſſent ceremoniæ veteris legis. Si enim Auguſtino credimus, ſignum quod Deus poſuit in Cain occiſo Abel, ſignificabat quod Iudæi per orbem terrarum diſperſi mordicus retenturi eſſent exoletas iam veteris teſtamenti ceremonias in ſignum Chriſti ſui ab ipſis occiſi. Cùm ergo Pſaltes dicat: *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam,* quid aliud indicat, quàm in capite libri qui eſt Geneſis, duo ſcripta eſſe, videlicet & quod Deus hoſtias & pro peccato amplius non poſtularet, & quod Chriſtus eorum loco ſuum corpus offerret? Hoc autem vbi ſcriptum eſt in capite libri, niſi in occiſione Abel,

In præfat. in pſal. 150
Orig. lib. 7 in Leuit.

Aug. 12. cont. Fauſt. cap. 11.

Abel, & signo quod Deus posuit in Cain? Post hæc Psaltes sermonem denuo conuertit ad enarrandam Euangelij prædicationem, præsertim quæ Christi mortem subsecuta est, dicens in persona Ecclesiæ,

Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna, quæ est ex gentibus collecta, *ecce labia mea non prohibebo*. i. nihil erit cuius amore aut timore à prędicatione Euãgelij cohiberi potero, vt satis manifestè apparuit in Apostolis, qui seuerè prohibiti, imo plagis inflictis malè accepti à prædicatione se non continuerunt. *Domine tu scisti*. i. nosti hoc ita esse. Dicere autẽ Deo tu nosti, iurare est, vt manifeste docet Augustinus. 12. Epist 49. qu. 5.

Iustitiam tuam, qua iustificas impios, & in iustitia promoues & conseruas iustos, *non abscondi in corde meo*, ne non eam in aliorũ notitiam deducerem, *veritatem tuam*, quæ fide tenenda est, *& salutare tuum*. i. æternam salutem, quam premij loco daturus es, *dixi*. Vnà autem cum iustitia, veritate & salutari tuo, 13.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à consilio multo. i. coram multis Senatoribus, Consiliarijs, Vel, varijs in cõcilijs ac tribunalibus, fidei veritatem prædicare non erubui. vt patet Actorum 4. & 26. de qua re & Paulus, Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt euangelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in omni prætorio. 14. Ad Phili. 1

Tu autem Domine ne longe fac miserationes tuas à me. Quò ecclesia cepit magis crescere, eò quoque plures infirmos & malos cepit habere. Itaque Psaltes cõmemorata Ecclesiæ prædicatione, & multiplicatione, non ignorans mala atque peccata in ecclesia simul fore multiplicanda, format vocem columbæ, pro malis atque peccatis communibus, vt docet Augustinus, ingemiscentis, dicitque: 15. 4. cõ. Dona.

Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas à me; cùm scilicet multiplicata fuerint mala in terra nostra. Quod vt maiore cum fiducia precetur, subdit: *Misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me*. i. de quacunque necessitate ego hactenus ad te confugi, suscepit me misericordia tua secundum promissa tua. Hoc enim est quod Psaltes dicit: *Misericordia & veritas tua*. Huius autem rei experientiam suppeditare amplius orandi fiduciam, in Psalmum 16 versu 7 diximus. Suum tamen vsum habebit hic versiculus, si misericordia quam dicit, intelligatur distincta à veritate, q. d. quotiescunque è lapsu me ad te conuerti, misericordia tua suscepit me in gratiam: Quotiescunque verò in errore fui aut ignorãtia, veritas tua suscepit me ad pristini erroris & ignorantiæ correctionẽ: Quod cum gratiarum actione confiteri poterit is, qui à diebus adolescentiæ suæ cum Sapiente multa vidit errando. Ecclesia ergo malis variis afflicta & agitata implorat sibi miserationes Dei, 16. Eccles. 34.

17. *Quoniam*, inquit, *circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Lata
De patien. Cap. 11. enim atque diffusa facta est operatio mali, inquit Tertull. multiplicia spiritus incitamenta iaculantis, modò paruula, modò maxima. Inter hæc autē, mala illa reponenda sunt de quibus sequitur: *Comprehenderunt.* i. captiuam fecerunt, *me iniquitates meæ*; funibus enim peccatorū suorum quisque constringitur. *Et non potui vt viderem*: Delicta enim quis intelligit?

18. *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.* i. debita virtute destituit me. Tametsi enim velim peccata mea, sic vt oportere video, plangere, accusare, vindicare, à corde meo derelictus non valeo perficere quod desidero: præsertim si id de omnibus sigillatim attento. Hoc D. Cyrillus exemplo demonstrat explanans verba Ezechiæ dicentis Esaiæ comminanti: Bonus sermo quam audiui. Destituitur, inquit, Ezechias apologia qua suis delictis opem adferat. Præterea derelinquit hominem cor suum, vt in quouis negotio ferè non valeat præstare illa quæ sunt veræ virtutis: de qua re Cyrillus consequenter. Valde infirma est mēs humana, & in multis labimur omnes, nec est quisquam nostrûm cordatus, qui in omnes partes sapiens esse poterit, sed cor etiam amans Dei, & mens admirabilis sæpè in id quod minus rectum est, impingit. Denique frequentissimè derelinquit hominem cor suum, cùm se ad interiora cōuertit. Quod sibi euenisse D. Gregor. lamentatur in hæc verba: Redire post causas ad cor desidero, sed stultis pressus cogitationibus solummodo exclamare compellor, Cor meum dereliquit me. Cùm ergo in hisce homo sibi non sufficiat, quid restat, nisi vt se conuertendo ad Dominum dicat:

Cyrill in c. 39. Isaiæ. — Greg. 1. Regist. epi. 5.

19. *Complaceat tibi Domine.* i. tibi Pater cum Filio & Spiritu S. pari formiter placeat. Hoc enim per verbum, *Complaceat*; hîc significari ab Haymone est prudenter obseruatum. *Vt eruas me*; secundum beneplacitum voluntatis tuæ quæ superet virtutem meam & meritum. *Domine ad adiuuandum me respice.* Te autem ad id respiciente,

20. *Confundantur*, tanquam spe sua frustrati. *Et reuereantur*; iterum me impetere. *Simul.* i. vtriusque ordinis de quibus dicturus sum, inimici. *Qui quærunt animam meam vt auferant eam*: quia licet diuersis vijs, pari tamen studio quærunt auferre seu perdere animam meam. Et primò quidem

21. *Conuertantur retrorsum.* i. à priore se proposito auertant, *& reuereantur qui volunt mihi mala.* i. qui per mala, siue illatis malis ac molestijs student perdere animam meam. Deinde:

22. *Ferant confestim confusionem suam.* i. pudeat eos studij atque conatus sui. *Qui dicunt mihi euge euge.* i. qui adulando, siue laudando per superbiam vel inanem gloriam quærunt perdere animam meam. Contrà verò

23. *Exultent & lætentur super te omnes quærentes te.* q. d. Euentus malefico-

leficorum studiorum est confusio, contra verò fructus piorum studiorum quibus incumbunt qui quærunt te, sit, sicut & erit, exultatio & lætitia. *Et dicant semper, Magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum.* q.d. qui in bonis gloriam hominis, non autem veram eius salutem diligunt, dicunt eidem Euge, euge; laudantes hominem: Contrà verò qui in bonis *diligunt salutare tuum.* i. veram hominis salutem, quam tu in eo per bona opera eidem donata facere intendis, *dicant semper magnificetur* in agnitione & affectu hominum *Dominus*, & ille magis glorificetur. Quid enim est quod me aut vllum hominem in bonis suis laudent?

Ego autem mendicus sum & pauper; quia virtutis inops, insuper vt mendicus quotidianam opem à Domino efflagitare compellor, & gratiam eius per momenta suppliciter emendicare. Neminem enim Deus sic ditat, vt ei non sit necesse opem & protectionem Dei ac reliqua eò pertinentia à Dei gratia indesinenter efflagitare. Mendicum proinde se agnouit Augustinus cum ad Audacem scriberet in hæc verba: Thesaurum sapientiæ te desiderare dixisti, sed minus accepisse quàm voluisti, cum ego ex illo thesauro mendicabunda prece quotidianam stipem rogem & vix impetrem, & non aliud quàm me minus dignum esse agnoscam. Hæc ille. Quibus subnectit plura huc pertinentia, Nam illam epistolam scribit Audaci qui Aug. dixerat, Euge, euge. Quid autem solatij superest pauperi huic & mendico? *Dominus sollicitus est mei*; vt etiam de illis mihi prouideat, ad quæ mea sollicitudo se non extendit. Et præter hoc, 24. Epist. 140

Adiutor meus; Ad exercendum bona à te accepta. *Et protector meus*; contra mala oboritura, *es tu*: *Deus meus ne tardaueris.* i. ne adiutorium & protectionem diu distuleris. 25.

PSALMVS XL.

In finem Psalmus ipsi Dauid.

BEatus qui intelligit super egenum & pauperem. Intelligit super egenum & pauperem, in primis ille, qui intelligit se id quod pauperi impendit Christo impendere, & se in indigentibus Christum pascere, inquit Leo, & vestire. Deinde, qui animas pauperum nouit, intelligens quid mali vel angustiæ afflictionisque inopia adferat indigenti, inquit Ambros. Tertio, qui studio subueniendi vltro inuestigat, quinam occulta laborent penuria, nec expectat, ait Augustinus, donec pro eleemosyna interpelletur, sed largiendo præuenit antequam petatur. Hoc populo fideli faciendũ esse, præcipuè circa eos qui laborant verbo & doctrina, docet Augustinus loco citato, & in Psalmum 103. Nec solùm illis, sed etiam quibusuis aliis pauperibus inopiam suam præ verecundia celantibus. Dicit 1. Serm 6. de ieiu. 7. mē. in psa. 146

Serm. 4. de collect. namque Leo: Sollicita benignitate vigilandum eſt, vt quem modeſtia tegit & verecundia præpedit, inuenire poſsimus. Intelligendi enim ſunt iſti & ab occulta neceſsitate ſubleuandi, vt hoc ipſo amplius gaudeant, cùm & paupertati eorum fuerit conſultum & pudori. Cui conſentit Ambroſius, (2. offi. c. 16) docens non ſolum aures prębendas pauperum precibus, ſed oculos inueſtigandis eorum clancularijs neceſsitatibus; exemplo Abrahæ, qui ſedens in oſtio tabernaculi ſui, oculos leuabat vt peregrinos præoccuparet. Quarto intelligit ſuper egenum & pauperem, qui in ſubleuandis pauperum neceſsitatibus prudentia vtitur & diſcretione. Primò, ne tumultuario mentis impulſu opes ſuas ſimul effundat, cuius eum poſtmodum pœniteat. Quod cauēdum eſſe docet Ambroſius. (2. de pænit. cap. 9.) Deinde, vt cùm bene facere voluerit, ſciat, vt monet Sapiens, cui benefaciendum ſit, & in largitione eleemoſynæ nouerit quis cui ſit præferendus. (2. offic. c. 16) Cuius negotij ordinē explicat Hieronymus, (Epiſt. 150. quæſt. 1.) docens domeſticos fidei præferendos eſſe quibuſuis infidelibus. Inter fidei autem domeſticos eos eſſe præferendos, qui ob Chriſtum ſua omnia reliquerunt, aut per perſecutiones perdiderunt. Denique bonos præferendos eſſe iis, qui tanta iniquitate, quanta paupertate ſcatent, niſi ſpes emendationis affulſerit. Obſerua interim, hæc quæ de eleemoſyna corporali digeſsimus, etiam in eleemoſyna ſpirituali multa ex parte locum habere. Moralis eſt itaq; hic verſiculus, ſic tamē, vt inter eos qui intelligunt ſuper egenum & pauperē non dubitemus Chriſtum numerare, qui cùm in forma Dei eſſet, præuiſo lapſu humani generis, intellexit ſuper egenū & pauperē, quia per ſemetipſum priuſquam ab vllo hominū pro ope ferenda interpellaretur, miſeriā & inopiā lapſi humani generis perſpiciens, cùm eſſet diues, inops & pauper factus eſt, vt illius inopia nos diuites eſſemus. Huius autē intelligētiæ quis fructus? *in die mala*, qui Amb. eſt dies iudicij: aut *die mala*. i. tēpore huius vitæ, cuius dies mali ſunt, à malo *liberabit eū Dominus*. Et præterea,

2. *Dominus conſeruet eum*. Si iuſtus fuerit, *& viuificet eum*, ſi in morte, ſiue extra charitatem fuerit. Qui enim per fidem & bonam voluntatem initium aliquod ſpiritualis vitæ habens, ſuper egenum & pauperem intellexerit, is viciſsim à Deo miſericordiam conſequetur, vt ad iuſtitiam perueniat, ſicut vidimus in Cornelio Centurione. Et narrat Auguſtinus, (Epiſt. 100.) quod Deus cuidam adoleſcenti in eleemoſynis erogandis feruentiſsimo, reuelauerit in ſomnis, ſupereſſe animæ vitam poſt mortem ante reſurrectionem corporis cùm ea de re dubitaret, eo quod intelligere non poterat, quomodo anima abſque corpore, corporeiſque ſenſibus vitam ageret. Inſtruxit autē illum Deus intuitu eleemoſynarum quas fecerat. Quomodo enim, inquit Auguſtinus, Deus opera miſericordiæ eius vllo modo deſereret? *& beatum faciat eum in terra* viuentiū ſcilicet, in qua eſt portio noſtra Deus. Optando enim

enim ſimul indicat Pſaltes, æternam beatitudinem eſſe mercedem eleemoſynæ. *& non tradat eum in animam inimicorum eius*. i. non permittat vt inimici eius videant, vt deſiderant, æternum interitum eius. Eleemoſyna enim vt dicit Raphael Tobiæ, non patietur animam ire in tenebras.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius. i. cùm ex infirmitate plenus doloribus corporis decubuerit, imò in tanta infirmitate vt de eo verè dicatur: *Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius*, quod tunc verè de ægroto aliquo dicitur, cum hoc totum quod ei in ſtratum, hoc eſt, ad quietem, refocillationem, aut refrigerium ſuggeritur, tanquam quod nihil proſit, imò obſit potius ei in ægritudinis atque doloris incrementum, Deo ita permittente, conuertitur atque verſatur: Tunc ergò, in tempore ſcilicet illius neceſsitatis, *Dominus opẽ ferat illi*, & ad ei ſubueniendum, eleëmoſynarum eius recordetur. Itaque hîc iterum optando inſinuat Pſaltes eleëmoſynis vitam etiam temporalem, vt Cyprianus docuit, à periculis redimi. Qui ſuam illam doctrinam probat à maiore: Ex reſuſcitatione enim Thabitæ (quam docet merito eleëmoſynarum ſuarum eſſe ſuſcitatam) compertum eſt, inquit, eleëmoſynis animas non tantum à ſecunda, ſed à prima morte liberari. Si à prima morte, multo magis à corporali languore ac ægritudine. Itaque verſiculi huius primarius ſenſus literalis eſt, quod nec Ambroſium latuit, qui eo vtendum eſſe dixit apud eos qui diutius infirmitate corporis detinentur, vt habeant medicinam Dei quo ſani eſſe mereantur. Idem tamen cum Auguſtino eundem verſum metaphorice interpretatur, per lectum doloris intelligens carnem infirmitatis, ſiue ordinariam noſtram infirmitatem carnis, ſeu corpus mortis. Super hunc lectum Dominus opem fert miſericordibus, cùm eos virtute confortat, vt infirmitate carnis ſuæ rectè vtantur, regant infirmam carnem ſuam, ne dicant, inquit Auguſtinus, non poſſum tenere, portare & frenare carnem meam. Ad hoc autem homo ſingulariter eget ope diuina, quia, *Vniuerſum ſtratum eius*. i. Omne id ad quod homo quietis aut refocillationis capiendę cauſſa ſub ſole ſe etiam licitè conuertit, *Verſaſti in infirmitate eius*. i. in amaritudinem ei conuertiſti, aut amaritudinibus reſperſiſti, ita vt homo in rebus huius vitæ vix vllam imperturbatam inueniat requiem. Voluit enim Deus, inquit Auguſtinus, nos & in illis quibus quietis cauſa licitè vtimur, pati tribulationes, vt doceamur amare meliora per amaritudinem inferiorum. Vel, *vniuerſum ſtratum eius*. i. omnem infirmitatem eius, cui ſtrato remedium ſternitur. *Verſaſti*. i. ex ægritudine in ſanitatem conuertiſti. *in infirmitate eius*, Chriſti ſcilicet, intelligentis ſuper egenum & pauperem. Chriſtus enim ſuæ in primis carnis infirmitatem verſauit in ſalutem ſuã per reſurrectionẽ; & in omnibus quæ paſſus eſt, noſtram infirmitatem verſauit, quia

[Margin: 3. — De opere et eleem. nu. 2]

quia in infirmitatibus suis præparauit nobis sanitatem. Timore enim suo,
Ambros in hunc locũ, & 3. de virg. Cyrill. 10. Thes. ca. 3. nostrum timorem, dolore suo nostrum dolorem, morte sua nostram mortem curauit, vt notant Ambrosius & Cyrillus, ita vt hic locum habeat illud Apostoli: In quo ipse passus est & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari. Quia verò ægroto non sola sanitas corporis, verum etiam animæ quærenda est & expetenda; subiungit Psaltes ægrotis & simul omnibus quibus anima ægra est, formulam qua animæ suæ sanitatem à Deo requirant, & in persona eorum dicit:

4. *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi.* ex quo loco docet Augustinus, non solum corpus, sed etiam animam infir-
De nat. & gra. ca. 19. mam factam esse peccato. Quid, inquit, Deus sanabit, si nihil est vulneratũ, nihil sauciatum, nihil debilitatum, nihil vitiatum? Porro si est quod sanetur, vnde vitiatum est? audi quod sequitur, *quia peccaui tibi.* Sed cùm peccatum non sit substantia, sed actus perperam facti, quomodo (interrogabat Pelagius) potuit animam vitiare quod substantia caret? Respondet Aug. capite sequenti, Sicut abstinere à cibo non est substantia, & tamen substantia corporis, si abstinetur à cibo ita languescit, vt si aliquo modo perduret in vita, vix possit ad eum cibum reuocari, vnde abstinendo vitiata est: Sic non est substantia peccatum, sed Deus substantia est, solus verus rationalis animæ cibus, à quo per inobedientiam recedendo & non valendo capere quod debuit, dicit peccator, Vt fœnum aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.

6. *Inimici mei dixerunt mala mihi.* Ab hoc loco vsq; ad finem Psalmi Christus in persona sua loquitur, notatque Ambrosius, tum in hunc, tum in 43. Psalmum, quod ea quæ in hoc Psalmo & 108. de inimicis Christi in plurali numero dicuntur, intelligenda sint de Iudæis. Quæ verò in singulari, illa intelligẽda sint de Iuda proditore. *Quando morietur & peribit nomen eius?* vt sublata eius memoria, nemo vel prædicando, vel credendo, eius in bonum faciat mentionem.

7. *Etsi ingrediebatur*, Iudas scilicet, Cui enim, inquit Augustinus, Iudas
17. de ciu. Dei, cap. 18 hic non occurrat ex discipulo Christi factus eius traditor? *vt videret*, id est, oportunitatem tradendi Christum exploraret. In quo Iudam imitantur falsi fratres, qui in ipsa Ecclesiæ penetralia subintrant, vt explorent libertatem, quam habemus in Christo. *vana loquebatur*, quia ficta dilectione de Christo ad condiscipulos & ipsum Christum loquebatur. Tales autẽ dicuntur vana loqui, quia quæ loquuntur in veritatis & charitatis soliditate fundata non sunt. *cor eius congregauit iniquitatem sibi*, quia sæpius explorandæ huic oportunitati incumbendo, suæ hypocrisis dolos multiplicauit, ingratitudinem & contemptum in Christum iterauit; &, vt verisimile est,

omnia

omnia Christi dicta & facta in peiorem partem accepit, idque *sibi*, quia per 7.
hæc Christo inuito non nocuit, sed sibi peccatum adauxit.

Egrediebatur foras, ad eos scilicet, quibuscum consilia perdendi Christum tractabat, qui foris erant, quia à verbi cælestis cognitione exclusi. *&* *loquebatur in idipsum*.i.in eundem finem, nihil per ingressum ad Christum melior factus.Hos autem duos versiculos, *Si ingrediebatur*. & *Egrediebatur foras*, notat Ambrosius aptè in illos quadrare qui amicos obseruant vt
eorum prodant mysteria & secreta, quod Sapiens dicit ad desperationem Eccli 27.
infelicis animæ pertinere.

Aduersum me susurrabant omnes inimici mei. i. clam inter se sermones 8.
de perdendo Christo serebant, erubescebant enim audiri, non autem mala machinari. Susurrare proinde tribuitur dolosis & perfidis,quia sine auctoritate,inquit Ambrosius, est perfidia quæ timet quod loquitur deprehendi. Fideli autem dicitur, Exalta in fortitudine vocem tuam. *Aduersum me cogitabant mala mihi*, quia extra mutua colloquia positi, singuli apud semetipsos inuestigabant qua ratione me perderent. Tandem post multas cogitationes & collocutiones,

Verbum iniquum constituerunt. i. concluserunt, *aduersum me*, cum vi- 9.
delicet audito consilio Caiphæ,cogitauerunt Iesum interficere, & ad eum apprehendendum Iudæ vti perfidia. Sed quo euentu vanissimi homines? etsi enim Christum morti tradideritis, *nunquid qui dormiet non adijciet* vitæ suę quam prius mortalem duxit, *vt resurgat* ad immortalitatem! & quid tum proderunt vobis vestra consilia? Porro notandum, quod Christus de se dicit *nunquid non adijciet vt resurgat*, non autem, adijcietur ei vt resuscitetur? hoc loquendi modo insinuans quod ipse semetipsum resuscitauerit, & vitam immortalem sibimetipsi adiecerit. Sed quid ego cæteros arguo, quod enim his maius est,

Etenim homo pacis meæ. i.homo familiæ meæ. Qui dicitur homo pacis, 10.
quia familiares omnes merito deberēt esse patri familias pacifici. Vel, *Homo pacis meæ*. i. qui osculo me quasi pacificus salutauit, *in quo sperabam*, i. quem Apostolatus honore sublimatum, dispensatoris prærogatiua cæteris prælatum, tantis beneficijs affeceram, vt quasi iure, inquit Ambrosius, præsumpserim, eum relicta præconcepta malitia, meliora secuturum. vel *in quo speraui*. i. cui dispensationem familiæ meæ concredidi, quod non facimus nisi illis quibus confidimus. Alias enim non sperauit Christus in Iudam cuius perspectam habebat perfidiam. *qui edebat panes meos*. i. inquit Ambrosius,verbi cælestis alimoniam. Sed melior est sensus quem dat Augustinus, per panes Christi Eucharistiam intelligens,eo quod Christus in vltima cœna cum Iuda accumbens, de pane quem tum Iudas manducabat,

hunc versiculum allegauerit, & interpretatus sit, *magnificauit super me supplantationem.* i. magnam fecit deceptionem. Eò enim maiorem, quo minus id de eo debuit expectari. A qua nos dehortatur Sapiens cùm dicit, Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam. Sed quamuis Christus hæc in se fieri permiserit, non tamen voluit eos hæc impunè ferre, sequitur enim,

Prouerb. 3

11. *Tu autem Domine miserere mei & resuscita me.* Hic Christus orat vt resuscitetur, quia vt homo siue secundum humanitatem loquitur. Prius dixit, se adiecturum vt resurgeret, tanquam id sua virtute facturus, quia loquebatur secundum diuinam naturam. *Et retribuam eis.* verbum est auctoritatis quam Christus à resurrectione tanquam transacto suæ humilitatis tempore, secũdum humanam naturam accepit. Tum enim data est ei omnis potestas in cælo & in terra. Retribuit autem Iudæis, inquit Augustinus, temporalem disciplinam in hoc quod bellica strage subacti & sedibus suis pulsi, toto orbe terrarum exulent, seruans eisdem si correcti non fuerint damnationem æternam. D. Ambrosius vero retributionem hanc intelligit bonorum pro malis, quia Christus post resurrectionem, per Apostolorum prædicationem multos ex Iudæis ad se conuertit, illius populi reliquias circa finem sæculi omnes conuersurus.

Loco citato

12. *In hoc cognoui.* i. per experientiam didici. Vel, cognitum feci, siue suppeditaui argumentum vnde cognosceretur, *Quoniam voluisti me.* i. me misisti meamque in carne dispensationem approbasti, *Quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* i. non gaudebit diabolus & membra eius se de me consecutos esse quod volebant. Cùm enim ab omnibus facile credatur verum esse quod dixit Gamaliel, Si ex Deo est opus hoc aut consilium, non poteritis illud dissoluere, Profecto certissimè colligitur, œconomiã Christi Deo acceptam fuisse, quia nullo astu nullisque viribus potuerunt inimici opus Christi dissoluere.

13. *Me autem propter innocentiam,* quia sine vllo peccato, aut alicuius nocumento vixi, *suscepisti* ad consessum dexteræ tuæ, nam Christus eò etiam suo merito peruenit. *& confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* quia nunquam ab illa gloria dimouendus sum. Psaltes his quæ cantauit intellectis, subijcit gratiarum actionem dicens:

14. *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & vsque in sæculũ, fiat, fiat.* quod est confirmantis.

PSAL-

PSALMVS XLI.

In finem, intellectus filijs Core.

FIlij Core ianitores erant, quos per hunc Psalmum & aliquot sequentes ad intellectum rerum spiritualium adducere voluit Psaltes, introducens loquentem non quemuis Christianum, sed talem qui cùm in hac vita ad charitatis culmen peruenerit, se ad vlteriora extendens, nihil aliud quàm diuini vultus præsentiam ardet, vt eius fruitione suæ dilectionis desiderium exaturet. Diuinæ enim præsentiæ, inquit Augusti- 2. de Trini.
nus, suspirat omnis, qui affectat diligere Deum ex toto corde. Quem Psal- cap. 7.
mum Ecclesia, vt etiam Augustinus notauit, in vigilia Paschæ & Pentecostes solemniter cantat, vt per eum moneat catechumenos, quanto desiderio ad fontem baptismatis anhelare debeant, id tamē per quandam accommodationem. Sic itaque loquitur:

Quemadmodum desiderat ceruus, labore fatigatus & anxietate contractus 1.
ad fontes aquarum, ita.i.tam anhelo & ardenti desiderio *desiderat anima mea ad te Deus*. Sed quia ex his verbis ambiguum relinquitur, quónam vsque desiderium hoc extendatur, num ad diuini vultus præsentiam, an vero ad eam Dei quæ in hac vita haberi potest copiam, subijcitur:

Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum. In his verbis per *Deum*, in- 2.
telligunt Deum Patrem, per *fortem*, Dei Filium, qui est virtus Patris, per *viuum*, Spiritum sanctum, qui omnia viuificat, vt notat Damascenus, vt is Epist. de
qui sicut ceruus desiderat ad Deum, hoc versu expresſius declaret se sitire Trisagio.
ad videndum vultum Sanctæ Trinitatis. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Verba sunt desiderij moram non sustinentis. Qualia sunt & illa: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Quæ dilatio quia tristitiam affert, subdit Psaltes:

Fuerunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte. q. d. panis meus quoti- 3.
dianus, vt loquimur, mihi lachrimæ fuerunt, mihique nihil æquè in promptu fuit ac vsitatum, quam lachrimari, toto huius vitæ tempore, *Dum dicitur mihi quotidie*, ab insultantibus *vbi est Deus tuus*. i. quo signo apparere poterit, Deum quem te colere dicis, Deum verum esse? præsertim cum Deus ne quidem per opem aut protectionem ad pręsentem felicitatem pertinentem, semper præsens sit, quod in argumentum diuini fauoris, aut veræ diuinitatis fieri oportere, animalis homo arbitratur. Duo itaque sunt quæ huic viro desideriorum adferunt tristitiam, vnum est dilatio diuini conspectus: Alterum obscuratio diuinæ gloriæ, quæ apud quosdam tanta est, vt audeant dicere: vbi est Deus tuus? Sed quia tristitia hæc suo non debet carere solatio, subdit Psaltes:

4. *Hæc*, videlicet quod Deus sit fortis viuus atque fons vitæ, *Recordatus sum*, i. absens frequenter ad memoriam meam reuocaui. *& effudi in me*, vel super me *animam meam*. i. omnes vires animę meæ ad interiora reuocans, in internam contemplationem, vel in ea quæ supra me sunt consideranda, effudi. Ob eandem nempe contemplationem dicit Psaltes se animam suam in se effudisse, quia contemplatio animam ab exterioribus ad intima reuocat, & omnes vires suas in obiectum suum effundit, exerit, & intendit. Dicitur etiam animã suam super se effudisse, quia obiectum contemplationis longè supra hominem est. De qua vtraque re Augustinus: Intraui, inquit, interiora mea duce te, & potui, quoniam factus es mihi adiutor. Hoc erat animam suam in se effundere. Addit: Intraui & vidi qualicunq; oculo animæ meæ supra eundem oculum animæ meæ, supra mentem meam lucem Dei inaccessibilem, non hanc vulgarem & conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere, Quæ lux ei dicebat: Cibus sum grandium, cresce & manducabis me. Hoc erat animam suam effundere supra se. In hac autem animæ meæ effusione, *Transibo* mente ac contemplatione *in locum tabernaculi admirabilis*, de quo in Psalmum 14 diximus. *vsque ad domum Dei*. q. d. erigam intentionem mentis meæ ad domum Dei non manufactam, æternam in cælis, quæ est societas beatorum contemplantium, vt describit Aug. delectationẽ Domini, sine vllo defectu egrediendi ad aliud. Transibo autem

7. Confess. cap 10.

12. Confess. cap 11.

5. *In voce exultationis*, qui est iubilus mentis, vel, si Bernardo credimus, animæ contemplantis. *& confessionis*, quæ est vox gratiarum actionis, cui coniunctus est *sonus epulantis*. i. resonãtia internæ hilaritatis ab intus exuberantis. Sed quia hæc contemplatio consolationem non adfert, nisi spes sit huius beatitudinis aliquando potiundæ, adiungit Psaltes:

6. *Quare tristis es anima mea*. i. nimium deiecta, *& quare conturbas me*? per intemperatam tristitiam, pacem animi mei mihi auferens.

7. *Spera in Deo*, & per hanc spem dicito tibimetipsi, *Quoniam adhuc confitebor illi*. i. ego per Dei auxilium ero vnus ex illis, qui in domo Domini confitẽtur illi. Confitebor autem illis tanquam qui sit *salutare vultus mei & Deus meus*. i. confitebor illi videns coram vultu seu facie mea, aut quod idem est, oculo ad oculum, ipsum esse salutare meum. i. præsentis meæ salutis principium. Itaque quod dixit, *Transibo in locum tabernaculi admirabilis*, propositum erat exercendæ contemplationis, vt per eam in hac vita cognosceret quid sibi sperandum esset; Quod vero adiungit, *Confitebor illi*, vox est spei. Fides enim dicit: Parata sunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis, inquit Bern. Dicit spes, Mihi illa seruantur: atque ita per fidem tanquam sperandarum rerum substantiam, atq; per spem tanquam quandam earundem rerum præoccupationem, vir iste desideriorum la-

Ber. ser 10 in psal. 90.

rum lachrimas ſuas nonnihil ſiſtit, mœroremq́ue ſolatur. Monet enim Apoſtolus vt ſimus ſpe gaudentes. Poſt quæ reddit Pſaltes cauſam, ex qua in hac vita anima noſtra conturbatur, dicitque:

Ad memetipſum anima mea conturbata eſt. i. anima mea cùm ſe conuertit 8.
ad ſemetipſam, nihil ibi inuenit niſi inquietudinis & turbationis materiam. Bene enim dicit Auguſtinus: Malè eſt mihi præter te Domine, non ſolum 13. cōf c 8.
extra me, ſed etiam in memeipſo. Cui conſentit Bernardus in fine Sermonis de verbis Abacuc, Super cuſtodiam meā ſtabo. Et quia anima nec quidem ſibimetipſi requiem adferre poteſt, *propterea,* inquit Deo, *memor ero tui.* i. ad te ſuſpiciam, animumq́ue meum ad te erigam *de terra Iordanis.* i. ab initio mei baptiſmatis *& Hermonij.* Hermonium ſiue Hermon mons eſt trans Iordanem, vt manifeſtum eſt ex Deuteronomio. Fuerunt autem duo montes huius nominis, vnus altior, alter humilior. Hic autem Propheta ad humiliorem reſpicit, ideo & dicit, *à monte modico.* q. d. à terra illius Hermonij, qui minor eſt. Senſus itaque eſt. Nō ſolum ab initio ſuſcepti baptiſmatis, verum etiam cùm ad altitudinē aliquam iuſtitiæ profecero, quam mons Hermon (qui herboſus & fertilis in bonum ſemper ſumitur) ſignificat, memor ero tui, vt conuertā me ad te, vt tui participatione deſinam eſſe mihimetipſi grauis. In nullo enim Chriſtianæ vitæ gradu aut profectu, anima hominis ad ſemetipſam conuerſa, aliud ſibi quàm onus & inquietudinem adfert. Comparatur autem profectus Chriſtiani Hermonio modico, quia omnis profectus Chriſtiani hominis reſiduo ſuo, ne dicā termino ſuo comparatus, paruus eſt & modicus. Sed quia vt anima Dei memor ſit, ſcripturarum ſanctarum eget adminiculo, & ipſæ ſcripturæ, vt ſolidam quandam Dei notitiam præbeant inter ſe conferri, & vna ex alia debet intelligi, ideo ſubijcit Pſaltes:

Cap. 4. Marianus Victorius in tab. Hie. voce Hermon.

Abyſſus abyſſum inuocat, in voce cataractarum tuarum. i. inquit Am- 9.
broſius, Scriptura veteris teſtamenti, noui teſtamenti aduocat ſeriem, ad conſummationem ſanctificationis & plenitudinem gratiæ, ſonitu quodam & profluuio redundantiæ ſpiritualis. Quia, vt docuit Athanaſius, ſicut noua veteribus comprobantur, ita vetera nouis illuſtrantur. Eodem modo hunc verſiculum & Leo intellexit, dicens: *Abyſſus abyſſum, &c.* quia ad enarrandam gloriam gratiæ Dei, paribus ſibi vocibus vtriuſque teſtamenti altitudo reſpondit.

In pſal. 35 Cui cōſentit Hieron. epiſt. 150. in proœmio Atha ſer. 1 cō. Arrian. Leo Ser. 9. de paßione.

Omnia excelſa tua. i. ſublimia quæ de te credi debent, *& fluctus tui,* 10.
i. minæ ſuppliciorum à te interminatorum *ſuper me tranſierunt,* quia per ſcripturarum varietatem, hæc viciſsim homini panduntur.

In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam. i. mandauit, ne tempore 17.
proſperitatis miſericordiam Dei in vanum accipiatis *& nocte.* i. tempore

aduersitatis *canticum eius*. quia ne quidem in aduersitate à gratiarum actione, quam significat canticum, cessare oportet.

12. *Apud me oratio Deo vitæ meæ*. q. d. ad orationem Deo faciendam non oportet maria peragrare, nec longinquas regiones petere, oratio enim Deo offerenda est *apud me*. i. in corde meo, quasi in quodam promptuario reposita esse debet. Similis est locus apud Apostolum: Prope est verbum in ore tuo, quia, inquit Leo, Deus nihil extra nos quærit. Cùm ergo oratio in promptu sit, *dicam* inquit *Deo* per experientiam præteritorum & spem futurorum, *susceptor meus es*.

Leo, serm. de Martyr.

13. *Quare oblitus es mei?* differendo liberationem à malis, *& quare contristatus incedo dum affligit me inimicus?* Interrogatio est cuius rei causam subijciens dicit:

14. *Dum confringuntur ossa mea*. i. dum fortiores in corpore Ecclesię, cuius ego membrum sum, per tentationem à iustitia & fide excidunt; *exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei*.

15. *Dum dicunt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus?* q. dicant, ex eo quod tam multos ex vobis ad nostrum consortium transire facimus, manifestum est quod Deus non sit Deus tuus, nec curam tui gerat. Sed quamuis Deus hæc permittat, *quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* est enim tibi in tantis malis solatium, hoc nempe,

16. *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus*. certa ergo spes futurorum sit subleuamen præsentium malorum.

PSALMVS XLII.

Psalmus Dauid.

1. IVdica me Deus & discerne causam meã de gente non sancta. Diuus Augustinus accõmodat hanc orationem martyribus vel Ecclesiæ ratione martyrum, qui quandoquidem pœnâ non diuidũtur à sceleratis, orant, vel eorum causâ Dei orat Ecclesia, vt Deo operante manifestetur communis pœnæ causa esse diuersa, faciatque diuersitas causarum discretionem passionum, ne aut martyres reputentur cum sceleratis, aut hæretici atque schismatici, qui pro meritis suis patiuntur, censeantur cum martyribus; eo quod martyrem non pœna faciat sed causa. Sensus tamen quem Psalmi contextus ex proposito requirit est iste. *Iudica me Deus*, extremo tuo & vniuersali iudicio, *& discerne causam meam*. Nomen causæ hic sumitur provt in foro litigioso, vbi cõtrouersiæ & quæstiones negotiaque dubia ad iudicium tribunalis relata, causæ appellantur. *Discerne* ergò *causam meam de gente non sancta*. i. de vita & conuersatione mea vbi fuerit

Epist. 50. & alibi cõ. Donatistas.

coram tribunali tuo producta, aliam ferto sententiam, quam dicturus es de vita & conuersatione gentis non sanctæ, & tum simul *Ab homine iniquo & doloso*. i. ab iniquorum hominũ & dolosorum consortio ac permixtione, *erue me*, facta perpetua malorum à bonis separatione.

Quia tu es Deus fortitudo mea. i. te pro me iudicante, validissime supe-rior efficiar, cum in hac vita causa sanctorum raro tantæ virtutis sit tantæ-que euidentiæ, vt nõ cum causa iniquorum idem iudicium subeat, eandem-que censuram, præsertim cum sint iusti quibus mala proueniant, quasi ope-ra egerint impiorum. Qua de re ex humana infirmitate nõnihil querelæ de-promens, dicit Psaltes. *Quare me repulisti* à clara testificatione iudicij de me tui in præsenti vita. Quam querelam mox corrigens subdit: *quare tri-stis*. i. tristitia nimia deiectus, *incedo dum affligit* me quasi impium, *inimi-cus*. vt enim illa res me magnopere non contristet; obsecro Domine 2.

Emitte lucem tuam & veritatem tuam. Diuus Cyrillus per hæc, Ver-bum siue filium Dei intelligit, cuius his verbis dicit inuocari aduentum in carnem; Sed cum inuocatio illius aduentus, huic loco importuna sit; con-uenieter quidem hoc loco per *lucem & veritatem* intelligimus Christum, sic tamen vt hic imploretur emitti ad iudicium extremum, vt tanquam lux vera veniat & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cor-dium, atque vt ipse, tanquam qui sit fidelis, vt habet Apocalypsis, & verus, iudicet orbem in veritate & æquitate sua. Et sit tum vnicuique iusto, qui hæc orat irrefragabilis & non dubia nec vana laus à Deo. Sed qua re fretus audet iustus hoc petere, cum soleant homines illius diei discussionem tre-mere, vt canit Ecclesia, & timere? *Ipsa* lux scilicet & veritas tua, *me de-duxerunt*. i. hucusque conuersationem meam direxerunt, atque adeo fece-runt me in luce ambulare seu progredi & proficere atque facere veritatem. Imo vt, quod spero & spe iam apprehendo, dicam, *Ipsa me* per donum per-seuerantiæ *adduxerunt*. i. vt spero adductura sunt. *In montem sanctum tuum & in tabernacula tua*. de quibus in Psalmum 14. diximus. Quæ cum mihi probabiliter cognita, & vt sperandum est euentura sint, Opto emitti *lu-cem tuam & veritatem tuam*, omnis enim qui facit veritatem, venit ad lu-cem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Scriptum est qui-dem: Væ desiderantibus diem Domini, sed id illis qui vt hominibus iusti appareant, solent expetere diem iudicij, inquit Diuus Hieronymus, Et illis qui arbitrantur iniquè quod in die iudicij Deus erit similis illis, de quibus in Psalmum 49. sumus dicturi. Denique illis viris illusoribus qui apud Isaiam dicunt: Percussimus fœdus cum morte, cum inferno feci-mus pactum. Cùm verò in montem sanctum Dei atque in tabernacula eius ductus fuero,

3. 1 in Ioan. ca. 2. & 8.

Intro-

4. *Introibo* ſimul *ad altare Dei*, quod iuxta Dionyſium & Ambroſium Chriſtus eſt, quia ad eum nunc noſtræ preces & ſatisfactiones diriguntur, vt per eum Deo Patri offerantur, & in futura vita tota redempta ciuitas per ipſum offeret Deo ſacrificium laudis. Cùm ergo vnuſquiſque ſanctorum adductus fuerit ad montẽ Domini ſanctum, tum ſimul ingredietur ad Chriſtum vt videant oculi eius Regem in decore ſuo, eiúſque beata præſentia fruantur. *Ad Deum* ſcilicet, introibo, nam non ſolùm Chriſtum, ſed etiam Dei eſſentiam videbunt ſancti in beatitudine. *Qui lætificat iuuentutem meam.* q. d. Deum inquam, qui cum ingenti lætitia, quam prius fecerat vetuſtam pellem & carnem meam, per reſurrectionem iuuentæ immarceſcibili ac immortalitati reſtituet. Itaque in his verbis Pſaltes omnia expreſsit, quę ad plenam beatitudinem pertinebunt. Mons enim de quo dixit, ſignificat gloriæ ſublimitatem; Tabernaculum, ſocietatem ſanctorum, Altare Chriſtum, ſecundarium beatitudinis obiectũ. De quo in Pſalmo 26. diximus. Deus eſt obiectum primarium beatitudinis; Lætificatio iuuentutis ſignificat reſurrectionem. Hic autem verſiculus dicitur à Sacerdotibus altare Eccleſiæ conſcenſuris per quandam accommodationem. Accedunt enim Sacerdotes in hac vita altare Dei, viſibile corpus Domini immolaturi: Accedunt quoque ad Deum cui ſacrificaturi ſunt, vt accipiant hic nouitatem ſpiritus, aut eius renouationem; Periculoſum enim eſt ei ad altare Dei introire, qui non eſt idoneus hic accipere ſpiritus renouationẽ, & poſtmodum totius hominis nouitatem. In monte autem & tabernaculo eius quid ô homo Dei facturus es?

Dion eccle. hierar. c. 4. Amb in pſ. 118. ſer. 1.

In hũc ſenſum hoc ver. vtitur Amb. 2. de virg.

5. *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus.* i. ea mentis iubilatione quæ futuræ vitæ competit, & in Apocalypſi per citharam nobis frequenter inſinuatur. Audiui, inquit, vocem citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Quæ cum ita ſint, & non fallaci teſtimonio conſcientiæ tuæ hæc tibi euentura ſperes; *quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?*

6. *Spera in Deo.* Hæc quæ recenſui, tibi per gratiam Dei obuentura, eiuſque aduentus expectatione temetipſam conſolare. *quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei & Deus meus.* vt ſupra.

PSALMVS XLIII.

In finem pro filiis Core ad intellectum.

Ambroſ. in hunc locũ.

TAmetſi filij Core ianitores fuerint vt diximus, notat tamẽ D. Ambroſius, eos etiam pſallendi munus obiuiſſe. Itaque hic Pſalmus eis inſcribitur, quia eis peculiariter traditus fuit decantandus. In quo prius enarratur auxilium Dei quod populo veteri præſentiſsimè adfuit cùm terram promiſsionis ingrederetur poſsidendam, vt ex illius beneficij

comme-

commemoratione tristior reddatur subiuncta nænia, deplorans infelicitatem qua postmodum populus ille à diuina ope pro suis meritis desertus, ab Assyrijs, vt putat Ambrosius, vel ab Antiocho rege, aliisque inimicis variis cladibus afflictus est & attritus. Cùm autem primus huius Psalmi intellectus (Ambrosio teste) debeat esse literalis, atque conuenire Israeli secundum carnem, scribitur tamen *ad intellectum*, quia illa quæ hic describuntur euenisse Iudaico populo, intelligi debent etiam de illis cladibus quas patiuntur Christiani, cùm pro suis meritis diuina protectione destituti, manibus Turcarum, hæreticorum, atque aliorum infidelium traduntur affligendi. Et quandoquidem in omni huiusmodi publica calamitate populi fidelis, tam ante quàm post Christi aduentum semper aliqui supersunt, qui in timore Domini perseuerant, ideo eorum voce atque oratione, Psalmus totus concluditur, qui sic habet:

Deus auribus nostris audiuimus, *Patres nostri annuntiauerunt nobis*, 1.
per scripturas sacras & rerum suo tempore gestarum historias. narrauerunt autem

Opus quod operatus es in diebus eorum, *& in diebus antiquis*, cùm edu- 2.
ceres populum tuum de terra Ægypti. Quid autem illud est?

Manus tua. i. potentia tua, *gentes*, terræ Chanaan incolas *disperdidit*. 3.
i. per varias clades internecioni tradidit, *& plantasti eos*. i. populum Iudaicum in terra Chanaan plãtasti, vt in ea tanquam vinea Domini Sabaoth vuas faceret & non labruscas. *afflixisti populos* quosdam scilicet Chananæorum, idque per crabrones aut vespas, vt testatur Exodi caput 23. & Sapientiæ cap. 12. i. vt interpretatur Augustinus, per timoris aculeos, vt q. 93. in fugerent & terræ possessionem filijs Israel cederent. Ad quam rem insi- Exod.
nuandam subijcitur: *& expulisti eos*.

Nec enim in gladio suo. i. gladij potestate *posséderunt*, filij Israel *terram* 4.
Chanaan, *& brachium*. i. robur *eorum non saluauit eos*, scilicet ab hostium vnanimiter collectorum & fortiorum impetu.

Sed dextera tua & brachium tuũ, *& illuminatio vultus tui*. i. manifestatio 5.
præsentiæ tuę, quam in Arca ostẽdebas, vt patet in Iericho. *quoniam cõplacuisti in eis*. i. non eorum merito hæc eis fecisti, sed quia beneplacitum tibi fuit benefacere eis. Hæc ergo de auxilijs quæ præstitit Deus Israeli, cum introduceret eum in terram Chanaan, post quæ transit Psaltes & refert auxilia, quæ Deus eidem præstitit, cum iam Palæstinam inhabitaret, de quibus sic dicit:

Tu es ipse Rex meus & Deus meus. i. tu in operibus tuis idem ipse es 6.
ac tui similis, *qui mandas salutes Iacob*. i. mandato tuo promoues ac conseruas temporalem salutem ac prosperitatem filiorum Iacob iam in terra

Chanaan plantatorum ſicut eum mandato tuo ad eam introduxiſti. Quod vt per exempla clarum ſit, ſubditur.

7. *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu*, quod impletum eſt cùm Dauid ad regnum promotus expugnauit inimicos Iſrael in circuitu. Cornibus enim ventilare eſt huc illucque diſpergere, cui ſimile eſt ex omni parte aduerſarium, proſternere vel debellare. *Et in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos*. Hoc manifeſtè factum eſt cùm Dauid de Philiſthæo dixit,
1. Reg. 17. Quis eſt iſte Philiſthęus incircumciſus qui exprobrauit exercitui Dei viuẽtis? Hoc enim quid aliud erat, quam inſurgẽtem in Iſrael Philiſthæum ſpernere: idque in nomine Domini? dicebat enim Dauid, Tu venis ad me cum baculo, ego venio ad te in nomine Domini agminum Iſrael. Et vt credibilius ſit Pſaltem, cum hæc dicit, inter cætera ad hoc ſuum factum reſpicere ſubdit in numero ſingulari.

8. *Nec enim in gladio meo ſperabo, & arcus meus non ſaluabit me.* ac ſi di-
1. Reg. 17. ceret, Dico *in nomine tuo*, nam & ego arma Saul, quibus prius eram accinctus depoſui, nullam ab eis expectans ſalutem.

9. *Saluaſti enim nos ex affligentibus nos*, Videtur reſpicere ad victoriam
1. Reg. 14. quam Ionathas miraculoſè conſecutus eſt, ante hanc enim dicitur populus fuiſſe afflictus & exercitus Iſrael in arcto poſitus. Nec enim neceſſe eſt hæc hic eo quo geſta ſunt referri ordine, quando enim de laudibus Dei agitur, non oportet ordinem requirere, inquit Hieronymus, *& odientes nos con-*
2. Reg. 5. *fudiſti*. Hoc factum videtur cum Dauid expulit cæcos & claudos odientes animam Dauid.

10. *In Deo laudabimur tota die.* omnis enim ſermo populi laudabit & beatum prædicabit Iſraelem in eo quod Dominus his modis cum eo ſit. Quarum laudum formulam, ſepoſita tamen altiore intelligentia, Moyſes præſcripſit cùm diceret: Beatus es tu Iſrael: Quis ſimilis tui popule, qui ſal-
Deuter. 33. uaris in Domino? Scutum auxilij tui & gladius gloriæ tuæ, *& in nomine tuo*, ſiue vt alij legunt, *nomen tuum confitebimur*. confeſsione gratiarum actionis, *in ſæculum*. i. per multas annorum centurias, quibus hæc noſtra perdurabit felicitas. Et hæc quidem de felicitate Iſraelis iam Palæſtinam ingreſsi ſic ſunt ad literam deſcripta, vt ſint per allegoriam dicta, de ſpirituali adiutorio Dei, quo Eccleſia & Dei præcones hoſtes euangelij à principio ſuperauerunt. qui ſic dicunt. *In te inimicos noſtros ventilabimus*
Cyp. l. 2 & Tertu. c. 10 aduer Iud. *cornu*. i. In virtute crucis Chriſti, (cuius extrema Cypria. & Tertull. cornua dicuntur; ob quam & ipſe Chriſtus dicitur habere cornua rhinocerotis & in illis diſsipaturus gentes) diſsipabimus vndique gentium infidelitatem. *&*
2. Cor. 10. *in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos*. Quia arma noſtra ſunt potentia Deo ad deſtructionem munitionum & omnis altitudinis extollentis ſe aduer-

aduerſus ſcientiã Dei. *Nec enim in gladio meo*.i.oris mei, *ſperabo* &c. quia nemo euangelizantium in ſua eloquentia aut virtute confiſus eſt. *Saluaſti enim nos ex affligentibus nos*. i. ſalutem nobis reportare feciſti de illis qui prius nos afflixerant *& odientes nos confudiſti*, confuſione quę adducit gratiam & gloriam, cum eos odij priſtini pœnitentia donaſti. *In Deo laudabimur tota die*: Dicentes non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. *& in nomine tuo confitebimur in ſæcula*, quia dicemus: Benedictus Dominus die quotidie, proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum. Hæc ergo de felicitate temporali Iſrael, & ſpirituali eccleſiæ. Poſt hæc vero quid?

Nunc autem, hoc ſcilicet aduerſitatis tempore & præcipuæ Babilonicæ 11.
captiuitatis ac tempore Regis Antiochi. *Repuliſti nos & confudiſti nos*. Repulit Dominus Iſrael ſecundum carnem. In primis, cum aliquãdo in rebus turbatis eum conſuleret. Manifeſtiſsimè id apparet Ezech. 20. vbi dicit Ezechiel, Venerunt viri de Senioribus Iſrael & ſederunt coram me. Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens. Fili hominis loquere ſenioribus Iſrael. Nunquid ad interrogandum vos veniſtis? viuo ego quia non reſpondebo vobis. Repulit etiam preces eorum cum etiam Ieremię dixit: Tu noli Ierem. 15.
orare pro populo hoc, neque aſſumas pro eis laudem quia non exaudiam te. Et alibi ſubinde confudit eos; Cùm mandauit Ezechieli vt oraculi loco oſtenderet eis iniquitatem patrum eius. Et Ierem. 13. Ego denudaui fœmora tua ante faciem tuam, & apparuit ignominia tua, adulteria tua, ſcelus fornicationis tuæ. Confudit quoque eos quando præter ſpem & morem ab hoſtibus turpiter victi ſunt. *& non egredieris Deus in virtutibus noſtris*. i. non dabis victoriam ne quidem maximis & potentiſsimis exercitibus noſtris. Poſtquam enim Iſrael peccauit Domino, vnus hoſtium fugauit mille, & duo decem millia. Deute. 32.

Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros, quia eis nos ſeruire feci- 12.
ſti, ſicut minatus eras: Ipſe erit in caput, tu in caudam. *& qui oderunt nos* Deute. 29.
diripiebant ſibi. De qua re & Iſaias: Quis dedit in direptionem Iacob & Iſrael vaſtantibus?

Dediſti nos tanquam oues eſcarum. i. dediſti nos hoſtibus tanta animi ſe- 13.
curitate conſumendos, ac ſi ad hoc eſſemus naturâ comparati, *& in gentibus* per diuerſas captiuitates *diſperſiſti nos*. Vnde autem populo huic mala hæc? Ex ipſo populo, Sequitur enim:

Vendidiſti populum tuum. Pulchrè notat Ambroſius id fere vendi quod 14.
poſſeſſori ſuo amplius inutile eſt. Dicit ergo, *Vendidiſti populum tuum*. tanquam ob ſterilitatẽ & impietatem in poſterũ tibi inutilem, *ſine pretio*, quia propter peccata, rem nullius pretij, eum abieciſti. Sicut ſcriptum eſt:

Ecce in iniquitatibus veſtris vēditi eſtis. Quæ negotiatio dicitur venditio, quia cum Iſrael propter ſua peccata in poteſtatem hoſtium ſit tranſlatus, fuit in ea tranſlatione ratio iuſtitiæ commutatiuæ. Quæ tamen dicitur facta ſine pretio, quia id ob quod Iſrael in poteſtatem hoſtium iuſtè deuenit, nullius eſt præſtantiæ ſiue pretij. Venit enim in poteſtatem hoſtium propter peccata, *& non fuit multitudo in commutationibus eorum*. i. non fuerunt multi quibus hæc pœna in bonū commutata eſt, ſiue profuit in emendationem; ita vt hic non multiplicaueris lætitiam ſeu iubilationem. Pro *commutationibus* enim alij legunt *Iubilationibus* ſiue hymnis.

15. *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſionem*
Threnorū 1 *his qui in circuitu noſtro ſunt*, quando impletum eſt quod dixit Ieremias, viderunt eam hoſtes & deriſerunt ſabbatha eius.

16. *Poſuiſti nos in ſimilitudinem*. i. parabolam ſiue fabulam *gentibus*, *commotionem capitis in populis*. Mouere caput erat ſubſannantium, vt patuit
37. cap. Chriſto crucifixo, & in Senacherib de quo Iſaias: Deſpexit te & ſubſannauit te virgo filia Sion, poſt te mouit caput filia Hieruſalem.

17. *Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me*. i. verecundia & confuſione perfuſus ſum.

18. *A voce exprobrantis & obloquentis*. Quid quæſo exprobrantis, nunquid cultum veræ religionis? nequaquam, ſi enim exprobramini propter Deum, beati. Sed à voce exprobrantis conſcia peccata quæ vna cum religione, & in ipſo religionis cultu commiſimus, & non poteramus negare.
Iſaiæ 3. Agnitio enim vultus noſtri, vt inquit Iſaias, reſpondebat nobis, quia vultus noſter etiam negantibus nobis, exprobrantibus fuiſſet atteſtatus. De hac
Cap. 36. exprobratione Ezechiel: Ingreſsi ſunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen ſanctum meū, cùm per ironiam diceretur eis: Populus Domini iſte eſt, & de terra eius egreſsi ſunt. Cōfuſio etiā faciei meæ cooperuit me, *à facie inimici & perſequētis*, quia nobis conſciū erat cor noſtrum nos aduerſa iſta pro peccatis noſtris pati, & nos per illa peccatorū noſtrorū pœnas dare. Quæ omnia etiā Chriſtianis cōueniunt in nouo teſtamento in poteſtatē hæreticorum redactis. nam & illi dicunt: *Nunc autē*. i. hoc tēpore quo abūdauit iniquitas, *repuliſti & confudiſti nos*, quia cum in eo glorificari ſoleamus, vt olim dicebat Moyſes, quod tu Domine eſſes in medio noſtri, & adeſſes cunctis obſecrationibus noſtris, nunc à te, ad te etiam cōuerſi, repulſam patimur, quia aut non rectè conuertimur, aut præponderant iniquitates noſtræ noſtris precibus, quo minus quod pro aliorum ſalute æterna aut noſtra temporali petimus, impetremus. In eo ergo confundis nos, quia confunditur, cuius oratio (præſertim pro ſuis demeritis) re-
3. Rég. 1. pellitur. Quod non ignorabat Bethſabee cùm diceret filio ſuo Regi: Petitionem

tionem vnam paruulam peto à te, nō confundas faciem meam. *& non egredieris Deus in virtutibus nostris.* i. non cooperaberis neque optatum successum vel euentum dabis spirituali nostræ militiæ, quam exercemus aduersus hostes iustitiæ, cuius arma sunt, disputationes, conciones, orationes, reformationes & similia; nec militiæ nostræ externæ, cùm videlicet principes nostri armis & exercitibus suis fidei & disciplinæ sacræ integritatem defendere aut vindicare moliuntur. *Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, quia tam illi qui Ecclesiæ fidem, quàm qui eius disciplinam oderunt, audacia, fauore, numero & rerum successibus potiores obtinent, eisque succumbimus. *Et qui oderunt nos*, ijdem scilicet *diripiebant sibi.* Alij enim ab Ecclesia rapiunt, & ad se transferunt ecclesiasticam authoritatem. alij opes eius in suos vsus conuertunt, alij alia. Et hæc quidem mala obueniunt Ecclesiæ ex parte inimicorum. Nunc audiamus quænam eidem accidant ex parte infirmorum & instabilium membrorū eius; Inter quæ primum est, *Dedisti nos* permittendo, idque quoad maiorem nostri partem, *tanquam oues escarum.* i. hostibus fidei atque iustitiæ tam facili negotio deuorandos tradidisti, ac si ad talem deuorationem sustinendam à natura essemus comparati, sicut oues escarum commestioni hominū. Tum autem Christiani ab hostibus religionis deuorantur, cùm corpori hæreticorum aut malignantium consensu suo vel cooperationis voluntariæ consortio inseruntur, & sub obedientia diabolici capitis vno perfidiæ spiritu viuunt. *& in gentibus dispersisti nos.* i. in varios gentilium mores, variaque studia earum rerum quas gentes inquirunt, ab vnanimitate fidei atque ecclesiasticæ fraternitatis permittendo ac deserendo nos distraxisti. *Vendidisti.* i. pro meritis priorum peccatorum in alieni domini, (de quibus scriptum est: Domine possederunt nos domini absque te) potestatem transtulisti *populum tuum sine pretio*, quia pro peccatis, vt dictum est, *& nō fuit multitudo in commutationibus eius.* i. si aliqui ex hac venditione in melius commutati sunt, illi tam pauci sunt vt multitudini eorum qui sine pretio venditi sunt, non sint comparandi. Cùm itaque scripturæ sacræ dicūt quosdam venundatos vt facerent malum in conspectu Domini, intelligendum est eos pro meritis priorum peccatorum suorum à Deo desertos esse, & inde consecutum, vt à Deo deserti sua sponte in peiora mala inciderent. Deus enim peccatores in grauiora peccata non cogit nec præcipitat, sed dignos deseri, inquit Augustinus, tantum deserit, deserti autem à luce iustitiæ quid pariant, nisi opera tenebrarum? *Posuisti nos in opprobrium vicinis nostris.* i. ijs qui vndique circa nos sunt. *Subsannationem & derisum his qui sunt in circuitu nostro*, quia cum sacra nostra, quæ sunt potestates Ecclesiæ, sacramēta, officia diuina, non ea qua oportet religione, integritate,

Isaie 26.

De nat. & grat. ca. 23

iudicio & fructu, siue à præsidentibus, siue à populis tractantur, administrantur, suscipiuntur, tam sacra ipsa, quàm illi qui eis vtuntur, ab hostibus
Thren. 2. ludibrio habentur, ita vt hic repeti possit, quod ex Ieremia paulo ante diximus; Viderũt eam. i. mores eius quos habet in sacris, hostes, & deriserunt sabbatha eius. *Posuisti nos in similitudinem gentibus*, quia illi qui gentiliter viuunt, doctrinam & ritus nostræ religionis sibi in parabolas, iocos, dicteria, sales, maledictiones, aliaque verborum ludibria & improperia atque execramenta conuertunt. *commotionem capitis in populis*, commotio capitis gestus est deridentis. Per quam significatur quod hostes Ecclesiæ præter dicteria etiam gestibus, actionibusque mimicis sancta Ecclesiæ derideant. *Tota die*. i. sine intermissione, *verecundia mea contra me est*, quia verentur Ecclesiæ constantes filij, aut fidei suæ rerumque ecclesiasticarum vel mentionem facere, aut aliquid suæ religionis exercere, ne ista ratione prouocent petulantiam gentilium & hæreticorum, *& confusio faciei meæ cooperuit me*. i. pudore abundantissimè suffusus sum. Dicuntur autem hæc quæ multis communia sunt in numero singulari, quia omnes Ecclesiæ filij hæc vno ore deplorant. vnde autem hæc confusio? *A voce exprobrantis*, impietatem scilicet hypocrisim, amorem sui, fraudes, superstitiones, aliaque vitia, quæ priusquam hæretici discessionem ab Ecclesia facerent, in Ecclesia tanta manifestatione impunè grassata fuerunt, vt cùm audientes hæc conscij sibi sint non superesse vllum locum negationi aut excusationi, succumbant confusioni *& obloquentis*. i. in hæc vitia in omni conuentu, commeatu, congressu, conuiuio, indesinenter inuehentis. Similiter & dicta verecundia oritur *à facie inimici & persequentis*, quia timent fideles quidpiam suæ religionis proferre aut exercere, ne id faciendo infidelium furorem aut saltem obloquendi petulantiam prouocent.

19. *Hæc omnia*. Nunc finito ploratu illi qui in aduersitatibus tam veteris quàm noui testamenti tempore in timore Domini perseuerant, de semetipsis sermonem inferunt & dicunt. *Hæc omnia*. q. d. tanta mala *venerunt super nos, nec obliti sumus te*. i. non deposuimus memoriam iustitiæ & iudicij tui, bonitatis tuæ, acceptorumque à te beneficiorum, bonique gustus quem aliquando percepimns ex doctrina & Ecclesiæ Sacramentis. Hinc autem prouenit quod sequitur *& iniquè non egimus in testamento tuo*. i. inter tanta mala nihil cõtra pacta & legem tuam externo opere commisimus. In-
Tobiæ 1. ter quos annumerari debet Tobias, qui in captiuitate positus, legem Dei non dereliquit, pergens in Ierusalem ad templum Domini eique omnia primitiua sua & decimas fideliter offerens, &c.

20. *Et non recessit retro cor nostrum*. i. nec quidem intus, vbi nemo præter te videt recessimus ab eo, quod primitus nobis traditum est sancto man-

dato,

dato, *& declinasti semitas nostras.* i. semitas fidei & pristinæ obseruantiæ quas nos pauci & quasi palantes ambulamus. Has inquam, *declinasti à via tua*, quia eas ab infestatione hostili tuitus non es. Idque,

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis. i. permisisti nos varijs afflictionibus subijci atque deijci, ac de solito splendore & auctoritate deturbari, *& cooperuit nos vmbra mortis.* i. ita latitamus, ac si omnes extincti essemus & mortui. In has autem latebras forinsecus detrusis, quandoquidem magna tentatio exoritur recedendi à Deo viuo, eo quod foris non sit qui instruat, corripiat, arguat, aut quem vereantur; Ideo contra hanc tentationem valde periculosam, ne ab ea superentur sequentibus verbis se corroborant & sibimetipsis dicunt. 21.

Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deū alienum. i. si ad infidelitatem relicta auita patrum nostrorum religione, transeuntes, ei manum dederimus. Proprijssimè autem hic versiculus conueniet Christianis, qui inter iniquos latebunt tempore Antichristi. Ille enim, vt docet Daniel, relinquet Deum patrum suorum & ad cultum alieni Dei omnes traducere conabitur. 22.

Nonne Deus requiret. i. suo tempore vindicabit *ista.* i. hanc discessionē, etiamsi eam homo in præsenti tempore non puniat aut improbet? q.d. Imo vindicabit. *Ipse enim nouit abscondita cordis*, multo minùs expansio manuum ad Deum alienum abscondita manebit ab oculis eius & inulta. *Quoniam propter te.* i. tui causa, quia tibi fide & charitate adhæremus, *mortificamur tota die.* i. varijs mortium & cruciatuum generibus conficimur. In hunc enim sensum, hunc versum citat Apostolus: Æstimati sumus sicut oues occisionis. i. tanquam morti destinati, & ideo sine commiseratione occidimur. Tandem næniam hanc inuocatione concludunt, & dicunt: 23. Rom. 8.

Exurge quare obdormis Domine? Dionysius Areop. dicit diuinum somnum esse Dei secretionem ab ijs quæ prouidentia gubernantur, & communitatis priuationem. Vigiliam autem prouidendi ijs qui institutionis & salutis indigent attentionem: dicunt itaque, *Exurge* in auxilium scilicet *quare obdormis Domine?* i. auxilium prouidentiæ tuæ à nobis secludis? *exurge ne repellas* nos ab auxilio tuo *in finem* mundi, qui erit dies iudicij. Certi enim sunt, se in illo die ab omni infestatione inimicorum liberādos. 24. In fine epi. ad Titum.

Quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ? Quid? verba hæc videntur potius murmurationem, iurgium atque querelam exponere quàm orationem. Id quidem (quantumuis verba & in alium sensum accipi possint) arbitror non negandum esse, sed potius animaduertendum huiusmodi orationes quæ sunt in Scripturis admodum frequentes, esse orationes infirmorum. Vt enim sanctissimè docuit Cyrillus, mode-

3. in Ioan. cap. 34. Modesta oratio est perfectorum, cui, inquit, exæquatur imbecillium ac infirmorum murmuratio & obiurgatio. hanc enim nullo modo Saluator molestè fert: nam quemadmodum ploratu necessaria sibi alimenta infantes flagitant, & hoc modo mater ad fouendos filios suos prouocatur, sic conquestuosus obiurgationisque plenus clamor ad Deum (si ab infirmis adhuc & infantibus in habitu virtutis fit) petitionis locũ retinet. Hæc Cyrillus. Quæ auté sit inopia & tribulatio de qua dicunt, explicatur in hoc quod sequitur:

25. *Quoniam humiliata est in puluere anima nostra.* i. quia in his aduersitatibus, qui inter nos sunt animales, i. medij vt docet Ambro. inter spirituales siue perfectos, & carnales qui nihil nisi terrena sapiunt, hi inquam animales puluere multo peccatorũ non manifestè mortiferorum, ex conuersatione cum infidelibus & iustitiæ inimicis consperſi sunt, & à pristina religionis perfectione ac obseruantia multum deiecti; & hæc est inopia nostra, quam deploramus. *conglutinatus est in terra venter noster.* i. qui inter nos carnales sunt, omni penè salutis cura seposita, toto animo secularia sectantur. Et hæc est causa tribulationis nostræ. Hanc interpretationem confirmat Ambrosius in hæc verba; Homines qui terrena sapiunt, nec interiore affectu eriguntur ad cælum, videntur vtero reptare per terram: vtique ventrem animæ nostræ nõ corruptibilibus huius sæculi implere, sed magis Dei verbo satiare debemus. Bene igitur Dauid personam suscipiens Adæ dicit: *adhæsit in terra venter noster.* adhæret enim, dum configuratur serpenti, qui pascitur iniquitate aliena. Hæc Amb. Quæ cum ita sint & valde miseranda.

(Marginal notes: 1. de Cain & Abel, cap. 10. — Cap. 15. de parad.)

26. *Exurge Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.*

PSALMVS XLIIII.

In finem pro ijs qui commutabuntur filijs Core ad intellectum, canticum pro dilecto.

PEr eos qui commutabuntur intelligendi sunt Christiani, quibus commutatio competit ab initio suæ vocationis vsque ad finem. A principio enim mutari debent ex malo in bonũ. Deinde, de minori bono in melius. Denique ex bono prouectiore ad perfectum, & ex morte ad immortalitatem. Ideo autem istis his Psalmus inscribitur, quia in eo canitur Dominica incarnatio, è qua omnis Christianorum mutatio oritur. Est hic & canticum pro dilecto qui est Christus, Filius Patris dilectus, quia cum quadam mentis iubilatione, sermonisque festiuitate hîc describitur epithalamium, seu carmen nuptiale in coniunctionem Christi & Ecclesiæ.

1. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Multi ex veteribus, & in primis Atha-

Athanaſius contra Arrianos pluribus locis intelligunt hęc verba per Pſaltem dici, ex perſona Dei Patris, eiſque deſcribi productionem æterni Verbi à ſuo principio; Et quidem rectè, quia illam productionem deſcribunt admodum conuenienter, propriè, paucis & plenè. Cor enim conuenienter deſignat principium ex quo producitur verbum, quia tametſi, vt notauit Ambroſius: Vterus, vulua, cor, os & ſimilia quæ Deo metaphoricè tribuũtur, omnia in Deo vnum ſint, tamen proceſsio filij Dei cum deſcribitur vt proceſsio verbi, conuenientius nobis hominibus deſcribitur tanquam ex corde prodire, ſicut quando eadem deſcribitur tanquam proceſsio filij, conuenienter deſcribitur prodire ex vtero, quia apud homines verbum exit ex corde, filius naturalis genuinus & conſubſtantialis ex vtero. Dignatur autẽ Deus, vt docuit D. Auguſtinus, ſublimia ſua ad humana verba dimittere, vt vel ſub talibus ſimilitudinibus diuina innoteſcãt hominibus. Similiter verbum (*eructauit*) huic productioni deſignandæ accommodum eſt. Eructatio enim, de quadam plenitudine erumpit: ſic verbum de plenitudine Dei patris proceſsit, In primis quia de eius fœcunditate, quæ ad naturę cuiuſuis plenitudinem ac redundantiam pertinet. Deinde quia Verbum de plenitudine hac pleniſsimè proceſsit, ita vt ob ſuam quam procedendo accepit plenitudinem verbum tantum vnicum ſit, vt docet Athanaſius. Sed nec vacat quod verbum hoc dicatur *Verbum bonum*. Cùm enim vnus bonus ſit Deus, atque adeo bonum eſſe Deo proprium ſit, ſi Ambroſio credimus, Pſaltes hic dicendo *Verbum bonum*, inſinuat verbum illud de quo dixit verum & vnum Deum eſſe. Hoc autem videtur per ſcripturam ſpecialiter inſinuandum fuiſſe, fieri enim poteſt, vt qui naturali ratione vnius Dei cognitionem inquirunt, concipiant quod à mente diuina verbum aliquod procedat (nulla enim mens quæ ſui vſum habet ſine verbo eſt) illud tamen verum Deum eſſe non intelligant. Propter quod etiam Ioannes facta mentione verbi tam ſollicitè adiunxit: Et Deus erat verbum. *Dico ego* Perſeuerat ſermo in perſona Dei Patris *opera mea Regi* qui eſt hoc verbum bonum. q. d. Opera quæ ego facere volo aut propono, demando huic Regi, atque adeo per ipſum illa facio, & ipſe mecum. Quam rem in propria mandati forma, ſed ad noſtrum captum deſcriptam habemus Geneſ. 1. vbi dixit Deus Verbo ſuo Regi, fiat lux. In his enim verbis (ſi Cyrillo credimus) videre licet, inquit, Patrem dicentem ad Filium, Fiat Lux, quod quid quæſo aliud eſt, quam dicere opera ſua Regi? Hac itaque particula in effectu nihil aliud ſignificatur, quam quod Deus Pater per verbum quod dixit ſe eructaſſe, omnia fecerit. Sed ne in hoc mandato arrogans (vt Ambroſij verbis vtar) exiſtimes iubentis ſiue dicentis imperium, aut vile ſiue ſeruile facientis obſequium, Deus Pater cum cui loquitur herili auctori-

Cap. 11. de be. patriar.

Cap. 13. cõ. Adimant.

Cyr. 1. Thesau. cap. 6.

Epiſt. pro Decreto Cõcil. Nic.

Cypr. 1. in Iul.

Baſil. hom. 2 opif.

Ambroſ. 2. hexa. ca. 3.

Et præf. in li. 2. de Spiritu ſ.

tate prǽditum eſſe ſignificat, cùm dicit: *Dico ego opera mea Regi.* Si enim cui loquitur rex eſt, ergo in producendis Dei Patris operibus ſiue creaturis regia vtitur auctoritate, neque vlla Patri obſequitur ſeruitute. Si vtitur regia poteſtate ergo non eſt minor mandante ſiue dicente. Nec vacat myſterio quod verbo præſentis temporis dicit, *Dico*, quia hoc Dei dicere ſiue mandare præſens ſimpliciter eſt, ſicut enim non habuit initium, ita nec tranſit in præteritum.

2. *Lingua mea.* Per Linguam Ambroſio deſignatur Spiritus ſanctus, quia

Epiſt 82. Spiritus ſanctus per linguas igneas Eccleſiæ primitùs apparuit atque innotuit.

Epiſt. 14. Hic eſt *Calamus*, ſiue vt legit Hieronymus, ſtylus *ſcribæ velociter ſcribentis*, quia ſtylum quo vſi ſunt qui ſcripturam conſcripſerunt, Spiritus ſanctus eis adornauit, direxit, diſpoſuit atque præparauit. Spiritu enim

ad Marcel. ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines; Dicit proinde Athanaſius, quemlibet pſalmorum ea verborum forma conceptum eſſe à Spiritu ſancto, & ita temperatum, vt in illis motus affectuum noſtrorũ animaduertamus. Hunc tamẽ ſtylum Spiritus ſanctus qui formauit os hominis, & omnia cõuenienter diſponit, vnicuique hagiographorum ſic accommodauit, vt eſſet ſimilis ſtylo eis conſueto & modo loquendi familiari. Sed contra hæc argumentantur quidam in hunc modum: Si ſcriptura ſacra à Spiritu ſancto dictata eſſet, oporteret ſcripturam tunc vno per omnia ſtylo conſtare. Sed hoc argumentum tum demum procederet, ſi Spiritus ſanctus vnum tantum ſermonis genus noſſet, vel vnum tantum ſtylum haberet. Iſti autem ſcribæ velociter ſcripſerunt, quia diuino ſpiritu vbertatem dictorum, rerumq; (vt

Lib. 1. in Lucam. Ambroſij verbis vtar) miniſtrante ſine vllo molimine cepta cõpleuerunt: vnumquodque enim animalium coram facie ſua gradiebatur, quia coram ſe diuinis manibus deſcriptum videbat quod ſibi ſcribendum eſſet: vnde & Ieremias dicitur locutus fuiſſe ac ſi legeret ex libro: quia ſtylum præſcri-

Epiſt. 146 bebat illi Spiritus ſanctus. Diuus tamen Hieronymus ſatis liberè pronunciat, hãc horum verſuum interpretationem magis ſuperſtitioſam eſſe, quam veram. A cuius ſententia non procul abeſt Baſilius, iudicans cum D. Hieronymo Pſaltem prædictos verſus potius dixiſſe in ſua perſona, eo quod per totum Pſalmi decurſum, in quo ſermo nunc ad ſponſum, nunc ad ſponſam dirigitur, nullius perſona loquentis præterquam Pſaltis introducatur. Secundum quos hic eſt ſenſus *Eructauit cor*, &c. i. de plenitudine cordis mei os meum verbum bonum & ſermonem verum locutũ eſt. Tales enim,

In cap 58. Iſaiæ. inquit Cyrillus, fuerunt diuinæ myſtagogi, è corde ſuo, tanquam è perenni fonte piæ doctrinæ riuulos demittentes, & eorum qui inſtituuntur animos opulenter irrigantes. Tum autem bonus eſt ſermo qui de corde eructatur, cùm prius ſpiritus veritatis internum hominis affectum, qui in corde ſentitur,

sentitur, vero ac prudenti pietatis sensu impleuerit sine quo cor hominis fere, vt pseudoprophetis Hierem. exprobrat, seductiones eructat. Ideo orabat August. Ego sentio quam multa figmẽta pariat cor humanũ & quid est cor meũ, nisi cor humanũ? Sed hoc oro Deũ cordis mei, vt nihil ex eis figmentis pro solido vero eructẽ in has literas, sed inde veniat in eas, quicquid per me venire potuerit, vnde mihi aura veritatis eius aspergitur. *Dico ego opera mea Regi*, Propheticus enim chorus, inquit Hierony. Christi & Ecclesiæ sacramẽta dicturus, ne carmine videatur indignus, & ob conscientiã peccatorũ dicatur ei, vt quid tu enarras iustitias meas? opera sua Regi ante omnia confitetur, vt vel si bona sunt ipse suscipiat, vel si mala, mundet. Atque his verbis carmen suũ Deo cõsecrat seu dedicat: *Lingua mea calamus*. i. instrumentum *scribæ*. i. Spiritus Sancti *velociter* per torrentissimũ gratię influxũ sine hæsitatione *scribentis* quicquid ille suggesserit, meum enim est, inquit Hiero. linguam meã Spiritui sancto organũ præbere. Illius vero per organum sonare quæ sua sunt. vel, *Lingua mea* sit instrumentum Spiritus S. qui quod verbis præparo, per gratiam suam velociter describat in cordibus audientium. Itaq; versus prædicti in sensu diui Hieronymi accepti, erunt reliquæ Psalmi parti loco cuiusdam procemij, post quod Psaltes rem ipsam aggreditur, dicens in persona sua per apostrophen ad Christum

Cap. 14. & 23.

4. De Trin. cap. 1.

Epist. 140

3. *Speciosus forma præ filijs hominum*. Quæ verba optimè Hieronymus interpretatur de facie Christi humana, qui etiamsi (quod Tertullianus dixit) ne quidem humanæ honestatis corpus habuisset, ipsum tamen eius corpus non parum decoris accepisset ex splendore latentis diuinitatis, ex oculis & vultu eius (vt dicta epist. & in Matth. docet Hieron.) emicãtis, & ad sui dilectionẽ efficaciter allicientis. Basilius tamẽ intelligit Christũ dici speciosum forma, &c. secundũ diuinitatẽ, cuius pulchritudo tanta est, vt pulchritudo hominum pulchritudini illius ne quidem sit comparanda. *Diffusa est gratia in labijs tuis*, quia præter hoc quod vultu tuo ad te allicere poteras quos volebas; *Diffusa*. i. latissimè ad omne dictionis genus copiosè diffusa est sermonis gratia *in labijs tuis*, eaque tanta, vt cum loquereris, mirarentur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore tuo. *propterea*, i. merito prædicationis tuæ, quam tanta oris gratia ad fatigationem vsque perfecisti, *Benedixit te Deus in æternum*. i. gloria nominis tui nunquam interitura te donauit, & ad consessum dexteræ suæ sublimauit.

Cap 9. de car Christi.

4. *Accingere gladio tuo super fœmur tuũ potẽtissime*. Quidã intelligũt his verbis adhortationẽ fieri vt Verbũ carnẽ accipiat, eo quod per *gladiũ* intelligatur in scripturis Verbũ Dei: Per *fœmur* autẽ generatio carnalis. Et ad hoc inuitari intelligũt filiũ Dei sub nomine potentissimi, quia summę potẽtiæ opus fuit humanã naturam in vnitatẽ diuinæ personæ hypostasticè assumere.

mere. Hic ergo locus notandus esset, contra eos qui arbitrantur Angelum potuisse humanam naturam in vnitatem suæ hypostasis assumere. Hoc enim non videtur esse verum, eo quod scriptura assumptionem extraneæ naturæ ad propriam hypostasin, non nisi Potentissimo attribuat. Sed expositio hæc videtur esse satis præpostera eo quod Psaltes verbum incarnatum iam hactenus compellauerit. Alij itaque in his & sequentibus verbis considerant ardens quoddam votum Prophetæ, qui postquam per prophetiæ spiritum viderit Christum fore speciosum forma, & gratia labiorum ad conuertendas in amorē sui animas præditū, nimio illius æstuans desiderio, exclamet: *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentißime*. q. d. tu qui præ reliquis omnibus potens eris in opere & sermone coram Deo & omni populo, arripe gladium tuum penetrabiliorem omni gladio ancipiti & pertingentem vsque ad diuisionem animæ & spiritus, & virtutem speciei tuę atque oris tui reipsa exere. Gladio enim super fœmur accingi, idem esse quod illum arripere, illumque expedire, satis testatur illud Cantic. Vniuscuiusque ensis super fœmur suum propter timores nocturnos. Et quia Christus præterquam quod verbis, etiam vultu suo multos sibi (vt diximus) attracturus erat, subiungit Psaltes:

5. *Specie tua*. (Speciosum, inquit Basilius, id dicitur quod accommodum
Basil. in & necessarium proprio vigori tempus expleuit, vnde & Tertullianus pro
hunc locū. Tert. ca. 14 eo quod nos legimus, *Speciosus forma*, legit Tempestiuus decore) ac si di-
ad lud. & ceret: Vsque ad trigesimum ætatis tuæ annum diu satis teipsum continue-
3 cō. Marc. ris, tunc autem velut ætate, & pro ætate gratiæ simul manifestatione maturus: *Et* simul *pulchritudine tua*. i. contemplabili tua, inquit Basilius, & intelligibili diuinitate *intende*. i. te modicè insinuando, homines tibi attrahere incipe. Quod Christus videtur fecisse circa duos discipulos Ioannis, quorum alter erat Andreas, cùm eos primum domum duxit. *Prosperè procede*. i. fac eos temetipsum sensim magis manifestando, in cepto amore tui felicem progressum facere: *& regna*. i. vsq; ad speciem gloriæ eos tandem prouehe. Vel, *intende*. i. à paucis quos colligas opus tuum ordire. *Prospere procede*. i. à paucis ad multitudinem tibi conciliandam procede. *Et regna*. i. integrum, imo totius mundi regnum sic tibi sensim acquire. Idque

6. *Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam*. q. d. Hæc præstare
3. Esdr. 4. poteris per *veritatem* quam allaturus es: Omnis enim mundus veritatem inuocat, & ipsa fortior est præ omnibus, & inualescit in æternum, & viuit & obtinet in sæcula sæculorum. *Et mansuetudinē*, qua inuitabis eos qui laborant atq; peccatis onerati sunt, vt discāt à te quia mitis es & humilis cor-
1. Reg 22. de, & vt reficias eos. Ob id enim fiet, vt sicut olim ad Dauidem, ita ad te cōueniant omnes qui erunt in angustiis constituti & oppressi ære alieno &

amaro

amaro animo, vt fias eorum princeps. *Et iustitiam*: quia non secundum visionem oculorum iudicabis, neque secũdum auditum aurium argues, sed iudicabis in iustitia pauperes, & argues in æquitate pro mansuetis terrę, atque ita in iustitia firmabis solium tuum. Vel, *Propter veritatem*.i.vt quia res humanæ inuersæ sunt mendacio, feras veritatem: Exemplo tuo doceas mansuetudinem tantam, vt populus tuus in tormentis constitutus nihil exasperatus, etiam oret pro suis tortoribus. *& iustitiam*. i.vt dones hominibus iustitiam: Et in his tuis conatibus, *deducet te*. i. ordinatè & feliciter procedere faciet te *mirabiliter*.i.ad admirationem vsque, vel multis simul adhibitis miraculis, *Dextera tua*.i.propria tibi & domestica virtus tua.

Sagittæ tuæ. i. Sermones tui viui, qui prius per gladium, nunc vero per 7.
sagittam describuntur, quia subinde & quidem non raro per modum sagittę inexpectatò atque ex improuisò, atque adeo latente eo qui eas emisit, incidunt & vulnerant: *Acutæ*.i.sunt compungentes, transfigentes conscientiam quamque, inquit Tertull. (*populi sub te*.i.subiecti erunt tibi) *cadent in corda inimicorum regis*, quia corda tibi inimica penetrabunt & conuertẽt. Quod enim dicit, *corda inimicorum regis*, modus est loquendi sacræ scripturæ familiaris, vt multis exemplis docet Augustinus: Idem enim est ac si diceret, in corda inimicorum tuorum. Hæc ergo tempore prædicationis tuæ. Quo transacto,

Tertull. aduer. Iud. c9

12 De Tri. cap 6.

Sedes tua, in qua tunc Iudex sedebis ad dexteram Patris, *Deus*. Cùm se- 8.
dis huius mentionem facit, appellat speciosum forma præ filiis hominum, Deum, quia à tempore quo sedem hanc accepit, accepit etiam nomen quod est super omne nomen, vt passim Deus vocaretur *In sæculum sæculi*, quia super solium Dauid sedebit amodo (habet enim humanitas Christi suum in illa sede initium) & vsque in sempiternum, quia regni eius non erit finis. *Virga directionis regni tui*.i.sceptrum illud beati regni tui, non est sceptrum laboris, quale fuit sceptrũ regni tui in hac vita, cùm hic esses constitutus Rex super Sion montẽ sanctum Dei prædicans præceptum eius, sed est sceptrum siue virga directionis; E sublimi enim sede regni tui, eos qui oris sui gladio atque miraculis cepta tua prosequentur, & regnum tuum à te hic fundatum in extrema vsque terræ extendent, diriges atque deduces, vt rem conuenienter instituant & prosperè perficiant. Vult autem aliquis hæc audiens cognoscere quónam hæc quæ descripta est humanæ salutis œconomia, oborta sit principio?

Isaie 9.

Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem. Quibus verbis Psaltes Chri- 9.
stum alloquitur secundum diuinitatem: Quòd tamen cautè intelligendum est, Arriani enim, Filium creaturam esse cõtendentes atque mutabilem, dicebant eum dilexisse iustitiam, & odisse iniquitatem, liberi sui arbitrij tan-

quam boni & mali capacis electione, non naturæ bonitate. Contra quorum blasphemiam sic Athanasius: Dilexit (inquit) iustitiam, non vt obnoxius legibus, non vt in alterutram partem deflexibilis, vt hoc amet, illud auersetur, sed potius vt Deus, & verbum Patris, vt Iudex, & virtutis studiosus vel potius choragus, suppeditatorque virtutis. Iustus ergo natura cum sit & sanctus, hoc sensu iustitiam diligere pronunciatur & odisse iniquitatem. Hæc Athanas. Sensus itaque est; *Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem*: q.d. Pro æterna tua bonitate dilexisti lapsos ad iustitiam tibi placitam atq; dilectam reparare; & odio atque auersatione iniquitatis, indignatus humanum genus iniquitati subiacere, cogitasti illud ex vsuris & iniquitate redimere: Quod vt conuenienti modo faceres, *Propterea vnxit te*, ô *Deus*, Fili Dei, *Deus tuus*, Pater videlicet, qui secundum humanam naturam & Deus tuus est, & authore Cyrillo, intelligi debet te Deum secundũ eandem vnxisse. *Oleo lætitiæ*. i. inuisibili Spiritus sancti vnctione, cùm videlicet caro à Verbo assumeretur, inquit August. vt humana natura sine vllis præcedentibus meritis in vtero Virginis Verbo Dei copulata in Verbo subsisteret, & omnium bonorum Verbi particeps redderetur. Quod oleum dicitur oleum lætitiæ, inprimis quia pro more suo humanam etiam Christi mentem exhilarauit: Vnde & Iesus exultauit in Spiritu sancto, cùm dixit: Confiteor tibi Pater, &c. Deinde, quia Christus sua incarnatione, vt inquit Ambrosius, facit exultare morituros, tristitia mundum exuit, mœstæ mortis fœtorem aboleuit. Itaque aduerbium, *Propterea*, hoc loco non meritum importat, ob quod aut Filius Dei Deus fieret, secundum Arrianam impietatem, vt notat Athanas. sed denotat quid Deo placuerit attendere, ac præ oculis habere, vt Filium suum mitteret in terras. *Præ consortibus tuis*, i. abundantius quam vllus eorum quos tecum habes humanę naturæ & gratiæ consortes, vt explicat Ambros. Idque, quia in Christum omnis fons S. Spiritus & gratiæ descendit, eumque fontem gratiæ effecit. Porrò, quandoquidem Christus præ consortibus suis vnctus est, vt ipse exciperet vnguentum hoc in se tanquam capite, & inde descenderet in barbam barbam Aaron, vsque in oram vestimenti eius. i. vt illud à Christo capite in eos qui in Ecclesia sunt capiti propinquiores, imò etiã in eos qui in ea infimi sunt, descenderet: Ideo Psaltes nunc cõuenienter transit ad enarrandam vnctionem consortum Christi, de quibus dicit:

Sserm. 2 cõ. Arrianos. — *Cyril epist. 1 & 10.* — *15 de Trin. cap. 26.* — *Lucæ 10.* — *1. de Spir. sanct. ca. 8.* — *Athan. loco præalleg.* — *Amb. 1 de fide cap. 2.*

Myrrha, quæ significat gratiam S. Spiritus, qua opera carnis, & membra mortua hominis mortificantur. *& gutta*, quæ D. Hieron. est flos myrrhæ, significans vnctionem S. Spiritus, per quam mortificatis operibus mortuis in nouitatem virtutis contrariæ hominis cõuersatio efflorescit. *& Casia*, seu fistula, quæ calore suo internum rheuma consumit, significans

Spiri-

Spiritus sancti vnctionem, qua per charitatis ignem cupiditas ipsa absumitur; Hæc inquam vnguenta. i. sub quibus cæteræ spiritualium vnguentorum species comprehenduntur, redolent *à vestimentis tuis*. i. ex Christianorum moribus, qui eis vt vestes, ad tegumentum sunt, cultum, atque ornatum. Et quia homines istis Chrismatibus delibuti membra tua sunt, ideo & vestes istæ eorum, vestimenta tua sunt. De quibus Isaias, His omnibus vestieris, &c. Præcipuè vero redolent hæc vnguenta *à Domibus Eburneis*. i. ijs qui domus tua casta sunt, ob expertem contagionis integritatem: Virginibus inquam. Ebore enim in sacris literis castitatem significari, ex Cantico Canticor. notum est. Huic loco bene conuenit quod alij pro *Domibus* legant *gradibus Eburneis*. Virgines enim & omnes sacræ Castimoniæ cultores, altiorem sanctimoniæ gradum in Ecclesia præ reliquis conscenderunt. Fit autem hic peculiaris mentio virginum, quia filius Dei per id quod in carnem descendit, carnem hominum integritati virginali consecrauit & eidem perpetuæ continentiæ tribuit virtutem. Immaculatus enim Dominus, immaculatam sibi familiam, etiam in hoc pleno colluuionum fragilitatis humanæ corpore consecrauit, inquit Amb. Vitam proinde virginalem, non facile inueniemus in terris nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit. Hæc Ambros. *Ex quibus*, scilicet vnguentis, *Delectauerunt te*; Gaudet enim, inquit Isaias, Sponsus super sponsam *Filiæ Regum*. i. inquit Hieron. qui per doctrinam Euangelij Christo acquisiti sunt. Vel, *Filiæ Regum*. i. ciuitates à Regibus conditæ quæ Christo nomen dedere, inquit August. *In honore tuo*. i. eo præcipuè tempore, quo tu ad summum tuæ dignitatis honorem, Patris tui consessum, totiusque mundi regnum peruenisti. Ex omnibus autem his filiabus vna congregatur Regina, quæ est Ecclesia, fraternitatis dilectione in vnum corpus collecta. De qua sequitur, Lib. 1. de virg.

Astitit Regina, sic dicta, quia Regis æterni sponsa est, & sui victrix, inquit Amb. hæc astat: non enim est Ecclesia cœtus lapsorum, inquit Cyprian. *A Dextris tuis*; est enim ope tua de sinistra ad dexteram translata, & de potestate tenebrarum ad regnum dilectionis tuæ. *In vestitu deaurato*. i. induta charitate, qui vestitus singulariter Ecclesiæ tribuitur, eò quod cum morales virtutes aliquousque extra Ecclesiam esse posint, hæc Ecclesiæ soli conueniat. De qua propterea scriptum est: Non deriuentur foras fontes tui, vt interpretatur Aug. *circundata varietate*. Quia manente concordiæ vinculo, & mutuæ dilectionis indiuiduo sacramento, distributiones in Ecclesia sunt donorum, ministrationum, diuersitates occupationum, & dispares gradus prouentuum. De qua varietate Prosper; Ecclesia ita est multimoda varietate contexta, vt in vnum decorem etiam quæ non II. 1. de virg. Cyp. ep. 27. Cõt. Dona. Epist. ad Demetriã.

sunt paria concurrant, & de omni generatione hominum, & de omni gradu officiorum, de omni mensura operum, de omni qualitate virtutum, fiat totius ædificationis inseparabilis connexio, & indifferens pulchritudo, vt nec desit soliditati quod non defuerit portioni, tantaque ibi sit concordia, vt non possit esse nisi omnium, quod est singulorum. Deinde *circundata varietate* propter diuersitatem consuetudinum, ieiuniorum, festorum, ceremoniarum & similium. De qua varietate hunc locum interpretatur Aug. Sicut & Bernar. eum interpretatur de diuersitate religionum. Post descriptam autem Reginæ maiestatem, Psaltes aduocat ad eam infideles, paterno affectu appellans eos filias, & dicit:

Aug. epist. 26. Bern. apol ad Guiiel. Abbatem.

12. *Audi filia.* i. Crede *& vide.* i. ex fide ad intelligentiam profice. *Et inclina aurem tuam.* i. humilia te vt audias. Vel, Appropinqua siue accommoda te vt audias. *Et obliuiscere populum tuum & domum patris tui.* i. vanam conuersationem paternæ traditionis, & gentilitiæ consuetudinis.

13. *Et concupiscet Rex decorem tuum*: q.d. non ad modica te inuito. Rex enim ipse concupiscet. i. desiderantissimè adamabit. Amor enim hic per concupiscentiam describitur & per desiderium exponitur, vt significetur amorem hunc non posse flaccescere, desiderio eundem à languore seu fastidio quod superuenire posset vindicante. Ob quam causam etiam amor Angelorum desiderij nomine describitur, cùm de Spiritu S. dicitur: In quem desiderant Angeli prospicere. *Decorem tuum.* i. decorem iustitiæ tuæ, aut sui in te similitudinem, vt appellat Bernard. Quam rem etiam Psaltes ob id videtur promittere, vt eo ipso doceat sponsam, sibi in posterum in hoc vicissim incumbendum esse, vt placeat ei cui se probauerit. Si autem rogauerit filia. Quis aut quantus est iste rex ad quem inuitatur: Addit Psaltes: *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus*, cui temetipsum vt creatori & bono tuo beatifico omni iure debes. *Et adorabunt eum.* q.d. Is est quem omnes adorant.

Serm. vlt. in Cant.

14. *Et filiæ Tyri.* i. negotiatores sæculi, *In muneribus.* s. adorabunt eum, quia talis ac tantus est vt in obsequium & cultum eius opes suas donent & offerant. Vide ergo ô filia si ob hæc non debeas obliuisci populum tuum & domum patris tui. Sed & præter hæc, *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* i. eris de congregatione illa cui potentes ac etiam magnates, supplices reuerentiam exhibent, sicut dixit Isaias: Reges & Reginæ vultu in terram dimisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Huius verò sponsæ ad quam te aduoco quæ & *filia Regis æterni est.*

Isaiæ 49.

15. *Omnis gloria eius ab intus in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus.* i. omnis eius pulchritudo quæ in ea foris in decore bonæ & ordinatæ disciplinæ eiusque varietate apparet, vt vera sit, ab intus à pulchritudine

mentis

mentis eius Dei ſpiritu adornatæ deriuatur, ita vt multum diſtinguatur ab illis qui foris ſimiles ſunt ſepulchris dealbatis, intus autem pleni oſsibus mortuorum.

Adducentur Regi.q.d.Non breui tẽpore duratura eſt huius Reginę gloria, quia *adducentur Regi virgines poſt eam*. Indeſinẽter enim accedent huic Reginę ex infidelibus qui relicta fornicatione quam fecerint cum idolis, ſemetipſos velint virginem caſtam exhibere Chriſto. *Proximæ eius*. i. eiuſdem cum eâ ſpiritus candidati, *afferentur*, Domine, *tibi*. 16.

Afferentur inquam *in lætitia & exultatione*, ipſius ſponſæ. Videbit enim & afflue & mirabitur & dilatabitur cor eius cum conuerſa fuerit ad eam multitudo maris, fortitudo gentium venerit ei. Et dicet in corde ſuo: Quis peperit mihi iſtos? Ego ſterilis & non pariens, & iſti vbi erant? Vel, in lætitia eorum qui adducendi ſunt quibus dicit Iſaias: Canticum erit vobis ſicut vox ſanctificatæ ſolemnitatis; & lætitia cordis ſicut qui pergit cum tibia vt intret in domum Domini ad fortem Iſrael. *Adducentur in templum Regis*; vt in templo eius materiali Regi per Sacramentorum ſuſceptionem initientur. Vel, vt ipſi efficiantur templum Regi gloriæ. Itaque à loco, *Ex quibus te delectauerunt filiæ Regum*; huc vſque communem ferè Patrum expoſitionem & ſenſum ſumus ſecuti. Eo tamen non obſtante, quandoquidem per *domos eburneas* virginum mentio facta eſt, idque vt ſignificaretur filium Dei per ſuum in carnem deſcenſum eſſe virginitatis auctorem; videtur tum autoris propoſito, tum proprietati & ſtructuræ verborum non minus conſentaneum intelligere prædictam Pſalmi partem de propriè dictis virginibus Deo dicatis. Idque hoc modo: *Ex quibus*, aromatibus videlicet, *delectauerunt te filiæ Regum*. i. puellæ ſæculi opibus & dignitate primæ atque præcipuæ. Nam & iſtas ſtudium virginitatis, tui amore, occupabit. Imò virginitas eò ſublimata eſt, vt ex virginibus vna ſit quæ *aſtitit Regina à dextris tuis*, B. Maria videlicet: Quæ vere eſt Regina, quia æterni Regis ſponſa & inſuper mater. Hæc, non quidem vt Rex ipſe, ſedet à dextris Dei Regij throni conſors, ſed aſtat throno proxima, æternorum, eorumque quæ ad dexteram pertinere dicuntur bonorum participatione, ſumma. *In veſtitu deaurato*. i. in præſtantiſsima corporis gloria, cui inæſtimabilem ſplendorem affert tam ſancta & deuota virginitas, & diuini muneris diuinæque prolis fœcunditas. *Circumdata varietate*, quia ſingula eius membra quæ Deo ſaluatori obſecuta ſunt miniſtraueruntque, ſuum habent decus atque ſplendorem. Hanc Reginæ gloriam poſtquam Pſaltes deſcripſit, conuertit ſe, & ad virginitatis ſtudium paterno affectu inuitat iuuenculas, dicitque: *Audi filia & vide*, Idque admodum appoſitè. B.Mariæ enim prærogatiuis prouocata crebreſcunt ſtudia virginitatis

17. *Iſa. 60. & 49.* *Cap. 30.* *Athan ſer. de Deipara*

Cap. 17 de insti. virg. & sacræ integritatis exempla, inquit Ambros. Vnde & de ea canit Ecclesia: Te plebis sexus sequitur vtriusque vitam diligens virginalem, cælicolas in castimonia æmulans. Dicit itaque: *Audi filia*, quem scilicet describo virginitatis honorem, & in Regina ista, *vide* futuram gloriam quæ reuelabitur in vobis. Nam de integritate carnis Deo dicata, similis cum illa vos manet claritas & gloria. *Et inclina aurem tuam*. i. humilia te, vel, appropinqua vt audias. *Et obliuiscere populum tuũ & domum patris tui*. q.d. Non ad solum studium virginitatis, sed maiora te inuito, vt nimirum sicut matrimonialis connubij caussa relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ; ita tu relinquas patrem, matrem, agros, & vt explicat Basilius, omnia quæ mundi sunt; & vinculo perpetuo adhæreas sponso tuo mẽte & corpore eius obsequijs iugiter dedita atq; deuota. Igitur hic locus insignis est & elegans, ex quo statuimus solemnem Ecclesiæ consuetudinem secundum quam virgines patri matri & reliquis renunciantes, diuino cultui sese perpetuo mancipant, eo casti connubij fœdere, vt si postmodum nubere voluerint, censeantur adulteræ. Quæris autem ô virgo, qua spe ad hæc prouoceris? *Et concupiscet*. i. desideranter adamabit, *Rex*, vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor: *Decorem tuum*; inæstimabilem. Quis enim poterit æstimare decorem illum qui amatur à Rege, probatur à iudice, dicatur Domino, consecratur Deo! Addit ergo hoc, vt sicut supra monuimus, ipsæ virgines studeant nulli placere, nisi illi cui se probarunt. *Quoniã ipse est Dominus Deus tuus*, ita vt illi hoc omni iure debeas, quod tamen tibi vel hoc nomine arripiendum offertur, quod ab eo expetaris de quo subijcitur: *Et adorabunt eum*; *Et filiæ Tyri in muneribus*. vt diximus *adorabunt eum*. Quod Psaltes hîc consultò exprimit, solet enim virgines sponsorum suorum gloria non parum allicere. Insuper *vultum deprecabuntur omnes diuites plebis*; Virgines enim, teste Tertull. solent à fratribus (reliquos Christianos intelligit) omni honore & charitatis operatione cumulari, omnesque reliqui earum preces atque patrocinia vsque adeo ambire, vt ipse Cyprianus earum precibus petierit adiuuari, cum in illis à Deo ceperit honorari virginitas. Sed ne amor huius prærogatiuæ atque honoris virgines ad studium integritatis principaliter moueat, & illius rei cupido virginitatem prophanam faciat simul & infirmam; (Vbi enim gloria, inquit Tertull. ibi sollicitatio, vbi sollicitatio ibi coactio, vbi coactio ibi necessitas, vbi necessitas ibi infirmitas) reuocat Psaltes intentionem virginis ad veram gloriam sectandam & aucupandam. Dicit proinde: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus*. q. d. quod virgines vere gloriosas reddit, ab intus ex thesauro bonæ mentis & conscientiæ prouenire debet. Gloria enim conscientiæ ipsam carnis integri-

[Margin notes: De institu. mon. ca. 21 — Cap. 14 de velãd vir. — Cyprianus de dis. & hab virg.]

tegri-

tegritatem, disciplinæ studium, & reliqua quæ virginibus ad gloriam sunt vel gloriosè eueniunt, verè gloriosa reddit. Ad gloriam itaque conscientiæ sectandam se virgo recipiat, ne deprehendatur cum stultis virginibus oleum nõ habuisse in vasis suis. Hactenus ergo exhortatio: De cuius euentu intelligi debet quod sequitur: *Adducentur Regi virgines post eam*; ad exemplum enim B. Mariæ quæ prima virginitatem, Augustino teste, vouit. *De sancta virg.* *Proximæ eius*; quæ scilicet, vt verbis Ambrosij vtar, B. Mariam non solum *Ambros. in* specie prætendant, sed imitentur affectu. i. quæ eam non solum imitentur *Lucã. l. 10* integritate carnis, sed pietate ac deuotione mentis, *afferentur tibi* Domine, vt tibi se dedicent, *Afferentur tibi in lætitia & exultatione*, earũ scilicet quæ adducuntur. Voluntariæ enim esse debent, vt notat Basil. Et eorũ qui eas adducunt & suscipiunt. Gaudet enim in virginibus gloriosæ ma- *Cypr. de disci pl. hab. virg.* tris Ecclesię immaculata fœcunditas hunc fœtum absque dolore enixa. *Adducentur in templum regis*. i. vt fiant integra templa regis, Vel, in templum regis. Solent enim teste Ambros. virgines Dei ad altaria vt sacræ victimæ immolari & consecrari. Quæ vt fiant. i. vt siue infideles ad fidei integritatem, siue puellæ è sæculo ad seruandam virginitatem educantur & adducantur.

Pro patribus tuis, id est, illis, ô Ecclesia, qui te primò in multis locis per 18. Euangelium genuerunt, *Nati sunt tibi*, quia tu eorum mater & nutrix es, *filij*, Apostolorum, qui vno & eodem cum illis spiritu prædìti sint, iisdemque incedant vestigiis. *Constitues eos principes super omnem terram*; quia per vniuersam terram per quam dilatanda es, tribues iis principatum vt potestate præsint. Dico potestate: Principatus enim non charitatem aut virtutem, sed potestatem atque præfecturam, quæ bonis malisque communis esse possit, significat. Et bene dicitur Ecclesiæ iam à Christo & Apostolis fundatæ, *Constitues eos*, vt per hoc doceatur quod ab illo tempore nulla sit potestas aut iurisdictio Christiana, nisi illa ab Ecclesiæ Præpositis in ipsa Ecclesiæ vnitate accipiatur. Sed fortasse Principes isti incipient in corde suo dicere, Moram facit Dominus meus; & incipient pro potestate agere, atque conseruos suos percutere, & manducare & bibere cum ebriosis: Ne id quidem, quia

Memores erunt nominis tui. Recordabuntur enim Domine se tuo no- 19. mine tuoque iussu atque ad gloriam tuam Ecclesijs præsidere, seque eiectis illis qui dixerant de vinea quam colendam acceperant, Nostra est hæreditas; propterea Dominicæ vineæ cultores effectos esse, vt reddant tibi Domino suo fructum temporibus suis. Huius ergo rei memores, ad tuam voluntatem suam potestatem component: idque *in omni generatione & generationem*, quia tametsi abundet iniquitas multorũ etiam Præpositorum,

nulli tamen generationi deerit portio, vt cum Cypriano loquar, Sacerdotum qui ad ruinas tales nequaquam succumbant.

26. *Propterea*, quia scilicet Principes isti non deficient, *populi confitebuntur tibi*, confessione veræ fidei atque laudis. Principum enim horum ministerio atque officio populi ad veram religionem adducentur, atque in ea conseruabuntur, *in æternum, & in sæculum sæculi.* i. quamdiu voluetur hoc sæculum.

PSALMVS XLV.

In finem filijs Core pro arcanis Psalmus.

Dicit pro arcanis; agitur enim hoc Psalmo de vocatioue gentium, quæ prioribus sæculis incognita erat, sicut dicit Apostolus: Aliis generationibus non fuit agnitum gentes esse cohęredes & concorporales, &c. Incipit autem Psaltes loqui in persona eorum, qui in principio Euangelium præsertim in gentibus annunciauerunt, qui dicunt:

1. *Deus noster refugium & virtus.* Quamuis enim per donũ Spiritus sancti ad constantiam fuerint corroborati, tamen pro illius doni conseruatione & restauratione fuit eis frequenter ad Deum recurrendum. Ideo etiam, *Act 4.* postquam Petrus & Ioannes tanta constantia Christi nomen prædicassent, vt magistratui Iudęorum incusserint admirationẽ, ad suos reuersi vnà cum *Ibidem.* illis leuauerunt voces suas dicentes: Da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. Prædicatoribus enim veritatis oratione iugi fortitudinem, i. fortitudinis conseruationem & instaurationem à Deo postulandam esse *Lib. 10 ca. 22.* docet Cyrillus in Ioannem. *& virtus.* prius dixit refugium, nunc virtus, vt insinuet virtutem, refugij infallibilem fructum ac prouentum esse. Est autem Deus prædicatoribus veritatis virtus siue robur animi per donum gratiæ operantis. Est insuper eis *adiutor*, vt fortia facta, præsertim cum prouẽtu alienæ salutis, exerceant per auxilium gratiæ cooperantis. *in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.* i. quibus supra modum & supra virtutem, vt dicebat Apostolus, pressi sumus & grauati.

2. *Propterea non timebimus dum turbabitur.* i. audita nouæ & inauditæ religionis prædicatione in persecutionem concitabitur *terra.* i. totus terrarum orbis, sicut factum est tẽpore Diocletiani & Maximiani Imperatorũ. *& transferentur montes.* i. principes & sæculi potestates *in cor.* i. voluntatem, studium & appetitũ *maris.* i. populi vt mare fremẽtis & tumultuantis. Quod tunc fit, cùm principes potestatem suam seruire faciunt plebis furori atque libidini: Sicut fecerunt Gentilium Imperatores, qui ad postulata sacerdotum, & clamorem populi quamplurimos Christianos ad tormenta & mortem rapuerunt. Dicuntur autem hîc mõtes transferri in cor maris, non

contra

contrà, quia vt in Psal. 2. ex Tertulliano diximus, persecutiones complures à vulgo concitatæ sunt. Itaque ad exaggerandam persecutionis terribilitatem hîc additur, *& transferentur montes in cor maris.* persecutio enim tũc præcipuè horribilis est, cùm ad populi fremitum principum furor & potestas se coniungit.

Sonuerunt clamores populi depostulantis Christianos ad bestias, ignes, & id genus tormenta varia. Sonuerunt etiam cum incondito tumultu, turbas commouerunt, sicut Ephesij clamantes, magna Diana Ephesiorum. *Et turbatæ sunt aquæ eorum.* i. in turbas & seditiones cõcitati sunt populi eorum; de quibus in Actis, Facta non modica seditione aduersus Paulum. *Conturbati sunt.* i. ad confessionem trepidare, ad prædicationem titubare, in quæstionibus deficere ceperũt *montes*, i. quidam eorum, qui inter Christianos erant potestate, authoritate, loco, & etiam fide sublimes atq; præstantes, *in fortitudine eius.* i. præ terrore malorum impendentium, & immanitate intentatorum. Ex alia tamen parte 3.

Fluminis impetus. i. præsentissimus & copiosissimus Spiritus S. influxus, *lætificat ciuitatem Dei.* i. Ecclesiam Christi, ita vt in abundantia tribulationis, abundantia gaudij eius fuerit, & tormentum eius in epulum conuersum fuisse videatur. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* i. Ecclesiam suam militantem per persecutiones tyrannorum purgauit, correxit, & auxit numero & sanctitate. 4.

Deus in medio eius non commouebitur. i. Deus, qui Ecclesiæ concordiam & singulorum qui in ea sunt charitatẽ inhabitat, ipse eam tanta constantia atque labore collectam, tantoq; sanguine partã atq; fundatam conseruabit, adeò vt à cepta sanctitate & cõstantia, Deo protegente, dimouenda nõ sit. Et hanc quidem protectionẽ Deus faciet tempore militiæ eius. Insuper *adiuuabit eam Deus.* i. singulari, plena atque beata ope atque protectione donabit eam *mane diluculo.* i. tempore resurrectionis, inquit Ambrosius: vel, *mane diluculo.* i. in primo ortu alterius vitæ etiam ante resurrectionem. Quem sensum confirmat, quod aliàs legitur, *adiuuabit eam Deus vultu suo*, i. vultus sui manifestatione, quæ etiam ante resurrectionẽ carnis sanctis conceditur. Et hæc de auxilio & fructu, quæ Ecclesia ex persecutionibus consequitur. Restat audiamus quid vtilitatis Ecclesiæ constantia & prædicationis instantia ipsis persecutoribus atque infidelibus attulerit: de quo subiungit Psaltes: 5.

Conturbatæ sunt gentes, cùm tandem operâ Ecclesiæ primam agnitionem suæ iniquitatis acceperunt. Prima enim peccati agnitio, priusquam cum vera compunctione cordis & spe veniæ coniũgitur, turbat peccatorẽ. *Et inclinata sunt regna*, quia Christianorum multis millibus pro Christi 6.

De catechi. rudi. c. 24. nomine interfectis, tandem ipsa persequentia regna, vt Augustini verbis vtar, cesserunt, & ad Christum cognoscendum atque venerandum fracta superbiæ ceruice conuersa sunt. *Dedit vocem suam* in confessione veritatis & diuinæ laudis. Atque motu iustificationis *mota est terra*. Et hac ratione Aggei 2. impletum est quod prædixit Aggæus Propheta: Adhuc semel & ego mouebo, ad suscipiendam salutem scilicet, cælum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus. Vnde autem tanta virtus Christianorum tam in persecutionibus superandis, quàm persecutoribus conuertendis? Respondent Christiani, & dicunt:

7. *Dominus virtutum*, in cuius manu inuictissima & victoriosissima virtus est, ille *nobiscum* est, intus nos confortans ad constantiam, foris nobis cooperans ad inimicorum conuersionem. *Susceptor noster Deus Iacob.* i. Deus electorum quorum formam gessit Iacob, de quo dictum est, Iacob dilexi, ipse secundum suum propositum nos adiuuandos, protegendos, laboresque nostros prosperandos suscepit. Et quia Dei proposito nihil potentius est, ideò virtutes has per eum fecimus in terra. Quæ Dei virtus, quandoquidem attentiore consideratione digna est, ad eam admirandam Psaltes fideles conuocat, & dicit:

8. *Venite.* i. animum adijcite, *& videte.* i. penitius introspicite *opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* i. admiranda, quæ fidem penè rerum, & quod certissimum est, infidelium expectationẽ transcendunt. Quæ autem illa sunt? *auferens bella.* i. omnes gentilium in Christianos persecutiones *vsque ad finem terræ*, quod fieri cepit tempore Christianorum Imperatorum, & in omnibus prouincijs vbi Christus annunciatus est, postquam sanguine martyrum fides ibidem satis fuit contestata.

9. *Arcum conteret, & confringet arma*, ne in fidei Christianæ perniciem in posterum deseuiant. Fidei dico Christianæ, quia gentiles propriè impugnabant nomen Christi, & quicquid eò pertinebat: hęretici verò, quorum bella ablata non sunt, non nomen Christi propriè & apertè impugnant, sed nomen religionis Catholicæ. *Et scuta comburet igni.* odio enim pristino in dilectionem religionis conuerso, solitum vsum scutorum Isaiæ 9. religionis amor absumet. Sicut scriptum est; Omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem & cibus ignis. Violentiam enim Tyrannorum amor religionis quasi quidam ignis absumet. His itaque versibus non prædicit Psaltes quæuis bella per Euangelium esse quietura, quasi essent Christianis, vt perperã docuit Erasmus, Epi. 50 & 205. & li 21. cõ. Fau c. 74 et 75. illicita (cuius contrarium sæpe D. Augustinus docet) sed solummodo illa bella, quæ in Christianis nomen Christi persequebantur. De quibus bel- Esaia 2. lis etiam intelligendus est Isaias: Conflabunt gladios suos in vomeres, quia

Chri-

Christianæ religionis hostes fient eiusdem cultores, vt patet in Paulo, de quo Tertullianus alludens ad Isaiæ locum dicit, quod gladium stylo mu- *Cap. 10. Scorpiaci.* tauerit. Si tamen locus hic & Isaiæ intelligendus videatur de bellis in genere, tum intelligendum est bella per Euangelium auferri, non quasi sint Christianis illicita, sed tanquam quæ studio Christianæ pacis sint conquietura; prout intelligit Isaiæ locum S. Athanasius. *Tract. de in carn. verbi*

Vacate. q. d. vbi à persecutionibus requiem nacti fueritis, *vacate & videte, quoniam ego sum Deus*, tum enim diuinis rebus cognoscendis vberius & feruentius incumbetis, quia à trepidatione, fuga, custodijs, & similibus incommodis liberi eritis & expediti. Quam Psaltis exhortationem, aut potius prædictionē non neglexit Ecclesia, cuius Doctores oriri clarius ceperunt, omnemque sapientiam Dei diligentius, teste D. Gregorio, inuestigare, cum concessa est Ecclesiæ tranquillitas à persecutione. Inuestigatio enim sapientiæ otium & tranquillitatem requirit, sicut scriptum est: Sapientiam scribe in tempore vacuitatis. Ideò D. August. Nulli, inquit, vacat audire in tribulatione, audite cùm vobis bene est, discite cùm tranquilli estis, sapientiæ disciplinam, & verbum Dei vt cibū colligite, &c. Illi autem qui incumbit considerationi diuinitatis, & rerū diuinarum cōtemplationi, singulariter vacandum est, nō solùm ab occupationibus externis, sed etiam quibusdam internis, ne videlicet mens eius similitudinibus rerum corporalium præoccupata & irretita, Deum imaginetur esse immensum substantiæ suæ extensione, æternum perpetua quadam fugacis temporis successione; iratum animi rancore, & sic de reliquis. Ab omnibus enim his rerum corporearum & passionum simulachris vacare debet, qui nosse vult, quoniam Dominus est Deus, vel Dominum Deum: sic videlicet vt non imaginetur Deum illis similem esse, vt ex hoc loco docet Augustinus. *Exaltabor in gentibus* per fidei, scientiæ, ac religionis incrementum, *& exaltabor in terra.* q. d. in gentibus per vniuersam terram diffusis. Quod prioribus addit: quia vnà cum sapientia doctorum exaltatus est Deus etiam in fide & cognitione populorum. Subiungitur proinde:

10. *Eccli 38.* *In psal. 41.* *De vera religi. ca. 35.*

Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob: quia tempo- 11.
re persecutionis erat Deus cum Ecclesia tanquam bellator fortis; tempore verò pacis cum ea est Dominus tanquam ædificator sepium siue munitionum quæ seruiant securitati Ecclesiæ, auertens semitas, vt dixit Isaias, in *Isaiæ 58.* quietem: siue conuertens semitas à persecutione in Ecclesiæ quietem, vt etiam per pacis semitas secundum Deum ambularet populus.

PSAL-

PSALMVS XLVI.

In finem pro filijs Core Psalmus.

PSaltes per ſpiritum prophetiæ in perſona preconum Euangelij exhortatur gentes, quas ad Chriſtum conuertendas eſſe præuidit, in primis ad lætitiam qua congratulentur Chriſto, quod ad dexteram Patris ſui conſcenderit, ſi D. Cyrillo credimus. Deinde ad gratiarum actionem quod ex illo throno ſuo gentibus ſalutem diſpenſauerit: Quam exhortationem ſic orditur:

Lib. 10 in Ioan. cap 9.

1. *Omnes gentes.* Compellat eos, qui ex gẽtilibus ad Chriſtum erant conuertendi, quibus dicit *omnes gentes*, qui electi ac fideles propriam ſuam habent vniuerſitatem. Aut dicuntur, *omnes*, vt ſit commoda diſtributio pro generibus ſingulorũ; quia non eſt gens aut natio, imò nec tribus, de qua nõ ſint quidam ad Chriſtum conuerſi. *plaudite manibus*, alludit ad plauſum, quem audito delectabili oratoris ſermone edere ſolent auditores, tum ſibi, tum oratori gratulantes. q. d. plauſum qui audita Euangelij prædicatione vobis edendus eſt, Facite præcipuè *manibus*. i. operibus, non nudo vocis ſibilo, nec ſtrepitu pedum. *Iubilate Deo in voce exultationis*. i. huius iubili vox ex hilari gratitudine ac congratulatione cordis educatur. Ratio autem iubili eſt,

2. *Quoniam Dominus excelſus*. i. Dominus qui prius vſque ad mortem humiliatus fuit, nunc eſt excelſus, ita vt etiam ſecundum humanam naturam ſedeat ſuper ſolium illud excelſum, vt vidit Iſaias, & eleuatum. Deinde regnum eius, quod eſt Eccleſia, eleuatum eſt ſupra dignitatem omnium aliorum regnorum & principatuum. *Terribilis*, Dæmonibus, quorum cultum vbique euertit. Vel, *Terribilis*, quia diſtrictus redibit arbiter omnium qui mitis prius tranſijt. *Rex magnus ſuper omnem terram*, quia per omnem terram regnum ſuum dilatauit.

Iſaiæ 6.

3. *Subiecit populos nobis*. per fidem qua crediderunt nobis, *Et gentes ſub pedibus noſtris*. Significatur ſumma ſubmiſsio Chriſtianorum ſub eis qui in nomine Domini populo præerant fideli; ita vt etiam ad pedes ſuperiorum ſe proſternerent, ſicut dixit Iſaias ad Eccleſiam in ſuis præpoſitis: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Hoc autẽ futurum figurabatur per hoc, quod Ioſue dicebat ducibus Iſraël: Ite, ponite pedes veſtros ſuper colla regum iſtorum. Et hæc quidem fecit Deus opere, quæ vt perficeret vide quid præceſſerit in eius cogitatione ac prædeſtinatione.

Iſaiæ 49.

4. *Elegit nobis hæreditatem ſuam*. Electio conſiſtit inter duo, quorum vnum repudiatur, alterum ſuſcipitur. Elegit itaque Deus hæreditatem ſuam nobis,

nobis, quia cum ex vna parte in æterna sua sapientia videret se vniuersum genus humanum damnationi obnoxium per iustitiam posse damnare; & ex altera videret, se, per misericordiam, hæreditatem perditam eidem posse reddere, iustitia sua quoad multos postposita, *elegit nobis*. i. in nostram salutem *hæreditatem suam*, vt illam nobis per Iesum Christum daret. Et quia ad hæreditatem non peruenitur nisi mediante iustitia, ideò etiam elegit *speciem*. i. pulchritudinem, siue iustitiam *Iacob*. i. electorum suorum. Elegit autem eam non tanquam quæ in eis esset, aut per solum liberum eorum arbitrium in eis futura esset, sed vt eam in ipsis faceret. Rectè enim, inquit August. in eis eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos eligit. Quin etiam elegit *speciem* hanc *Iacob*, *quem dilexit*, quia priusquam Deus alicui absque eius meritis benefacere proponat, necesse est, iuxta D. Thomam, vt eum prius diligat. i. id beneficij eidem velit. Velle autem alicui bonum, est eum diligere, sed ea dilectione quæ etiam inimicis exhibetur. præter quam est alia dilectionis affectio, quæ non defertur nisi amicis; cum quis diligitur, quia iam bonus est; atque adeò amatur vt filius; quæ propriè charitas dicitur. Vt autem lapsus homo hæreditatẽ hanc conuenienter adiret,

li de præd. sanct. c. 17. & epi 105

Ascendit Deus, Christus scilicet secundum humanam naturam ad hanc hæreditatem, idque *in iubilo & Dominus in voce tubæ*. Per quæ D. Cyrillus in Ioannem intelligit vocem spirituum seu Archangelorum, qua superioribus iubebant virtutibus vt portas tollerent, & Dominum gaudentes susciperent. Quin & per iubilum hunc lætitiam discipulorum Christi in quorum conspectu cælos ascendit, aptè intelligimus. Hi enim Domino in cælorum sublimia eunte, magno, vt docet Leo, gaudio replebantur. Et, quia ijs qui Christum diligunt Christo congaudendum est, quod ad gloriam sui Patris & tantam regni amplitudinem peruenerit; vnde ipse dicit, Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrẽ; ideo Psaltes, vt loco citato notauit Cyrillus, commemorata Dominica Ascensione, ad gaudium hoc fideles exhortans subijcit: 5.

Lib. 10 c 9

Serm. 1 de Ascensione

Psallite Deo nostro. i. cum mentis iubilo congaudete Christo, quod ad Deitatis suæ gloriam participandam, suam humanitatem in cælum subuexerit, *Psallite Regi nostro*, qui regiam auctoritatem, propter quam in longinquam regionem abiuerat, reipsa percepit. *Psallite*, 6.

Quoniam Rex omnis terræ Deus. i. quia iamiam ab ascensione regnum Christi per totam terram dilatatur; *Psallite sapienter*. i. quod psallendo canitis non solum mentis attentione siue cogitatione, verumetiam affectu, & interno sensu per singulas sententias sapite, ita vt pro versuum & sententiarum, quæ recitantur, varietate, nunc gaudio, nunc compunctione, nunc fide, nunc charitate in Deum, nunc in proximum recitantis varietur, 7.

Interrogat. 279. & dilatetur affectus. Quam expositionem probat D. Basilius in quæstion. breu. Quod inquit, est in cibis sensus cuiusque cibi, hoc in verbis sanctarum literarum est intelligentia. Si quis igitur ad vim verbi cuiusque animo ita etiam afficiatur, quemadmodum gustatu afficitur ad qualitatem cuiusque cibi, prorsus mandato illi satisfacit: Psallite sapienter. Hæc D. Basil. & Hieron. Inter scripturarum autem sanctarum verba quæ affectus psallentium excitant & nutriunt, excellit Psalterium. In eo enim, vt docte notauit Athanasius, omnis humana vita tum animæ affectiones, tum mentis conceptiones suo modo ac magnitudine definitæ continentur, ita vt nihil vltra hæc in rebus humanis reperiri possit.

Hiero epist. 4 cap 4. Bern serm. 67 in Cāt. Athana. ad Marcelliā.

8. *Regnabit Deus super gentes*, quia regnum ceptum cōseruabitur, & ad eos, qui de regno nondum sunt extendetur. *Deus sedet super sedem sanctam suam*, de qua dictum est, sede à dextris meis.

9. *Principes populorum.* Hi sunt patriarchæ & prophetæ, qui non solum in Iudæa, sed & in gentibus ante Christum fuerunt, vt Iob & similes: qui in populis virtutis & bonæ conuersationis quendam principatum gesserunt. Hi ergò, *Congregati sunt cum Deo Abraham*, quia qui ante Christi mortem à conspectu Dei seclusi congregati erant in sinu Abraham in limbo patrum, illi per Christum captiuam secum ducentem captiuitatem, vna cum Abraham gregatim adducti sunt in conspectum Dei, ibi recumbentes cum Abraham, Isaac, & Iacob. *Quoniam dij fortes terræ.* Iidem sunt, Dij dicti, quia ad eos sermo Dei factus est, & quia in nomine Dei operabantur, & Deus in illis. Hanc enim esse rationem, ob quam hominum aliquis Deus dicatur, docet Ambrosius. Et Dij terræ dicti sunt, quia in nomine Domini, terrenis hominibus præpositi, ijs per Dei virtutem præualuerunt, vt Moyses Pharaoni, cuius à Deo Deus constitutus est, ijsque in Dei nomine terrori, venerationi, & saluti magna cum virtute fuerunt. Hi ergò *vehementer eleuati sunt*, quia ad conspectum Dei atque consortium angelorum subleuati, etiam ipsi in Christo, vt ait Apostolus, consederunt ad dexteram Dei Patris.

Serm. 8. in Psal. 118.

PSALMVS XLVII.

Laus Cantici filijs Core secunda Sabbathi.

PEr secundam Sabbathi D. Aug. intelligit Feriam secundam, asserens Psalmum hunc ob id secunda Sabbathi prænotari, quia secundo die creatum est firmamentum, cuius creatio prefigurabat Ecclesiæ ædificationem, quæ est firmamentum veritatis, cuius fundatio in hoc Psalmo describitur.

1. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto*

sancto eius. in cælesti beatitudine, in qua peculiariter magnus & laudabilis nimis Deus esse dicitur, quia ibi magnitudo eius reuelatur, & quantopere eius sublimitas omnem facultatem laudantium exuperet, agnoscitur.

Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion. i. Ecclesia huius temporis, idque quia per vniuersam terram dilatatur, & vbicunque fundatur ibi gaudium oritur, sicut in Actis scriptũ legimus. Factum est gaudium magnũ in illa ciuitate, &c. *Latera Aquilonis ciuitas Regis magni*. i. ait Amb. qui erant antea latera Aquilonis facti sunt ciuitas regis magni, quia ad Ecclesiam, ciuitatem Dei peregrinantem, relicta impietate transierunt. Impij autem & dæmonum cultores dicuntur latera Aquilonis, quia, vt explicat Ambros. socij sunt diaboli, ei inhærentes, ac velut eius satellites vel stipatores aut asseclæ eius voluntati obsequuntur. 2. *Ser. 11 in Psal. 118.*

Deus in domibus eius Ecclesiæ scilicet istius, *cognoscetur*. q. d. Sicut inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; & sicut Deus olim dictus est Deus Abraham, Isaac & Iacob, quia ex eorum fide & moribus Deus verus multis innotuit, ita etiam in domibus Ecclesiæ quas Deus inhabitat, qui sunt Apostoli, principes, alijque veri Dei cultores, ipse Deus quis sit & qualis sit, apparebit: Imò & in domibus ijsdem Deus ipse loqui, docere, & præcipere cognoscetur: Ideoque verbum quod annunciant recipietur, non vt verbum hominum, sed sicut verè est verbum Dei, cognoscentque passim, quod mandata eorum verè Domini sint mandata. *Cùm suscipiet eam*. q. d. tùm demum splendor hic refulgentis è domo sua Dei ab infidelibus & quibuscunque alijs cognoscetur, *cum eam*, quoad eos qui Ecclesiæ aggregandi sunt, gratiæ suæ ope illustrandos *susceperit*. Sicut fatebatur Augustinus. Cùm cepi, inquit, videre, tu me assumsisti vt viderem. Hæc res declaratur ab Apostolo cùm dicit: Si omnes prophetent, intret autem in conuentum vestrum infidelis quis, cõuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. & sic in faciem suam cadens, adorabit Deum, pronunciãs quod Deus in vobis sit: Ibi ergo Deus in domibus, siue conuentibus Ecclesiæ, cognoscebatur. 3. *1. Cor. 14.*

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum. q. d. quod admiratione dignum est, etiam reges per omnem terram gregi discipulorum ad audiendum verbum Dei se tandem associare ceperunt, vt in Psalmum 2. dictum est. 4.

Ipsi, Reges scilicet Dynastæ & Principes *videntes*, aut miracula, aut doctrinæ Christianæ veritatem per nonnullam, quæ eis aperiebatur, intelligentiam, *sic admirati sunt* præstantiam, æquitatem, & soliditatem doctrinæ Christianæ: vt manifestum est in Sergio Paulo, qui credidit admirans super doctrina Domini. Quidam verò eorum *conturbati sunt* præ testimo- 5. *Act. 13.*

nio conſcientiæ ob vitam malè prius tranſactam eos remordentis. Eorum alij *commoti ſunt* confuſione aut compunctione, quin & amore diſciplinæ Chriſtianæ. Inter cætera, & *tremor apprehendit eos*. Quod manifeſtè pa-
Act. 24. tuit in Præſide Felice, qui diſputante Paulo de iuſtitia, caſtitate, & iudicio futuro, tremefactus dixit Paulo; quod nunc attinet, vade, &c.

6. *Ibi*.i. in regum & principum ſiue magnatum cōuerſione, *dolores vt parturientis*. Qui dolor in primis eſt in prædicatoribus fidei; multum enim ſollicitudinis, laboris, anxietatis ſubire debent, multumque eis exhibere officij, donec Chriſtus formetur in eis. Sunt & dolores parturiētis in ipſis regibus, qui quoniam in omni ſuperbia, luxu, & libertate enutriti ſunt, maximos dolores animique pugnas ſuſtinent, cum priſtina conſuetudo ab eis auellitur, imò tantos, ac ſi viſcera eorum ab eis præciderentur. Multo quoque niſu laborant priuſquam noui, quem conceperunt, ſpiritus fœtum per bona opera in lucem edant. Non tamen dolore parturiendi fatigati à ceptis ceſſare debebunt, quia Dominus cuius ſpiritu parturire ceperunt, augebit eis ſpiritum ſuum, vt tandem feliciter pariant. Ideo *in ſpiritu vehementi*. i. magno ſpiritus tui impartito incremento. *Conteres naues Tharſis*, hoc eſt, ad nihilum rediges eos qui nauigant ſæculum, quia amorem ſui & ſæculi, eos à partu nouæ vitæ retardantem, per abundantiam tui ſpiritus ſuperabis. Porrò ſeculares homines aptiſsimè nauibus comparantur: vt enim naues omni vento, ita iſti omni deſideriorum genere huc illucque feruntur; quin & circumferuntur omni vento propitiæ ſibi doctrinæ, & inter ſæculi curas periclitantur, fluctuant, & ſubinde merguntur. Comparantur & nauibus *Tharſis*. i. Carthaginis, quæ denotat altitudinem ſæculi, vt ſignificetur quod non ſolum ſæculum, ſed eius etiam altitudo vehementi ſpiritu Domini conterenda ſit. Poſteaquam autem Eccleſia noui teſtamenti temporis ſucceſſu prouectior facta, in ſe impleri vidit, quod per prophetas prædictum eſſe non ignorauit; inter quæ eſt, quod ipſa dilatanda eſſet vſque ad terminos orbis terrarum, & quod Reges futuri eſſent nutritij eius, & Reginæ nutrices, huius rei conſideratione mirificè delectata exclamare cepit.

7. *Sicut audiuimus* à prophetis eſſe prædictum, *ſic vidimus* eſſe impletum *in ciuitate Domini virtutum*, cuius prædictiones à nemine ſuo euentu fru-
In epitaph. Paulæ. ſtrari poſſunt. *In ciuitate Dei noſtri*. i. Eccleſia huius militiæ. D. Hieronymus tamen hunc verſiculum extendit ad eos, qui in ciuitatem Domini cæleſtem intrantes, incipiunt oculo ad oculum videre, quod antea auribus de beatitudine illius ciuitatis acceperant: *Deus fundauit eam* præſentis temporis Eccleſiam *in æternum*; ſic vt nunquam de hoc ſæculo ſit vel ad momentum interitura. Quod hic dicitur contra vanam præſumptionem paganorū, qui eam ſexcentis tantū annis duraturam tēpore Auguſtini iactabant.

Suſce-

Suscepimus Deus misericordiam tuam. i. Christum tuum, qui ex summa misericordia ad nos in carnem missus est: Suscepimus autem eum in hunc mundum per incarnationem *in medio templi tui*. Templum Domini hoc loco vniuersalis est Ecclesia ab Adam à lapsu fidem recipiente cepta, & vsque in finem mundi duratura. In huius Templi medio susceptus est ab Ecclesia per incarnationem Christus, quia cum decursus Ecclesiæ penè ad sui temporis medium peruenisset, Dominus secundum carnem natus est. Visum enim fuit Deo Patri nec statim in principio mittere Christum, nec eius aduentum in finem mundi differre, itaque in medio Templi, hoc loco idem est cum eo quod Abacuc prænunciat; In medio annorum notum facies. Vel, *in medio templi tui*. i. in medio nostrûm conuersantem, sicut dicit Ioannes; Medius vestrûm stetit. Denique in medio, quia omnibus expositum, sufficientem, promptum. Quod enim huiusmodi est, in medio esse docet diuus Augustinus. 8.

Prosp. resp. 1. ad exc. Genuens.

Abacuc 3.

in psal. 75

Secundum nomen tuum Deus. i. sicut tu Iosuæ 3. Dominus vniuersæ terræ dictus es, & ab Isaia prædictus es vocandus Deus vniuersæ terræ, *sic & laus tua in fines terræ*, quia nomẽ tuum per vniuersam terram prędicatum, vbique ob impartitam gratiam reconciliationis laudatur. *Iustitia plena est dextera tua.* Quo significatur, quod Deus gratiam iustificationis abundanter & in multos esset effusurus. 9.

Isaie 57.

Lætetur mons Sion, qui Ambrosio Christus est, de quo Ieremias: Bedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. Ille enim lætatur in dilatatione & sanctificatione Ecclesiæ suæ. *& exultent filiæ Iudæ.* i. filij Ecclesiæ *propter iudicia tua Domine*, quæ cum eis in bonum exercuisti. 10.

Circundate Sion. i. vos qui Ecclesiæ nondum adiuncti estis, vndique de circuitu ad eam conuenite, eique vos copulate. Ideò enim diuino consilio Ecclesia Hierosolymis in medio terræ orta est, & petra Ecclesiæ sedes Romana in medio ferè terræ est constituta, vt omnibus exposita, omnes vndique ad eam posſint commodè concurrere, ipsaque semetipsam ad omnes, tanquam ad omnes æqualiter pertinens, æqualiter posset extendere. Ideo cum prophetæ multiplicationem Ecclesiæ prædicunt, ad eam tanquam in medio terræ erectam, & collocatam hoc ferè modo loquuntur. ad dexteram & ad læuam penetrabis. Et alibi, dicam Aquiloni, da: & austro, noli prohibere. Et iterum: Læua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, & venerunt tibi. & similia: *Et complectimini eam* amore fraternitatis, vt singuli omnium, & omnes singulorum studia, merita & officia, voto, fauore, veneratione & cooperatione prosequamini, foueatis, adiuuetisque; omnes singulorum necessitatibus, & periculis condoleant & subueniant, vt per hunc complexum, seu fraternitatis amorem 11.

tota Ecclesia sit in singulis, & singuli in tota. Sic æmulationes cauentur & schismata, & corpus ipsum sic compactum & connexum multum proficit in
Lib. 1. offi. cap. 29. ædificationem sui. De hac Ecclesiæ vnitate Amb. Ecclesia, inquit, in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Et quia Ecclesia per hunc complexum tota est, & operatur in singulis, ideò consequenter toti Ecclesiæ dicitur: *Narrate in turribus eius.* quibus verbis Psaltes Ecclesiam ad euangelizandum hortatur, non vt euangelizet in singulis, sed vt tota & singuli euangelizēt in Ecclesiæ *turribus*, qui sunt Episcopi eius. Sicut enim turres in muris ædificantur speculandi & propugnandi gratia, ita Episcopi in Ecclesia, quæ murus est, sublimantur, vt de celsitudine status
Cant. 8. & eminentiæ suæ Ecclesiæ prospiciant, eamque propugnent. De qua re sic sponsa in Cāticis; Ego murus; quia tota Ecclesia veritatis immobile firmamentū est; & vbera mea sicut turris, quia illi per quos pasco populos, sublimitate potestatis turriti sunt, sicut & prouidēdi seu speculandi officio. De hac re & Isaias: Super muros tuos Hierusalem constitui custodes (qui sunt ijdem qui turres) prædicabūt gentibus fortitudinem meam; quia prædicationis officium sic competit vniuersæ Ecclesiæ, vt tamen ipsa idipsum non exerceat nisi in custodibus suis, ijsque quos ipsi cooperarios elegerint.

12. *Ponite corda vestra in virtute eius.* q. d. Si videritis in ea scandala, aut eos qui operantur iniquitatem, non id vos ab eius vnitate amoueat, sed *ponite.* i. figite, aut immobiliter tenete *corda vestra in virtute eius*, quæ à compluribus eorum qui in ea sunt, ijsque potioribus, inter media scandala colitur, eorumque numerus vos in fraternitatis amore custodiat. Est enim
Cant. 1. nigra, sed & formosa; ideò exclamat, nolite me considerare quod fusca sim, sed magis qua parte formosa; quia consideratio eius partis à qua Ecclesia fusca est, schisma & circa fidem naufragia parturit. *Et distribuite domos eius*, illas scilicet de quibus in principio, Deus in domibus eius cognoscetur: has dico *distribuite* in posteros scilicet, vt à generatione in generationem tales, in quibus cognoscetur Deus, in Ecclesia, tanquam succedentia sibi luminaria, nullis tenebris iugem eorum successionem interpolantibus, indesinenter rutilent. *Vt enarretis* in his scilicet domibus *in progenie altera.* i. populo qui nascetur. Enarretis autem

13. *Quoniam hic est Deus.* i. in particulari demonstretis quis sit verus Deus, & quod ille vnus & idē sit, qui agnitus est à progenitoribus. Et is sit *Deus noster* per incarnationem noster effectus. non enim sufficit in genere credere aliquem esse Deum, aut Christum, sed oportet demonstrare, sicut Paulus, quoniam hic est Christus. Addite autē quod sit Deus *in æternum*, quia in semetipso indefectibilis, & *in sæculum sæculi*, quia sine intermissione à sæculo in sæculum pro vero Deo vnus & idem est agnitus. *Ipse reget*

nos in

nos in sæcula, sicut dixit: Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus; & ideò nec in fide, nec in disciplina tota vnquam deficiet Ecclesia.

PSALMVS XLVIII.

In finem filijs Core Psalmus.

VArijs argumentis dehortatur Psaltes ab amore diuitiarum. Et quia amatores diuitiarum per totum mundum diffusi sunt, diuitiasque amant tam carnales, quàm qui professione sunt spiritales; tam pauperes quàm diuites, ideò ad audiendam hanc suam propositionem inuitat Psaltes omnes gentes, terrigenas & filios hominum, diuites & pauperes, totumque orbem, & dicit:

Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui inhabitatis orbẽ. 1.

Quique terrigenæ. i. de terreno genere terrenis dediti, *& filij hominum* 2.
qui spiritales estis professione, *simul in vnum diues.* i. qui diuitias habetis; *& pauper*, qui tamen eas concupiscitis. Quin & intentos hos suos auditores facere volens, commendat Psaltes ea quæ dicturus est, in primis à rei præstantia, dicens:

Os meum loquetur sapientiam. Ab oportunitate, cum dicit se dicturum 3.
prudentiam. i. ea quæ omnibus hominibus his quos aduocauit, conueniant. Idque meritò addit, ne fortè aliquis eorum audiens sibi solummodò sapientiam propinari, dicat, quid illa ad me? Nec sine causa dicit Psaltes, *meditatio cordis mei loquetur prudentiam*, his enim verbis promittit sermonem, quem prolaturus est, esse quoad rem ipsam multa meditatione bene maturatum, &, quoad sermonis genus, esse ad captum & gratiam auditorum bene accommodatum. Denique vt orator iste auctoritatem sibi conciliet, ne sapientia, quam speciosè promittit, tanquam ab eo adinuenta, & excogitata, & ob id attentione indigna iudicetur, declarat vnde eam acceperit, dicens:

Inclinabo in parabolam aurem meam. q.d. priusquam eloquar, ipse prius 4.
inclinabo. i. humilitate discentis audire conabor, quid loquatur in me Dominus. Hoc autẽ parabolam vocat, quia omnis veritas, etiã quam Deo dicente discimus, hîc veluti in speculo & ænigmate parabolicẽs cernitur. Post hanc vero vitam aderit hora de qua Dominus; Venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar ad vos, sed palam de Patre meo annunciabo vobis. *aperiam in psalterio propositionem meam.* i. cum sermonis festiuitate ac lepore dicam quod dicturus sum, vt sapientia quam profero, & instruat & delectet. Hactenus prooemium Psalmi; nunc audiamus propositionem quam interrogando proponit in hæc verba:

Cur timebo? i. quid mihi timendum erit *in die mala.* i. iudicij? Et respõ- 5.
det,

det, *iniquitas calcanei mei*.i.affectuum, & gressuum meorum, quæ mihi in finem vsque adhæserit. Calcaneus enim extrema hominis significat, cùm dicitur: Tu insidiaberis calcaneo eius. *Circundabit me*, vt ab eius reatu liberari non possim. Metuendum itaque atque sollicitè prouidendum mihi, ne iniquitas mihi, præcipuè verò ne illa calcaneo meo, adhæreat. Sed fortaßis

6. *Qui confidunt in virtute sua*.i.de opibus suis præsumunt dicentes auro, robur meum, & obrizo, fiducia mea: vel, qui de viribus dono iustificationis acceptis præsumunt se absque speciali Dei dono perseuerare posse, vt in-

Epist.208 telligit D. August. Et simul qui *in multitudine diuitiarum suarum gloriantur*, quia ab omnibus adorãtur, suspiciuntur, & etiam à malis communibus præ reliquis eximũtur: Hi inquam, virtute diuitiarum suarum fortasse etiam illius diei calamitatem præ reliquis euadent? sed non erit istud, quia

7. *Frater*.i.Christus; frater dictus, quia de eadem nobiscum humanæ naturæ materia carnem ac simul mortalitatem accepit, vt pretium redemptionis eius de nostro desumptũ, etiam ratione cognationis ad nos arctius pertineret. Hic ergò *non redimet*.i.suæ redemptionis eos quos diximus participes non faciet, *redimet* homo? i. Christo non redimente, poterítne homo peccata sua vlla re aut ratione redimere? q.d. absit hoc opinari, quia Christo non redimente *non dabit* homo quispiam *Deo placationem suam*.

8. *Et pretium redemptionis animæ suæ*. Nihil enim est quo homo semetipsum à peccatis mortalibus de cõdigno, vt loquimur, redimere poßit, nisi

Cap.6. pretium quod Christus frater noster Deo Patri obtulit. Hoc Michæas testatur, cùm dicit: Quid dignum offeram Domino? Nunquid placari poterit Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorũ pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Et Ecclef.7. Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus. Si ergo absque interuentione sanguinis Christi, diuitiæ ne quidẽ in plurima sacrificia aliaq; munera expensæ, peccata redimunt; qua quæso ratione ipsæ peccata per se poterũt redimere? In redẽptionem tamen peccatorum venialium iustificati offerre possunt Deo pretium condignũ in cõpunctione cordis, eleemosynis & similibus operibus ex charitate profectis: sicut & in redemptionẽ pœnæ restãtis peccato dimisso: sed hæc à Deo (qui ob summi dominij excellentiã non obligatur in vllam siue mercedis, siue retributionis compensationẽ, quodcunq; pretium ab homine oblatũ acceptare nisi voluerit, & qua cõditione voluerit) in effectus prædictos nõ acceptantur, nisi intercedente pretio sanguinis Christi. Dicit namq;

1 epist c.1 Ioannes: Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est & iustus vt dimittat nobis peccata nostra; Fidelis, implendo quod promisit: Iustus, non nisi per rei æqualitatem cõpensando id quod acceptauit. Iustitia enim con-

ſiſtit in æqualitate dati & accepti. Si autem ad hanc iuſtam retributionem non interueniret ſanguis Chriſti, ad quid diceret eodem loco Ioannes de illis qui ambulant in luce: Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato? Itaque per legitimam pœnitentiam pro peccatis venialibus, & per ſatisfactiones pro pœnis reſtantibus, adferimus Deo in remiſſionem illorum peccatorum & pœnarum, iuſtum pretium. Quod tamen gratioſè à Deo acceptatur per Chriſtum Dominum noſtrum. Non ergò dicant hæretici, quod ſe non redimat homo, aut quod non dabit Deo pretium redemptionis animæ ſuæ, cum ſcriptum ſit, peccata tua eleemoſynis redime; ſed quod *Daniel. 4.* homo ſe non redimat fratre ſeu Chriſto non redimente. Id enim loco huius Pſalmi conſentaneum eſt, & ab omni hæreſi alienum. *Et laborabit in æternum* diues ſcilicet, quem frater non redimit, quia non erit inter illos, de quibus dicit ſpiritus, quod amodò requieſcent à laboribus ſuis; nec ſedebit in illa requie, quam vocat Iſaias opulentam. *Et viuet adhuc in finem,* *Apocal 14* *Iſaiæ 32.* ſed in miſeria, quia erit ex illis qui quęrent mortem, & fugiet mors ab illis. Igitũr ad interitum æternum confidentem in diuitijs ſuis deducent diuitię. Quid autem illæ eis pariunt in hac vita? ſtuporem. De quo ſequitur.

Non videbit interitum imminere ſibi, *cum viderit ſapiẽtes*. i. eos qui ſaluti ſuæ conſultũ volunt, *morientes* temporaliter ſcilicet. Hi enim morituri de diuitijs ſuis eleemoſynas & reſtitutiones faciunt, ſuumque nimium, ſi quem erga diuitias habuerũt amorem, pœnitendo ſaltem in fine corrigunt; Iſti autem his exemplis nihil commoti antiquum obtinent, nec cogitant interitum ſibi imminere, ex eo quod eis diſsimiles permanent in diuitiarum vſu, amore, vel ſaltem priſtini exceſſus correctione. *ſimul inſipiens, & ſtultus peribunt,* quia vbi de hoc ſæculo exceſſerint, nihil eis ſaluum manebit, eo quod nihil ſibi theſaurizauerint in futurum. Proinde etiam verè dicuntur inſipientes & ſtulti, quia neſciunt præuidere in poſterum. E contrario autem illi qui timent Deum, cum hinc excedunt, ex parte ſolum, vt ſic dicam, pereunt, quia ſolus vſus ſæculi eis deperit, ſuperſunt enim reliquiæ homini pacifico. 9. *Eccleſ. 4.*

Et, iſti qui in multitudine diuitiarũ ſuarum gloriantur, *relinquent alienis diuitias ſuas.* i. talibus, qui etſi ſubinde carne propinqui, animo tamen ſunt alieni, quia vix gratias agunt ijs in quorũ opes ſucceſſerint, multò minus pro eorum ſalute æterna ſolliciti ſunt. Quin & contingit bona ab auaris relicta deuenire in manus alienorum. i. eorum, à quibus dum viuerent alieniſsimi fuerunt, & qui dominabuntur in laboribus eorum. *Et ſepulchra eorum domus illorum in æternum,* quia cum diuite Epulone ſepelientur in inferno, è quo nunquam liberandi ſunt. 10.

Tabernacula eorum. i. palatia, & magnifica ædificia, coloſsi, arcus trium- 11.

K phales;

phales,& similia,quæ hîc construxerunt *in progenie & progenie*. i.permanent in hoc sæculo per multas generationes; sed *vocauerunt nomina sua in terris*,id est,talibus monumentis nihil sibi comparauerunt,quàm quod fecerint nomen suum cum celebritate commemorari in terris, imitati exemplum eorum qui ædificauerunt turrim Babel, vt celebrarent nomen suum. Sed, heu miseri, non curauerunt nomina sua libro vitæ inscribere. Quales autem huiusmodi homines esse, vnde,aut qua via huc deuenisse tu censes, ô Psaltes?

12. *Et homo cùm in honore esset*. i. ad imaginem & similitudinem Dei conditus. vel, *in honore*. i. temporalium bonorum sublimitate,*non intellexit*. i.intelligere non curauit quónam sibi tēdendum esset, quídve sibi per temporalem sublimitatem quærendum; ita vt in his verbis accusetur non tam ignorantia quàm intelligendi negligentia & incuria. Et, quia hoc non intellexit,*comparatus est iumentis insipientibus*, quia vt iumenta sectatus est sensibilia: Si autem & intelligibilia, illa sectatus est non ex imperio rectæ rationis sed passionis,cui rationale suum substrauit ac industriam subiecit. Nunquid nō ergo rectè iumentis insipientibus comparatur,cui cum iumentis insipientibus passio pariter principatur? *Et similis factus est illis*,quia istam vitam solùm deputauit vitam, inquit D.Augustinus, post mortē velut pecora nihil sperans. Qua censura interposita redit Psaltes ad institutū, atque deterret à diuitiarum amore ex allegatione periculorū & malorum, quibus se viri diuitiarum obnoxios reddunt,dicitque:

Lib.4 de anima & eius origine cap.11.

13. *Hæc via illorum*, in qua nimirum congregandis, fruendis, augendis ac conseruandis diuitiis student, *scandalum ipsis*,quia præbet eis occasionem, & ponit offendiculum ad multas ruinas,vnde & Apostolus dicit: Qui volunt diuites fieri, incidunt in desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum. *Et postea*. i.vbi in multa peccata inciderint, *in ore suo*.i.mendaci linguæ suæ artificio *complacebunt*. i. peccata sua sic palliabunt,vt videantur sibi iustorum opera fecisse,& ipsi fuco adulationis suę decepti,in illis quæ perperam egerūt sibi complaceant. Quod ab vsurariis fieri,& illis qui minoris iusto emunt possessiunculas quas vendere coguntur fratres necessitate pressi, satis manifestum est: Hæc enim faciendo persuadent sibi & suis se beneficium,vt Leonis verbis vtar,præstare illis quos decipiunt: Quod quid aliud est quàm post scandalum quo lapsi sunt,in ore suo sibi complacere? Talibus proinde D.Leo. Qui opes suas multiplicare desiderat,hac vsurarum arte ditescat,vt non hominum laborantium captet necessitates, ne per dolosa officia laqueos incidat insolubiliū delictorum, sed illius sit creditor, illius fœnerator qui dicit: Date & dabitur vobis. Huiusmodi autem homines,

Serm 6 de ieiunio 10. mensis.

Sicut

Sicut oues in inferno positi sunt.i.certissimæ damnationi iam præparati 14.
& quasi destinati. *Mors* æterna scilicet, *depascet eos*, quia eos sine consumptione consumet. Vel *mors*.i.peccatum *depascet eos* in hac vita scilicet, quia iniquitas quæ in cordibus eorum est, per malorum operum frequentiam ita increscet, vt paulatim omnes vitæ spiritualis & timoris Domini, aut cuiuscunque virtutis vel humanitatis reliquias, si quæ in eis supersint, de visceribus eorum deuastet.

Et dominabuntur eorum iusti in matutino.i.alterius vitæ diluculo. Indi- 15.
cabunt enim sancti nationes & dominabuntur populis. *Et auxilium eorum* in quo tempore suæ mortalitatis confidebant, & quo etiam nonnihil iuuabantur, videlicet opulentia, adulatorum turba, obnoxiorum clientela, & similia, *veterascet in inferno*. i. tanquam quod satis diu in suo vigore fuerit, virtutem vlterius adminiculandi amittet, *à gloria eorum*. i. simul peribit omnis gloria eorum.

Veruntamen Deus redimet animam meam. Loquitur in persona iusto- 16.
rum diuitias contemnentium, *de manu inferi*, ergo melior conditio eorum quàm diuitum. *cum acceperit me* per mortem ex hac vita. vel *acceperit me*, i.curam salutis meæ in se susceperit. Et quandoquidem res hæc ita se habet:

Ne timueris, tu pauper.i.ne tanquam rem magnam suspexeris, & eos tãquam felices admireris, teque eorum comparatione arbitreris infelicem, *cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius*, Et quam ob causam?

Quoniam cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria 17.
eius: Quantalibet enim adijciat, quantalibet condat & congerat, inops de hoc mundo & egenus abscedet, inquit Leo, ergo res vsque adeo transitoria non est suspicienda. *Leo vbi supra.*

Quia anima eius in vita benedicetur. i. beata prædicabitur, & tempora- 18.
lem tantum huius vitæ benedictionem sortietur. *confitebitur tibi cum benefeceris ei*.i.tantum ob perceptionem bonorum temporalium gratias tibi aget, ô Deus, à germano & filiali tuo amore alienus.

Introibit vsque in progenies patrum suorum.i.& ipse post mortem con- 19.
gregabitur ad patres suos, sed illos quorum vanitatem hîc imitatus est. *& vsque in æternum non videbit lumen*, quia mittetur in tenebras exteriores siue extremas. Quæ cùm ita sint, meritò hîc iterum quod prius dixi repeto:

Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insi- 20.
pientibus, & similis factus est illis.

PSALMVS XLIX.

9 Dec ult. cap. vlt. DEus deorum Dominus: Dij iſti, vt notat Auguſtinus, ad quos ſermo Dei factus eſt, ſunt Apoſtoli eorumque filij. Horum deorum Deus Dominus dicitur, quia creaturæ ſunt, & diuinitatem habent participatione non plenitudine. Ex quo cõſequitur, quod filius Dei Chriſtus ſecundum diuinitatem ſuam non ſit Deus per participationem, ſed per naturam, quia Deum verum compellans, non dicit: Confiteor tibi Domine, ſed, Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia Deus Pater eſt
5. Theſ c. 5 Verbi, Dominus autem creaturæ, vt notat Cyrillus: Iſte autem Deus deorum Dominus Chriſtus eſt, qui *locutus eſt* tempore mortalitatis ſuæ per os ſuum. *& vocauit terram*

1. *A ſolis ortu vſque ad occaſum*. i. Eccleſiam ſuam quæ à conuocatione nomen ſuum habet, ad veritatis cognitionem per ſuos Apoſtolos collegit. Et quia Chriſtus in Ieruſalem & Iudæa corporaliter apparuit, & ex Sion lex Euangelij exiuit, verbumq; Domini de Ieruſalem: ideo ſequitur: *ex Sion ſpecies decoris eius*, quia ſpecies formæ eius (de qua Pſal. 44.) in
Aug. 4 cõt. Sion apparuit, & ex ea prædicatio incarnationis eius omni terræ innotuit.
Creſc c. 54 Sed cùm in carne appareret, gloria latẽtis in eo diuinitatis per ſigna & quaſdam ſcintillas miraculorum, aliorumque indiciorum tenui ſolummodo coruſcatione micauit: Veruntamen cum ſecundò ad iudicium venturus eſt;

2. *Deus* idem Chriſtus ſcilicet *manifeſte veniet*, quia veniet in maieſtate
Cypr. de pa ſua, ita vt omnibus manifeſtum futurum ſit, quod ipſe ſit Chriſtus. *Deus*
tien. in fine *noſter & non ſilebit*, tunc enim loquetur ad impios, quos ante in multa patientia ſuſtinuit, & ſua benignitate ad pœnitentiam prouocauit, in ira ſua.
Cap. 42. De qua re dicit per Iſaiam: Tacui ſemper, ſilui ſemper, patiens fui, quaſi
Cypr loco parturiens loquar, diſsipabo & abſorbebo ſimul: Qui non ſilebit iudicatu-
citato, & rus, ſicut ſiluit coram tondente, cùm eſſet iudicandus, inquit Cyprianus.
Auguſ. 20.
de ciu. c 24 *Ignis in conſpectu eius exardeſcet*, hoc de igne conflagrationis intelli-
3. gendum videtur, per quem iuſti qui illo tempore inuenientur in viuis, ab omnibus peccatis expediti, tranſibunt illæſi, purgabuntur vero illi qui ædificauerint ſuper fundamentum Chriſtum, lignum, fœnum, ſtipulam: torquebuntur denique impij & per eum tranſibunt in ignem æternum. Vnde ſubijcitur: *Et inflammabit in circuitu inimicos eius*. Ad illos verò iuſtos
20 de ciu. qui ante illum diem fuerint mortui, non pertinget ille ignis. Si verò Augu-
ca. vlt. & ſtinum ſecuti arbitremur ignem conflagrationis iudicio extremo fore po-
epiſt. 80. ſteriorem; Ignis ante eum præcedens erit ignis damnationis, qui iudicium præcedet quoad ſui manifeſtationem, quia impijs cum horribili terrore iam ante exceptam damnationis ſententiam apparebit, ita vt ante damnationem videant

videant clibanum in quo perpetuò cruciandi erunt, fumantem, igneosque suos globos vomentem. Hoc futurum esse insinuat Apocal. c. 18. vbi dicitur: quod negotiatores terræ à longe stantes videbunt fumum incendij eius. Et post; Videbunt locum incendij eius. Et D.Hieronymus in c. 9. Dan. Ignis ait in conspectu eius exardescet, vt peccatores tormentorum magnitudinem extimescant. De quo igne arbitror psalmum rectius intelligi, eò quod iste solos inflammaturus sit Domini inimicos. *Et in circuitu eius tempestas valida*, quia virtutes cęlorum mouebuntur, &c, vt dicitur Sapientiæ 5. Armabitur creatura ad vltionem inimicorum, ibunt enim, &c. Excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Turbidus itaque hic violentus & procellosus totius mundi motus tempestatis nomine aptissimè significatur. D. Augustinus tamen hanc tempestatem metaphoricè intelligit, dicens per eam significari virtutem Dei separantem paleas à tritico, eo quod tẽpestatis flatu palea corporaliter à tritico separetur.

Aduocabit cœlum desursum, veniet enim iuxta Zachariam c. 14. Do- 4.
minus & omnes sancti eius cum eo. Et Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. *Et terram*, i. eos qui in terra tum temporis viui reperientur, sub quibus comprehendi debent & illi qui tum temporis in pœnis purgatorij & in inferno detinebuntur, quos expreßè Apocal. c. 20. designauit iudicio exhibendos vna cum ijs quos mare. i. præsens seculum iudicio exhibebit. Dicit enim: Mors & infernus dederunt mortuos suos. Per mortem iuxta Augustinum eos intelligens, qui tum temporis à corporibus suis separati, non erunt in inferno: Per infernum verò eos qui tum in eo erunt. Hos itaq; omnes aduocabit, *discernere*, i. vt discernat *populum suum*, iustos videlicet ab impijs. Pro quo supra orabat Psaltes: *Iudica me Deus & discerne causam meam, de gente non sancta*. Et pro diuersitate meritorũ vel demeritorum diuersis quoque præmijs aut supplicijs eos adiudicet. Et quia in illa die exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, ideo Psaltes nunc sermonem ad hos Angelos conuertit & dicit:

20. *de ciui. cap.* 15.

Congregate illi. i. ad dexterã eius in vnum colligite, malis in sinistram 5.
eius detrusis, *sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia*. In quibus verbis per sacrificia D. Augustinus intelligit bona opera, dicitque illos testamentũ ordinare super sacrificia, qui bona sua opera ad illum finem boni retulerunt, quo veraciter beati esse possumus: Sicut per nouum testamentum præceptum est vt faceremus. Nihilominus per sacrificia aptè intelligimus sacrificia veteris legis, ita vt per illa insinuetur tota lex tanquã à parte totum. Secundum quam acceptionem illi ordinant testamentum super legem, qui non in lege iustificari volunt, sed per nouum testamẽtum legem implere, qui quidem soli sancti sunt, quia nihil ad perfectum seu ve-

ram salutem adduxit lex. Porrò cum sufficisset Psaltis præposito dicere, congregate illi sanctos eius, voluit tamen addere alteram partem, vt ex commemoratione veterum sacrificiorum acciperet occasionem transeundi ad reprobandum illum veteris legis & sacrificandi vsum qui olim à carnalibus obseruabatur, ideo paulo post subijcit: *non in sacrificijs tuis arguam te hodie.*

7. *Et annunciabunt cæli.* i. præcones Euangelij, *iustitiam eius*, iudicis scilicet, quia, vt inquit D. Thom. cooperabūtur, vt vnicuique innotescat causa saluationis & damnationis tam sui quàm aliorum; vt ea ratione sententia iudicis appareat euidenter iusta: Vel, *annunciabunt cæli.* i. omnes Sancti, *iustitiam eius.* i. approbabunt eam, inquit ibidem D. Thom. *Quoniam Deus iudex est.* i. Quoniam principalis iudicādi authoritas in Deo residet, & ab eo communicatur Christo secundum humanam naturam. Propterea ergo dixit, quod *cæli annunciabunt iustitiam Dei*; quia Sancti in ferenda sententia non possunt parem iudicandi cum Christo habere auctoritatem: sed auctoritate iudicandi à Christo accepta, eius erunt assessores & astipulatores.

Comp. theolog. p. 2. cap. 61.

8. *Audi populus meus*: Occasione eius quod prædixit illos congregandos qui ordinant testamentum Dei super sacrificia, nunc Psaltes in persona Dei, Israhel secundum carnem alloquitur. Et primo carnalem illius in offerendis sacrificiis sensum ac opinionem redarguit: deinde etiam ipsa carnalia sacrificia cultu etiam non carnali oblata, suo tempore auferenda esse insinuans, alia sibi offerenda esse demonstrat, & dicit: *Audi populus meus.* Sic Israelem compellans ob peculiarem Dei erga populum illum prouidentiam, de qua Moyses, Pars autem Domini populus eius. *Deus Deus tuus ego sum*: Dicitur Deus, Deus simpliciter per naturam; Deus aliquorum, ob gratiam aut curam illis impensam.

Deuter. 32

9. *Non in sacrificiis tuis arguam te hodie.* i. in hac correptione ad quam audiendam te per præsentia verba aduoco, non arguam te quod neglexeris demandata tibi legalia sacrificia offerre, quia *holocausta tua in conspectu meo sunt semper.* i. indesinenter offers quę secundum legem præscripta sunt: Sed arguam temeritatem tuam, qua persuades tibi mei gratiâ te mihi offerre quæ offers; Itaque testificor tibi quod

10. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.*

11. *Quoniam meæ sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus & boues.*

12. *Cognoui omnia volatilia cæli*, quæ per sapientiam feci, & per prouidentiam dirigo atque dispono. *Et pulchritudo agri.* i. maturi fructus agri, inquit Cyrillus, *mecum est.* i. non nisi me conseruante superest. Igitur siue de gregibus, siue de volatilibus, siue de frugibus terræ offers, non est quod ea

10. in Iul.

mihi

mihi tanquam indigenti siue ad manum non habenti offeras. Proinde,

Si esuriero.i.aliquo horum in memetipso(quod tamen impossibile est) quouis modo indiguero. Addo in memetipso,quia dicitur Deus aut Christus istis indigere in membris suis. *non dicam tibi*, vt meæ indigentiæ per oblationem subuenias, *Meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius*: & ob id non est quod cogites te meæ indigentiæ per oblationes subuenire. Imò hostijs atque muneribus tuis non solum non indigeo, sed cum talium mihi magna copia sit, ego eis non vtor. 13.

Nunquid enim *manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?* Igitur hæc nec indigentiæ meæ, nec vsibus meis secundum se offerenda sunt. Dicitur quidem in scripturis sacris Deus odoratus ex sacrificio Noë odorem suauitatis, sed vt bene dicit Tertul. Quæ iucũditas siue viscerum veruecinorum siue nidoris ardentium victimarũ? Sed animus simplex & Deũ metuens offerentium ea quæ à Deo habebant, & pabuli & suaueolentiæ gratia apud Deum deputabatur, non quæ fiebant exigentis, sed propter quod fiebant ob honorem scilicet Dei. Hæc Tertull. Cui consentit Cyrill. dicens, quod Deus carnalia illa veterum sacrificia accepta habuerit, non ad id quod fiebat respiciens, sed animum colere volentium examinãs. Quibus accedit quod Deus illa grata habuerit, quia præsignabant paßionẽ & mortẽ Christi venturi, sicut Ecclesiæ oblatio continet memoriam præteriti, vt docet D. Augustinus. Hactenus ergo Deus arguit carnalem & Deo indignam intẽtionem Israëlis sacrificia sui temporis offerentis. Quam eorum intentionem Deus, si Epiphanio credimus, etiam arguit, cùm per Prophetas eisdem dicit: Vt quid mihi thus de Saba affertis? Et: Non præcepi vobis de verbo holocaustomatum, quasi videlicet ipse egeam illis, aut illa ego, vt ita dicam, pro me velim, inquit Epiphanius. Post quæ insinuat Dominus Israëlis sacrificantis intentionem non solum corrigendam esse, verum etiam ipsas hostias ab eo oblatas penitus abolendas, & in aliam hostiam permutandas: De qua re sic dicit: 14.

Tert. 2 cõt. Marc. c. 22

10. in Iul.

10. de ciui. & 20. cõt. Faust. c. 18

Epiphan in hær. 42

Immola Deo sacrificium laudis, & redde altißimo vota tua. 15.

Et inuoca me in die tribulationis tuæ, eruam te & honorificabis me. Qua versuum connexione sicut Psal. 39. ita & hîc Spiritus S. aufert prius vt sequens statuat, si Cypriano credimus & Turtull. Sacrificium autem sequens quod prioribus repudiatis nouo populo statuit Deus, vocatur à Tertulliano & etiam Cyrillo sacrificium spiritale: Ait namque Cyrillus: Nos tam crasso (veteris testamenti) ministerio relicto preceptum habemus, vt tenue & spiritale ac subtile perficiamus. Quod tamen non sic intelligi debet quasi sacrificium noui testamenti esset solummodo inuisibile; sed dicitur spiritale, cùm tamen sit externum ac visibile, quia nõ carnali sensu, vt mox de veteribus 16.

Cyp. 1. adu. Iu. ti. 16

Tertul. adu. er. Iu c. 5

Cyril. 10. in Iul.

teribus factum esse diximus, sed spiritali deuotione est offerendum. Dicit
Li.4.c.34. proinde Irenæus: Oportet nos oblationem Deo facere in sententia pura, in fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione feruenti, primitias earũ quæ eius sunt creaturarum offerentes, & hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. In quibus verbis auditur Irenæus sacrificium spiritale requirere; non excluso,
1.cõt. adu. legis & proph.c.20 sed spiritaliter oblato, externo sacrificio: cui cõsentit Augustinus id quod hîc in Psalmo dicitur, expressè de sacrificio noui testamenti externo, quod vulgò Missæ dicimus, explanans: Ecclesia, inquit, quæ ab Apostolorum temporibus per successiones Episcoporum certissimas vsque ad hæc nostra tempora & deinceps perseuerat, immolat Deo in corpore Christi sacrificiũ laudis, ex quo Deus deorum locutus est & vocauit terram. Quod deinceps ex prophetia Melchisedech & Malachiæ pluribus demonsttat. Ne autem id ab Augustino voluntariè dictum esse putetur, operæ pretium erit obseruare quàm aptè, plenè & propriè Psalmi verba sacrificium Missæ circumscribant. Quod enim repudiatis pluribus veteris testamenti sacrificiis, exigat Deus vnum in singulari numero sacrificium; quid aliud innuit quàm quod
Serm.11. de pass. Leo dixit: Omnes legalium sacrificiorum differentias vnam Dominici corporis & sanguinis oblationem impleturam esse. Quod dicitur: *Immola sacrificium*, quid aliud importat quàm in sacrificio, ad quod adhortatur, fieri immolationem? Quod bene competit sacrificio quo vniuersa post Christum Ecclesia vtitur. In eo enim Christus per consecrationem corporis sui à consecratione calicis separatam, sacramentaliter immolatur. Quod verò sacrificium de quo Psaltes loquitur, appellat sacrificium laudis; quam benè id quadrat in sacrificium Missæ, quod est sacrificium eucharisticum? præsertim quia est ab auctore Christo cum gratiarum actione primitus oblatũ. Et quod addit: *Redde altißimo vota tua*; quid indicat nisi se de illo sa-
In psal.21 vers.27. crificio verba facere, in quo, vt diximus, populus circumstans reddit vota sua æterno Deo viuo & vero? Quod præterea subiungit: *Et inuoca me in die tribulationis tuæ*; quid nos docet nisi sacrificiũ hoc pro quibusuis populi necessitatibus cum inuocatione diuinæ clementiæ offerendum esse?
De Spiritu S. cap.27. Vnde & D. Basilius fatetur sacrificio Missæ adhiberi verba inuocationis, cùm videlicet conficitur & ostenditur hostia, quæ etiam testatur Ecclesiam habere ex traditione. Ad hæc cùm dicit: *Eruam te*, quid persuadet nisi inuocationem in sacrificij oblatione factam, prouentum spectatum ex Dei promissione consecuturam esse? Postremò quod dicit: Honorificabis
20.cõ Fau. c 21 & li 83. quæst. quæst.61. me; quid sibi vult nisi sacrificium quod demandat ad diuinos honores pertinere? Et proinde esse propriè dictum sacrificium: cuius oblationem ad diuinos honores pertinere testis est Augustinus. His itaque ita expositis, perse-

perseuerat nihilominus Psaltes in cepta correptione, quam tamen nunc conuertit ad eos qui verba Dei prædicant, sed opere non implent, imo reipsa oderunt quæ prædicant & dicit:

Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias tuas? Quod Augustinus dici putat ad insinuandum quod prædicatio veritatis talibus prędicatoribus nihil prosit, non autem quasi eiusmodi euangelij præcones ab Ecclesia tolerandi nō sint, cùm Apostolus ad Phil. 1. toleret eos qui Christum annunciabant ex contentione ac inuidia. Illis tamen quæ sequuntur attentis videtur Psaltes præsenti correptione eiusmodi prædicatorem magis arguere sacrilegij quam infructuosi laboris. Quid enim sibi volūt: *Tu verò odisti disciplinam*, & reliqua, nisi vt insinuent rem indignā esse quod eius mentis vel potius amentiæ homines prædicent verbum Dei? ita vt horum verborum emphasi bene attenta quidam doctores doceāt eos qui peccati mortalis sibi conscij annunciant verbum Dei, priori peccato mortali alterum adijcere. *Et aßumis testamentum meum per os tuum*; Dicit, *per os tuum*; quia prohibet sublimitatem, non autem dicit per cor tuum, quasi excludens correctionem, inquit Ambrosius. 17. 2 cōt. Parmen. ca. 11 Serm. 6 in ps. 118. v. 3

Tu vero odisti disciplinam; quia eam non solum non colis, sed eius cultores quibus potes modis ab officio impedis & persequeris. *Et proiecisti sermones meos retrorsum*, odiosè vel fastidiosè renuens ad eorum præscriptum mores tuos, & conuersationem corrigere vel efformare. 18.

Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. i. furti eius te participem faciebas, vel consilio, fauore, cooperatione, vel placito cordis, inquit Augustinus. 19. Epist. 164

Os tuum abundauit malitia, murmure, susurratione, detractione, maledictione, & similibus. *Lingua tua concinnabat.* i. callidè adornabat *dolos*; quibus proximum blandè in fraudem induceres, & domos viduarum deuorares, & id tanta solertia, vt dolum subesse acutissimus quisque vix deprehenderet. 20.

Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris. i. non raptim, non per imprudentiam aut facilis linguæ lapsum, sed ad hoc de industria te componebas, vt illa loquereris quæ fratri tuo quauis in re aduersarentur, eras enim vir habens spiritū contradictionis. *Et aduersus filium matris tuæ.* i. paruulum in fide filium Ecclesiæ adhuc lacte nutriendum, inquit August. ac si diceret, vnum de pusillis istis qui in Christum credunt, *ponebas scandalum*; quia tuis exemplis & dolosis verbis eum in peccandi facilitatē, impœnitentiam benefaciendi ignauiam, multarum virtutum necessariarum obliuionem præcipitasti. *Hæc fecisti & tacui.* i. inusitato aliquo signo hāc tuā iniquitatem non reprehendi; Alioqui per scripturā Deus eam improbare nō cessat. 21. 2. cōt Parmen. cap. 9

22. *Existimasti iniquè*.i.iniqua opinione vel persuasione *quod ero tui similis*. i.quod de omnibus his idem tecum habiturus sim iudicium. Hoc dico, iniquè existimasti, quia iniquum est hominem, & præsertim peccatorem, Deum Deique iudicium velle ex se æstimare: Quo tamē hominibus in quibus non est Dei timor, nihil æquè familiare. *Arguam te*, in die iudicij. Et quo quæso modo? Iniquitatis tuæ tibi facta notificatione atq; ingesta confusione. Iudicat enim Deus cognitione siue illuminatione cordium, non

In Lucam. interrogatione factorum, ait Ambr. *Et statuam contra faciem tuam.* Vt quocunque te verteris, iniquitatem tuam tibi obuersantē habeas: ita vt nec dissimulationi, nec excusationi, nec effugio inuenias locum, tantum abest vt sim futurus tibi similis. Quæ postquam Psaltes in Dei nomine cecinit, ipse nunc ex fraterna charitate ad eos quibus Deus hęc comminatur sermonem conuertens, suis eos exhortatur verbis, & dicit:

23. *Intelligite hæc*.i.has minas priusquam eueniant, *qui obliuiscimini Deū*, i.Dei iudicium. *Ne quando rapiat*, ex improuiso te ad iudicium. Quanta

Ambr in Psal. 1. enim, inquit Ambr. ibi prodentur quæ latere credebam! Qui pudor, quæ confusio erit cum is qui profitebar alios docere, ipse in eo deprehendar in quo alios arguebam! *Et non sit qui eripiat*, te à condemnatione & interitu æterno. Quia verò superioribus verbis de sacrificio Missæ expositis, adhuc aliquid deesse videbatur, ideo Psaltes id hic quasi adiecta coronide supplere volens, in persona Dei adijcit:

24. *Sacrificium laudis*, de quo prius verba feci, *honorificabit me*, ea qua diximus ratione. *Et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* i.per tale sacrificium salutem afferam offerenti. Qua adiectiuncula insinuatur sacrificium noui testamenti salutiferum esse, & salutem nobis in vitam æternam proferre.

PSALMVS L.

In finem Psalmus Dauid, cùm venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethsabee.

HIc Psalmus iterum pœnitentis orationem continet, qui quinquagesimo loco ob id repositus est, vt S.Ambros. & August. notant,

Amb. de apolog. Dauid, cap. 8. Aug. præf. in psal. 50 quia numero quinquagesimo remissio in scripturis designatur. Occasionem Psalmo dedit lapsus Dauid cum Bethsabee; increpatio verò Nathan eundem ad compunctionem cordis his versibus expressam extimulauit, qui pœnitentibus formulam orandi suppeditant, affectumque eorum excitant ad compunctionem.

1. *Miserere mei Deus.* misericordiam implorat, quia procul abest à Pela-

Epist. 106 gij præsumptione, qui, vt notat D.August. docebat peccata pœnitentibus ex iu-

ex iustitia remitti. Verum quidem est, quod Deus pœnitentibus remissionem promisit; sed sola Dei promissio non constituit inter promittentem & accipientem rationem iustitiæ, sed obligat promittentem ad seruandam suæ promissionis fidem. Ideo & Deus in scripturis sacris ex præstitis iis quę promisit, non dicitur iustus; sed verax, aut fidelis. *Secundum magnam misericordiam tuam.* i. pro ratione magnæ misericordiæ tuæ, quæ tanta est, vt diuinæ magnitudini æquetur. Ait namque de Deo Sapiens: Secundum magnitudinem eius, sic & misericordia eius cum ipso est. Si ergò speretur misericordia peccatoribus impendenda pro ratione misericordiæ diuinæ, inde consequitur nullius quantumuis enormis delicti veniam esse desperandam: quia, vt etiam D. Basilius notauit, omne peccatum est finitum; misericordia autem Dei secundum quam indulgentia pœnitentibus dispensatur est infinita. Eccli. 2.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatē meam. 2.
misericordia affectum, miseratio miserendi denotat actum, vt notat Gregorius: Dicit ergò *secundum multitudinē miserationum.* i. pro ratione multitudinis miserationum tuarum; quia vt diuinæ misericordiæ magnitudo, ita & eius multitudo pro ratione diuinæ amplitudinis effunditur, vt proinde neminem multitudo, vel etiam frequentia suorum peccatorum à pœnitentia & spe veniæ debeat auertere.

Amplius laua me ab iniquitate mea. q. d. non solum reatum æternorum 3.
suppliciorum misericorditer deleri efflagito; sed *amplius*, siue præter id ipsam iniquitatem ac peccati malitiam de corde meo deleri: sicut hortabatur Propheta: Laua à malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias. *& à peccato meo munda me.* multipliciter repetitis verbis, vt notat loco citato Ambros. idem ferè inculcat, vt doceat orationem pro peccatorum remissione, ipsamque peccatorum confessionem coram Deo non esse perstringendam, aut leui brachio percurrendam. Cæterum, tametsi remissio peccatorum ex iustitia non detur, necesse tamen est, vt in relapsis fides & pœnitentia (quæ D. Augustino eius nonnullum meritum sunt) eam aliquousque promereantur. Quod Psaltes non ignorans cum implorat veniam, etiam veniæ accipiendæ Deo offert causam, dicens: Epist. 105.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me 4.
est semper. Hoc is verè dixerit, quem accusatrix & vltrix sui inquieta semper conscientia excruciat, vt pulchrè describit Ambros. sic tamen si peccator huiusmodi stimulis excitatus se iugiter aut frequenter, vt D. Gregorius docuit, ad pœnitentiæ opera, gemitum scilicet, accusationem & vltionem sui cum oratione & spe veniæ conuertat. Ambros. in Psal 35. Greg Past. curæ p. 3. aduon 30

Tibi soli peccaui. i. tu solus, cum nulli peccato obnoxius sis, iustè & sine 5.

vlla reprehenſione peccatum meum vindicare, & non dimittere potes. ſic
qu. 55. in Deuteron. plerique omnes. Alium tamen ſenſum D. Auguſt. indicat, qui talis eſt. *Tibi ſoli peccaui*. i. tibi ſoli ſum relictus, vel tu ſolus mihi reſiduus es, à quo ſolui & curari poſsim. Medico enim, ait D. Auguſt. vulneratus videtur quodammodò, qui vt ſanetur ſe ſubdit manibus medici, vt in eo medicinæ opus impleatur. *Et malum coram te feci*. Eadem eſt cõfeſsio filij prodigi dicentis: peccaui in cælum, & corã te: Quæ confeſsio videtur indè procedere, quod deploret peccatum ſuum hoc nomine, quia id diſplicuit oculis Domini. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*. particula, *Vt*, non cauſam, ſed euentum denotat. non enim peccandum eſt, vt Deus iuſtificetur, ſed cum peccatum fuerit, tunc Deus occaſionem habet iuſtificãdi ſe in ſermonibus ſuis. Senſus itaque eſt: *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*. i. ex peccato meo, ſi illud remiſeris, proueniet, vt in promiſsis tuis iuſtificeris, & verax habearis: dixiſti enim; nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Id itaque propter gloriam nominis tui fac, *Et vincas*
Ser. 49. & 118 de tẽpore. *cum iudicaris*. D. Auguſt. & Gregor. intelligunt hîc Apoſtrophen eſſe ad Chriſtum Dominum, vt ſit ſenſus. Tu Chriſte innocentia vincis omnes. Tametſi enim multi ob id iniquo iudicio condemnari dicantur, quia à criminibus ſibi obiectis immunes erant, non tamen per omnem vitam ſuam,
Hæreſ. 69. ſicut tu, fuerunt innoxij, & innocentes. Vel, ſecundum D. Epiphanium, *vincas cum iudicaris*. i. vinces cum iudicãdum tibi erit in extremo tuo iudicio: tum enim nemo audebit contradicere iuſto iudicio tuo. Proprius tamen huius loci ſenſus hic eſſe videtur, *vt vincas cum iudicaris*: q. d. iudicant te qui negant poſt lapſum reparationem fieri, & remiſsionem peccatorum nemini dandam aſtruunt. Hos autem tu Domine vinces, quia ſi mihi peccatum remiſeris, hos velut fabricatores mendacij, & cultores per-
Gregor in pſal. 50. uerſorum dogmatum erroris, vt inquit D. Gregorius, conuinces. Vt autem cognitionem ſui peccati, qua dicere cœpit, iniquitatem meam ego cognoſco, amplificet, eiuſque confeſsionem latè extendat, non ſuffecit ei iniquitatem peccatorum propriorum accuſaſſe, ſed pergit confeſsionem ad contagium peccati originalis extendere, & dicit:

6. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*. Et rectè. Quid enim erubeſcis, aut à te alienum ducis confiteri ea peccata, inquit Ambroſ. in quibus natus es? negantis non fatentis crimen eſt negare quod natus es. Dicit autem
Ambr. 1. de interp. 2. 6. Enchir. ca. 44 & 45. *in iniquitatibus*, cum tamen peccatum originale vnicum ſit, quia vt D. Auguſtinus docet in Enchyridio, ponitur hîc numerus pluralis pro ſingulari. vel, quia in peccato illo, quod per vnum hominem intrauit in mundũ, & in omnes homines pertranſijt (propter quod etiam paruuli baptizantur) poſſunt intelligi plura; Superbiæ videlicet, ſacrilegij, homicidij, fornica-
tionis

tionis spiritualis, furti, auaritiæ, & similia peccata. Hæc Augustinus. *Et in peccatis concepit me.* i. in vtero aluit me (vt legit Augustinus) *mater mea.* Quo verbo profitetur se procul esse ab ijs, qui in vtero sanctificati fuêre, vt Ieremias & Ioannes Baptista; quibus quidem competebat dicere, *In iniquitatibus conceptus sum*, non autem, & in peccatis concepit, siue in vtero aluit me mater mea, eo quod adhuc in vtero matris existentes sanctificati sint. Cum ergò in vtero ali siue nutriri aut foueri hoc loco describatur per *concipi*, oportunè hic notabitur hominem in scripturis sacris dici concipi, non solùm cum embrioni anima rationalis infunditur, sed etiam quamdiu fœtus animatus in vtero ad corporis incrementum fouetur. Vnde & Ecclesia in illis qui arbitrantur B. Virginem Mariam conceptam esse in peccato originali rectè celebrat festum Conceptionis eius, eò quod ipsa dum adhuc in vtero conciperetur. i. ad incremẽtum animati corporis foueretur, ab iis atque adeo omnibus Christianis credatur esse sanctificata.

Ecce enim veritatem dilexisti. q. d. tametsi ego in peccatis conceptus 7.
sum, & tu me iure appellare possis præuaricatorẽ ex vtero, tu tamen contra demerita nostra dilexisti facere veritatem, & animas peccatrices ex iniquitate redimere. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* i. per prophetiæ donum reuelasti mihi futuram per Christum remissionem omnium peccatorum & actualium & originalis. Quæ peccatorum remissio hîc dicitur pertinere ad incerta sapientiæ Dei, quia priusquam Deus suas promissiones lapsis pœnitentibus manifestet, incertũ est an veniã etiã pœnitẽtes accepturi sint. Dico autẽ remissionẽ peccatorũ ante reuelationẽ noui Testamenti incertam esse, non tamen desperatã; quia cum Deus naturâ bonus sit, idque homini, cui reliquiæ primæ integritatis per opiniones erroneas non sunt omnino obscuratæ naturaliter vtrumque cognitum sit, debet lapsus homo qui omnes diuinę indulgẽtię promissiones adhuc ignorat, de venia, non vt Cain, desperare, sed pro ea, licet incerta, ad Deum bonum confugere. Fac enim incertum esse, inquit D. August. vtrum Deus *Li. 50. homil. ho. 50*
ignoscat, quid perdit cùm supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitauit, cum Deum offenderet? Quis enim certus est, quod etiam Imperator ignoscat, & tamen pecunia funditur, maria transmeantur, & penè, vt mors vitetur mors ipsa suscipitur. Quibus autem aut per prophetiam aut per Euangelium diuinæ indulgentiæ erga pœnitentes pollicitatio & sacramentorum institutio innotuit, his remissio peccatorum non est incerta ex parte Dei, quia ijs fidei est, pœnitentes in gratiam recipi. Dixit quidem noui Testamenti tempore S. Apostolus Petrus Simoni Mago, pœnitere si forte remittatur tibi hæc iniquitas cordis tui. Non quod incertus esset de indulgentia ex parte Dei, sed ex parte lapsi, cuius dubia erat,

& incerta pœnitentia. Caussam namque tam trepidæ suæ adhortationis subiungit Petrus, cum dicit: In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse, q. d. video te corde amarum & incompunctum, amori iniquitatis valde implicatum esse. Quid ni ergo Petrus de eius reconciliatione dubitaret, quem per amorem iniquitatis impœnitentiæ funibus tantopere astrictum esse cognosceret? Pertinebat quoque olim remissio peccatorum ad occulta sapientiæ diuinæ, quia nec ante lapsum per spiritum suum reuelauerat Deus diuitias indulgentię suæ, nec illæ à lapsu in cor hominis ascenderant, donec eas misericors Deus per reuelationem gratiæ suæ manifestaret. Sed qua ratione ad hanc remissionem peccatorum poterit perueniri?

8. *Asperges me Domine hyssopo & mundabor.* Hic secundum Ambrosium & Greg. alluditur ad aspersiones veteris legis, significãtes, vt interpretatur Apostolus ad Hebr. aspersiones sanguinis Christi, cui etiam in sua passione spongia hyssopo circumposita oblata est. Sensus igitur est, Asperges, siue participẽ me facies redemptionis, quæ est in sanguine Christi, qui humiliauit semetipsum (hyssopus enim herba humilis est radicitus adhęrens petræ, quia & humilitas in Christo fuit radicata) factus obediens vsque ad mortẽ. *Et mundabor*, quia sanguis Christi est fons ille, de quo Propheta: In ablutionem peccatoris. *Lauabis me.* In sanguine eiusdem agni. *Et super niuem dealbabor.* Maior enim est candor cordis quouis nitore corporis. Quibus tamen verbis significatur plena ac perfecta, & in futuro expectanda emundatio à peccatis, sic vt peccator etiam contrario nitori restituatur.

9. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.* i. facies me cum gaudio audire illam tuam vocem: Venite benedicti, &c. Sic Greg. *Et.* i. eodem simul tempore *exultabunt*, suscepto in se rediuiuo vitæ spiritu *ossa*, s. corporis mei *humiliata*. i. per mortem dispersa, & in terram abiecta, quæ res humanæ naturæ ad insignẽ contumeliam est. Hanc expositionẽ confirmat Ecclesia, quæ in officio mortuorũ hunc versiculum in hunc sensum pro antiphona 1. ad Laudes ingeminat, & textus series eundem requirit, quæ vbi pœnitentiæ effectum, qui futuræ præsertim vitæ reseruatur, commemorasset per verba: *super niuem dealbabor*, apto ordine etiam duo hæc eodem pertinentia, eodemque tempore pœnitentibus obuentura subiungit. D. tamẽ August. per hoc quod dicitur, *auditui meo, &c.* dicit significari lætitiam illam, quam mens hominis percipit dum ei ad benè & fructuosè dicendum solicito verbum Dei intus illabitur, mentémque illius sic corroborat, vt cum bona fiducia se vera & congrua dicturum esse interno sapore præsentiat. Hic verbi illapsus saluberrimus est dicenti, & vtilis audienti; qui à Psalte inter effectus pœnitentiæ reponitur, quoniam homo per pœnitentiam in templum

Dei re-

Dei reformatur: templo autem Domini diuina reſponſa conueniunt, quæ tamen iuxta eundem præcipuè concedi ſolent iis qui mites ſunt & humiles corde. Illi enim, inquit, plus cogitando & orando proficiunt quàm legendo & audiendo. Non eſt tamen hæc diuinæ gratiæ vnctio omnibus ſic vulgaris, vt per eum omnes ſine lectione aut diſciplina audire à Deo valeant quid dicendum ſit; ſed hoc in omnibus ſapienter dicturis operatur Deus, vt cum ea quæ ad rem pertinent, legerint, rectum eorundem intellectum concipiant, eaque quæ dicenda ſunt prudenter efforment. Eo ipſo enim, inquit idem, in fine epiſt. 120. quo auditores aut lectores ſana docentem iudicio non errante approbant, internum hoc diuini verbi lumen magiſtrum ſe habere teſtantur. Epiſt. 112. cap. 1.

Auerte faciem tuam à peccatis meis. Si dixerit hæreticus hic orari vt 10.
Deus peccata diſsimulet, redarguetur per id quod ſequitur, *& omnes iniquitates meas dele.* Hoc enim additamento ſignificatur quod Deus faciem ſuam à peccatis ſic auertit, vt ea etiam omnino deleat. Sed quia per remiſſionem peccatorum pœnitẽs iuſtificatur à peccato, & quia iuſtificatio præter remiſsionem peccatorũ operatur etiam ſanctificationem hominis, ideò Pſaltes ſingulas iuſtificationis partes ſigillatim à Deo implorans, ſubdit:

Cor mundum crea in me Deus. Petens, inquit Auguſt. ſibi concedi, non 11.
cor corporeum, ſed animæ in corde commorantis renouationem. Non dicit autem cor mundum fac, ſed crea, petens hoc verbo, vt Deus de integro cor eius inſtauret, & mundet, inquit Ambr. *Et ſpiritum rectum innoua.* i. Spiritus ſancti interiora mea rectificãtis habitaculum, ac incolatum reſtaura (per peccatũ enim eum amiſi) *in viſceribus meis*, vt legem tuam per gratiam denuo ſuperſcribas in ſenſu atq; viſceribus meis, vt promiſerunt prophetæ. Nec abs re tam ſolicitè orat ſibi cõcedi ſpiritum rectum; timet enim ſibi à iuſtificationis fuco, non ignorans quod Spiritum ſanctum iniquorum, teſte Auguſtino, imitetur cupiditas. Enchi. c. 31 Ser. 10 in Pſal. 118. Aug cõ. Secundi. c. 10

Ne proijcias me à facie tua. Deprecatur hîc pœnam, quæ diligentibus 12.
Deum grauiſsima eſt. Si enim, inquit Ambr. apud homines graue ducitur, quia pater familias à domeſticis ſuis, quibus iraſcitur, vultum auertit; Si inter grauiſsimas pœnas computatur quod eoſdem amandare & relegare decernit, quanto magis, inquit, id locum habet apud Dominũ Deum noſtrum? Sed, vt dixi, hæc pœna pœnæ rationem habere non ſentitur, niſi ab ijs qui Deum diligunt; Alij enim vultum Dei refugiunt. Sed quia pœnitenti hæc pœna deprecanda eſt, deprecari autem eam non nouit qui Deum non diligit, inde conſequitur pœnitentiam ex Dei dilectione procedere debere. *Et ſpiritum ſanctum tuum.* i. bonam tuam in Spirituſancto erga me voluntatem & prouidentiam *non auferas à me*, Scriptum eſt enim, quod Spirituſſan- De Apolo. Dauid c 14

tusſanctus auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intelligentia, atque à peccatore recedet, eum videlicet ſibi relinquendo. vel, *Spiritum ſanctum tuum*.i. remiſsionem peccatorum in Spiritu ſancto *non auferas à me.*
13. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Pœnitens iſte bonæ quidem conſcientiæ lætitiam, ſed eius memoriam non amiſerat. Nondum enim erat
Li.1.dialo cap.1. ex illis, de quibus Gregorius: cum peccator longius receſſerit, etiam boni ipſius quod perdiderat obliuiſcitur. Fitque vt pòſt neque per memoriã quidem videat, quod prius per actionem tenebat. Quia itaque iſte pœnitens adhuc memor erat quã bene ſibi fuerit, cum experiretur, quod ſecura mens ſit quaſi iuge conuiuium; ideò bonum illud amiſſum ardenter poſtulat ſibi reſtitui. *Et ſpiritu principali*.i. Spiritu ſancto tuo principante, ſeu dominante, atque in procuratione ſalutis meæ principales non ſolum dignitatis, ſed efficaciæ partes tenente. *confirma me*, ne à rediuiua iuſtitia excidã.
De Apolog. Dauid c.18 Petit enim, inquit Ambroſius, vt ei Spirituſſanctus in poſterum ſit auctor,
Cyr.li.11. & princeps, qui regat mentem, confirmet affectum, quò velit trahat, in ſu-
in Io. c 28 periora mentem dirigat. Similia habent S. Cyrillus & Chryſoſtomus.
Chry hom. *Docebo iniquos* meo exemplo, & vbi locus poſtulauerit etiam verbo.
3. de Spi S. *Vias tuas* per quas iuſtificas impium. Meo autem exemplo edocti, & pro-
14. uocati *impij* per pœnitentiam cum ſpe veniæ, & rediuiuæ iuſtitiæ *ad te conuertentur.* Qui verſiculus hîc benè inſeritur. Solet enim Deus in quibuſdam, vt & in Apoſtolo fecit, peccatoribus, omnem patientiam oſtendere ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.
15. *Libera me de ſanguinibus*, quos in nece Vriæ effudi. Pſaltes enim vt homo, natura manſuetiſsimus non poteſt obliuiſci doloris, quem concepit ex eo, quod homicidium illud à ſuis moribus tam alienum commiſerit. Ex cuius doloris renouatione iterum eius expiationem implorat. Sic Ambro. Sub ſanguinum item nomine intelligens omnia peccata mortalia. D. Auguſtinus verò, per ſanguines, corruptionem mentis & carnis intelligit; à quibus ſi liberetur pœnitens, reſtat vt dicat, *Et exultabit lingua mea*.i. cũ exultatione laudabit *iuſtitiam tuam*, ad quam à lapſu tanta integritate me reparas. Sed quia præſumptionis eſſe videtur quod dicat quaſi de ſuis viribus confidens *exultabit lingua mea &c.* Ideò quod his verbis defuit per ſequentia ſupplens defectumque corrigens,
16. *Domine*, inquit, *labia mea aperies*.i. vbi tu mihi gratiam te cum exultatione laudandi dederis, tum *& os meum annunciabit laudem tuam.*
17. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique.* Sed quid? nunquid poterit Deus placari in millibus agnorum pinguium, eorumque quę ſecundum legem carnaliter offeruntur? Nequaquã. Illa enim nunquam poterant auferre peccata. Proinde *holocauſtis*, carnaliter oblatis, ſicut ſuperiore
Pſalmo

Psalmo enarratum est, *Non delectaberis*. Subiungens verò Psaltes quidnam externa sacrificia nobis vtilia faciat, subdit,

Sacrificium Deo spiritus contribulatus, quia nõ nisi per tribulationem compuncti cordis cum spe veniæ coniunctam placatur Deus. Cùm autem dicit *spiritus*, insinuat tribulationem quæ Deo grata sit, à Spiritu sancto operante debere prouenire: atque adeò de intimis hominis visceribus debere procedere. *Cor contritũ*, Sicut dicitur esse malè contritus corde, cui de corde omnis virtus, præsertim Theologica, detrita est, sic dicitur corde esse benè contritus, cui cupiditas, aut saltem malè agendi libera voluntas absumpta est. Quamuis igitur contritio definiatur esse dolor de peccatis ex Dei amore conceptus, gaudet tamen hic dolor nomine contritionis, quia oportet illum eousque increscere, vt peccandi, si non cupiditatem omnem, saltem voluntatẽ in homine conficiat, vt proinde tristitia secundum Deum dicatur contritio ab effectu illius mortificationis, quam in homine operari debet, vt eum ad remissionem peccatorum disponat. vnde & Basilius contritionem dicit esse demolitionem cordis, & suppressionem humanarum cogitationum. *Et humiliatum*, sic videlicet, vt se opprobrijs, iniurijs & castigationibus dignum sentiat, iisque sustinendis se exhibeat paratum. Sic Ambros. Imò & humiliet in ieiunio animã suam secundum Tertullianum. Hoc modo humiliatum fuit cor Psaltis, cùm dixit: Vertatur obsecro manus tua contra me, & domum patris mei. & cum pertulit maledictiones Semei. Cùm itaque cor hoc modo humiliatum ad remissionem peccatorum necessarium sit, & iudicium vltionis in admissa peccata exercendæ, iudicibus fori pœnitentialis à Christo commissum sit, sufficit pœnitenti habere cor humiliatum, ad sustinendam illam seueritatem, quam iudex fori pœnitentialis iniunxerit. Atque adeò conformis scripturæ est illa doctrina, quæ dicit ad pœnitentiam necessariũ esse propositum satisfaciendi iudicio confessarij. Debent interim confessarij memores esse doctrinæ Concilij Tridentini admodum solicitè admonentis, ne pro peccatis magnis leuissimas satisfactiones imponant. ea enim ratione fit, vt alienorum peccatorum se reddant participes. *Deus non despicies*. q. d. Tametsi cor huiusmodi in gratiam recipere ex iustitia non tenearis, ea tamẽ es bonitate, præcipuè accedente tuo promisso, vt illud *non despicias*. i. indulgentia vacuum abire non patieris, tametsi ipsum, in se pretium redimendo peccato condignum non exhibeat. Porrò Psaltes commendato spirituali pro peccatis sacrificio, ex eo in futurum prospicit, & procul intuetur sacrificium, quod Ecclesia glorificata oblatura est. Cuius rei implendæ desiderio flagrans,

[Margin: 18.; In psal 33; Exposit tituli ser. 10 in psa. 118 & in ps. 37; In doct de pœnitẽ. c 8.]

Benignè, inquit, *fac Domine*. i. auxilium gratiæ tuæ benignus impende Domine *in bona voluntate tua*. i. non secundum merita nostra, sed tuam 19.

ſpontaneam erga nos voluntatem, benéq; faciendi propoſitum. *Sion*.i. Eccleſię huius tẽporis, *vt ædificentur muri Hieruſalem*.i. vt illi electi lapides ex quibus in cælis conſtruenda eſt Hieruſalem, hîc in fide, ſpe, & charitate ædificentur, & perſeuerent. Oportet enim lapides illos hîc omni ex parte præparari, ibi verò per manus ſummi artificis in ordinem compingi. Cuius rei typus extitit in fabricatione templi quod fecit Salomon.

20. *Tunc*, ſcilicet: vbi illa ciuitas, vel in parte, vel in toto ædificata fuerit: *acceptabis ſacrificium iuſtitiæ*, non contribulati ſpiritus, quia populus illius ciuitatis omnes iuſti. Offertur autem ibi ſacrificium iuſtitiæ, quia iuſtitia qua Sancti pollent, in Deum tanquam ſuum fontem ab ijs cum gratiarum actione conuertitur. *oblationes*, quas Greg. intelligit ſanctorum contemplationes. *Holocauſta*, quia ſancti diuino igne per omnia flagrabunt. *Tunc imponent ſuper altare tuum*, quod eſt Chriſtus, *vitulos*.i. innocẽtiam nouæ ætatis, ſeu renouatæ iuuentutis. Aut, *vitulos* labiorum ſcilicet ſuorum: ſicut dicebat propheta: Omnem auſer iniquitatem, & reddemus tibi vitulos labiorum noſtrorum. i. gratiarum actiones, innocentes, puras & ſimplices. Hos vitulos ponent ſuper Chriſtum, quia per ipſum vt ſummum ſacerdotem, offerent Deo hoſtiam perpetuæ laudis.

PSALMVS LI.

In finem intellectus David, cùm venit Doeg Idumæus & annunciauit Sauli & dixit: Venit David in domum Abimelech. 1. Reg. 22.

SEnſus eſt, finis huius pſalmi eſt, ſiue ſcriptus eſt hic pſalmus, vt manifeſtus omnibus fiat intellectus, quem accepit Dauid *cum venit Doeg Idumæus, & annunciauit Sauli & dixit: Venit Dauid in domum Abimelech*. Dauid ſiquidem conſiderata iniquitate quam in illo facto exercebat Doeg, ſimul intellexit quanta ſit peruerſitas malignitatis, quod malignandi ſtudium, & quis eius finis. Quæ omnia contextu præſentis pſalmi exequitur, qui per modum increpantis ſic incipit:

1. *Quid gloriaris*.i. venaris gloriam, Vel, gloria dignum aut celebrem te arbitraris, *In malitia, qui potens es in iniquitate*.i. qui vides te magnas ad exercendam iniquitatem vires habere. Gloriatio enim hæc illis propria eſt qui abundant malitia.

2. *Tota die*.i. perpetua quadam ac ſtudioſa occupatione, *iniuſtitiam cogitauit lingua tua*.i. mens tua. Habet enim & mens linguam ſuam, quam meditando non eloquendo voluit, cum homo in ſpiritu ſuo, vt dicit Iſaias, meditatur dura. *Sicut nouacula acuta feciſti dolum*. His verbis Dauid nequitiæ arguit proditores, inquit Ambr. eo quod nouacula ad hominis adhi- 3. offic. c. 11
beatur

beatur ornatum, & plerumque vlcerat. Si quis igitur prætendat gratiam & dolum nectat Doeg proditoris exemplo, vt eum quem celare & protegere deberet prodat ad mortem, instrumenti illius, scilicet nouaculæ, comparatione censetur, quod ebriæ mentis & titubantis vitio manus vulnerare consueuit; Sicut Doeg malitiæ ebrius vino, per funestæ proditionis indicium Achimelech sacerdoti necem detulit. Hæc Ambr.

3. *Dilexisti malitiam super benignitatem*.i.cum vtriusque haberes notitiam, cōparatione earum inter se facta, iudicatò vt Tertull. verbo vtar.i. deliberato & voluntario iudicio dilectionem malitiæ præposuisti dilectioni iustitiæ; quæ quia omni ex parte benigna est, etiam vnico benignitatis nomine hic appellatur. *Iniquitatem magis, quam loqui æquitatem*.q.d.non solum internam animi malignitatem benignitati prælegisti, sed insuper dilexisti magis male agere quàm bene. Sub eo enim quod dicit, loqui, etiā facere omnisque malignitatis fructus intelligitur.

De pœnit. cap. 5.

4. *Dilexisti omnia verba præcipitationis*. D. Ambr. quem secutus D. Augustinus, verba præcipitationis opponit verbis otiosis; vt verba præcipitationis illa sint oris peccata, quæ hominem in æternam damnationem iniquitatis suæ pondere præcipitent, quale peccati pondus verba otiosa non habent. Possunt tamen verba præcipitationis dici non ab effectu vel fine sicut illa Ambr. intelligit, sed ab origine vel causa, vt verba præcipitationis illa sint quæ ex ore loquacis temeritas inconsiderata præcipitat. Non enim maligni isti priusquam sermonem proferant, considerant num verum sit quod dicturi sunt, num expediat, num satis congruum sit fidei quam debent amici vel fratris honori, vel silentio quod promiserunt vel ab eis expectatur, sed sine iudicio quidquid in buccam venit vel quidquid æmulatio, indignatio, cupiditas vel malignitas suggerit, eloquuntur. Hoc modo verba præcipitationis hic potius intelligenda sunt, eo quod vis vocum Græcarum denotat verba non cuiusuis præcipitationis, sed præcipitationis in mare, vt notat Hilarius. Verba autem præcipitationis hoc modo intellecta, verè in mare præcipitantur, quia cum mare sæculum sit, magnam in sæculo inquietudinem & turbationem suscitant. *Lingua dolosa*, quia fallaciter hæc verba præcipitationis adornantur & defenduntur. Hæc ergo de verbis præcipitationis, quis autem eorum erit fructus vel finis?

1. Offic c. 2.

5. *Propterea Deus destruet te in finem*, quia quidquid opum, gloriæ, dignitatis vel amicitiæ prædictis modis acquisiuisti, id planè in fine seculi vel vitæ tuæ ad nihilum rediget. *Emigrabit te in tabernaculo tuo*.i. Transferet te de hoc mundo, qui tibi solummodo per modum tabernaculi concessus fuit, vt eo tanquam peregrinus, hospes & viator raptim atq; per transitum vtereris. *Et euellet radicem tuam de terra viuentium*. Terra viuen-

tium est regnum cælorum. In hac terra vberrimam radicem habet, aut radicatus dicitur quisquis in charitate radicatus est & fundatus. Quin etiam quandoquidem omnis homo quantumuis peccator quamdiu mortaliter viuit, peruenire potest per Dei gratiam ad vitam æternam, ideo omnis homo hic viuens dici potest quadam ratione radicẽ habere in terra viuẽtium. Sed cũ impius in impietate tollitur ex hac vita, dicitur tum eius radix auferri de terra viuentium, quia omnis spes adipiscendæ salutis, tum temporis ab eo pœnitus aufertur & quasi radicitus euellitur. Porrò, per radicẽ in terra viuentium rectè intelligi spem perueniendi ad regnum cęlorum, probatur ex Daniele, vbi dicitur de rege cui spes supererat redeundi ad mentẽ, germen radicum eius in terra relinquite. quæ spes si non superfuisset, arbor radicitus fuisset extirpata.

6. *Videbunt iusti* descriptam malitiam impij & finem eius, idque in hac vita, *& timebunt* præ horrore tantæ iniquitatis & pauore atque metu periculorũ in quo ipsi iusti versantur. Qui enim stat videat ne cadat. *Et super eum ridebunt*, in die iudicij. Risus autem hic gaudium significat: gaudebunt enim eo tempore iusti non de malo impiorum, sed quod iniquitas, ablata quam in hac vita mendaciter præ se ferebat felicitate & splendore, conditionem suam atque speciem propriam sortita sit. De quo risu Prouerb. 1. Ego quoque in interitu vestro ridebo. *Et dicent* iusti: *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.* q. d. Hic iustissimus est euentus, hic fructus hominis, qui dum viueret nec Deum sibi vt finem proposuit, nec auxilium transigendæ vitæ ac negotiorum eius à Deo expectauit.

7. *Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum*, Dicendo enim auro robur meum, & argento fiducia mea, beatitudinem suam in illis collocauit, & quidquid desiderauit in seculo obtinere vel perficere, ad id per munera vel promissa aut opes suas pertingere præsumpsit. *Et præualuit in vanitate sua.* i. quæ vano amore & non per virtutis soliditatem, sed consilijs vanitatis consequi intendebat, illa consecutus, ad non paruam potentiam & gloriam in sæculo peruenit. Cæterũ vt opposita iuxta se posita magis elucescant, post hæc in persona iustorum, declarat Psaltes iustos cum impijs affectu, opere, spe & fine ex diametro pugnare, q.d. Illi qui diligunt malitiam super benignitatem interno affectu amari sunt, turbidi & incommodi.

8. *Ego autem sicut oliua.* i. suauis & tranquillus, sicut scriptum est: In suauitate in Spiritu sancto. Fructus illorũ acerbi: Ego autem sicut *oliua fructifera*, quia fructus iustorum quæ sunt verba & eorum opera, sanant, vngunt, leniunt, exhilarant. Illi hæreses & schismata faciunt, aut sic agunt, vt in domo Domini quæ est Ecclesia diutius non tolerentur: Ego autem sicut *oliua fructifera in domo Dei.* i. in Ecclesiæ vnitate, amore & merito perse-

perſeuerans, cum illi ſperent in multitudine diuitiarum ſuarum, *ſperaui in miſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi*, quia & vitam æternam vt finem meum & ſpem meam, & ea quæ in hoc ſæculo vſque ad finẽ mundi (loquitur enim in perſona iuſtorum) mihi neceſſaria erunt, per Dei miſericordiam ac beneplacitum acquirere & obtinere ſperaui.

Confitebor tibi, confeſsione laudis & gratiarum actionis, *quoniam feciſti* vt eſſem oliua fructifera, ſperans in miſericordia tua in æternum & in ſæculum ſæculi. *Et expectabo nomen tuum*. q.d. Illi moræ impatientes fœlicitatem in præſentium fruitione præoccupare fallaci feſtinatione conantur, in quo declarant ſe ex illorum eſſe numero de quibus ſcriptum eſt: 9.
Væ terræ cuius principes mane comedunt. i. inquit Auguſtinus, qui non expectantes oportunam quæ verè eſt in futuro fœlicitatem, feſtinanter beari huius ſeculi felicitate cupiunt. Et ſic quidem illi: Ego autem expectabo. i. per patientiam præſtolabor & ſuſtinebo nomen tuum. i. tui ipſius reuelationem, expectans ſatietatem dum apparuerit gloria tua. Per nomen enim Domini ipſum Dominum aliquando intelligi, manifeſtũ eſt in Deuteron. Et per nomen Domini, vbi locus requirit, intelligi poſſe Dei manifeſtationem, probatur ex Eccleſiaſtico qui dicit: Nomine æterno hæreditabit eum, iſtis enim verbis ſignificatur, quòd Deus ſui manifeſtationẽ præbebit in hæreditatem, *quoniam bonum eſt ante conſpectum ſanctorum tuorum*, dicit ſanctorum tuorum, Hi enim ſoli ſentiunt quàm bonum ſit cum ſilentio præſtolari ſalutare Dei, quamque beatus ſit vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius.

17. de ciui. cap. 20.

Deuter. 27

PSALMVS LII. Dixit inſipiens.

IN hoc pſalmo, quandoquidem ſupra expoſitus eſt, ſolummodo explicandum eſt quod dicitur, *Deus diſsipauit oſſa eorum qui hominibus placent*. i. placere ſtudent hominibus in eo quod ſecũdum hominem diligunt. Non enim inter hos numerandi ſunt qui ſtudent proximis ſuis placere in bono. Cum enim ſtudet quis placere proximis propter veritatem, non ipſe illis, ſed veritas illis placet, inquit Auguſt. Eorum verò qui hominibus placent oſſa diſsipauit Deus, quia cum per oſſa iuxta Auguſtinum robur & ſtabilitas animi intelligatur, omne robur & cõſtantia virtutis in ipſis labefactatur. Nihil enim languidius aut inſtabile magis eſt eo cui pro ſcopo eſt hominibus placere. Hic enim etiam falſis & à veritate Dei alienis hominum de ſe iudicijs angitur, & toto corde debilitatur. Quod non eſſet, inquit Auguſtinus, ſi non amor laudis humanæ oſſa eius confringeret. Hic quoque tam inſtabilis efficitur, vt per momenta in omnem formam verſipellis mutetur, omniumque placitis miſerrima & mole-

Epiſt. 64.

ſtiſsima ſeruitute ſe accommodare debeat. Sed tametſi hæc expoſitio ex Auguſtino deſumpta vera ſit & bene vtilis, tamen per oſſa hoc loco non aptè ſtabilitatem & robur animi intelligimus, quia hic dicitur quod Deus oſſa eorum qui hominibus placent, confringat: Animi autem hanc firmitatem atque conſtantiam, nō Deus, ſed homines hominibus placentes ſibimetipſis confringunt. Proinde magis oportunus eſt commentarius. Hilarij, qui per oſsium diſsipationem deſignari dicit, quod huiuſmodi hominibus non erit reſurrectio ad gloriam. Quæ diſsipatio oſsium Deo propriè tribuitur, quia per iuſtitiæ retributionē eam Deus operatur. *Confuſi ſunt*, Confiteri enim & conſtanter tueri ac vindicare erubuerunt Dei ſermones, illos proinde ad ſempiternam confuſionem & filius hominis erubeſcet. *Quia Deus ſpreuit eos*. Talis enim veritatis incuria, vt eſt piæ fidei & veræ religioni admodum inimica, ita abominabilis eſt apud Deum.

PSALMVS LIII.

In finem in carminibus intellectus Dauid, cùm venissent Zyphæi & dixiſſent: Nónne Dauid abſconditus eſt apud nos?

VOluit hoc Pſalmo Dauid nobis deſcribere intellectū quē per ſpiritū prophetiæ accepit cum audiret Zypheos ad Saulē veniſſe. Ea enim occaſione reuelauit ei Deus quas perſecutiones paſſura eſſet aliquando Eccleſia, & ſimul quid eam in ea neceſsitate oporteret à Deo petere atque præ oculis habere, quæ proponit nobis præſens Pſalmus in hunc modum:

1. *Deus in nomine tuo*. i. ad inuocationem nominis tui, *ſaluum me fac*. i. ex anguſtijs quæ me premunt, animam meam ſalua. *Et in virtute tua*. i. virtutis tuæ admirabili quadam oſtenſione, *iudica me*, iudicio non retributionis ſed diſcretionis. Valde enim ſolliciti ſunt ſancti ne in paſsionibus ſuis videantur à Deo eſſe derelicti: Hoc enim gloriam Dei & bonum Chriſtianorum nomē valde obfuſcaret. Iudicat autem nos Deus, cùm virtute auxilij ſui ſic corroborat, vt ex verbis, animi tranquillitate, inimicorum dilectione euidenter appareat, nos in ipſis etiā perſecutionibus exhibere noſmetipſos vt Dei miniſtros, cum filij huius ſæculi in ſuis paſsionibus pleni ſunt impatientia & malignitate. Ad quam diſcretionem nos hortatur Petrus cum dicit: Nemo veſtrûm patiatur vt fur aut maledicus, non dicit quia fur, vt ſit ſenſus: nemo per impatientiā in ſuis paſsionibus furibus aſsimiletur. Porrò quia hæc diſcretio bonorum à malis in pari paſsione poſitis non niſi magna Dei virtute efficitur, conuenientiſsimè Pſaltes inuocat in virtute Dei iudicari.

1. Petri 4.

Deus

Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei: Idque, 2.
Quoniam alieni, à me, religione scilicet, studio, amore, disciplina, *insurrexerunt aduersum me*, *& fortes*. i. Iidem, magna præsumptione, magnis viribus superbi & validi. *quæsierũt animam meam*, præsertim per temporales afflictiones ad peccandum adigere, & peccato animam meam occidere. 3.
Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum. i. non habuerunt præ oculis vllum Dei timorem, aut vllam Dei obseruantiam, cuius metu aut intuitu possent suam crudelitatem mitigare, & cohibere ferociam. Sed ad cõprobandum quàm verũ sit, quod (vt docuit Cypr.) ad impetrandum quod Epist. 77. in pressuris petitur, efficacior sermo & facilior sit oratio, videtur Deus psalti adhuc clamanti reipsa dixisse: Ecce adsum. Videtur enim à præmissa oratione confestim corroborasse orantem per Spiritum sanctum. Et quia ad perseuerandum in finem parum est à Deo semel corroboratum esse: videtur Deus præterea psalti responsum dedisse se fore eius perpetuum protectorem & remuneratorem: Sicut & Abrahæ dixit: Ego protector tuus & merces tua magna nimis. Quo Dei responso accepto, psaltes in media persecutione animæquior factus subiungit:

Ecce enim. q. d. Animæquior nunc sum, quia *Deus adiuuat me*, *& Dominus susceptor est animæ meæ*. i. suscepit curam mei in perpetuũ. Quem versiculum quiuis Christianus dicere debet, & semetipsum aduersitati expositum ad æquanimitatem componere per spem. Sperandum enim est vnicuique in afflictione Deum inuocanti, Deum sibi fore adiutorem & susceptorem animæ eius. Quæ si sperauerit, vel ob ipsam spem, quæ maximi semper apud Deũ meriti est, voti sui compos efficietur. Verisime enim dixit Cyprianus: In persecutionibus non labefactet mentem humana infestatio, sed corroboret mentem diuina protectio, quando vnusquisque secundum Dominica promissa & fidei suæ merita tantum accipiat de Dei ope, quantum se credat accipere, nec sit quod omnipotens præstare non posit, nisi si accipientis fides caduca defecerit. Post hæc Psaltes conuertit se, & prædicit finem tam persequentium quàm sustinentium persecutiones, & dicit: 4.

De exhort. mart c. 10 & epist 9.

Auerte mala. i. auertes aliquando mala *inimicis meis*, quia illa à me in capita inimicorum meorum conuertes, *& in veritate tua*. i. iustitia *disperde illos*. i. disperdes illos, quis in varias perditorum classes diuides, quæ significantur per Euangelicos fasciculos zizaniorum. Hoc cùm feceris, ego cum consortibus meis 5.

Voluntariè. i. pro voto & ex voluntate mea, vt supra dictum est: *Sacrificabo tibi*. Hoc idem est cum eo quod interpretationis loco sequitur, *& confitebor nomini tuo Domine*, *quoniam bonum est*, 6.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, vt eam in vita mortali vincerem, 7

cerem, nunc autem eam sic euaserim, vt illi non sit ad me accessus. *Et super inimicos meos despexit oculus meus*, vident enim oculi beatorum damnatos ligatis manibus & pedibus, nihil vltra mali sanctis inferre posse, & ob hoc eos vt inualidos contemnent, imo & assumpta parabola quam describit Isaias, eos subsannabunt. *Esa. c. 14.*

PSALMVS LIIII.

1\. *Basil inter. breu. 261.* EXaudi Deus orationẽ meam, *& ne despexeris deprecationem meã*, Fit interdum, inquit D. Basilius, vt indignitas orantis in causa sit, quamobrem non impetretur quod rogatum sit. Vel etiam fit interdum vt oratio quantũuis bona intẽtione prolata, tam tepida sit, & à mente tam vaga prolata, vt Deo, nisi singularis quædam clemẽtia eius oranti succurrat, penè nauseã & fastidium pariat. Dicit itaq;, *ne despexeris, &c.* quia in hac clementia exaudiri petit. *Intende mihi, & exaudi me.* Hæc pertinent ad instantiam orationis, non ad multiplicationem verborum:

2\. *Contristatus sum in exercitatione mea.* Vox est infirmorum in Ecclesia: Illi enim, vt docet Ambr. in tribulatione quæ illis infertur ad emendationem labilis vitæ vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, contristantur, non de peccato eam inferentium quod est perfectorum, sed de sua afflictione. *Et conturbatus sum.* i. amissa mentis & quieti spiritus trãquillitate, amaro animo effectus sum, iracũdus, atque cogitationum disceptationibus tumultuosus *à voce inimici.* Infirmos enim vel solæ verborum iniuriæ ac minæ conturbant. Sicut scriptum est, à facie verbi parturit. i. velut parturientis angustias patitur, fatuus; *& à tribulatione.* i. infestatione *peccatoris* quam peccator infert honori, rebus meis, vel corpori. Dixi autem *à voce inimici*; *Ambro in psal. 118. serm. 7. versu 5.* *Eccli 19.*

3\. *Quoniam declinauerunt in me iniquitates.* i. per calumniam criminantes obiecerunt mihi multas iniquitates, quarum nullam admisi. Dixi etiam, *à tribulatione peccatoris*; quia *& in ira*, ex qua mihi mala inferebant, *molesti erant mihi.*

4\. *Cor meum conturbatum est intra me, & formido mortis cecidit super me.* i. timere insuper cœpi ne tristitia mea me aduersarijs iratum redderet, & ira in odium, quod est mors animæ, sensim degeneraret. Cui odio quantopere occurrendum sit, docet August. in hæc verba: Non desunt scandala sed neque refugium, non desunt mœrores sed neque consolationes. Atque inter hoc quàm vigilandum sit, ne cuiusquam odium cordis intima teneat, neque sinat vt oremus Deum in cubili clauso ostio, sed aduersus Deum ostium claudat, nosti optime frater: Surrepit autem odium dum nulli irascenti ira sua videtur iniusta, ita enim ira inueterascens fit odium, dum quasi *Epist. 149.*

iusti doloris admixta dulcedo diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vásq; corrumpat. Quapropter multo melius nec iustè cuiquam irascimur quàm velut iuste irascendo in alicuius odium occulta iræ facilitate delabimur. Hæc Augustinus.

Timor & tremor futuræ damnationis, *venerunt super me*, quia formidinem mortis formido & horror damnationis comitabatur. *Et contexerunt me tenebræ.* Hæc enim quæ recensui, mentis meæ serenitatem obnubilarũt. 5.

Et dixi, cùm scilicet in hac animi conturbatione positus essem, *Quis dabit mihi*? Qui sic loquitur, quasi dubitasse visus est, inquit Amb. à quo posset pennas accipere. Licet eo sermonis genere soleat diuina gratia declarari quæ in terris non potest inueniri. Habet enim anima pẽnas vel alas suas inquit idem, quibus se possit libera leuare de terris seu terreni hominis infirmitatibus. Quæ alæ non sunt materialis compago pennarum, sed bona connexio multarum virtutũ: *Sicut columbæ*: Si sinceritas animi & puritas mentis tibi affulget, columba es, inquit Ambr. Et præsertim si tibi præter hæc pacificus adsit animus. Optat itaque *pennas sicut columbæ*, quia oportet studium & exercitationem vitæ contemplatiuæ sine disceptatione aut indignatione animi, sed pacifico erga aduersarios animo arripere. *Et volabo*, vt mentem sublimiorum rerum participatione excelsam, inferiorum rerum tentamenta non contingant. *Et requiescam*, supergressus strepitum mundi & ingressus intrò in gaudia silentij. Sed quia alæ istæ non nisi perfectorum sunt, vt etiam fatetur Ambr. Is autem in cuius persona Psaltes adhuc loquitur, infirmus adhuc & imperfectus est, vt diximus, ideo sciens hãc rem magis esse voti quàm affectus, aliud consilium euadendarum difficultatum amplexus est, de quo sequitur: 6. Ser. 14 in Ps. 118. v. 6. 3. de virg.

Ecce elongaui fugiens. q.d. Cùm viderẽ me ad volandum adhuc implumem esse, proposui sæculi molestias, peccata atq; pericula fugiendo declinare, atque à sæculi consortio ad solitudinem seu vitæ solitariæ fidam stationem me seuocaui. Vel hoc modo: Cùm cogitarem omnes aduersariorum molestias sublimitate mentis euadere; ad sublimitatem autem mentis acquirendam, ipsam frequenter in contemplationem rerum spiritualium sapientiæ atque charitatis alis sustollere, visa mihi ad id fuit solitudo opportuna: Itaque *elongaui fugiens*. i. à strepitu ac consortio mundi corporaliter procul recessi, *& mansi in solitudine.* Quæris ad quid? 7.

Expectabam eum. i. in solitudine positus ibi præparabam me (expectatio enim hominis Christiani nõ debet esse iners nec deses) & præstolabar Dei auxilium, qui sic expectantem non fraudans, tandem *saluum me fecit*. i. sanauit & curauit me *à pusillanimitate spiritus*, per quam prius sæculi aduersitatibus tanquam importabilibus nimis conturbabar: *& tempestate*, quæ in- 8.

tus in memetipso ad afflatū modicæ aduersitatis cito cieri solebat, omniūque passionum fluctus attollere. A quibus omnibus in solitudine Nosodochio conuenientissimo à Deo curatus, nec mihi iam amplius de odio aut alia animi perturbatione suspectus, securus præ odio iniquitatis exclamo:

9. *Præcipita Domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.* i. republica, aut factione inimica. Quam orat præcipitari. i. de sublimitate deijci, quia publica potestate abutebatur ad iniquitatem, linguasque eorum (sicut ferè in ædificatione turris Babel) diuidi, ad eneruandam eorum contradictionem, quæ dissensione eorum qui contradicunt, vim amittit.

10. *Die ac nocte circundabit eam super muros eius iniquitas*; quia potestas qua suam rēpublicam murorum instar defendūt, iniquitas est, tum quia eam cōmuniter iniustè possident, tum quia ea sceleratè vtūtur, vel si iusta & ordinata est, non nisi ad iniquitatis defensionem ordinant. *Et labor in medio eius & iniustitia.* i. in illis qui sub horum præsidio latent, & quasi in medio eorum sunt, nihil nisi labor & iniustitia: grauantur enim sarcina innumerabilium peccatorum, quia non nouerunt eum, aut non tenent viam ad eum, qui dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, &c.

11. *Et non defecit de plateis eius vsura & dolus.* Publicè enim & sine dissimulatione vsuris & fraudibus incumbūt, imo in summo dolo summum decus reponunt. Facta autem doli mentione pergit Psaltes exponere insignem dolum, quē inter cęteros frequēter exercuit iniqua ciuitas per falsos fratres, cū aliqui qui ab ecclesiastica vnitate ad eam animo defecerunt, audent interim ecclesiasticis adhuc cōuentibus se ingerere, & dissimulata apostasia, in ecclesiastica dignitate & officio permanere, ibi Ecclesię secreta explorare, ea hostibus clam prodere, Ecclesiæ dogmata & disciplinam in ipsis Ecclesiæ visceribus clanculariè peruertere, & sub fraternitatis prætextu incautam fraternitatem circumuenire, de quo dolo sic in persona Ecclesiæ loquitur Psaltes:

12. *Quoniam si inimicus meus.* i. qui se pro inimico gerit *maledixisset mihi*, i. detraxisset mihi, *sustinuissem vtique.* i. tolerabile id malum fuisset nec peregrinum; quid enim aliud ab inimico expectes?

13. *Et si is qui me oderat.* i. apertum odium contra me gerebat (Alioqui isti dolosi amici oderunt Ecclesiam, sed in occulto) *super me magna locutus fuisset.* i. infirma mea exaggerasset. Hoc enim est magna loqui, sicut Iacobus dicit, quod lingua magna exaltat. i. quæ vult supra quàm oportet exaggerare valet. *Abscondissem me forsitan ab eo.* Inimicus enim, inquit Ambros. vitari potest: Amicus nō potest, si insidiari velit. Amico enim quamdiu se pro amico gerit, secreta nostra committimus.

Amb. 3 offic. in fine.

Tu ve-

Tu vero homo. Pertinet hæc apoſtrophe ad exaggerandam huius doli inuidiam. *Vnanimis.* i. qui aliquando non ſolum externa cōuerſatione, ſed interno ſenſu idem mecum ſenſiſti. *dux meus.* i. qui ducis officio mecum in Eccleſia functus es. *& notus meus.* i. cuius amor, fides, ſinceritas mihi probè perſpecta fuit, ſicut & mea tibi. 14.

Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, quia intus mecum ſapiebas quæ Dei ſunt. Dulces enim cibi verba vitæ ſunt, inquit Ambr. quos nulla amaritudo corrumpit, nulla mortis corruptela contaminat, *In domo Dei ambulauimus cum conſenſu.* i. in Eccleſiæ fide tenenda atque tuenda pari ſtudio aliquando reuerà tenebamur. In quibus verbis notandum eſt, quod dicit, (capiebas, ambulauimus) quia alloquitur eū qui ab Eccleſiæ fide quam veraciter coluit & dulciter amauit, nunc defecit. Quo defectu facto, nō poteſt vltra dulces cibos guſtare, nec cū Eccleſia in veritate conſentire poteſt, poteſt tamen id ſimulare. Notandū præterea quòd per capere dulces cibos, nō ſit intelliganda externa ſacramētorum participatio, nec per conſenſum ambulandi in domo Dei intelligenda ſit externorum conuentuum eccleſiaſticorum aut officiorum communio, quia ſacramenta ſpiritualiter ea non guſtantibus, dulces cibi non ſunt. Quapropter etiam arbitror hanc apoſtrophen Pſaltis propriè non dirigi ad Iudam, quia Iudas nunquam dulces illos cibos cum Chriſto ſpiritualiter manducauit. Ideo etiam Pſalmus 40. qui de Iuda intelligendus eſt, non dicit dulces capiebat cibos, ſed edebat panes meos. Nec inter notos Chriſti fuit, niſi inter illos quibus dicit Dominus: Ego noui vos quod dilectionem Dei non habetis in vobis. Poſſunt interim hæc Iudæ accommodari. De huiuſmodi autem proditore ac deſertore Pſaltes, dicens: *Tu homo vnanimis, &c.* orationem non abſoluit, ipſo orationis abrupto ſatis inſinuans fraudem hanc nullis verbis æquari poſſe, poſſe autem cogitatione vtcunque æſtimari. Quam orationem ſi nos explicando ſupplere voluerimus, eloquij prophetici obtundetur ſapor, ideo ad reliqua tranſimus, in quibus prænunciat Pſaltes horum proditorum finem & mercedem, dicens: 15. In Pſal 40

Veniat mors. i. repentinus interitus *ſuper eos, & deſcendant in infernum viuentes.* i. ſuam perditionem dum adhuc viuunt, ſentientes, quos Chore, Dathan & Abyron hiatu terræ abſorpti, tanto ante præfigurauerunt, inquit Auguſtinus. In tantam enim huiuſmodi proditores dum adhuc viuunt, deueniant anguſtiam, vt ſubinde viui percipiant ſe damnatos eſſe, & æterni ignis quædam exordia non fallaciter experiātur. Cuius rei exempla extant apud Bedam. Ideo autem hæc iis præmaturè eueniunt, 16. Epiſt. 48. in fine. 5. Ecc hiſt. c. 14 et 15

Quoniā nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum. i. nihil niſi quod malum eſt machinātur atque exercent, ita vt vere dixerit Sapiens Eccli. 12. 17.

Sicut æramentum æruginat nequitia illius. Sed inter istos quid Ecclesia, aut ecclesiastici viri quibus cum eis est negotium? Id sequitur: Dicit enim Ecclesia in singulis suis electis membris:

18. *Ego autem* dum scilicet, inter eos versor, *ad Deum clamabo & Dominus saluabit me*. i. in medio talium conuersantem ad salutem adducet. Sed quia erga omnes quamdiu hic viuimus Ecclesia charitatem exercet, filij eius non contenti suam inter malos salutem operari, insuper etiam prædicando quos possunt saluare conantur. Ideo sequitur:

19. *Vespere, & mane, & meridie narrabo & annunciabo*: Per verba, *narrabo & annunciabo* prædicatio Euangelij describitur: in ea enim narrantur præterita, annunciantur futura. Idque vespere, mane, & meridie. Quibus verbis non tam temporum quàm auditorum, quibus prædicatio impendenda est, denotatur discretio. Cùm enim ad veritatis cognitionem oporteat omnes ab ignorãtia sensim prouehi (dicuntur enim Christiani fratres, quia ab vno

Apol. c. 39. vtero eiusdem ignorantiæ ad lucem expauerint veritatis, inquit Tertull.) debet Ecclesia tam ignorantibus quàm proficientibns atque perfectis operam competentem adhibere. Cùm itaque prædicatio impenditur ignorantibus, tum prædicatur vespere: quia prædicatur eis quorum mentibus adhuc offusa est caligo vespertina. Cùm verò prædicatur illis qui veritatis intelligentiam percipere incipiunt, tum prædicatur mane. Cùm denique illis qui in cognitione veritatis multum profecerũt, tum fit prædicatio meridie. Proinde per hæc tria significatur, Ecclesiam, tametsi inter malos & falsos fratres constitutam, nulli hominum generi deesse, quo minus annunciet eis omne consilium Dei, ita vt munda sit à sanguine omnium. Hoc autẽ quomodo præstaretur si omnes qui elongant se fugientes in solitudine perpetuo permanerent, nec aliqui inde ad publicum, solitudinis bono vsu emendati & corroborati prodirent? *Et exaudiet vocẽ meam*. Ecclesia inter malos constituta, duo orat, nempe vt mali conuertantur, aut ab eorũ qui conuerti nolunt infesto consortio liberetur. In vtriusque autem rei petitione à Deo exauditur, sed Psaltes prius enarrat quomodo in posterioris rei postulatione tandem exaudienda sit, ideo sequitur:

20. *Redimet in pace animam meam*. i. è captiuitate qua inter malos detineor, ereptam in plena pace tandem constituet. *ab his qui appropinquant mihi*, i. ab his qui in eadem Ecclesia, collegio, & diuinorum sacramẽtorum consortio mihi admodum propinqui sunt, *quoniam inter multos erant mecum*, i. in Ecclesiastica vnitate mihi cohærebant, non vt electi qui sunt pauci, sed vt vocati qui sunt multi.

21. *Exaudiet Deus & humiliabit illos, qui est ante sæcula*, quia vt societate sanctorum indignos ab ea tandem separabit. Cuius separationis ratio est:

Non

Non enim est illis commutatio.i.non comparauerunt sibi quod pro salute animæ suæ commutent. Illa enim non redimitur auro vel argento, cui incubuerunt; Quam enim dabit homo commutationẽ pro anima sua? Vel: Non est illis cõmutatio in resurrectione carnis: erunt enim ex illis de quibus Apostolus,non omnes immutabimur. Vel: *non est illis commutatio* in melius, quia vbi iniquitas propendet, nulla bonorum operum commutatione,inquit Amb. reuocatur. Hos tres sensus,quorum postremum reliquis præfero, huic versiculo accommodat Ambr. *Extendit manum suam in retribuendo*. q. d. Deus pœnam hanc illis non præcipitanter inflixit, sed diu ad instar eius, qui plagas inferre intendit, manum suam super eos minitando intendit,vt dictum est. Sed quid? 22. *In Psal. 43* *In psal. 7.*

Contaminauerunt testamentum eius, quia minis his nihil conterriti perseuerauerunt legem eius præuaricando & contemnendo contaminare. *diuisi sunt ab ira vultus eius*. Augustinus refert hoc ad diuisionem quam faciunt ab Ecclesia in hac vita. Quæ diuisio asscribitur iræ vultus diuini, quia hoc eis permittitur ab irato Deo. Conuenientius tamen istud, tametsi scripturæ more non inusitato in præterito narretur,intelligitur futurum in vltimo iudicio,ibi enim pœnaliter & inuiti diuidentur mali à bonis,idque ab ira vultus eius, quia in vultu iudicis apparebit ira aspectu nimis horribilis, cum demandabit angelis suis vt faciant separationẽ bonorum à malis,quam iram vel intueri reformidantes,dicunt Apocal. 6. Abscondite nos à facie sedentis super throno, & ab ira agni. Posthæc aggreditur Psaltes enarrare quomodo exaudiatur Ecclesia tempore suæ persecutionis, orans, vt diximus,pro conuersione malorum quos patitur. de qua re sic incipit: *Et appropinquauit cor illius*,Dei scilicet. Cor autem pro intimo sensu ponitur, quia in corde sensus interni resident. Vnde scriptum est: Qui tangit cor, producit sensum. Ideo & Augustinus sensum scripturarum vocat cor scripturarum. Itaque cor Dei sensus Dei est,qui appropinquat,cum Ecclesia in exercitatione posita,Deo necessitati eius propensius subueniẽte,sensu Domini vberius imbuitur,vt possit dicere: Nos sensum Christi habemus. Cor autem Dei appropinquat nobis inuisibiliter per spiritum eius, præcipuè verò per studium & meditationẽ sacrarum scripturarum. In illis enim cor & viscera Dei efficacissimè panduntur. Ita vt admodum cõsulte D.Greg. scripserit Theodoro medico: Disce cor Dei in verbis Dei, &c. Sed fortasse de verbis S. scripturarum dicet quis: Durus est hic sermo? Nequaquã: quia 23. *4. de doct. Christ.* *4. Regist. cap. 84.*

Molliti sunt sermones eius super oleum: Qui sunt autem sermones Dei, nisi scripturarum sacrarum paginæ de verbo ad verbum à Deo dictatæ? Hi autem molliti sunt illis quibus cor Dei appropinquauit. Dicit enim Aug. qui pia fide ad scripturas accedit, fient illi oleũ, & vsq; ad ossa penetrabunt. 24. *Aug. in hũc locum.*

Sed qui fieri poterit vt ſermones Domini alicui pro voto molleſcant, & impleat homo deſiderium ſuum ex iaculis ſiue ſagittis iſtis?

25. *Iacta ſuper Dominum curam tuam*.i.eius prouidētiæ te ſubijcito, *& ipſe te enutriet*.i.per congrua incrementa ad plenum interioris hominis profectum ſenſim educabit. *Et non dabit in æternum fluctuationem iuſto*. i.non permittet iuſtos, inquit Auguſt. perpetuò perſecutionum procellis agitari, quia eruet eos à malis: vel, Non ſinet iuſtos in finem vſque inter ſpem & puſillanimitatem, inter æquanimitatem & tædium, atque ſimilia fluctuare, vt ferè accidit iuſtis in exercitationum ſuarum primordiis. Sed vt docet B. Petrus, modicum paſſos (facit enim cum tentatione prouentum) ipſe per-

Serm 5. de Quadrag. ficiet, firmabit, ſolidabitque. Hoc autem Pſaltis conſilium dicit Leo dandum eſſe omnibus, quibus mandata Dei impoſsibilia aut ardua videntur: Non, inquit, hæreant vel remaneant in ſemetipſis, ſed ad iubentem recurrant, quia ideo dat præceptum vt excitet deſiderium & præſtet auxilium, dicente Propheta: Iacta ſuper Dominum cogitatum tuum.

26. *Tu verò Deus deduces eos*, quibus non eſt commutatio, *in puteum interitus*, qui in Apocalypſi dicitur, Puteus abyſsi & eſt infernus: Puteus di-

Cap. 55. de anima. ctus, quia eſt in receſſu terræ intimo, inquit Tertull. & interno, & in ipſa terra operto, & intra ipſam cauato.

27. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*, quia tēpore vitę ſuæ

In cap. 38. Iſaiæ. non implent opera virtutum, inquit Hieron. nec ſtudent per pœnitentiam emendare delicta, vnde & in medio vitæ curſu, & in errorum tenebris ducentur ad tartarum. Cum è contra ſancti, quia ſpatia temporū ſuorum oppleant operibus virtutum, dicantur mori pleni dierum. Credo interim hoc verſu ſignificari quod hæreſes, ſchiſmata, aliaq́; rebelliones nūquam in ex-

Ierem. 17. pectatum aut hominum opinione cōſtitutum perdurent terminum, ſed velut in medio curſu ex abrupto finem accipiant. Quod ipſum etiam ſignificat Hieremias, vbi dicit: Perdix fouit quæ non peperit, collegit diuitias & non in iudicio, in medio dierum derelinquet eas. Et manifeſtè implebitur in perſecutione Antichriſti, cuius dies propter electos breuiabuntur. Denique, impij non dimidiabunt dies ſuos, quia ob impietatem cito ſubinde & ante maturitatem abrumpitur impiis vitæ ſuæ decurſus. Monet

Eccl'is 7. proinde Sapiens, Ne impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. *Ego autem ſperabo in te Domine*, qui ſperātes in te portas, iuxta Iſaiam, vſque ad ſenectam, atque vſque ad canos.

PSAL-

PSALMVS LV.

In finem, pro populo qui à sanctis longe factus est, in tituli inscriptione ipsi Dauid cum tenerent eum Allophyli in Geth.

COntinet hic Psalmus orationem præcipue pro salute Iudæorum, qui ab omni sanctitate alieni, sanctificatione indigni & sanctorum omnium inimici facti sunt. Qui cum Christum velut Allophyli. i. alienigenæ (erant enim ex patre diabolo: Christus autẽ ex Deo) quondam Dauid in Geth, quod est interpretatum torcular. i. in pasśione tenuisſent, & iam egiſſent in crucẽ, mutari voluerunt tituli inscriptionem, non enim ferebant Christum dici Regem Iudæorum. In quo negotio præcipuè intẽdebant Christo adimere honorẽ & existimationem. Oportunè proinde in Psalmi titulo fit mẽtio inscriptionis tituli, quia Psalmus præcipuè dirigitur cõtra eos, qui Christo in se & suo corpore per detractiones execrationésq; existimationẽ detrahere, eumq; in contemptũ adducere moliũtur.

Miserere mei Deus. i. misericorditer protege me. *quoniam conculcauit*. 1.
i. contemptui me habuit, & quantum ad suum conatum attinet, in contemptum me adduxit homo, *tota die*. i. omni tempore quo vixit Christus, & superest Ecclesia, *impugnans*. i. verbis, rationibus & quibuscumque potest modis se mihi opponẽs, *tribulauit me*. i. tristitia affecit, Christum quidem per compasśionem, infirma autem membra eius per afflictionem.

Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduer- 2.
sum me. Ex omni enim ordine & hominum genere erant qui Christum arguebant, sicut scriptũ est: Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta, i. Iudices. Et in me psallebant qui bibebant viuum; qui sunt potatores. Et similiter ab omni ordine hominum contradicitur eis qui veritatem sectantur in Ecclesia. Sed ne is qui sic conculcatur per pusillanimitatem labascat, & verè contemptibilem se reputans etiam corde & animo corruat, dicendum est ei quod sequitur.

Ab altitudine diei timebo? Id enim interrogatiuè legendum est. Et est 3.
sensus: Nunquid trepidabo, quod hæc quæ absque causa & ratione patior, patiar ab altitudine diei? i. ab ijs qui potestate, opibus vel gratia sunt illustres & clari? q.d. Absit, mihi enim pro minimo est, vt iudicer ab humano die. i. ab illis qui apud homines sunt in splendore. Ideo & scribit August. *Epist.* 177.
ad Pascentium Comitem Arrianum, à quo contumeliosè arguebatur. Ea quæ scripsisti mouerent me si à veritate Dei non à potestate hominis dicerentur. Proinde illi ab altitudine diei timeant, qui seculi gratiam aut seculi splendorem admirantur, suspiciunt atq; sectantur; *Ego vero in te sperabo*. i. spe seculi contempta, à te solo & per te gloriam veram & celsitudinem secta-

sectabor. Quid mihi ergo altitudo diei? In contradictionibus itaque quas patiuntur sancti, nihil eis timendum est, nisi quod forte (quandoquidem vt homines absque temeritate de sua causa tanquam omni ex parte inculpabili semper securi esse non possunt) Deo in causa cui contradicitur, eiúsve prosecutione aliqua ex parte nō recte, non prudenter, vel nō moderate agēdo, displiceant. Qua in re si nō vanè securi sunt, nihil reliqua timeant, qui præter Deum & ea quæ ex Deo sunt, nihil sectantur, nihil amant. Sed dicant cum
Ierem. 17. Ieremia, Diem hominis non desideraui tu scis. Non sis tu mihi formidini. q.d. da mihi in hoc negotio sic agere, vt nō debeam tuam offensionem formidare, & reliqua non formido.

4. *In Deo laudabo sermones meos.* i. sermones meos (sub quibus & facta atque consilia intellige) æstimabo, & de illis censebo secundum id quod in oculis Dei sunt, aut ex eo quod ex Deo sunt. *In Deo sperabo.* i. nihil expectabo præmij aut laudis, nisi quod à Deo vel per Deum mihi obuenire poterit. His autem duobus inhærens, *Non timebo quid faciat mihi caro.* i. carnalis, & qui nō secundùm spiritum Dei ambulat, homo. Caro enim hic ho-
Epist. ad Eustoch. de custod. virgi. minem designat, à parte totum. Tametsi D. Hieron. hunc locum suo proposito accommodans, carnem sumat pro altera hominis parte, quæ per libidinem veneream concupiscit aduersus spiritum.

5. *Tota die verba mea execrabantur.* i. diris deuouebant, iisque maledicebant, vt familiare est hæreticis. *Aduersus me omnes cogitationes eorum in malum.* i. cum nihil à me bene dici præsupponerent, omnes cogitationes suas de me malas habebant, & in malum mihi conferebant.

6. *Inhabitabunt & abscondent.* i. quidam ex eis dissimulanter insinuabant se familiaritati meæ, ita vt easdem subinde mecum ædes inhabitarent. Ibi autem *calcaneum meum obseruabunt.* i. inquit Hilarius in meam supplantationem fraudulenter incumbent. Proprie enim supplantatur homo cum ab iis circumuenitur, à quibus sibi non putabat esse cauendum.

7. *Sicut sustinuerunt animam meam.* Legunt alij, *Sustinentes animā meam*, & iungunt id cum præcedentibus, vt sit sensus: Diu sustinuerunt siue expectauerunt vt me deciperēt. Secundùm verò lectionem nostram sensus erit: Sicut ipsi sustinuerunt animā meam vt eam conculcarent; ita tu ex aduerso in multa patientia sustinebis etiam illa vasa iræ, vt ea in vasa gloriæ cōuer-
de prædest. Sanct. c. 6. Hier. 2. cō. Pelag. ca. 7 Baruch 4. tas. Et tandem, *Pro nihilo.* i. absque vllis eorū meritis, inquit Augustinus, *saluos facies.* i. in salutis statum constitues *eos*, atque ad salutem perduces, implebisque in illis illud Baruch: Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes requiretis eum. *In ira.* i. indignatione quam aduersus peccatum geris, *populos*, i. populorum impietatem *confringens*. Vt autem hoc faceres,

Deus

Deus (inquit Christus) *vitam meam annunciaui tibi.* i. sacrificaui atque 8.
obtuli tibi. Nec id frustra. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* i. respexisti ad lachrymas meas, quas tibi cum singultu & clamore valido in conuersionem peccatorum obtuli.

Sicut & in promissione tua, tūc conuertētur inimici mei retrorsum. q.d. 9.
Sicut intuitu vitæ quam obtuli tibi, ita & intuitu promissionis tuæ mihi à te factę, dabis conuerti inimicos meos retrorsum. i. ad pœnitentiam & obedientiam.

In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui quoniam Deus meus es. i. 10.
experior quia mihi addictus sis, & voluntate labiorum meorum non me fraudes. Vox est Christi, qui etiam Ioan. 11. dicit; Ego sciebam quia semper me audis. Possunt tamen verba hæc aliquousque verificari de quibusdam excellentissimis sanctis, quorum precibus Deus velocem & fere infallibilem effectum cōcedens, testatur se peculiari affectu eorum Deum esse.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem, &c. Idem signi- 11.
ficatur quod supra, nisi quod hic distinctè ponat *verbum*, quo nomine designatur internus animi conceptus, & *sermonem*, quę vox designat verbalem interni conceptus enūciationem. Quæ duo superius vno vocabulo *sermonis* complexus est. Qua distinctione insinuat tam internum conceptum, quàm dictionem censendam esse, quatenus Deo & Spiritui sancto apta est & consentanea, non autē quatenus hominibus plausibilis vel grata. Et quod hic non dicit *verbum meum*, aut *sermonem meum*, per hoc insinuat oportere vt non solum nostros, sed etiam aliorum sermones & reprehensiones censeamus ac timeamus, quatenus in Deo sunt. Porro per hoc quod hic dicit: *Non timebo quid faciet mihi homo*, significat vocem, *caro*, quam supra posuit, pro toto homine, vt diximus, accipiendam esse. Post hæc concluditur Psalmus gratiarum actione in persona Ecclesiæ & membrorum eius in hæc verba:

In me sunt Deus vota tua. i. in votis habeo per gratiarum actionem eas 12.
tibi nunc laudes canere, quas in futura vita *reddam laudationes tibi*, quia te hîc in Sion decet hymnus Deus ob beneficia quæ hic percipimus, sed quia per infirmitatem ille hymnus hic magis est voti quàm effectus, votum hoc tibi reipsa reddetur in Hierusalem, vbi imponemus super altare tuum vitulos. Idque

Quoniam eripuisti seu extraxisti *animam meam de morte*, cui omnes nos 13.
& singuli saltem originaliter obnoxij fuimus, *pedes meos à lapsu*, ne in mortem à qua ereptus fui, per aliquod peccatum mortale relaberer. Idq́, in hūc finem vt post hanc vitam *placeam coram Deo*. i. Domino præsens plenè illi placeam. *In lumine viuentium.* q.d. Non amplius per fidem, sed per sapien-

tiam & illustrissimam ac splendidissimam iustitiam illius ciuitatis, quæ est terra absque vllo timore moriendi in perpetua beatitudine viuentium.

PSALMVS LVI.

In finem ne disperdas Dauid in tituli inscriptione cum fugeret à facie Saul in speluncam.

DAuid eo tempore quo fugeret in speluncam, prophetiam hoc Psalmo conscriptam à Deo accepit. Est autem hic prophetia & oratio Christi ne intentum consequantur illi qui titulum crucis Christi corrumpi volebant. Quod vsque adeo factum non est, vt simul hic describatur gloria quam Christus transacta passione sua consecutus est. Quædam tamen more reliquorum psalmorum etiamhic in persona Ecclesiæ & iustorum dicuntur.

1. *Miserere mei Deus quoniam in te confidit anima mea.* Bene dicit, *quoniam*, spes enim, vt dicit Bern. magna causa est impetrandæ à Deo misericordiæ, vel sola inueniens apud Deum, inquit idem, miserendi locum, quia Deus ponit oleum misericordiæ in vasis fiduciæ.

Serm. 9 in Psal. 90. Serm. 3. de annunciat. Dom.

Et in vmbra alarum tuarum. i. protectione tua cuius agendi ratio nobis
2. aliquando est occulta. *Sperabo donec transeat.* i. cursum suum impleat *iniquitas*, quod erit in fine seculi. Tamdiu ergo eget Ecclesia spe & Domini protectione.

3. *Clamabo ad Deum altißimum.* Non enim diuina protectio expectari debet cum desidiosa securitate, sed est precibus validis, quæ clamores dicuntur, ambienda. *Deum qui benefecit mihi*; Dicit, *qui benefecit mihi*; huius enim rei commemoratione & debitam Deo, vt decet, tribuit laudem, & semetipsum ad plura à Deo speranda ac impetranda excitat. Conferuntur enim præmissa dona, inquit Bern. vt ab ea misericordia quæ tribuit hæc, sperentur etiam ampliora. Post quæ prosequitur Psaltes sermonem in persona Christi, & dicit:

Serm 5. de Quadrag.

4. *Misit de cælo & liberauit me.* i. cælesti virtute me à morte resuscitans liberauit ab omni exspectatione plebis Iudæorum. *Dedit in opprobrium conculcantes me*; Israël enim secundum carnem opprobrium factus est omnibus ob occisum Christum, sicut dicit Ieremias: Cadant in opprobrium sempiternum. Hoc autem quod de liberatione Christi dicere cœpit, pluribus explicans subiungit:

Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam; quatenus enim id
5. nostri causa factum est, est misericordiæ; quatenus autem causa Christi, est veritatis vel iustitiæ. *Animam meam eripuit*; per resurrectionem, de qua apud Iob: Libera me Domine & pone iuxta te. *De medio catulorũ leonum,*

quia

quia è medio eorum qui crudeli in Christum animo (volebant enim gloriam resurrectionis eius impedire)circum circa custodiebant Christi sepulchrum. *Dormiui*.i. mortem oppetiui, *conturbatus*.i.ad mortem per furorem populi tumultuantis exturbatus. Videns enim Pilatus quod magis tumultus fieret, adiudicauit fieri petitionem eorum. Vel, *Dormiui conturbatus*.i.secundum inferiores animæ meæ vires tristis. Tristis enim fuit anima eius vsque ad mortem: vbi autem est tristitia, vel nolle in inferioribus animæ viribus, velle autem in supremis, tametsi suprema inferioribus suum motum permittant, ibi ob appetituum in diuersa tendentium distractionem, nonnulla turbatio est. Prior tamen sensus magis videtur conuenire auctoris proposito, sequitur enim:

Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Quod intelligendum est de linguis Iudæorum, Christum ad mortem depostulantium, quorum linguæ verè fuerunt *gladius acutus*, quia Iudæi, inquit Leo, in Christum lethalia vocum spicula, & venenata verborum tela iecerunt. His autem armis Christi mors præcipue tribuitur, quia illius facti summa, inquit idem, Iudæorum linguis competit, ob quorum instantiam nec illis licuit esse innocentes, quibus eorum iniquitas non placuit. Quæ D. Leonis expositio tametsi huic loco propria sit, Diuus Cyrillus tamen hunc versiculum allegans, illas linguas dicit esse velut arma & gladios acutos, quæ alijs errorem vel peccatum persuadent. Qui enim id facit, fratrem lingua occidit. Quia verò Psaltes in persona Christi paulò ante dixit se liberatum esse de medio catulorum leonum per resurrectionem, ea quæ hanc liberationem secuta sunt superaddere gestiens, in sua persona nunc per apostrophen exclamat ad Christum: 6.

Serm 8. de paßione.

Cyril. 6. in Ioan c. 6.

Exaltare super cælos Deus.i.in summum cælorum ascende, & eo facto, per fidem vbique in te credentium, vt video futurum, erit *super omnẽ terram gloria tua*, quia vbique glorificaberis. Qua apostrophe interposita, redit ad ceptam in persona Christi narrationem & dicit: 7.

Laqueum.i.tentationem quæ ad peccatum erat, *parauerunt pedibus*.i.affectibus quibus me laborare putabant: Nõ enim dixissent Christo: Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, nisi eum velut humanæ glorię cupidum, sperassent ea adulatione more alorum hominum in peccatum seducere. *Et incuruauerunt animam meam.* Incuruatur anima cum in peccati illecebram siue tentationem affectu nonnihil inclinatur, cui cum voluntas libera consentit, tum corruit anima. Incuruauerunt itaque animam Christi in tentationem, non reipsa, sed opinione ac intentione sua, nostras autem animas omnis pœne peccati illecebra reipsa incuruat. Subijcit proinde Christus. 8.

9. *Foderunt ante faciem meam foueam*, q.d. Vidi ego cogitationes eorum cum mihi foueam, in quam quasi imprudens ruerem, foderent. Ideo nihil
Prouerb.1. mihi nocuerunt, frustra enim iacitur rete ante oculos pennatorum, quorum Christus longe primas fuit: Dicũtur autem pennati, quia Spiritu sancto ita sunt imbuti, vt sanatis affectibus suis cuiuis terrenę illecebrę, per alas chari-
Epist.113. tatis in sublimiora se recipiendo, superuolitent. De qua re Aug. In mellis, i. terrenæ dulcedinis, copia non frustra pennas habet apicula, nectit enim hærentem. Quem igitur euentum habuit effossa ab eis fouea? *Et inciderunt in eam*, his enim dolis sibi sic nocuerunt, vt tandem in foueam vnde non est exitus, ceciderint. Quid verò ad has eorum fraudes Christus?

10. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Geminata eiusdem rei assertione magnam animi sui promptitudinẽ & virtutem, ad hæc omnia perferenda & superanda significans. *Cantabo, & psalmum dicam Domino*, Videtur significari gratiarum actio, quam Christus Patri detulit pro eo quod passionem sibi imposuit. Passio enim gloriam Christi adauxit. de qua sequitur:

11. *Exurge gloria mea*; Tametsi enim Christus tempore suæ mortalitatis, quod fuit tempus suæ humilitatis, à Patre glorificari rogauerit; Ipse tamen à Patre sic glorificatus est, vt vnà cum Patre etiam seipsum glorificauerit, ac in suam cum authoritate intrauerit gloriam. Quam authoritatem innuens dicit: *Exurge gloria mea*; verbum enim *exurge* imperantis est, & authoritatem habentis. Gloria autẽ cui hic imperat Christus, gloria est corporis eius & nominis, quam iure vocat suam. dicendo *gloria mea*. Sua enim erat, quia ab eo ipso secũdùm suam diuinam naturam procedebat. Sua erat, quia & dignitati eius & meritis debita. *Exurge psalterium & cithara*. Per hæc significantur laudes & gratiarum actiones, quas Christo post eius glorificationem canere cœpit Ecclesia, ita vt his verbis imperet Christus fieri sibi gloriam sui nominis. *Exurgam diluculo*. i. mane prima Sabbathi memetipsum à mortuis suscitabo. Quod quia Christus ipse facturus erat, ideo dicebat de eo Iacob: Quis suscitabit eum? ac si diceret, nemo extra eum.
Cap.12. de instit. virg. vt notat Ambr. Vis autem scire quid sit quod dixit: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara*?

12. *Confitebor tibi*, per gratiarum actionem, *in populis Domine.* Quod enim populi Deo Patri Christi laudes offerant & gratias agant, id Christus se facere dicit, quia per spiritum suum hoc in hominibus efficit. *Et psallam tibi in gentibus*. Addendo *in gẽtibus*; determinat quod illi populi de quibus prius indeterminatè dixerat: *Confitebor tibi in populis*, gentiles sint. Sed & causam huius confessionis subijciens dicit:

13. *Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua.* i. quoniam altissi-

tiſsimam gentibus impẽdiſti miſericordiam. *& vſque ad nubes veritas tua*, i. Veritas tua per documenta & ſui teſtimonia velut vſq; ad nubes exaltata, omnibus conſpicua & clariſsima facta eſt. Pſaltes autem huius quam prænunciauit gloriæ Chriſti deſiderio vehementius ſuccenſus, illam iam tum vel ſaltem cito reipſa manifeſtari exoptans, iterum exclamat:

Exaltare ſuper cælos Deus, *&c.* Fuit enim ex illis regibus, de quibus 14.
Chriſtus: Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis. Sed nec otioſum eſt quod Chriſtum ad aſcenſionem ſuam exhortando eum appellet Deum, dicens: *Exaltare ſuper cælos Deus*; Hac enim appellatione prophetice inſinuat quod Chriſtus tempore aſcenſionis ſuæ accepturus eſſet nomen quod eſt ſuper omne nomen. Nomen ſcilicet Dei, vt etiam ſupra annotauimus.

PSALMVS LVII.

In finem ne diſperdas Dauid in tituli inſcriptione.

PRo intellectu huius Pſalmi obſeruandum eſt, Homines quantumuis à Chriſti religione alienos, ex dictamine legis naturæ optime ſcire loqui iuſtitiam, præſertim moralem. Diſerte enim & late ſatis explanare nouerunt quid facere oporteat eos à quibus ſibi aut ſuis bene fieri volunt, & ſi quid ſecus fiat, id grauiter reprehendere. Sed ex eiuſdem legis dictamine non iudicant neq; cenſent quid ſibi agendum ſit, aut à quibus malis ſibi ſit abſtinendum, cùm tamen eadem naturæ lex vtrumque pariter dictet: ita vt iſtis improperari merito poſsit, quod Iudæis legem ſcriptam habentibus improperat Apoſtolus: Qui alium doces, teipſum non doces. His itaque atque huiuſmodi hominibus ſic loquitur Pſaltes:

Si vere vtique iuſtitiam loquimini. q.d. vt eam vere loquimini, cùm ni- 1.
mirum aliorum facta cenſuratis, *recte iudicate filij hominum*. i. ex eodem lumine quid vobiſipſis agẽdum vel omittendum ſit, recte decernite. (Huiuſmodi verò homines nullam probabilem excuſationẽ habẽt de peccato ſuo cùm ſint cognitæ legis præuaricatores.) Sed nihil minus, ſequitur enim:

Etenim in corde iniquitates operamini in terra. q.d. neglecto dictamine 2.
cenſorij huius luminis eoque nõ obſtante, intus mala voluntate (hoc enim eſt quod dicit, in corde) iniquitates operamini: *Iniuſtitias manus veſtræ concinnant*. i. etiam opere externo (quod ſignificatur per manus) iniuſtitiã in variis eius operibus; quaſi quibuſdam funiculis connectitis. Qui enim furatur, ne prodatur cõmittit homicidium: In ſuſpitionem tractus adiungit mendacium & periurium: Quæ latius proſequitur Auguſtinus: Nihilominus prædicti verſus ſicut in legis naturæ, ita optimè quadrant in omnes cuiuſcunque tam Moſaicæ quàm Chriſtianæ legis à ſe cognitæ præuarica- *Aug. in hũc locum.*

 tores.

tores. Nam & isti verè & meliorem iustitiam loquuntur, sed sua facta non rectè iudicant. Deinceps autem Psaltes sermonem conuertit ad eos qui legis Christianæ non tam præuaricatores sunt quàm eius se faciunt iudices, ipsamque legem fidei & morum peruersa interpretatione corrumpendo de lege, contrà quam B. Iacobus mandat, iudicare præsumunt. Hi autem sunt Iudæi & hæretici, ad quos sermonem conuerti, tametsi non omnibus in confesso sit, id tamen nos suis locis ostensuri probabile facere speramus. De his itaque dicit:

Iacobi 4.

3. *Alienati sunt peccatores.* i. illi qui magnum illud peccatum desertionis & rebellionis aduersus veritatem committunt, *alienati sunt à vulua.* i. à matre sua Ecclesia auerso animo facti sunt, & nutricis ac gerulæ suæ blandimenta & lacticinia ceperunt aspernari. Hoc autẽ initium est omnis hæresis, quid vero post hæc? *Errauerunt ab vtero.* i. deserto vtero qui eos genuit eiusque rupta compage, sicut viperæ, ad errores tum inueniendos tum sectandos sunt conuersi & effecti hæretici. *locuti sunt.* i. docere & persuadere conati sunt *falsa.* Quod peccatum non bene quadrat in eos quos in principio Psalmi Psaltes alloquebatur: illi enim iustitiam vere loquebãtur. Itaque his verbis indicatur hæresis atque hęreticorum professio. Et statim subiungitur de eorum pertinacia atque dicitur:

4. *Furor illis secundum similitudinem serpentis,* quia serpẽtino furore perciti omnibus venena sua afflare conantur. *Sicut aspidis surdæ.* Aspides vt referunt Hilarius & Augustinus in hunc locũ, & Bern. dicuntur natura esse surdæ, & præterea, cùm percipiunt incantatores sibi imminere, vt concepta adiurationis formula venenum ab ipsis depellant, dicuntur alteram aurem in terram conuertere, alteram vero quæ sursum patet immissa suæ caudæ extremitate obturare. His Bernardus simile esse dicit illud genus dæmoniorum quod non potest exire nisi in oratione & ieiunio. Nihil enim, inquit, poterat verbum Apostolicæ increpationis ad illud. Quomodo ergo illud non erat aspis illa de qua in Psalmis, surda & obturans aures suas ne audiat vocem incantantis? Hæc Bern. Similiter hæretici in primis vt aspides surdi sunt, quia aures audiendi non habent, qui auditum fidei perdiderunt, & præter hoc per pertinaciam obturant aures suas ne audiant legem. Sicut factum esse videmus à Iudæis, qui exclamãtes continuerunt aures suas ne audirent Stephanum: quibus proinde competit illud Prophetæ: Ecce incircumcisæ aures eorum & audire non possunt.

Ber ser. 13 in Psal. 90

5. *Quæ non exaudiet vocẽ incantantium, & venefici incantantis sapienter.* i. vocẽ eorum qui rectè tractant verbum veritatis. Qui cõparantur incantatoribus aspides adiurantibus, quia cum illis vnum & idem intendunt, videlicet venenum pellere, Sed hi venenum humorum de animãtum corporibus

illi vi-

illi virus errorum de hominum mentibus. Differunt autem arte & instituto sicut differebant Moyses & Aaron ab incãtatoribus Pharaonis. Nec tamen arbitrandum est probari incantatores, quia eis comparantur veritatis præcones, Sicut non reprehenditur Luna eo quod ei comparetur stultitia, cùm dicitur: Stultus vt Luna mutatur. Ad sapientem autem incantatorẽ, præsertim qui sacras incantationes suas contra quoduis venenum vitiorum, & nõ vnam tantum hæresim dirigit, quid pertineat, pulchrè exequitur D. Hieron. in hæc verba: Prudens eloquij mystici siue susurrator, & vt Theodotion voluit incantator videtur mihi esse vir eruditus & exercitatus tam in lege & prophetis quàm in Euangelio & Apostolis, qui poßit singulas animi perturbationes sua sanare doctrina, & ad statum mentis reducere, dum & scortator recipit castitatem, & ganeo frugalitatem, & quondam auarus dat eleemosynã, &c. De huiusmodi incantatoribus cõtra serpentes & aspides Dauid loquebatur in Psalmo: Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas. Omnis sermo Apostoli contra serpentes & aspides incantatio est, quem non exaudient peccatores & hæretici, quia claudunt aures suas, &c. Hæc Hieron. Quid vero istis qui audire nolunt adhibendum est remedij? Id exponit Bern. loco paulò ante citato. Orabo, inquit, pro eo, humiliabo in ieiunio animam meam, baptizabor pro mortuo vberrimo quodam profluuio lachrymarum apud quem videro nihil humanæ incantationis vel admonitionis præualere. Si tamen hæreticorum aliqui corrigẽdi non sunt, qua ratione poterunt conuinci hæreses?

In c. 3. Isa. ad verba: Prudẽtem eloq. myst.

Deus conteret dentes. i. dentatos, mordacesac inuidiæ plenos sermones *eorum, in ore ipsorum*, quia ex ipso hæreticorum ore procedit, vnde efficaciter confutentur. Euenit enim penè omnibus hęreticis, vt, eo quod veritati non adhæreant, suis se assertionibus imprudenter impugnent, inquit Ambr. *Molas leonum*. i. ipsam hæreticorum rapacitatem & crudelitate plenam ingluuiem, in eaque latentes astus tam callidè, vt vix vitari poßint, inquit Hieron. *confringet Dominus*, quia per eosipsos insipientiam eorum, tametsi diligenter occultatam, manifestam faciet. Insipientiam autem eorum manifestare est hæresim confringere secundum Apostolum dicentem; Vltra non proficient, insipientia enim eorum manifestabitur. Hoc autem Deus faciet hæreticos suæ insipientiæ permittendo: Veritatis vero propugnatores ea prudentia instruendo, vt hac hæreticorum vesania ad confutationem hæresis solerter vtantur. Quis verò erit hæreticorum finis? 6.

Epist 81.

in c. 1. Ioel.

Adnihilum deuenient tanquam aqua decurrens. i. Sicut torrens qui ex sinu aliquo imbribus impleto vehementer quidem, sed cito, eo quod perennem fontem non habeat, defluit, ita istorum conatus in principio quidem impetuosi sunt, sed quia à Deo non sunt, cito in suum deueniunt finem.

Quod

Quod non quidem toti generi hæresum & hæreticarum factionum, sed singulis hæresibus euenisse perspicuum est. Porrò quæ hactenus de hæreticis explicata sunt, breui sermone complectitur Epiphan. in hæc verba: Malitia & error [vbi obserua quod error malitiæ postponatur tanquam eius pedisequa, sicut & paulò ante dictum est, prius, quod alienati sunt, deinde errauerunt] à seipso excœcans mentem [vbi obserua cæcitatem vel surditatem aspidis] & piam rationem auersans [vbi indicatur aspis obturans aures suas] contra seipsum velut fluctus excitans, impias prius prędicatas ab ipsis opiniones, alijs fluctibus in seipso collidens, & in seipso semper conterens. [Quod quid aliud est, quàm quod cõterant dentes suos in ore suo?] seipsum destruere anticipauit. Hæc Epiphan. *Intendit arcum suum donec infirmentur.* i. Deus minitatur eis supplicia, dum adhuc in vigore sunt, vt fugiant à facie arcus. Per intensionem enim arcuum, futurorum suppliciorum interminationes significari, in Psal. 7. diximus. Cùm verò ipsi per Dei minitantis terrores, nihil fuerint immutati,

Epiphan. hære. 30.

8. *Sicut cera, quæ fluit, auferentur*; quia imminente fine dissoluetur omnis eorum virtus & potentia, & suo languore colliquescet, ipsique mollescent ad excipienda quæuis supplicia. Hac metaphora etiam describitur interitus impiorũ in die iudicij, cùm dicitur: *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Supercecidit ignis*, concupiscentiæ, inquit August. *& non viderunt solem* iustitiæ. Sed quia deductio psalmi & ordo alium sensum postulare videtur, ideo præferimus sensum quẽ dat D. Greg. Supercecidit super eos in ceræ modum prius liquefactos ignis inferni, & non viderunt solem. Ignis enim ille ardens est, sed non lucens, imò propter horridam caliginẽ tenebras exteriores adducens. Quis verò aut qualis erit hæreticis finis in hoc sæculo?

Psalm. 67

9. mor. ca 46.

9. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viuentes, sic in ira absorbet eos.* In quibus verbis iuxta quosdam quos sequimur, sermo dirigitur, non ad ipsos qui absorbendi dicũtur, sed ad alios; Quos alios variè intelligunt. Ego verò arbitror sermonem esse ad Ecclesiam, quæ cum sit lilium inter spinas, rectè illi dicitur: *Spinæ vestræ.* Sunt autem hæ spinæ, carnales & non pessimi homines qui in Ecclesia sunt, & altitudinem Sathanæ non cognouerunt, atque iniquitatem, prout oportet nec æstimant, nec auersantur. Rhamnus autem est sentium genus spinosum valde & aculeatum, per quem significantur illi qui hactenus descripti sunt hęretici, quia acerbissimè pungunt, & seuissimè lædunt ac lacerant. Sensus igitur est: Priusquam illi qui in te, ô Ecclesia, carnales sunt, iniquos hos eorumque iniquitatem intellexerint, siue bene habuerint perspectam, & prout oportet æstimauerint. Sunt enim multi in Ecclesia politici, qui hæreticos non quidem

quidem probant, sed arbitrantur eis non esse magnopere succensendum, eo quod ipsi ignorantes fidei bonum ac necessitatem, non putent eos admodum magni mali esse reos. Priusquam ergo isti malum quod in hæreticis est, explorate cognouerint, Deus qui aliter quam ipsi, iudicat. *Sicut viuentes, sic in ira absorbet eos*, quia faciet per iram siue iustam vindictam suam, vt isti, de quibus hactenus sermo fuit, descendant in infernum viuentes, de qua re in Psal. 54. diximus.

Lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Mihi videtur, inquit Ambr. lætari iustum, quod ipse euaserit, non quia impij puniantur. Quamuis enim bonum sit, inquit Tertull. quod puniantur nocentes, magis tamen competit innocenti dolere quod par (seu æqualis eius) tam nocẽs factus sit vt tam crudeliter impendatur. *Manus suas lauabit in sanguine peccatoris*, quia dum peccatorum pœna quæ nomine sanguinis intelligitur, à iustis conspicitur, conspicientis vita mundatur, inquit Gregorius. 10. *serm. 7. in ps. 118 v. 5 Tert. ca. 19 de spectac. Greg. 18. mora c. 13*

Et dicet homo. q.d. Cùm hæc ita sint, poterítne aliquis iure quærere. *Si vtique est fructus iusto?* i. Habebítne aliquis fructum aliquem iustitiæ suæ? q.d. non, quia, *vtique est Deus iudicans eos.* i. & iustos & impios, *in terra.* q.d. ex prædictis manifestum est quod Deus in terra. i. etiam in præsenti vita, iudicium exerceat retribuendo iustis lætitiam quam diximus & facti boni conscientiam quam sanctis loco magni præmij esse docet Ambr. Impiis verò festinam mortem & futurorum suppliciorum quædam præambula: Non quærat ergo homo, *si vtique est fructus iusto*, quia ex præsentis vitæ retributione facile sibi quisque persuadere potest, non defuturam iusto retributionem in ipso retributionis tempore. Ex perceptione enim præsentium, firmare oportet expectationem futurorum. 11. *2. de Abra. cap. 8.*

PSALMVS LVIII.

In finem ne corrumpas Dauid in tituli inscriptione quando misit Saul & custodiuit domum eius vt interficeret eum.

IN hoc Psalmo oratur ne studiis Iudæorum impediatur ædificatio regni Christi in gentibus. Si enim Iudæi id effecissent, iam reipsa corrupissent titulum crucis Christi. Quid enim ad Christi gloriam titulus quem scripsit Pilatus, sine re? Quod autem sequitur; *Cùm misit Saul, &c.* non ad mysterium, sed ad tempus quo Psalti hæc prophetia incidit, referendum est; vt de similibus locutionibus subinde diximus: & in hunc locum testatur Hilarius.

Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgẽtibus in me libera me. 1.

Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salua me. 2.

Absque dubio hic est oratio Christi. Quæ quamuis ad literam intelligi de-

beat de Christo suæ apprehensioni iam proximo, aut etiam apprehenso, eã tamen hoc præcipuè spectat, atque huc tendit, vt nomen Christi de inimicis & viris sanguinum, illud vna cum vita Christi, vt subinde dixi, persequentibus eripiatur. Sensus itaque est, *Eripe me de inimicis meis Deus meus*, ne nomen meum ab iis extinguatur vel deleatur de corde & ore hominum.

3. *Quia ecce ceperunt animam meam*. i. me vt morti tradant captiuum ceperunt, *irruerunt in me fortes*. i. cohors armatorũ venientium ad apprehendendum me magno impetu irruit in me:

4. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine*: q. d. nullo meo demerito ego in hæc mala deueni. Circa quæ verba opportunè obseruabitur distinctio quam ponit Ambros. inter iniquitatem & peccatum, dicens: Iniquitatem esse habitudinem mentis iniustæ, peccatum verò actum eius. Secundum hanc enim distinctionem solus Christus singulariter dicere poterit, neque iniquitas mea neque peccatum Domine, eo quod nec mentis iniustæ habitudo vel originalis in eo fuerit, nec vllum peccatum actuale. Quocirca etiam absque sua culpa pati vel affligi, per modum cuiusdã prærogatiuæ Christo ab August. singulariter attribuitur, quia ne vel originalis culpa fecit Christum miserijs obnoxiũ; Reliqui enim sancti, qui etiam multa absque sua culpa passi sunt, per culpam saltem originalem fuere miserijs multis & afflictionibus obnoxij, ita vt passiones illorum ad peccatum tanquam causam remotam atque originalem reducantur, Christum verò malis & afflictionibus obnoxium fecit non iniquitas, sed pietas. *Sine iniquitate cucurri, & direxi*. i. peccatum neque ambulando, siue cum alijs conuersando, neque dirigendo commisi. Christus enim nec in priuatæ, nec in publicæ personæ officijs peccatum vllum admisit. Sed sua hac innocentia & pastoratus integritate æternam Iudæorum salutem consectatus, eam tamen consecutus non est, ita vt labor & industria eius hac in parte penè fuerit inanis, quam ob rem in persona eius dixit Isaias: In vacuum laboraui. Sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi. Ergo, inquit, iudicium meum cum Domino, q. d. Quandoquidem ego Domino mandante laboraui, & laboris mei fructum non acquisiui, habeo quod cum Deo iudicio contendam, & frustrati prouentus mei compensationem exposcam. Cuius compensationis postulationem Psaltes in persona Christi in hæc verba exequitur.

Amb de Apol Dauid, cap. 13.

2 de pecca. meri ca. 16

Isaia 49.

5. *Exurge in occursum meum, & vide*; q. d. quandoquidem ego tempore mortalis vitæ meæ Iudæorum salutẽ consectatus, sed consecutus non sum: Tu Domine *vide*. i. laboris mei rationem habe, & per auxilium gratiæ tuæ præuenientis, *exurge in occursum meum*. i. ex aduerso tu fac quosdam pro adipiscenda à me animarum suarum salute mihi occurrere, & ad me pro sua salute

ſalute obtinenda properare. Et quia gens Iudæorum laboribus meis reſtitit, & Apoſtolis reſiſtere non ceſſabit;

Intende ad viſitandas omnes gentes.i.hãc quam imploro gratiam in omnibus gentibus operare. Quam quidem ſui laboris compẽſationem Chriſtus non fruſtra vt exigebat eius reuerentia poſtulauit. dicit enim Dominus poſtulanti Chriſto per Eſaiam c. 55. Ecce gentes quæ te non nouerunt ad te current, &c. Quò pertinent etiam illa verba Pſal. 67. Venient legati ex Ægypto, legati ſcilicet ad inuitandum in Ægyptum Euangelij præcones. Sicut & in Actis Apoſt. ad Paulum venit vir Macedo, dicens: Veni adiuua nos. Porrò cauſam hanc ſuam quam Chriſtus hic Deo iudici commendat orando: idem Ieremiæ 15. inſtituit quaſi conquerendo cum dicit: Væ mihi mater mea, quid me genuiſti, virum rixæ & diſcordiæ in vniuerſa terra? non fœneraui. i. vt legit Hieronymus, non profui, nec fœnerauit. i. nec profuit mihi quiſquam quantum ad ipſam gentem Iudæorum attinet. Cui querelæ ſatisfaciens Dominus reſpondet: Si non reliquiæ tuæ in bonum. q.d. Tametſi ex Iudæis tibi contradicẽdo plurimi perierint, reliquiæ tamen ſaluæ factæ ſunt. Et quia hoc mihi parum eſt; Parum enim eſt vt ſis mihi ſeruus, ad fæces Iſrahel conuertendas; (ſubdit per Ieremiam Dominus) Si non occurri tibi. i. gentes in occurſum tuũ miſi in die tribulationis, i. in compenſationem tribulationis quam habuiſti ex rebellione Iudæorũ. Ex quibus datur intelligi, quàm bene ſibi conſulant, qui Deo operam impendunt, eo quod Deus valde ſit magnificus in compenſandis laboribus aliquando, vt apparet, fruſtra exantlatis. In vna enim gente penè fruſtra laborauerat Chriſtus, Eius contẽplatione viſitauit per gratiam ſuam Deus omnes gentes, idque tam prompta gratiæ effuſione, vt ex ijs multos miſerit in occurſum Chriſto. Sed quid pro perfidia reddetur Iudæis? ſequitur, *Non miſerearis omnibus qui operantur iniquitatem*. Quibus verbis approbat Chriſtus iuſtum Dei iudicium, quo decreuit Iudæos ob peccata in Chriſtum admiſſa deſerere, & iuxta Oſeæ prophetiam, Iudæam reipſa appellare abſque miſericordia. Secundum quam expoſitionem, quam arbitramur literalem, nomine iniquitatis hoc loco non quæuis iniquitas intelligi poteſt, ſed illa maxima, quæ eſt Iudæorum in præſentem Chriſtum. Si autem aliquis Auguſtinum ſecutus maluerit hunc verſum de quauis iniquitate intelligere, tum dicendum erit, Deum hoc ſenſu non miſereri omnibus qui operantur iniquitatem, quia nullam iniquitatem relinquit impunitam. Oportet enim iniquitatem puniri, aut à ſuo authore per pœnitentiã, inquit Auguſtinus, aut à Deo iudice per vindictam. Quæ Auguſtini expoſitio verbis textus ſatis eſt conſentanea. Quo modo enim Deus non miſeretur omnibus qui operantur Iudaicam impietatem, cùm multa millia

6.

Hiero. in 4 ad Gal.

Oſeæ 1.

ex Iudæis conuersa sint, nisi fortè generalem illam clausulam commodè intellexeris? Fatetur præterea Augustinus hic posse esse sermonem, de alio quopiam particulari peccato, quo nimirum homines, vt se in peccatis suis excusent, Deum aut fatum suarum iniquitatum faciunt principium: quod peccatum, dicit Augustinus, non consecuturum misericordiam, quia id ferè secum trahit impœnitentiam. Iudæi autem à Deo deserti quo se vertent?

7. *Conuertentur ad vesperam.* i. repulso Christi Euangelio se totos conuertent ad mordicus tenendam legem iam tum in occasum tendentem ac vesperascentem. Accrescente enim in diem seu claram lucem Euāgelio, inclinabantur. i. deficiebant, & paulatim in occasum tendebant vmbræ antiquæ legis. Quas vmbras quandoquidem Iudæi diutius quam oportebat in splendore habere & colere voluerunt nec permiserunt eas tempestiuè occumbere, ideo dicit in eorum persona Ieremias: Væ nobis quia declinauit dies, quia factæ sunt vmbræ longiores vesperi. *Et famem patientur vt canes.* Doctrina enim legis sine Christo, qui est panis Dei dans vitam mundo, saturitatem non præstat, ideo non obstante pabulo legis, quod eis ad manum est, famem patiuntur, quæ hoc loco non in veræ saturitatis appetentia, sed necessariæ refectionis indigentia & egestatis cruciatu intelligenda est. Quam & patientur vt canes, quo nomine etiam ab Apostolo ad Philip. Iudæis attributo, eorum impudentia & rabies, inquit Hilarius, arguitur. *Et circuibunt ciuitatem*, quia per totum mundum oberrabunt circa Ecclesiā, eam autem non ingredientur. Sed quid famelici interim agent, nunquid quiescent? Nequaquam: Sequitur enim:

Ierem. 6.

8. *Ecce*; Quo verbo in scripturis lectoris admiratio ferè excitatur. q. d. O pertinaciam & sæuitiam inauditam, *Loquentur in ore suo*; quia passim cōtradicent & obloquentur Euangelio, vt patet in Actis: Contradicentibus Iudæis dixit Paulus. Et ad Thessal. Qui Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos loqui gentibus, vt impleant peccata sua semper: Peruenit enim ira super eos. *Et gladius in labijs eorum.* Sicut enim lingua eorum fuit gladius acutus cum Christum ad crucem postularent, ita gladius in labiis eorum, quia inter gentiles positi, præcipui erunt inter eos qui Christianos postulabunt ad necem. *Quoniam quis audiuit?* Hoc idem est cum eo quod dixit de Iudæis Ieremias: Quis audiuit talia horribilia quæ fecit nimis virgo Israhel? Quid verò ad has eorum inimicitias Deus?

Act. 13. 18 & 28.

Cap. 18.

9. *Et tu Domine deridebis eos.* i. deridendos propinabis eos faciens conatum eorum risu, vt fit, dignum. Sequitur enim, *ad nihilum deduces omnes gētes.* i. omnem gentilismum, gentilium superstitione per veram religionem exterminata. Hoc enim vere ridiculos præbebit conatus Iudæorum, qui

nomen

nomen Christi laborabāt extinguere. Porro quia Psaltes dicendo ad Deū: *Adnihilum deduces omnes gentes.*; gentium conuersionem Deo eiúsque virtuti asscripsit, ne gentes diuino munere conuersæ cum accepto iustificationis dono, sine Dei speciali auxilio se perseuerare posse præsumerēt, ideo per sequentes versus obiter, velut per occasionē solummodo, exponit Psaltes, quid ad conseruandam acceptam à Deo iustitiam facto opus sit: atque in se omnes erudiens dicit:

Fortitudinem meam. i. vires acceptæ iustificationis & aliorum donorum 10.
tuorum. *Ad te.* i. influxui tuæ gratiæ adhærendo, vel saltem ad opem tuam me conuertendo, *custodiam.* Neque enim tale quid est homo factus, inquit Augustinus, vt deserēte eo qui fecit, possit aliquid bene tanquam ex seipso: sed tota eius actio bona est, cōuerti ad eum vel adhærere ei à quo factus est, & ab eo iustus, pius, sapiens, semper fieri. Sicut enim aër præsente lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset & non fieret, etiam absente lumine seu sole lucidus maneret; sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuò contenebratur, à quo voluntatis auersione disceditur. Ille itaque operetur hominem bonum atque custodiat, qui incommutabiliter bonus est. Semper ab illo fieri, semperque perfici debemus inhærentes ei, & in conuersione, quæ ad illum est permanentes. De quo dicitur, Mihi adhærere Deo, bonū est, & cui dicitur, Fortitudinem meam ad te custodiam. Hæc Augustinus. Vt autem sciremus, hoc ipsum se ad Deū pro conseruatione suæ fortitudinis conuertere, nunc specialiter diuini muneris esse, cum ante lapsum id solum relictum fuerit in libero hominis arbitrio Dei gratia sufficienter instructo, causam huius suæ cōuersionis, inquit Augustinus, subijciens, dicit Psaltes: *quia Deus susceptor meus es.* q. d. Tu me assumpsisti, vt hanc quæ dicta est, mei ad te conuersionem prior in me peculiari cura & munere operareris. Et tanquam requirēs, inquit ibidem Augustinus, quibus id quod videlicet à Deo susceptus sit, vel Deus susceptor eius factus sit, meritis fuerit assecutus, nihilque in se inueniens ante gratiam Dei, ait *Deus meus, misericordia eius præueniet me.* i. quantumcunque cogitauero antecedentia merita mea, misericordia eius præueniet me. Hæc Augustinus. Quamuis autem Augustinus locum hunc Psalmi interpretetur de gratia omne meritum, omnemque bonum actum hominis præueniēte, attamen quia psaltes in persona iustificati loquitur, & vtitur verbo futuri temporis, videtur locus hic aptissimè exponi de gratia non omne meritum, aut bonum actum hominis iustificandi, sed singulos actus hominis iustificati præueniente. De qua gratia præueniente Cælestinus: In bonis quibusque humanæ voluntatis singulis motibus, magis Dei valere, vel (vt Petrus Diaconus confessionis suæ cap. vltimo legit) præuenire, non dubitemus

8. de Gen. ad lit. c. 12

Epist. 106

C. 8. ep. suæ pro D. Aug.

Prosp. in fine epist. ad Ruff. auxilium. De hac & D. Prosper: Natura humana ab æternæ mortis debito non liberatur, nisi Deus liberum hominis arb. agendo, auxiliando, & in finem vsque præeundo, seruauerit. Cæterum ad hanc gratiam præuenientem, tametsi meritum hominis iustificati de congruo ordinetur, arbitror tamen ipsam in multis plane gratuitam esse, & hominis omne meritũ multis partibus non solum præstantia, sed etiam amplitudine excedere. His autem quæ ad perseuerãtiam iustificatorum pertinent, per occasionem interpositis, redit Psaltes ad institutum, dicitque in persona Christi.

11\. *Deus ostendit mihi*; Christus enim id quod sibi ostensum esse dicit secundum humanam naturam videbat in se Verbo. *Super inimicos meos*, Iudæos scilicet, vt pro eis petam & dicam: *Ne occidas eos*.i. ne totam gentem de superficie terræ deleri sinas. Sic Cyrillus & Augustinus. Quam rem Cyrill. 2. in Genesin. Aug. 18. de ciuit. c. 46. ijdem præfiguratam dicunt in Cain, cui signum à Deo impositum est, ne ab aliquo occideretur. Qui etiam partem sequentem huius versiculi hoc modo legunt: *nequando obliuiscantur legis tuæ*. Quam lectionem Augustinus exponit in hæc verba, Conuenienter mihi videtur intelligi per Epi. 59 ad Paulinum. hæc verba esse pronunciatum, Iudæorum gentem etiam debellatam atque subuersam, in populi victoris superstitionem nõ fuisse cessuram, sed in veteri lege mansuram. Rem autem hanc bene expendenti apparebit, quod lectio Augustini cum nostra in idem redeat: Nos enim legimus. *Ne quando obliuiscantur populi mei*, gentiles videlicet ad Christum conuersi, hoc autem prouenit ex eo quod Iudæi non obliuiscantur legis suæ. Ex eo enim quod gentiles vident Iudæos vsque hodie cum sua lege permanere superstites, ad fidem Christi conseruandam & confirmandam non parum adminiculi accipiunt. Iudæi enim, inquit Bern. viui quidam apices sunt, re- Epist. 322. præsentantes Dominicã passionem, vt dum iustas facinoris sui pœnas luunt, testes sint nostræ redemptionis. Deinde Iudæi Christianæ religioni non parum firmamenti præstant ex eo, quod quantumuis Christi existant perduelles, prophetias tamen in quibus Christus rutilat, tanquam à Deo profectas in reuerentia constantissimè habeant. Ex quo efficacissimè conficitur easdem prophetias non esse à Christianis, post Christum præpostero augurio, vt infideles calumniari potuissent, confictas. Si enim Christiani eas è re gesta ementito præsagio confinxissent, quomodo eas tanta religione colerent Christi inimici? De qua re latius Augustinus. Hæc itaque Aug. locis citat. & 1. de cõs. c. 14 & huiusmodi sunt, propter quæ Deus reuelauerat Christo, vt oraret super inimicos suos, ne Deus occideret eos. Quia verò Ecclesia per totũ terrarum orbem erat ædificanda, conueniens etiam erat, vt Iudæi ad hanc ædificationem vbique adiuuandam in omnem terram sese diffunderet. Ideo sequitur:

12\. Tertul. c. 13 cõt. Iudæos. *Disperge illos*.i. in omnem terram vagos fac & profugos, inquit Tertul.

in vir-

in virtute tua. Diuinæ enim prouidentiæ est & virtutis, gentem illam tot iam sæculis errabundam, omnibusque nationibus inuisam, tot cladibus sæpe attritam, vsque hodie adhuc seruari superstitem, vt nec interierit omnino, nec proprias sedes vnquam recuperarit, nec in vno constiterit loco. *Et depone eos*, de honore sacerdotij, principatus, & regni: Imo & de honore quo reliquis aliquando populis præfulserunt, in hoc quod fuerint aliquādo peculium seu peculiaris populus Dei. His modis depositos esse Iudæos tanquam iam euenisset, planxit Hieremias, cùm diceret: Deposita est vehementer, non habens consolatorem: & prophetare non prætermisit B. Maria, cùm diceret: Deposuit potentes de sede. Addit autem Christus: *protector meus Domine.* q. d. Tu eos de principatu depones, qui è contrario meus protector es, vt ego de corpore meo, quod est Ecclesia, nunquã principatum sacerdotij regalis perditurus sim. Iurauit enim Dominus & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Verum enimvero quãdoquidem Iudæi, teste Apostolo, nõ sic offenderunt vt caderent. i. in totum à salute omnes exciderent, Dominus enim Sabaoth eis reliquit semen; Christus qui hactenus ea quæ iræ sunt locutus est, in ipsa sua ira misericordiæ recordatur, & eidem quo vsus est verbo *depone* videlicet, inhęrendo, elegantem transitum facit, orationemq; instituit pro reliquiarum Iudaicarum conuersione, dicens:

Thren 1. *Psal. 109.* *Rom. 11.*

Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, scilicet depone. q. d. 13.
Dixi, *Depone* eos de principatu, quin potius, *depone*, seu dimitte delictum oris eorum, quo videlicet vno ore clamauerunt, Sanguis eius super nos & super filios nostros. Eius enim clamoris merito filij eorum tamdiu perseuerant sub maledicto. Depone simul sermonem labiorum ipsorum, quo Christianæ fidei pertinaciter obganniunt, vt ab eo cessent. *Et comprehendantur in superbia sua.* Similem locum citat Apostolus ex Iob: Comprehendam sapientes in astutia eorum. vbi pro eo quod legimus *comprehendam*, legit Cypr. & Ambr. *reprehendam.* Reprehendere autem ad literam significat retrorsum trahere, allegorice verò carpere: Sicut & despicere ad literam significat desuper vel deorsum videre, allegorice vero contemnere. Arbitror autem ego similiter hoc loco pro comprehendantur legi aut saltem intelligi posse reprehendantur. i. retrorsum conuertantur, vt sit hic sensus. In ipsa adhuc eorum superbia, per quam religioni Christianæ pertinaciter obluctantur, superueniat eis misericordia tua, qua operãte retrorsum trahantur, vt ab insultando longe recedant. Et hac ratione fiant ex illis misericordiæ filijs, de quibus August. quod sunt contra ipsam superbiam erudiendi, cum alij & quidem multi consimilis superbiæ merito à iusto Deo deserantur.

1. Corin. 3. *Cyp. lib. de patientia.* *Amb. in cõment.* *2. de pecca. mer. ca 17*

Et de

14. *Et de execratione & mendacio annunciabuntur in consummatione.* i. fiat eis tunc simul Euangelij prædicatio, cuius eruditione consequantur perfectam salutem, ad quam eos non adduxit lex. Hæc inquam fiet eis, *de execratione*.i.vt ab ipsa execratione sua in qua eos Euangelij prædicatio inueniet, conuertantur ad Euangelium. Quam Iudæorum execrationem Hieronymus nobis manifestam facit, asserẽs Iudæos ter in die Christo sub nomine Nazarenorum, (sub quo Christiani intelligendi sunt) maledicere, Cuius etiam meminit Epiph. in hære. 29. *& de mendacio.* i. vt à mendacio quo se Christum in carnem venturum expectare mentiũtur, ad eum qui iam venit, se conuertant. vel, *de mendacio*, quo quidam eorum putabunt Deum in promissis suis erga Israhelem fuisse mentitum, vt refert Cyrillus. Et hæc fient eis *in ira consummationis*. i. adhibitis simul à Deo flagellis, per quæ extimulentur ad suscipiendam consummationem siue conuersionem. Ita vt hic dicatur ira consummationis ad differentiam iræ cuius occasione quidam obdurantur ad damnationem, quæ similiter appellari potest ira indignationis. *Et non erunt*, qui & quales antea fuerant. Hæc autem eis euenient, quia

Hiero in c. 49. Isaiæ.

Cyril. in c. 24 Isaiæ.

15. *Et scient*. i. animaduertent, *quia Deus*, Christus scilicet, *dominabitur Iacob & finium terræ*. i. quod regnum Christi in omnem terram diffusum sit. Eo autem quòd prius noluerunt, nunc animaduerso, ipsi incipient in semetipsis confundi, quod veritati celeberrimæ ipsi soli obluctantes, se regni istius hactenus extorres fecerint. De qua ipsorum confusione Isaias: Non modo confundetur Iacob, neque modo vultus eius erubescet, sed cùm viderit filios suos. i. Christianos, operâ manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum. Et sanctificabunt sanctum Iacob. i. Christum, tum inquam, scient errantes spiritu intelligentiã; & mussitatores. i. qui in suis conuenticulis & synagogis velut mussitando Christo solent obgannire, discẽt legem Euangelij. Sed his quæ hactenus dicta sunt, aptè posset subijci huiusmodi interrogatio. Quo tempore hæc futura sunt? Cui videri potest Psaltes respondere per sequentem versum.

Isaia 29.

16. *Conuertentur*, ad fidem Christi, *ad vesperam* mundi, siue in fine sæculorum. Quem sensum probabiliorẽ facit expositio August. & Bern. & quod quædam alia huius versiculi in sensum cõformem non incommode possent exponi. Sed quia hic inter cætera dicitur: *Et famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.*

Epist. 322

17. *Ipsi dispergentur ad manducandum; si vero non fuerint saturati, & murmurabunt*: Quæ non possunt commodè in bonam partem intelligi, præsertim quia fames de qua diximus, & hic repetitur, à Propheta Amos describitur futura eorum, qui quærent verbum Domini, & non inuenient; quod nullis

Amos 8.

nullis aptius competit quam Iudæis adhuc in incredulitate constitutis, maximè cum D. Cyrillus illum locum Amos de Iudæis adhuc in perfidia positis interpretetur; ideo D. Hilarium secuti, hic arbitramur fieri repetitionem eiusdem quod supra dictum est. Idque hoc consilio, vt hic commemorata ea quæ prius narrata est Iudæorum pertinacia, à contrario magis apparere posit quam grata fuerit Christo gentium conuersio: & proinde ex quanto affectu proueniat gratiarum actio in quam desinit Psalmus. Dicit itaque, Iudæi *conuertentur ad vesperam*, &c. quod intelligatur in eum sensum quem supra exposuimus. E diuerso verò, Cyr. in c. 8. & 40 Isa.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane. i. tempore resurrectionis, *misericordiam tuam.* 18.

Quia factus es susceptor meus, in quorundam ex Iudæis conuersione. 19.
Et refugium meum in die tribulationis, Cùm enim de Iudæorum infidelitate tristis ad te recurrerem, occurrendo mihi, in gentium conuersione factus es mihi refugium. i. præstitisti mihi id quod præstare decet eum, ad quam ob suam bonitatem & potentiam in tribulatione recurritur.

Adiutor meus tibi psallam, in gratiarum actione, *quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea.* In quibus verbis obserua, quod cùm dicit Christus: *adiutor meus, & misericordia mea*; id dicit ratione auxilij & misericordiæ quam Deus præstat nobis. Hanc autem Christus suam dicit, quia ipse nos vt carnem suam, & suum corpus diligit. 20.

PSALMVS LIX.

In finem pro ijs qui immutabuntur in tituli inscriptione.

HI sunt qui ad Christianam religionem sunt conuertendi. *Ipsi Dauid in doctrinam cum succendit Ioab Mesopotamiam Syriæ, &c.* Illius enim belli licet feliciter gesti tempore, per spiritum prophetiæ didicit Dauid ea quæ præsenti Psalmo pangit. In quo describit clades & orationem Christianorum, qui bellis ac persecutionibus ab infidelibus & hæreticis premuntur. Et simul vtilitates quæ ex iisdem bellis ad Ecclesiam vniuersalem proueniunt. Ita vt optimè dixerit D. Basilius, Tempus tituli aut Psalmi erat in rebus bene gestis: vis autem scriptorum habet relationem in finem; Finem appellans id quod in consummatione sæculorum euenturum est. Itaque in persona afflictorum sic loquitur:

Deus repulisti. i. vndique expelli, ab omnibus eijci permisisti. vel, *Repulisti nos* ab auxilio temporalis præsidij: in quē sensum similem versum Psal. 43. exposuimus. *Et destruxisti nos.* i. rempub. nostram Christianam, quia nunc infideles gerunt magistratum & principatum in republ. ita vt reipubl. nostræ cōpetat illud Isaiæ: Principes tui socij furum; Et illud: Quo- 1.

modo facta est meretrix ciuitas fidelis; Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. *Iratus es*, ob peccata enim populi Christiani persecutiones has à Deo euenire latè probat Cyprianus. *Et misertus es nobis*. Cùm enim nos etiam maiora his pro peccatis nostris pati mereremur, clementissimus Dominus, inquit ibidem Cypr. sic cuncta moderatus est, vt hoc omne quod gestum est, exploratio potius quàm persecutio videretur, vt ad correctionem delicti & probationem fidei, remediis seuerioribus veniremus.

Cypr. circa exordium tract. de lapsis, & epist. 8.

2. *Commouisti terram & conturbasti eam* deserendo, & permittendo, *sana contritiones eius*. i. strages eius: Contritio enim frequenter non pœnitentiæ virtutem aut primam eius partem, sed animi confractionem significat, vt apud Hieremiam: Magna est velut mare contritio tua; Et in Psal. Qui sanat contritos corde: vbi corde contriti dicuntur quibus sunt vires fidei, spei, & reliquarum virtutum confractæ. Hoc autem ante persecutionem facit pax longa, vt docet Cypr. In ipsa verò persecutionis tempestate idem in multis operatur malorum & calamitatũ abundantia, vt notat Conciliũ Tolet. tertium, per quæ sic viribus spiritualibus exuitur maxima pars hominum, vt non supersit in eis fidei vigor, censura disciplinę, diuinæ legis zelus, æmulatio auitæ integritatis. Imo vix in multis supersit vlla doctrinæ aut vitæ spiritualis capacitas. De qua contritione Isaias: Subito dum non speratur veniet contritio eius, & comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius testa in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. Cor enim fatui, inquit Ecclesiasticus, quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. Sed vt de magnitudine huius contritionis melius coniectura fieri possit, subdit Psaltes eius causam, vt ex causa coniecturam facias de effectu, & dicit: *Quia commota est*. q. d. Æstimari potest terræ cõtritio ex eo quod commota est. Quod enim commouetur, frequenti motu vndique agitatur, & frequentata concussione ac collisione confringitur & distrahitur. Si ergo terra commota est, multa agitatione conuulsam atque confractam esse, est necesse.

Loco citato

Isaiæ 3.

Eccl. 21.

3. *Ostendisti populo tuo dura*, per bellicas clades: *potasti nos vino cõpunctionis*, seu, vt Hieron. vertit, mœroris. Nec enim hæc compunctio ab animi pœnitudine, sed à publica calamitate infligitur. Quod autem dicit: *potasti nos*, punctionum istarum importat abundantiam vsque ad intima penetrantem.

4. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*; vt videlicet per experientiam malorum præsentium, discant cauere futura quæ comminatur, & in futurum præparat Deus. Hæc enim per arcum eiusque intensionem significari, in Psal. 7. diximus. Est enim quoddam commonitionis in-

nis indicium, inquit Ambr. videre quod metuis, vt poſsis intelligere plus ſupereſſe quod metuas. Dum enim cauti ſumus ad ea quę cernimus, cautiores efficimur ad ea quæ ſperamus. Vir enim ſapiens his actibus terrenis inſtruitur, queadmodum futuri ſæculi debeat declinare iudicium. Porro hanc ſignificationem dat Deus *metuentibus ſe*, ſoli enim hi qui timent Deũ, hunc timorẽ meditantur reliquis ſine ſenſu & cura permanentibus, inquit Greg. Poſt cladium autem enarrationẽ ad orationem Pſaltes cõuertitur, & dicit: Serm. 88. 9 mor c. 18

Vt liberentur à præſentibus malis, ſic, vt in æterna mala non deueniant *dilecti tui*, quos vt ſaluos faceres, charitate perpetua, etiam cùm inimici eſſent, dilexiſti, eoſque dilectione proſecutus, ſecundum propoſitum prædeſtinaſti. *Saluum fac dextera tua*. i. virtute gratiæ tuæ ſalutẽ eorum operare, *& exaudi me*, pro his omnibus orantem. Merito ergo in aduerſitatibus his conſtituti (etiamſi hoc tempore ſancti non orarent pro nobis) oramus ſanctorum meritis & precibus apud Deum iuuari; Sancti enim dum vel in hac vita eſſent, noſtras neceſsitates iam dudum ſuis precibus præuenerunt: quæ abſque dubio non ſunt in obliuione coram Deo. Qui autem præmiſſæ orationis ſint futuri effectus, declarat Pſaltes per ſequentia, & dicit: 5.

Deus locutus eſt in ſancto ſuo. i. immutabili verbo ſuo, cuius euentus infallibilis eſt. Dixit enim & non faciet? *Lætabor*, Lætatur enim Dominus in operibus ſuis: quia tametſi, vt docet Athan. non extraneum quiddam aliunde ſibi acquirat Deus, quod gaudium illi conciliet: Propriè enim lætatur pater, cùm intuetur ſeipſum in ſui ipſius imagine, quod eſt verbum eius, tamen etiam delitię eius eſſe cum filiis hominum, idque non ex ſuperuentitio gaudio, ſed quod tum quoque videat, ad ſui imaginẽ opera ſua eſſe perfecta, adeo vt illa exhilaratio Dei ex imagine ipſius (æterna) cauſam trahat. Hæc Athanaſius. Vel, in ſuis creaturis lætari dicitur Deus, quia ſuam in illis impletam eſſe videt voluntatem, inquit D. Thomas. *Et partibor Sichimam*. Sichima, vt notat D. Baſil. & Ambr. moriente Iacob, ceſsit Ioſeph in poſſeſsionis prærogatiuam. Do tibi, inquit, partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Qua re ſignificari videntur manubiæ partæ victoriæ, & ſuperati certaminis quædam peculiaris gloria ſeu corona. Promittit ergo Deus, *partibor*. i. in plures, vt interpretatur Baſilius, diſpartiar, *Sichimam*. i. victæ perſecutionis eminentem coronam. q. d. perſecutione ſic vtar, vt faciam varios per eam ad martyrij coronam peruenire. *Et conuallem tabernaculorum metibor*. In his verbis fit alluſio ad tabernacula quę tetendit Iacob in Sochot poſtquam diſceſsiſſet à Laban. Cùm enim dicit Dominus *metibor* ſiue dimetiar, *conuallem tabernaculorum*, promittit ſe in multos diffuſurum gratiam, vt tempore perſecutionis more caſtrenſi, norint aut diſcant in tabernaculis habitare. i. tan- 6. Ser 3. con. Arr in fine 1. cont gen tes cap. 91 Baſi in hũc locum.

quam imminente in omnes horas hoste, militiæ spiritualis vitam & disciplinam apprehendere, seque ad pugnam & comparādam victoriam præparare. Sunt enim tabernacula, viatorum & præcipue militantium domicilia. Ad quod vitæ ac disciplinæ genus requiritur imprimis vt præ oculis habeatur, nos in baptismo non sic Christianæ militiæ nomen dedisse, vt pacem tantummodo cogitare, & detrectare ac recusare militiam debeamus. Deinde idcirco quotidie nos calicem sanguinis Domini bibere, vt posimus & ipsi pro Christo sanguinem fundere. Ad hæc, vt nemo quidquam iam de sæculo moriente desideret, sed sequatur Christum qui viuit in æternum. Deniq; vt sit ante oculos quod Christus qui iudicaturus est, iam iudicij sui futuri sententiam protulerit, cōtestans confessurum se coram Patre suo confitentes, & negaturum negantes. Armentur integri ne perdant quod hactenus steterunt: Armentur & lapsi vt recipiant quod amiserunt. Hæc & plura Cypr. *Cyp. epi. 56* Quibus initio de exhort. mart. addit præcepta diuina (scripturas sacras intelligit) pugnantibus esse suggerenda velut arma: Illa, inquit, sint militaris tubæ hortamenta, illa pugnantibus clasica, Inde aures erigantur, inde instruantur mentes, inde animi & corporis vires ad omnem pasionis tolerantiam roborentur. Cui pulchrè consentit Ambr. *Ser. 11. in ps. 118. v. 4* Porro hęc tabernacula conuallis aut in conualle esse dicūtur, eo quod oporteat eum qui martyrio pręparatur, loco fundamenti humilitatē sibi & modestiam sternere, nec de suis viribus, sed Domini dignatione confidere, nec de martyrij præsumptione se efferre. Sed quia inter eos qui in his tabernaculis degunt varij militātium gradus sunt & ordines, de his dicit Deus in sequentibus.

7. *Meus est Galaad.* q. d. inter eos quos per hęc tabernacula distribuero, vnus ordo est eorum qui appellantur Galaad, quod est tumulus testis siue aceruus testimonij, vt habet Genesis. Aceruus autem testimonij nihil aliud est quam martyrum exercitus, qui fidei Christianæ temporalis suæ vitæ internecione illustre admodū testimonium dederūt. Hi Domini sunt, imprimis quia diuina dignatione & auxilio sunt quod sunt, & semetipsos Domino ex toto corde tradiderunt. *Meus est Manasses.* q. d. Est præter hunc & alius ordo militantium in iisdem tabernaculis, qui appellatur Manasses. Manasses ab obliuione nomen accepit, dicente Ioseph eius patre: Obliuisci me fecit Deus laborum meorum, & domus patris mei. Hoc nomine significantur illi Christiani, qui ne ob acerbitatem persecutionis periculis perfidiæ aut desertionis se exponant, desertis & quasi obliuioni traditis possessionibus, quas multo labore compararant, patriæ extorres facti ad tutiora loca se recipiunt. Interim vt verbis Apostolicis dicit Athanasius, egentes angustiati afflicti in solitudinibus oberrant in montibus & speluncis. Hi etiam Domini sunt, quia non quidem vitam, sed commoda sua diuinæ charitati,

tati, eius munere postponunt. Quapropter Cypr. Primus est victoriæ titulus gentilium manibus apprehensum, Dominum cõfiteri. Secundus ad gloriam gradus est cauta secessione subtractum Domino reseruari. Illic fortitudo promptior, hic solicitudo securior. *Et Ephraim fortitudo capitis mei*, quia in gentibus nomine Ephraim significatis, fortitudo confessionis & martyrij principatum obtinet. Cyp. de laps.

Iuda. i. Christus de tribu Iuda, quo nomine etiam Iacob moriens Christum compellat, Iuda te laudabunt fratres tui. *Rex meus*. Christus enim exemplo, exhortatione Euãgelica, qua dixit: Qui me confessus fuerit, &c. & auxilio, Martyrum rex & propugnator est, sicut & Confessorum. Non enim sic est, inquit Cypr. vt seruos suos tantum spectet (quod tamen nõ parum est ad acuendum militem in prælium: magnam enim milites computant gloriam honoris sui, si Imperatore inspectante contigerit coronari, inquit idem) sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur. *Moab*, qui semper aduersatus est populo Dei, & proinde per eum significantur Ecclesiæ hostes, *olla spei meæ*; Ollæ nomine significatur feruor hostilis ad inferẽdam tribulationem succensus, vt patet Hieremiæ 1. Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis. Diabolus enim odio & crudelitate succẽderat gentilium corda ad insectandum & affligendum Israhel Dei. Hæc autem olla dicitur olla spei nostræ, quia tribulatio operatur probationem, probatio vero spem. Ideo & ante dixit Psaltes: Si consistant aduersum me castra, in hoc ego sperabo. His itaque modis atque auxiliis liberantur à Deo dilecti sui, & singuli ex tribulatione priuatam suam consequuntur salutem. Deus autem qui diues est in misericordia, his non contentus, facit etiam commotionem terræ in publicam vtilitatem redundare, de quo sequitur: 8. Cyp. epist. 9 Epist. 56.

In Idumæam extendam calceamentũ meum. Idumæa idem est, inquit Hieronymus, quod sanguinaria vel terrena. Per calceamẽtum designatur prædicatio Euangelij, de qua Apostolus, Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. Proinde sensus est: Faciam Euangelij prædicationem peruenire ad sanguinarios, ipsos videlicet qui in martyrum sanguinem sæuierunt, atque terrenos, eisq́ue præualere. Idq́ue per *Galaad*, quia effusus sanguis martyrum efficacius Euangelium persuasit, quauis elegantissima prædicatione: Ideo dicit Tertull. quod sanguis martyrum semen sit Christianorum. Præcipue verò per *Manassem*. Qui enim persecutionem ex vno loco effugerunt, in loca refugiorum suorum inuexerunt secum Euangelium Christi, vt manifestum est ex Actis Apostolicis, vbi dicitur, quod illi qui dispersi erant in persecutione quæ facta est sub Stephano, pertransibant per regiones Iudææ & Samariæ euangelizantes verbum. Si quæras, Quo fructu 9. 1 cõt. Pela. cap. 10. In fine Apolog.

 exten-

extendatur calceamentum? Id sequitur: *Mihi alienigenæ.* Iidem sunt qui modo Idumææ nomine denotabantur, *Subditi sunt*, quia Euangelij prædicationem in persecutione annunciatam, receperũt. Quia autem gentilitas minis & mandatis terroribusque à se suisque locis prædicatores veritatis quanta poterat vi arcebat atque excludebat, ne lucem Euangelij ad se inferrent, introducit nunc Psaltes sermonẽ eorũ, qui his non obstantibus, euangelicæ nihilominus prædicationi sese accingebant, qui attendentes omnem aditum inuehendæ illuc veritatis sibi esse præclusum, sic apud semetipsos dicebant:

10. *Quis deducet me in ciuitatem munitam*? i. Gentilitatem Euangelicę prædicationi omnem aditum, lege, ac magistratuum authoritate, populorumq; conspiratione (Hæc enim munitæ ciuitatis mœnia sunt) præcludentem? *Quis deducet me vsque in Idumæam*? i. eandem gẽtilitatem euangelizantium interfectione sanguinolentam? Qui tametsi propriis viribus, fide tamẽ non infirmati, se cõuertunt ad Deum, cuius auspiciis aditum tam difficilem non solum tentare, sed etiam penetrare confidunt, & dicunt:

11. *Nõnne tu Deus*, potens es huc deducere, imo & deduces nos, *qui repulisti nos*; à protectione temporarię prosperitatis, ita vt omni ex parte quasi miserrimi omnique præsidio destituti videamur? Ob hoc autem nihil nobis cunctandum est aut trepidandum, quia *non egredieris Deus in virtutibus nostris.* i. prædicationem Euangelij, cum qua ad salutem hominum egredi diceris, non prosperabis nec fructuosam facies, *in virtusibus nostris.* i. temporali nostra felicitate, potestate, aut splendore, sed potius in infirmitatibus nostris: Cùm enim infirmamur, tunc potentes sumus. Nam & ipse Paulus Apostolus in infirmitate multa annunciauit Corinthiis euangelium salutis, vsque in illam horam esuriens & sitiens, nudus, colaphis cęsus & instabilis. Porro, quia futurum erat vt gentiles martyribus apprehensis, quæstionatis, aut etiam tortis offerrẽt facultatem euadendæ mortis vel tribulationis, si modo vellẽt feralibus Imperatorum edictis, re, verbo vel saltẽ specie satisfacere, ideo introducit nunc Psaltes voces martyrum, contra hanc vanam humanitatem implorantium à Domino auxilium, qui dicunt:

12. *Da nobis auxilium de tribulatione.* i. adiuua nos vt perferendo acquiramus nobis de tribulatione salutem æternam. *Quia vana salus hominis.* i. salus illa temporaria quam promittit homo, vana est. Nisi enim ad profe-
Hil. in hũc locum. ctum æternitatis hęc vita suscepta vel prorogata fuerit, inquit Hilarius, miseriarum nobis origo est, non vitæ. Deinde vana salus hominis, quia etsi in præsentiarum quis, vt dicebat Eleazarus, manibus impiorum eripiatur, manum tamen omnipotentis Dei, nec viuus nec defunctus poterit euadere. Quam vanitatem temporariæ salutis quidam martyres vsque adeo habuẽre perspe-

perſpectam, vt etiam cum ſine peccato poſſent, noluerint è vinculis aut iudicum manibus redimi vel dimitti, non ſuſcipientes vllam redemptionem, vt meliorem inuenirẽt reſurrectionem. Sed quid agitis ô Martyres, Si temporariam ſalutem ab homine vobis, vel illicita conditione vel pretio oblatam reſpuitis, diræ mortis ſpicula variaque tormenta vobis ſubeunda erunt? Id verò nihil moramur, quia

In Deo faciemus virtutem. q. d. Illa præbebunt nobis materiam vt Dei 13.
auxilio multigenam conſtantiæ, fidei, charitatiſque & tolerantiæ exerceamus virtutem. *Et ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.* i. Deus, vbi virtute fuerimus conſummati, eò deducet inimicos noſtros, vt poſt illa nõ habeant amplius quid faciãt. Ob id dicebat Leo per apoſtrophen ad Decium: *Leo ſer. de S. Laurent.* Nil obtines, nil proficis ſæua crudelitas, ſubtrahitur tormentis tuis materia mortalis. Et Laurentio abeunte in cælos tu deficis in flammis: Sæuiſti & auxiſti palmam dum aggeras pœnam. Proinde non oportet nos illa certamina detrectare vel formidare.

PSALMVS LX.
In finem in Hymnis Dauid.

SCriptus eſt hic Pſalmus in hunc finem vt haberet Eccleſia formulam recenſendi cum gratiarum actione Dei beneficia, per quæ ipſa in vniuerſo mundo eſt, conſeruatur & creſcit in Domino. Loquitur enim Pſaltes in perſona Eccleſiæ, teſte D. Gregorio, illius prẹſertim *In ca. 3. Regum.* temporis, quo iam per vniuerſum orbem terrarum propagata, in omni loco ſuo à generatione in generationem ſtabilis perſeuerat.

Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ. qualis ſcilicet 1.
ea ſit, ánne caſta, innocens, inquit Hilarius, & fidelis, & ex intimo conſcientiæ & cordis motu profecta. *Hi. in hunc locum.*

A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meũ. Verba, *dũ anxia-* 2.
retur cor meũ, præcedentibus cõiungit Aug. vt ſit ſenſus; Dũ ego in omnibus finibus terræ fundari inciperem, & propter obiectas difficultates corde anxia eſſem, & de ſucceſſu rerum trepida, ad te vndique pro auxilio clamaui. *Serm. 157. de tempore* Neque id fruſtra. Nunc enim *in petra*, qui eſt Chriſtus, *exaltaſti me*, quia res meas vbique ſtabiliuiſti, & authoritate, ſplẽdore & felici profectu me creſcere feciſti, ita vt humilis ædificatio in petra prius cepta atque fundata, iam creuerit in templum ſanctum in Domino.

Deduxiſti me, vſque ad fines orbis terræ, *quia factus es ſpes mea.* i. quia me in te ſperare feciſti. Vel, quia id quod de te ſperabã, tu mihi præſtitiſti. Et quid illud erat? *Turris fortitudinis.* q. d. ſicut ſperabam, factus es mihi altiſſimæ gratiæ, bonitatis, prouidentiæ atque virtutis fida protectio. *à facie.* i.

cie.i.manifesta impugnatione *inimici* primordia mea aperto marte impugnantis. Sed quamdiu, ô Ecclesia, per totum terrarum orbem constabilita permanebis?

4. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula*.i.permanebo in ijsdem locis inhabitans tabernacula tua, siue in forma militantis Ecclesiæ (tabernacula enim casæ castrenses sunt) quamdiu succedent sibi sæcula. Et ad hoc, *protegar in velamento alarum tuarum*. q. d. sicut cùm in principio aperto marte impugnarer, tu protegebas me vt turris fortitudinis ita nunc me in tabernaculis tuis in pace, non sine formidine hostis inuisibiliter aliisque quam prius nos armis impugnantis, degentem, proteges me suaui & benigna protectione, sicut protegit gallina pullos suos sub alas. Alia namque ratione protegitur Ecclesia tempore apertæ persecutionis, alia tempore pacis.

5. *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam*, qua pro mea perpetuitate atque perseuerantia in hoc sæculo deprecabar, sicut adhuc quotannis in Parasceue orat Ecclesia, vt ipsa per totum orbem terrarum in confessione diuini nominis stabilis perseueret. Ad hoc autem præstandum *dedisti hæreditatem*. i. hæreditariam successionem *timentibus nomen tuum*, patribus scilicet nostris, qui excellenter timuerunt siue coluerunt te. Nam & ob id quod illi timuerunt te, dedisti vt à generatione in generationẽ succederent illis posteri, auitæ fidei & religionis hęredes: est enim misericordia tua à progenie in progenies timentibus te. Quia & priorum sanctorum filij propter ipsos patres, inquit Ecclesiasticus, manent, suntque hæreditas sancta nepotes eorum. Non ignoro quidem hæreditatis nomine frequenter vitam æternam designari. Hoc autem loco ob sensus cohærentiam hæreditatis nomine id quod diximus intelligendum est, pręsertim cum probati interpretes in illam significationem id hic acceperint.

Eccl. 44.

6. *Dies super dies regis adijcies*. Quidam hos dies intelligunt dies æternitatis. Sed quia in Psalmis posterior plerumque versuum pars priorem explicat & interpretatur: & in posteriore huius versus parte dicitur: *annos eius vsque in diem generationis & generationis*; videntur dies isti Regis non esse dies æternitatis, vbi non est generatio & generatio, sed dies huius vitæ, vt sit sensus: dando timentibus te hæreditatem, vt diximus, eadem opera etiam Regi nostro Christo adijcies dies super dies, vt ipse de die in diem, de anno in annum quamdiu erit in sæculo generatio viuat in cordibus hominum per fidem, & in sermonibus eorũ per fidei & religionis confessionem. Nam & ipse hãc vitam petijt à te, & tribuisti longitudinem dierum in sæculum & in sæculũ sæculi, vt in Psal. 20. diximus. Dum verò dies Regis in hac vita sic transeunt, sibique succedunt; ipse Rex

7. *Permanet in æternũ in conspectu Dei*. quia in dextera Patris vultui Dei

pro no-

pro nobis apparens, vt dicit Apostolus, *Permanet*, non frequenter per singulas generationes ab origine mūdi patiens vsque huc, sed vbi per hostiam suam semel in mundo apparuit, nunc ibidem semper viuit ad interpellandū pro nobis. Et quia ibidem etiam sedet vt iudex, tam benigna & prompta in Ecclesiam exercet iudicia, vt merito dicam, *misericordiam & veritatem eius*. i. misericordiam secundum promissa eius, *quis requiret*? quasi illa alicui in tempore suo non exhibeatur? Imò quasi non præueniat nos? Quid ergò pro his omnibus Ecclesiæ agendum est?

Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de 8.
die in diem. q.d. pro his in omnia sæcula benedicam Domino, sic tamen, *vt reddam vota mea*. i. vt reddam gratiarum actionem quæ mihi magis in voto sit, quàm affectu vel effectu. In hac enim vita grates persoluere dignas nō opis est nostræ, sed eas hic in votis habentes, futuræ vitæ reseruamus, sicut & in Psal. 56. diximus. Nihilominus, hæc vota reddam *de die in diem*. nullus enim transit dies in quo hæc cum gratiarum actione, quę sit huius vitæ, ab Ecclesia non commemorentur.

PSALMVS LXI.

In finem pro Idithum, Psalmus David.

IN hoc Psalmo præscribit Propheta Christiano formam sanorum verborum, quibus semetipsum adhortetur, vt in aduersitate constitutus, eandem tanquam de manu Domini profectam obedienter suscipiat, & susceptam patienter & constanter toleret, & dicit:

Nonne Deo, ad suscipiendum & tolerandum omne id quod Deus mihi 1.
immiserit, *subiecta erit anima mea*? non enim est quod in hac re trepidem, vel mihi aliquid metuam. *ab ipso enim salutare meum*. i. ab ipso, siue ex parte eius nihil mihi obuenire potest, nisi quod mihi salutiferum sit, & ad salutem meam ordinetur. Hæc ergò subiectionis nostræ ad Deum causa est, quasi remouens prohibens, vt loquimur. Quæ verò prædictæ subiectionis est causa iusta, siue, vt ita dicam, ob quam?

Nam & ipse Deus meus, cui ego ratione creationis sic obstrictus sum, vt 2.
etiamsi sine meis demeritis vellet me affligere atque adeò interficere, mihi querelæ locus non esset: Deus enim nihil nisi quod suum est, exerceret aut repeteret, vt docet Ambr. Deo proinde iure suo subiecta debet esse anima mea. Imò quod amplius est, ipse est, *& salutaris meus*, qui filium suum, vt esset salutare meum, misit, méque in ipso in salutis statu constituit. Ergo Deo etiam merito suo subiecta erit anima mea. Et quia ob fragilitatem & mutabilitatem humanæ conditionis parum est salutis statum in hac vita consecutum esse, ipse insuper est *susceptor meus*, qui nimirū curam tuendæ

Am. ser 18 in psal. 118 ver. 1. Tert. scorp. cap. 7.

& perficiendæ ſalutis meæ ſecundum ſuum propoſitum ſuſcepit: Et ideò *non mouebor amplius*. i. finaliter non excidam à ſalute, ſicut motus eſt an-
Sapient 11 gelus,& à prima ſua integritate motus fuit protoplaſtus Adam,pater orbis terrarum.Deo enim procurãdæ ſalutis noſtræ curam ſecundum ſuum propoſitum ſuſcipiente,à ſalutis æternę conſecutione nũquam excidit homo. Si ergo ad obtemperandum diuinæ voluntati obligatus eſt homo ratione creationis & acceptæ iuſtificationis,quanto magis ratione ſuſceptionis ſecundum propoſitum, quæ inter ſumma & maxima, quæ à diuina bonitate accepimus, Dei beneficia reponitur? Sed poſtquam Pſaltes per prædictam exhortationem animam ſuam ad obediendũ Deo inflexit,ſermonem ad aduerſarios conuertit,eosque corripiendo increpat, idque bono ordine; qui enim increpat aliquem,debet eſſe mundus corde,& à proprijs prius affectibus expiatus, alioqui non alienæ ſalutis cauſa, ſed impatientiæ propriæ id facere cenſetur. Dicit itaque:

3. *Quouſque*.i.quamdiu iſtud erit, quod *irruitis in hominem*. i. humanum
Ambroſ.in hũc locum genus,ait Ambroſ.multis malis quaſi impetu facto ſimul impetitis? *Interficitis vniuerſi vos*.q.d.imò ad corporis,& præſertim animæ eius internecionẽ pertingitis: quod à Pſalte quaſi per parentheſin exaggerationis gratia adijcitur,*Irruitis* ergò *in hominem,tanquam parieti inclinato*.q.d.cùm videatis,imò quia videtis eum per ſe ſatis ad ruinam eſſe propenſum.Ea enim eſt in primis dæmonum, deinde & hominum peruerſa malignitas, vt eum quem ad impatientiam pronum vident, magis exagitent; quem ebrietatis ſtudioſum,ſæpius ad bibẽdum inuitent; quem inanis glorię cupidum, illi libentius adulentur. & ſic de cæteris. Cùm potius obſeruandum eſſet
Eccl. 4. quod ſcriptum eſt: Si vnus ceciderit.i.ſe inclinauerit,aut ad peccandũ nonnihil incuruatus fuerit, ab altero fulcietur. (Non enim fulcitur quod cecidit,ſed quod ruinam minatur.) *Et maceriæ depulſæ*. q. d. Quouſque etiam non deſiſtitis eum qui iam lapſus, ſimilis factus eſt maceriæ depulſæ, mole quadam tentationum,minarum,moleſtiarum,irriſionum,ac ſimilium,quas obijcitis atque proponitis difficultatum, obruere, vt è lapſu ſe erigere nequeat, cùm potius lapſus in te deberet habere ſubleuantem ſe? Qua correptione propoſita addit Pſaltes,quid ei,in quem prædictis modis irruitur,apud ſe cogitandum ſit,vt à ruina prohibeatur. Is enim de irruentibus in ſe, eorumque violentia ſic apud ſemetipſum cogitet,

4. *Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere*. i. violentia tentationis id agunt,vt Chriſtum,quo nihil mihi precioſius eſt,ac iuſtitiam eius
Leo ſer.de S. Laurent. mihi abripiant. Pulchrè hoc S.Leo Pontifex notauit. Armatur, inquit, homo veritatis inimicus,impietate vt auferat Chriſtum: Et poſt pauca: Prædo eccleſiaſtico theſauro cui inhiabat fruſtratus,direptionem theſauri potioris

tioris aggreditur, & depositum illud, quo Laurentius sacratius diues erat, curat auferre, renunciare Christo Laurentium iubet. His ergò verbis suggerit Psaltes quid vnicuiq; nostrum qui ad ruinam impellitur, animo ruminandum sit. Id enim nutantem plurimũ Deo adiuuante, poterit cõfirmare. Quis enim non multa patiatur, ne permittat sibi suum pretium, atque adeo thesaurum auferri? *Cucurri in siti.* q.d. vt pretium meum à me non repellerent, laboraui sustinens. Significatur enim hîc à causa effectus, quia labor sitim efficere solet; & obliquè docetur, vnicuique, vt pretium sibi conseruet, viriliter agendum esse. Ad indicandum autem quod sub iis, quos tanquam irruentes in parietem inclinatum, increpauit, comprehẽdat etiam eos qui per adulationem nituntur hominem in ruinam præcipitare, adiungit: *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* i. per dulces sermones & benedictiones me seducere conabantur, & me beatũ prædicando vias gressuum meorum dissipare. Et ob id aliud ore præ se ferebant, aliud in corde siue reipsa, vt interpretatur Basilius, agebant.

Veruntamen Deo subiecta esto anima mea. q. d. est adhuc alia ratio, ob 5.
quam Deo subiecta esse debeas anima mea, *quoniam ab ipso patientia mea.* Ipse enim Deus, cuius voluntate foris pulsaris ad exercitationem, te intus confortat ad patientiam, vt quo volente sustinentur aduersa, eodem mansuetudinem & patientiam suppeditante facilè tolerentur acerba; quia sicut abundant passiones Christi in nobis, ita abundat per Christum & consolatio nostra, vt possimus sustinere; vt verissimè S. Bernardus dixerit, quod à quo inferuntur, ab eodem & vnguntur cruces nostræ. Cùm ergò Deus in exercitatione ab ipso profecta patientiam subministret, & onus subleuet; supponit enim manũ suam, quid querelę habet, quo minus Deo non solùm, quod priores causæ exigebant, obedienter, sed & libenter atque hilariter subiecta sit anima mea? Sed hac causa nostræ ad Deum subiectionis exposita, non potest Psaltes se cohibere, quin studio persuadendi quod cepit, identidem repetat, & inculcet eadem quæ supra dixit, quod videlicet, quibusque de causis Deo subiecta esse debeat anima sua, & dicit:

Ser. de dedicatione.

Quia ipse Deus meus, & saluator meus, adiutor meus non emigrabo. 6.

In Deo salutare meum. Quæ eundem sensum habent cum superioribus, 7.
nisi quod hic addat: *In Deo gloria mea*, idque, ne fortè aliquis superbiæ spiritu imbutus apud se argumentetur, & dicat: Si Deus tam multis modis adiutor noster est, ergo quod vincimus, quod toleramus, non est nobis gloria, sed soli Deo, cuius id munere agimus. Id autem non sequitur, quia vt bene docet Prosper, ex eo quod scriptura dicit; In Domino laudabitur anima mea; Et, Gloria mea, & exaltans caput meum, manifestissimè nouimus diuinis muneribus donatos gloriam habere, sed in Domino, præsertim

Prosp. c. 36 cont Caß.

quia idipsum sanctis ad non modicam gloriam conducit, quòd Deus eos suis tantisque muneribus dignatus sit. *Deus auxilij mei.* i. ad auxiliandum mihi à semetipso destinatus est. *Et spes mea in Deo est.* Hoc bene addit, quia quod Deus salutaris noster sit, Deusque auxilij nostri, hoc nobis præcipuè tunc prodest & consolatur, cum conualuerimus ad sperandum in eo. Porro quia vnusquisque & præsertim Ecclesiæ principes ad hoc accipiunt consolationem à Deo, vt possint & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt per exhortationem qua exhortantur & ipsi à Deo; ideo Psaltes spei consolationem atque vtilitatem expertus, ad sperandum in Domino alios excitat, & dicit:

8. *Sperate in eo omnis congregatio populi*; bonum est enim sperare in Domino. Super eum enim non confundentur qui expectant eum. *Effundite coram illo corda vestra.* i. illi in oratione vestra exponite cordium vestrorum tribulationes, Sicut Anna mater Samuelis effudit cor suum in conspectum Domini, & ex multitudine mœroris atque doloris sui ante Dominum locuta est. *Deus adiutor noster in æternum*: adiutorium enim tale suppeditat, quod in vitam perducat æternam. Verum enimvero quandoquidem dixit Psaltes quod quidam ore suo benedicebant, ne quispiam eorum falsiloquio facile capiatur, incipit nunc eorum fraudulentiam plenius aperire, & dicit:

Psal. 117. *Isaiæ 29.* *1. Reg 1.*

9. *Veruntamen vani filij hominum*, in promissis & consolationibus suis, non enim sortiuntur effectum. *Mendaces filij hominum in stateris*, quia dicta & facta sua mendaciter ponderant, dum quædam plus quàm oportet extenuent, alia rursus vltra quàm iustum est exaggerēt; &, vt inquit Ezechiel, mortificant. i. morte dignas iudicant animas quæ non moriuntur. i. morte dignæ non sunt, & viuificant animas quæ non viuunt. i. iustæ non sunt. A qua perniciosa vanitate egregie dehortatur omnes D. August. Obsecro, inquit, ne adferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro, dicentes: hoc graue, hoc leue est; sed adferamus diuinam stateram de scripturis sacris tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Similiter D. Ambr. stateras dolosas esse dicit stateras, non rerum quibus merces appenduntur (quamquam in eum sensum possint hæc verba extendi) sed verborum, quibus is vti dicitur, qui prætendit pondus grauitatis sobriæ, & subnectit versutias fraudulentiæ. Hoc enim maximè, inquit, condemnat Deus, si decipiat aliquis proximum suum præmissorum benignitate, & subdola iniquitate defœneratum opprimat. Secundum Ambr. itaque hic erit sensus: *Mendaces filij hominum in stateris*: quia verba sua in statera veritatis non trutinant, plus præse-

Ezech. 13. *2. cōt Donat. cap. 6.* *Epist. 44.*

præferentes verbis quàm res eſt: Secus quam de ſapientibus ſcriptum eſt: *Eccl.21.*
Verba prudentum ſtatera ponderabuntur: nihil enim grauius aut leuius aſſerunt quàm res ipſa prius bene explorata admittit. *vt decipiãt ipſi de vanitate*.i.inani verborum amœnitate, &, vt ita dicam, plauſibilitate, *in idipſum*.i.alterutrum. Sed dicet quiſpiam infirmus: Iſti qui ore ſuo benedicunt, magna ſubinde gratia & potentia, qua plurimum poſſent prodeſſe, præditi ſunt: quibus reſpondet Pſaltes:

Nolite ſperare in iniquitate. i. in iniquè agentium gratia, potentia vel 10.
authoritate: Sed multam, inquies, prædam promittunt, ſicut exponit Sapiens: Omnem prætioſam ſubſtãtiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpolijs? Quibus reſpõdet Pſaltes: *& rapinas nolite concupiſcere*: imò, *diuitiæ ſi affluant*.i.ſine vi, dolo, fraude aut rapina, ex fonte quodam terrenæ felicitatis tibi ſponte adueniant, *nolite cor apponere*.i.non eas tanquam rem magnam aut beatam cordi habete, inquit Auguſtinus: Si ergo diuitiæ quæ ſponte affluunt tam parui ſint faciendæ, quanto minus non habitæ ſunt rapiendæ? Vt autem Pſaltes adhortationem & dehortationem ſuprapoſitam reddat efficaciorem, concludendo Pſalmum dicit: *Prouerb. 1* *Epiſt.121. cap.3.*

Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui quia poteſtas Dei eſt, & tibi Do- 11.
mine miſericordia, quia tu reddes vnicuique ſecundum opera ſua. q. d. cum Eccleſiaſte, finem dicẽdi pariter omnes audiamus. Et quis ille eſt? *Semel*, i. immobiliter vel incommutabiliter, inquit Auguſt. *locutus eſt Deus*. Qui tamen priori loco fatetur, poſſe hoc modo intelligi, *Semel*. i. vnico ſuo Verbo locutus eſt Deus, *duo hæc audiui*, quæ enim Deus vnico verbo apud ſemetipſum loquitur, ea à nobis multipliciter aut in diſtinctis ſententiis intelliguntur. Locutus eſt autem Deus incommutabiliter id quod per apoſtrophen ſubdit Pſaltes; *Reddes vnicuique ſecundum opera ſua*. Malis mala; *quia poteſtas Dei eſt*: de qua ſcriptum eſt: Tu patienter ſuſtine, & videbis magnam poteſtatem ipſius, qualiter te & ſemen tuum torquebit: per quam poteſtatem etiam potentes potenter tormenta patientur. Bonis verò bona; *quia tibi Domine miſericordia*, coronans nos in miſericordia & miſerationibus. *De ſpir & lit c 32 & de Ciu Dei lib.5 ca.9.* *2. Macb.7.*

PSALMVS LXII.

Pſalmus Dauid cùm eſſet in deſerto Idumææ. 1. Reg. 22.

CVm Dauid in deſerto Idumææ verſaretur, loci conſideratione commonitus, per Spiritum S. vidit quàm verè conueniat mundo proprietas deſerti: & in perſona iuſti in mundo tanquam in deſerto corporaliter conſtituti, ſed corde iſthinc gradatim aſcendentis, hunc Pſalmum cecinit, & dixit:

1. *Deus Deus meus*: Sicut in Psal. 8. dicitur, Domine Dominus noster, ita hic dicitur Deus Deus meus; ad significandum, priore quidem voce, quod Deus simpliciter æternus Deus sit; posterioribus vero quod etiam aliquorum Deus sit, viuentium scilicet non mortuorum: Quapropter etiam nemo potest dicere, Deus meus, inquit Amb. nisi qui Deo plenum defert pietatis affectum. *Ad te de luce vigilo.* i. prima luce, aut summo manè ad te euigilo. Cuius rei causa est, quia

In psal. 43

2. *Sitiuit in te.* i. tui nonnulla participatione percepta ac prægustata, *anima mea*, tui plus auida: sicut scriptum est: Qui bibunt me, adhuc sitient, Et non abs re dixit Psaltes: *Sitiuit in te*, quod est, tui participatione anima mea, quia in ista vitæ siccitate, inquit Aug. nisi aspergeretur nobis desuper, velut tenuissima quædam aura iustitiæ, aresceremus citius quàm sitiremus. Porro sitis hæc causa est prematuræ huius vigiliæ: internus enim desiderij ardor in hominis etiã dormientis præcordiis exæstuans, non sinit animam eius diuturno sopore detineri, internis eam stimulis ad abrũpendum somnum exagitans. Ideo dicit Isaias: Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis. i. spiritu quem præcordiis quasi inclusum gero, de mane euigilabo ad te; Spiritus enim ille velut ignis cõclusus, in pia exercitia etiam cùm dormio, conatur erumpere, & sua quadam inquietudine, mihi somnum excutit. *Quam multipliciter tibi caro mea.* i. quam multipliciter te etiam carnis meæ, vt verbis Hieronymi vtar, labore quæsiui; illam attenuando ieiunijs, vigilijs, meditationibus, aliisque piis laboribus, vt & ipsa desiderijs spiritus subseruiret, & spiritui meo apta atque attemperata existeret: Eò quod vt præclarè dixit Bernar. In robusto & vegeto corpore, animus languidior & tepidior iaceat: & rursum, in corpore debili atque infirmo, fortior vigeat promptiorque spiritus. Hunc huius loci sensum confirmat lectio aliorum qui legunt: Quo modo consumpta est caro mea: vel; quo modo contabuit caro mea. Carnem enim dictis laboribus extenuare, quid aliud est quàm eam consumere, in eaque de mane vigilare, quid aliud est quàm ei tabem adferre, cùm scriptum sit. Vigilia honestatis tabefaciet carnes? Attamen D. Bern. dicit carnem multipliciter tacitis videlicet desideriis sitire secundum Christi aduentum, quo reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

Aug. 1. ad Simplic.

Isaia 26.

Epist. 46. ad Rustic.

Epist. 254.

Serm 6. de Aduentu

Greg. hom. 20. in Eze.

3. *In terra deserta, inuia, & inaquosa*: Hæc terra sæculum est: desertũ, quia Dei disciplina, diuinisque visitationibus multimodis destitutum: Inuium, viam enim vitæ non nouit: Inaquosum, quia inopia gratiæ spiritualis aridũ. Sensus ergo est: Ego in sæculi medio positus, sic, i. hoc quod dixi desiderio succensus, *in sancto*, i. in cælo coram oculis tuæ maiestatis, *apparui tibi*, vides enim in sancto tuo desiderium meum. Id autem desiderium huc ordinatur,

natur, *vt viderem virtutem tuã & gloriam tuam.* i. vt virtutis & gloriæ tuæ nonnullam cognitionem in hoc deserto perciperem. Sed cur in deserto, quod suis non caret deliciis, præsentibus neglectis, desiderio rei absentis & inuisibilis tantopere exæstuasti? Causam quæris?

Quoniam melior est misericordia tua. i. melius est id quod à tua misericordia in hac vita per fidem consectamur, & postmodum per speciem plenè adipiscemur, *super vitas.* i. omnes temporalis huius vitæ delicias. *Labia mea laudabunt te.* i. percepta glorię & virtutis tuæ cognitione, per laudationis formulas labiis pronunciatas laudes tuas recitabo. 4.

Sic benedicam te in vita mea. i. huius vitæ tempore ille fere est modus, quo benedico ac gratias tibi ago, idque præ languore interioris hominis. *Et in nomine tuo.* i. auxilio, inuocatione nominis tui accepto, *leuabo manus meas* ad orationem. His ergo verbis indicat Psaltes eum qui in his desideriorũ primordiis constitutus est, qualis hic loquitur, sicut laudem, ita etiam orationem deferre, bona quidem & à Deo inspirata intentione, sed magis opere & officio oris atque corporis, quam sensu & attentione cordis. Sed quia spes est etiam in hac vita proficiendi, & pertingendi ad interioris hominis atque spiritualis affectus vigorem & vbertatem, ideo subdit Psaltes: 5.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. i. per vnctionem tui spiritus pinguescant interiora mea, & quodam fidei ac deuotionis pabulo, verbique cælestis vberiore alimonia saginentur, inquit Ambr. *Et labijs exultationis laudabit os meum.* i. eo facto, labiis quidem per præfinitas laudum & precationum formulas te laudabo, sic tamen, vt in illa quæ labiis pronuntio, mens mea illis mirificè affecta atque delectata ab intus erumpat atque exiliat. Hoc in hac vita augetur in perficientibus, perficietur autem in futura. 6. *Bern. serm. 9. & 23. in Cant. 2. de Cain & Abel, cap. 5.*

Sic. i. ista pinguedine à te donatus, *memor fui tui super stratum meum.* i. in stratu meo recũbens, vbi solent lubricæ cogitationes, & vt inquit Hier. dulcis quædam libidinum pompa sese mihi offundere, iam ab illis expurgatus per renouationem interioris hominis, potero viuaci sensu, tui, tuarumq; rerum memoriam exercere. *In matutinis meditabor in te.* i. præ spiritus maturitate primo mane statim instructus, & expeditus erit animus meus, solidam rerum spiritualium meditationem exercere, cùm prius solummodo dixerit, *Ad te de luce vigilo*: Qui enim euigilat, ad rerum spiritualiũ exercitationem in ipso vigiliæ exordio ferè admodum adhuc imparatus est, & incompositus ad exercẽdum id ad quod euigilauit, nisi fuerit adipe & pinguedine repletus. *Quia fuisti adiutor meus.* i. ad hæc te adiuuante profeci. Quia vero adiuuari à Deo parum est, nisi adiutorio adsit etiam diuina protectio, adiungit Psaltes, vt alias sæpius: 7. *Hieron ad Eustoch.*

Et in

8. *Et in velamento alarum tuarum*; de quo Psalmo 60 diximus, *exultabo*; *Adhæsit anima mea post te*. i. tuo adiutorio, tuaque protectione adiutus, immobili studio atque tenaci amore tibi agglutinatus sum, imò verius, *post te*; tum quia ad hæc à te sum præuentus, tum etiam quia per fidem te quasi consectatus sum, nondum per speciem amplexus. Nihilominus futurũ spero, vt dicam: *me suscepit*, ad conspectum tuæ gloriæ *dextera tua*, quæ tunc amplexabitur me, quia ex omni parte implebit me atque circumdabit: ita vt de aduersariis pro illo tempore dicam:

9. *Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam*; quia tum in nihilum reciderint omnes eorum conatus. Quid autem ipsi per hos suos conatus consequentur? *Introibunt in inferiora terræ*. i. in infernum, qui est in corde terræ, vt interpretatur Hieron. *Tradentur in manus gladij*, cuius ictu ad æternam mortem confodiantur. De quo gladio Isaias: Inebriatus est in cælo gladius meus, ecce super Idumæam descendet, &c. Quo loco sicut & hîc per gladium metaphoricè mors secunda designatur, ac si planis verbis diceretur, Tradentur in mortem secundam. *Partes vulpium erunt*. i. partem æternę possessionis accipient cum hypocritis, quos vulpium nomine aptè designari notum est. Quapropter Psaltes hic figuratè expresit, quod absque figura Dominus in Euangelio: Veniet dominus serui illius, partemq; eius ponet cum hypocritis.

Hier in ca. 24 Isaiæ. 26. Ezech. & 4. Ionæ. Tert. ca. 55 de anima. Isaiæ 34. Matth. 23

10. *Rex vero*, qui Christus est, *lætabitur*, vna cum susceptis dexteræ suæ, *in Deo*, in quo eo tempore salutem cum securitate consecuti erunt. *Laudabuntur*, tunc enim laus erit vnicuique à Deo, *omnes qui iurant in eo*; Non quod iuramentum præstare laudabile sit, sed laudabile est, quod si quando iurandum est, tum in Deo iuretur. Quia vero iurare ad cultum Dei pertinet, videtur hoc loco à specie genus designari, vt sit sensus: Laudabuntur omnes qui colunt eum, & cultui eius se per contestationem nominis eius astringunt. *Quia obstructum est os loquẽtium iniqua*; eo enim tempore nec diabolus vltra accusare poterit electos Dei, quia tum proiectus erit accusator sanctorum, vt habet Apocalypsis, nec iniqui vltra eis detrahere, aut gloriam quam Christo dante accipiunt, in dubium reuocare: Imò sic obmutescent, vt nec semetipsos quidem ex illo tempore valeant excusare, aut quippiam pro semetipsis respondere. Sicut manifestum est ex Euangelio, quod ille qui non habebat vestem nuptialem, â Domino interrogatus, obmutuit.

1. Corin. 4. Apoc. 12.

PSAL-

PSALMVS LXIII.

EXaudi Deus orationem meam cum deprecor, Ex hoc & 19 Psal. vbi dicitur; Exaudi nos in die qua inuocauerimus te, satis manifestè apparet sanctis cordi fuisse, vt etiam ante tempus necessitatis per quasdam præuias orationes aperirent sibi aures Dei, ita, vt si quando in tempore necessitatis vel oportunitatis ad Deum per orationem confugerent, tum etiam Deum inuenirēt paratum ad exaudiendum. Iustè enim metuebant ne si prius verterent ad Deum tergum & non faciem; & in tempore afflictionis suæ ad Deum conuersi dicerent: surge, libera nos; Deus eis responderet, quod est apud Ieremiam: Vbi sunt dij tui quos fecisti? (facit enim sibi Deum etiam is cui Deus venter est) surgant & liberent te in tempore afflictionis tuæ. Volens itaque Psaltes ad informationem Christianorum futuræ suæ necessitatis precibus aures Dei aperire, ante orationem oratione præuenit Deum, & dicit: Hierem 2.

Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor, Aut quod idem est, *in die qua inuocauero te. A timore inimici.* i. metuendi illius hostis diaboli, per tuam protectionem, *eripe animam meam*, à timore æternæ mortis. Porro quia Christus sæculum eiusque principem formidantibus Apostolis dixit: Confidite, ego vici mundum; ideo Psaltes post hanc orationem mox enarrat in persona Christi, à quot & quàm sibi infestis inimicis Christus à Deo in hoc sæculo protectus sit, vt iustus iste à timore inimici anxius, victoria Christi quæ hic enarratur intellecta, fiduciam concipiat etiam se timorem inimicorum superaturum, præsertim quia Christus sæculum & sibi & nobis vicit, vt per suam victoriam etiam nos sæculi victores tam exemplo quàm adiutorio efficeret. Dicit proinde ad Deum in persona Christi Psaltes: 1.

Protexisti me à conuentu malignantium. i. concilio pontificum & Pharisæorum pessima mihi machinantiū, cùm dicerent: Venite cogitemus contra eum cogitationes, percutiamus eum lingua, & eradamus eum de terra viuentium. *à multitudine operantium iniquitatem*, populi videlicet Iudaici. Si quæris quam iniquitatem? subijcitur. 2.

Quia exacuerunt vt gladium linguas suas, cùm clamarent, Crucifige, & improperia in Christum iacerent, addentes fixuris clauornm tela linguarū. *Intenderunt arcum.* i. tetenderunt insidias, *rem amaram*; Amarissimū enim est insidijs circumueniri, quia insidiæ, inquit Augustinus, tanto amariores sunt, quanto dulcior pax fuit futura, quæ vera putata est, cum astutissimè fingeretur. *vt sagittent.* i. insidiosè opprimant, *in occultis.* i. vbi id minime expectes, *immaculatum*, i. Christum, qui solus est sine omni macula. 3. 1 q. de Ciu. cap 5.

Subito. i. ex improuiso, *sagittabunt eum*, quod putabant se facere, cùm 4.

Christum per osculum Iudæ comprehenderent. *& non timebunt.* Confidenter enim & audacter id aggressuri sunt. *Firmauerunt sibi sermonem nequam.* i. consensu ac conspiratione confirmauerunt ac corroborauerunt sermonem Caiphæ intentione nequam dicentis: Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo. Ab illo enim die cogitauerunt interficere Iesum.

5. *Narrauerunt vt absconderent laqueos.* i. vnus alteri enarrauit, qua ratione insidias struere, adornare, comparare cogitaret. Qua collatione inter eos frequentius habita cùm iam adueniret Iudas, & diceret; Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? omnibus placuit is dolus, atque de illis laqueis in cōmune dixerunt: *Quis videbit eos?* q.d. impoßibile est ipsum ea calliditate non capi, Non poterit illum dolum euadere:

6. *Scrutati sunt iniquitates*, cùm princeps Sacerdotum per inquisitionem interrogaret Iesum de discipulis eius, & de doctrina eius, & cùm Pontifices & omne consilium quærerent falsum testimonium aduersus Iesum, vt eum morti traderent. *Defecerunt scrutantes scrutinio*; quia Christum non solum ab omni errore & crimine alienum repererunt, sed ne quidem falsa inuenire potuerunt testimonia quæ forent conuenientia. Præterea *scrutati sunt iniquitates*, cùm disquirerent qua ratione Christi resurrectionem possent occultare atque negare, sed & ibi *defecerunt scrutantes scrutinio*; quia infelix eorum astutia dormientes testes adhibuit, per quos probaret venisse discipulos Christi nocte, eumque fuisse furatos: Itaque hæc omnia à principio Psalmi enarrata nihil eis profuerunt. Et vnde hoc? An quia Christus omnes eorum conatus, sicut prius, eludet ita vt se ab illis capi, torqueri, occidi non patiatur? Non: sed

7. *Accedet homo ad cor altum.* i. Christus secundum humanam naturam sponte accedet seu offeret se, (vt manifestum fuit cum comprehenderetur,) illis eorum conatibus, quibus alto corde profundoque consilio eum aggredi statuerunt. Omnibus autem paßionibus transactis, ipse *& exaltabitur Deus*; Non dicit: Fiet Deus; ab initio enim conceptionis Deus fuit, sed qui in suæ mortalitatis dispensatione prius humiliatus est Deus, post paßionem exaltabitur Deus, quia honorem sibi Deo debitum, in humanitate sua induet, & homo ille vt Deus ab omnibus adorabitur & coletur. Et quo loco tum erunt plagæ ab inimicis prius illatæ?

8. *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Cùm enim plagæ quæuis per immortalitatem carnis absumptæ sunt (sicut & quæuis plagæ, cùm iam in bonum conuersæ sunt) æstimantur leuem & modicam læsionem attulisse. *Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*, quia sermones eorum contra Christum prolati, multum valere ceperunt ad authores suos imposturæ & impietatis conuincendos. Quantopere enim fidem resurrectionis adiuuit

adiuuit quod milites iuſsi ſunt dicere: Nobis dormientibus venerunt diſcipuli eius & furati ſunt eum?

Conturbati ſunt.i.præ admiratione tantæ iniquitatis attoniti facti ſunt, 9.
omnes qui videbant eos. i. qui mores eorum iam à morte Chriſti obſeruabant, cùm viderent eos qui & Dominum occiderāt Ieſum, & Prophetas & Apoſtolos erant perſecuti, Deo non placentes omnibus hominibus aduerſari. *Et timuit omnis homo*, ſibi, ne & ipſi beneficiis Dei, qualia Iſraël habuerat, ad parem impietatem abuterētur. Nihilominus Iſraëlitæ non ſic offenderunt vt caderent, ſiue vt à ſalute omnes omnino exciderent, Nam de quibuſdam ex eis ad Chriſtum conuerſis, ſequitur:

Et annunciauerunt opera Dei; quia etiam ex illis conuerſi ſunt aliqui, 10.
qui poſtmodum opera Chriſti euangelizauerunt, quorum primas fuit Apoſtolus Paulus. Alij verò ex illis, qui præcones Euangelij non extiterunt, *facta eius*. i. Chriſti, quæ prius impugnabant, pia fide *intellexerunt*, quod præcipuè verum erit de eis dicere in fine ſæculi, cùm conuertetur gens tota ſimul. Ex quibus apparet præclariſsimum victorię genus, quo Chriſtus non ſolum mala ſibi illata, ſed etiam ipſos ſuos inimicos deuincit, illa quidem patiendo, hos conuertendo. Quibus omnibus attentis

Lætabitur iuſtus in Domino.i.in Dei ac Chriſti eius victoria. *Et ſperabit in eo*, vt ab eo protegatur à timore inimici anima eius. *Et laudabuntur* 11.
omnes recti corde.i.illi qui in his omnibus, quæ ſine diuinis iudiciis acta nō ſunt, Dei iudiciis ſua corda, ſuaſque voluntates pia deuotione conformant atque ſubijciunt.

PSALMVS LXIIII.

In finem Pſalmus Dauid, canticum Aggæi, Hieremiæ & Ezechiel, tranſmigrationis quando incipiebant proficiſci.

CAptiuitatem Babylonicam præfiguraſſe captiuitatem generis humani ſub diabolo, ignorantia, atque peccato, notum eſt. Populus autem tranſmigrationis, de quo titulus, non illi ſunt, qui in captiuitatem diaboli traducuntur; Sed Apoſtoli & prædicatores Euangelij, qui Iudæa, domo patrum ſuorum derelicta, ad exteros Euangelij prædicandi, & huius captiuitatis in libertatē aſſerendæ gratia ſe tranſtulerunt. Canitur autem hic Pſalmus iſtis cùm inciperent proficiſci, quia in eo præcipuè explicatur primus prouentus Euangelicæ prædicationis, qui fuit vberrimus. Explicatur ſimul gaudium & gratiarum actio (vnde & Pſalmus in titulo Canticum appellatur) quam Deo deſerebat ille populus tranſmigrationis cum illa quæ hic deſcribuntur, præ oculis viderent impleri. Attribuitur etiam hoc Canticum nominatis tribus Prophetis, eo quod ipſi dictam

transmigrationẽ, eiúsque effectum vberius & propensius prophetauerunt.

1. *Te decet hymnus Deus in Sion*.i.decet, vt cum gaudio gratiarũ actio tibi in Ecclesia præsentis vitæ, quæ est Sion, deferatur. Sed quia gratiarũ actio in hac vita magis voti est quàm effectus, *Tibi reddetur votũ in Hierusalẽ*, quia quod hîc in votis habetur, ibi in cælesti ciuitate pro voto persoluetur.

2. *Exaudi orationem meam*, qua oro, vt in Hierusalem ad laudandum te tandem perueniam. *Ad te omnis caro veniet*, quia non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus ibi præsentes erimus ad Dominum, in carne nostra visuri Deum. In eo autem quod dicit, *omnis caro*, intelligenda est distributio pro generibus singulorum; Sicut enim ex omni conditione hominum aliqui saluabuntur; etiam omnium illorum caro ad Deum perueniet. Hæc vbi dixit Psaltes, sermonem infert in persona eorum, qui audita Euangelij prædicatione animaduertere incipient pristinos, in quibus eousque detenti fuerint errores. Qui dicent,

3. *Verba*. i. doctrinæ, *iniquorum*. i. magistrorum, qui ad iniquitatem ducunt, & in errorem mittunt, qui tum temporis erant sacerdotes idolorum, nunc verò sunt hæretici. *præualuerunt*.i. vsu, auctoritate, & non dico Christianæ, sed paternæ traditionis quadam verisimili præscriptione inualuerunt, *super nos*. Quod etiam hoc tempore cum gemitu licebit dicere, cum videmus errorem aliquem, tam fidem quàm mores concernentem, apud magnam nostræ congregationis partem locum obtinuisse, præsertim si in ijsdem locis non desit prædicatio, vel testificatio contrariæ veritatis; tum enim propriè verba iniquorum præualent, cum homines collatione veritatis cum falsitate facta vel saltem audita, falsitatem præferunt veritati. Bene autem Psaltes, pristini erroris cognitionem in principio exponit: primus enim gradus conuersionis est confessio pristini erroris. Ideo & apud

Cap. 3. Hieremiam: Qui ab errore conuertuntur in principio dicunt: Verè mendaces erant colles & multitudo montium. i. doctrina & cultura idolorum. Quia tamen agnitio erroris si sola affuerit, ferè desperationem adfert, vt ea vtilis esse posit, spes obtinendæ veniæ ei adiungẽda est: ideò subiungitur, *Et impietatibus nostris* (quibus vna cũ erroribus hactenus fuimus implicati, *tu propitiaberis*. Sed nunquid operâ Euangelicæ prædicationis omnes conuertendi sunt? Non. Illi autem, non soli, sed omnes, quotquot præordinati sunt in vitam æternam, qui ad fidem Christianam à Deo secundum propositum vocati sunt & electi ex reliquis; & præ reliquis; quorum gratiosam fœlicitatem prædicans Psaltes exclamat.

4. *Beatus quem elegisti*.i.à reliquis in pari, aut etiam minori demerito positis segregasti, *& assumpsisti* secundum tuum propositum ad vitã ex mortuis. Quæ enim assumptio, inquit Apostolus, nisi vita ex mortuis? *Habitabit in*

tabit in atrijs tuis, Quos enim hoc proposito assumis, eosdem sic adiuuas, vt non solum possint, sed etiam actu perueniant ad inhabitandum in atrijs tuis, quæ est Ecclesia huius temporis. Facis enim vt non nisi peruenientes sint. In his autem atrijs tuis per te constituti, spem habere debent ad beatitudinem perueniendi, ideo de illa per spem dicunt sibi mutuo,

Replebimur in bonis domus tuæ, beatæ scilicet, inquit Ambros. In illa enim domo nemo erit, qui non pro sua capacitate omni bonorum genere repleatur. *Sanctum est templum tuum*, futuri seculi; ad cuius templi structuram non adiungitur nisi qui sanctus sit *mirabile in æquitate*. In disparitate enim gloriæ & beatitudinis illius, tanta animi æquitate omnes præditi sunt, vt omnes sibi & alijs toto animo congratulantes, ad admirationem vsque nullus alteri inuideat, aut minus quàm par est cõgaudeat. Porrò quia iste psalmus compositus est ijs qui incipiebant proficisci, ideo in eum nunc introducuntur illi qui circa Hierusalẽ Euangelium primi audiuerũt, & crediderunt priusquã Apostoli ad extremos vsque mũdi terminos proficiscerentur, vel pertingerent; qui cum per Euangelij agnitionem sibi bene esse sentirent, recordati sunt eorũ qui adhuc procul in tenebris & vmbra mortis sedebant, & pro eorum conuersione deprecari incipiunt, & dicunt. 5. *Amb e vltimo de bono mortis.*

Exaudi nos Deus salutaris noster. i. à quo nos nunc salutem adepti sumus, *spes omnium finium terræ*. i. in cuius solius manu est salutem diffundere in omnes fines terræ. *Et in mari longè*. i. etiam in eos ad quos non est accessus, nisi per horrida feri maris pericula. Tu es enim 6.

Præparans montes in virtute tua. i. tu sublimes istos homines, per quos extrema terræ ad fidem peruentura sunt, ad hoc magnum opus perficiẽdum pręparas, & idoneos reddis. Idq; excellẽti gratiæ tuę virtute; Opus est enim vt iustitiæ & fidei magnis & nõ vulgaribus viribus præditi sint, qui aliorũ corda ad iustitiam permoueant. Quin etiam cum montes præparaueris. i. charitate & eruditione, industria ac gratia impleueris, non eos tum virtuti à te acceptæ permittis, sed es *accinctus potentia*, vt vnà cum eorum virtute, tu tuo more accinctus, cum eis egrediaris ad saluãdos omnes fines terræ. Te autem eos præparante, & præparatis sic cooperante, tu es *qui conturbas profundum maris*. i. qui per euangelicam prædicationem amara & turbida sæcularium corda immisso conscientiæ remorsu in principio salutiferè inquieta reddis. *sonitum fluctuum eius*. i. non solum sæcularium corda, sed etiam ipsos contra Euangelicam prędicationem excitatos tumultus disturbas & dissipas. Porro hi versus, *Exaudi nos* cum seq. pulchrã & conuenientem orationis formulam nobis præbent, si orare voluerimus patrẽfamilias, vt mittat operarios in messem suam; Omnia enim continent quæ circa eam rem exoranda sunt. Qui autem bene pręparati esse velint ministri, 7.

Ambr.li.5 in Lucam. audiant Ambr. in hæc verba dicentem. Nisi intus mentem tuam vacuam feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones contentionesq; ex affectu tuo oriantur, non poteris alijs ferre medicinam. Post orationem autem subijcitur effectus Euangelicæ prædicationis & dicitur:

8. *Turbabuntur gentes*. Necesse enim est vt error inueteratus, cũ veritate affulgente, primo congressu in homine concertationem faciat, concertatio turbationem: Post turbationem autem succedit timor qui initium est iustificationis expellens vetus peccatum, ideo additur: *& timebunt qui habitant terminos*. i. qui inhabitant extremos mundi fines, idque *à signis tuis*. Habet enim Apostolorum exercitus signa sua, militiæ huic congrua, quæ inter cætera sunt miracula, quibus conspectis terga vertit & cedit error pristinus. *Exitus matutini & vespere delectabis*. i. inquiunt aliqui, Populos orientales & occidentales per nouum tuum spiritum exhilarabis. Cęterum, per exitum seu egressum, non populus, sed institutum euangelizandi solet intelligi. Exitus ergo matutini fuit, cùm in principio prædicationis euangelicæ egrederentur Apostoli ad conuertendas gentes: Exitus verò vesperæ, cùm egredientur Euangelistæ ad congregandos Iudæos. Ideo dicũt Osea 6. Iudæi: Quasi diluculum præparatus est egressus eius; quia parabant Apostoli primo Iudæam gentem conuertere: addunt autem, Et veniet nobis quasi imber temporaneus & serotinus terræ; quia Euangelica prædicatio, quæ primo Iudæis parabatur, serò tandem & in fine mundi eis salubriter obueniet. Proinde sensus est: *delectabis*. i. delectabiles facies exitus Euangelicæ prædicationis primos, ob multarum gentium conuersionem, & vespertinos ob cõuersionem Iudæorum, vsque adeo vt ipse prædicationis labor & dolor præ prouentuum suorum vbertate in delectationem vertatur.

9. *Visitasti terram*. Ambros. intelligit esse apostrophen ad Christum, qui per viscera misericordiæ Dei visitauit nos oriens ex alto: Ordo tamẽ Psalmi magis requirit, vt hæc intelligamus in hunc modum: *Visitasti terram*. i. fecisti eos qui regiones conuerterãt, subinde reuisere filios suos. ideo dicit Actor 15. Apostolus: Reuertẽtes visitemus fratres. Quæ visitatio magnam eis adduxit ædificationem & lætitiam. ideo sequitur: *Et inebriasti eam*. Inebriat enim Deus terram, cùm per ministros verbi vino spiritualis lætitiæ eam perfundit, inquit Bern. Quod pręcipuè contingit tempore visitationis. Incre- Ser. 11. in Cant. dibile enim gaudium adferebat fidelibus aspectus eorũ, per quos consciam nunc salutem consecuti erant, & à quibus expectabant profectum spiritus, cuius tunc erant capaciores quàm in principio suæ cõuersionis. *Multiplicasti locupletare eam*, quia gratiam gratię adijciendo, fecisti eam per has visitationes opibus spiritualibus locupletem. Propter quę dicebat Apostolus Romanis: Desidero videre vos, vt aliquid vobis impertiar gratię spiritualis. Scio

lis. Scio enim quod venies ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam. Et alibi, Nocte & die abundantius oramus videre faciem vestram, vt compleamus ea quæ desunt fidei vestræ. Quem visitationum fructum etiam Iob vaticinatus est, cùm de populo fideli in persona Apostoli gentem aliquam visitaturi diceret: Expectabant me sicut pluuiam, & aperiebant os suum sicut ad imbrem serotinum. i. superuenturum ad perficiendum iam satas atque enatas fruges. 2. Theſſ. 3.

Flumen Dei. Ab hoc loco vsque in finem describit Psaltes per singulos 10.
Ecclesię ordines, qualiter gratia Euágelij in eos pro ratione status & ordinis sui effusa sit, & incipiens quasi à capite dicit: *Flumen Dei*; De quo dixerat Christus: Flumina de ventre eius fluẽt aquæ viuæ: Quo flumine propriè significatur gratia apostolatus, vel operandæ alienæ salutis, quia flumẽ hoc dicitur fluere de ventre, qui generationi seruit. Hoc flumen *repletum est aquis*. i. abundantia gratiæ spiritualis qua præditi fuerunt Apostoli. *Parasti cibum illorum*; Verbum Dei cibus est fidelium, Non enim solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Hunc cibum vnusquisque nostrum sibi præparat, cùm per Dei gratiam meditando vel legendo, verbi Dei intelligentiam quærit atque rimatur. De Apostolis verò & illius sortis hominibus dicit Psaltes ad Deum: *Parasti cibum illorum*, quia Deus etiam eis absque præuia meditatione præuioque studio, id quod dicendum erat, sua prouidentia præparatũ atque maturatum infudit. Dixerat enim illis: Nolite cogitare quomodo & quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Quæris ergo quare Apostoli illa & illa, taliter & taliter locuti sint? Respõdebitur: *Quoniã ita est præparatio eius*. i. quia ea quæ dixerunt sic erant à diuina prouidentia præparata atq; disposita. D. Cyrillus tamen istud accommodat omnibus fidelibus, dicens eis cibum à Deo parari, eò quod cælestem escam copiosamque spiritus gratiam à Deo frequenter accipiant antequam quidquam ab eo petant: nescimus enim, inquit, orare ac petere, vt decet. 3. in Ioan. cap. 13.

Riuos eius. Deus totius boni fons est: qui autem spiritu Dei à Deo im- 11.
mediatè & in publicam totius Ecclesiæ salutem implentur, quales erant Apostoli, dicuntur flumina è fonte prouenientia. Qui verò ex his fluminibus eorumque ministerio rigantur, præsertim in salutem particularium Ecclesiarum, vt sunt pastores & eius ordinis sacrati homines, isti riui sunt quasi è fluminibus ad certas partes deriuati. Facta itaque prius fluminum mentione, nunc Psaltes precatur pro iis qui Apostolica traditione imbuti particularibus Ecclesiis sunt Præpositi, & dicit: *Riuos eius inebrians*. i. Spiritu sancto replens. Ebrietas enim hoc loco non mentis insaniam, sed spiritualis influxus copiam denotat, inquit Hieronymus, in fine Oseæ.

Multi-

Multiplica genimina eius, vt riuorum horum aspersione irrigati, multi ex eiusdem fidei & charitatis radice amplum & abundans religiosæ conuersationis bonorumque operum germen emittant. *In stillicidijs eius*. i. gratia Spiritus S. guttatim defluente. Qui enim in Ecclesia crescit, is ordinariè spiritus influxum non in torrentis modum simul accipit, sed particulatim, nunc in hac, nunc in illa parte lumen aut robur interioris hominis recipiẽs.
Cõc. Arau. can. 22. Nemo enim, inquit Cõcilium Arausicanum, habet veritatem aut iustitiam, nisi ab illo fonte quasi guttis quibusdam irroratus. In his autem guttis, *lætabitur germinans*. i. cõgratulabitur sibi atque hilaritate perfundetur quisquis germinat, siue sensim in Ecclesia crescit, quia guttæ istæ, tametsi in se modicæ esse videantur, cum magna tamen gratiarum actione suscipiendæ sunt, & animam suscipientis viuificant.
16. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*. Annus Dominicæ benignitatis est tempus noui testamenti, quod cepit à prædicatione Christi. Prædicare, inquit, annum placabilem Domino; durabit autem vsque in finem sæculi: Diciturque annus diuinæ benignitatis, quia cùm Deus tempore veteris testamenti se iustum esse & seuerum ostenderit, hoc tempore benignitatem suam inæstimabilem in genus humanum exerceat. Porro *coronæ* nomine quidam non victoriæ sertum, sed comprehensionis circulum intelligunt; vt sit sensus, *Benedices coronæ*. i. benedictionem tuam effundes in omnes partes temporis, quod terminis anni benignitatis ab initio in finem vsque comprehenditur. Veteres tamen *coronæ* nomine sertum victoriæ intelligunt, & quidem apposité. Cùm enim hac Psalmi parte Psaltes describat per singulos Ecclesiæ ordines gratiam quam pro ratione gradus & status sui per Christi euangelium consecuti sunt, æquum erat vt etiam benedictionem eorum qui in agone contendunt, inter quos excellunt martyres, describeret: quam tamen nobis colligendam reliquit ex mercede & præmio quod eis paratur, de quo sic dicit: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, q.d. In anno benignitatis tuæ, (Nam pro iusto. i. quamdiu iustum te esse, vt exponit Hieron. declarabas; vix quisquam moritur, pro bono autem. i. pro te bonitatem tuam tempore noui testamenti effundente, audeat quis mori)
Hier. epist. ad Algas. complures erunt qui per gloriosa, vsque ad sanguinis sui effusionem, certamina, merebuntur coronam. Huic verò *coronæ* tu *benedices*. i. multo honore & gloria eam admodũ illustrem & splendidã facies, & per eam testatum reddes quanta gratia à te tempore sui agonis fuerint donati. *Et campi tui*. i. spatiosa amplitudo communis populi, *replebuntur vbertate*. Nam & his tametsi coronam prędictam non promerentibus, sua non deerit vbertas, quia diuites fient in operibus bonis. Et præter hæc,
17. *Pinguescent speciosa deserti*. i. Monasteria & greges monachorũ deserta inco-

incolentium, quorum incolatu, deserta, fidei oculis speciosissima & nitidissima apparent, *pinguescent*, repleti medulla vitæ contemplatiuæ quam in desertis exercebunt, idque in corpore marcido & inculto. Huius expositionis Augustinus nobis author est, qui deserto & eremo tribuit vbertatem ob monasteria quæ illis in locis admodum erant frequentia. Deuolutus est, inquit, sermo ad monasteriorum greges & mores suauéolentię tuæ, & vbera deserta eremi. *Et exultatione colles accingentur.* i. Etiam illi qui in Ecclesia minore sanctitate præditi sunt gaudio spirituali non carebunt, maioribusque congratulabuntur. 8 Cōfes. c 6

Induti sunt arietes ouium. i. ductores Dominici gregis bonis populi operibus, eorũ directione & exemplo perfectis, quasi lana & ouium suarum velleribus induti & ornati erunt. Ecclesiæ enim gloria, inquit Cyp. gloria præpositi est. *Et valles.* i. Etiam illi qui in Ecclesia infimæ sortis erunt, *Abundabunt frumento.* i. quia verbum Dei eis copiosè administrabitur, & curæ illis erit vt verbum Domini in eis habitet abundanter: Quamquam vallium nomine intelligi posśint, qui infimi sunt, nõ conditione, sed humilitatis virtute. Tales enim abundare solent copia alimoniæ cælestis. *Clamabunt*, præ exultatione cordis: *etenim hymnum dicent*; Qui autem hymnum dicit, inquit Ambros. puro corde & spiritualiter dicit, & omne genus passionis excludit humanæ, vt nullo mœrore, nullius doloris acerbitate impediatur eius officium, exasperetur eius affectus, sed in hymno dicendo immobilis & irreuocabilis perseueret, Sicut scriptum est: Benedicam Dominum in omni tempore. 14. Cypr. epi. 7 In psal. 43

PSALMVS LXV.

In finem canticum Psalmi resurrectionis.

IN hoc Psalmo enarratur, quod resurrectio Christi à Iudæis credita non sit, quodque ab eis translatum sit Euangelium ad gentes vna cum gratia noui testamenti, per quam ex gentibus multi adeo confortati sunt, vt à suscepta religionis constantia nullis tormentis potuerint dimoueri. Et sic incipit,

Iubilate Deo omnis terra. Exhortatio est includens prophetiam, quod 1.
Ecclesia dilatanda erat per omnem terram. *Date gloriam.* i. celebritatem *laudi eius.* q.d. celebrate laudes eius. Sicut & Isaias dicit: Qui reminiscimini Domini glorificate eum, & non detis silentium ei.

Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine: Terribile enim est, 2.
quod occasione operũ Dei bonorũ & mirabilium quæ in salutẽ hominum sunt instituta, quidam suo vitio in incredulitatẽ corruerint, & contra Deũ hostilem induerint animum. Volebas id planius tibi declarari? *In multi-*

tudine virtutis tuæ.i.in illis tuis operibus in quibus quam maximam exhibes & ostendis virtutem, inter quæ secundum propositum Psaltis resurrectio Christi à mortuis in primis reponenda est; *Mentientur tibi inimici tui*, quia contra talia Dei opera mendacia confingent, quibus aut negent facta esse quæ facta esse norint, sicut negabant milites Christum resurrexisse, aut eadem mendaci interpretatione peruertent. Sed nunquid mendacium eorum fidem Dei euacuauit? Absit: sequitur enim,

3. *Omnis terra*.i.Ecclesia per omnem terram diffusa, *adoret te*.i.tanta deuotione tibi credat, vt etiam ex fide colat. *psalmum dicat nomini tuo*.i.tibi ob eam virtutem quam alij mendacijs peruertere tentant, gratias agat. Porro quia mirabili Dei iudicio Iudæi, quorum erat adoptio & legislatio & testimonia, quorum patres ex quibus Christus, & quibus promissus est Christus, primi & præcipui fuerunt qui aduersus Dei virtutem extiterunt mendaces, & ob id à veritate exciderunt, & è contrario gentes qui semper mendacijs seruierant, qui prius hospites erant testamētorum, veritate audita eam receperunt, & Christi participes facti sunt; excitat nunc Psaltes omnes in attentionem, vt rem hanc supra omnem hominum captum admirandam, discant, non solum hominum volūtatibus (quia quæstio huius discretionis & similium per liberi arbitrij velle & nolle non soluitur, inquit Prosper) sed diuinis etiam iudicijs tribuere, ipsaque Dei iudicia sub quibus hæc libera hominum voluntate facta sunt, contremiscere: Et dicit:

1. de voca. gent. c. 25.

4. *Venite, & videte opera Dei*: Quid autem in eis videndum? *Terribilis in consilijs super filios hominum*: Ex Dei enim, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, operibus, etiam ipsa Dei consilia atque iudicia terribilia esse cognosce & collige. Nunquid verò non terribile consilium est, quo Deus Iudaicæ infidelitatis præscius, Iudęam tamen tot modis Christo præparare voluerit, & Christum ipsis cum tot miraculis exhibere, cum sciret quod ipsi sibi ex istis beneficijs peccatum augerent, quod tamen per gratiam suam quam gētibus dedit potuit auertere & prohibere? Nunquid non terribile consilium est quo Deus quosdam Christianos per gratiam præuenientem ad magnam prouehit iustitiam, & non donata ipsis perseuerantia, permittit vt ipsi sua culpa ex ea sublimitate iustitiæ in grauiorem se præcipitent ruinam? De qua re Bern. O iudiciorum Dei abyssus multa, ô terribilis in consilijs Deus super filios hominum, spiritum donauit, quem denuo erat *ablaturus*, vt esset supra modum peccans peccatum, Et gratia subintrauit vt abundaret delictum, quod tamen non fuit culpa dantis, sed addentis præuaricationem. Sui namque erat liberi arbitrij quod malè liber liberum habuit. Hæc Bern. Voluit autem Deus in iudicijs inter cætera tam esse terribilis, vt qui diuinis gaudent beneficijs & Deo erigente in iusti-

Epist. 108.

in iuſtitia ſtant, non ſint ob accepta beneficia de perpetua Dei circa ſe benignitate oſcitanter ſecuri, ſed vt timeãt ne cadant, faciatque timor eos humiles & cautos, & in deprecanda Dei miſericordia aßiduos. Horum autem terribilium Dei iudiciorum Pſaltes ipſe ſubijcit exemplum, & dicit:

Qui deſertis Iudæis, niſi enim hoc ſubintelligatur, nõ apparebit Deus 5.
in diſpoſitione rei quæ hic narratur terribilis, ſed ſolummodo clemens & ſuauis. *Conuertit mare*. i. amaram & tempeſtuoſam gẽtilitatem, *in aridam*, vt ſitiant iuſtitiam. *In flumine*. i. gentilitate, fluxa præſentis vitæ bona ſectante, *pertranſibunt pede*. i. diſcurrent omneſque eius angulos perambulabunt euangelizantes verbum Dei. *Ibi lætabimur*, ſimul qui Euangelium annunciauimus & recepimus, *in ipſo*. i. in participatione ſpiritus eius, & ob perceptionem gratiæ eius. Quæris qua ratione hoc tam arduum opus perfectum ſit?

Qui dominatur in virtute ſua in æternum, q. d. Eius auxilio hæc perfe- 6.
cta ſunt, qui per virtutem efficacis ſuæ gratiæ dominatur, ſubijciendo ſibi omnia, ita vt opus ſuo propoſito diſpoſitum, prædiſpoſito euentu non ſolum ob Dei præſcientiam, ſed quam maximè ob gratiæ ſuæ virtutem nunquam fruſtretur, idque *in æternum*. i. per omnia tempora huius vitæ, vſque dum perueniatur in æternitatem. *Oculi eius ſuper gentes reſpiciunt*, vt videlicet in illas præcipuè hanc gratiæ ſuæ virtutem miſericorditer (reſpicere enim Dei miſereri eſt) exerceat. *Qui exaſperant*. i. Iudæi. Hoc enim epitheto ipſi per ſcripturas deſignantur. vt Pſal. 67. Et apud Ezech. de illis dicitur: Domus exaſperans eſt: Semper enim ad iracundiam prouocauerũt Deum. *Non exaltentur in ſemetipſis*; quaſi ipſi meritis per legẽ ſibi comparatis, vt ſibi perſuaſum habuerunt, digni eſſent gratia noui teſtamenti. Ex cuius perſuaſionis reliquijs, mirati ſunt quidam eorum fideles facti, quod etiam in gentes gratia Spiritusſancti eſſet effuſa. Quam eorum ſuperbiam ad Rom. argumentando deſtruit Apoſtolus, deſtruit & ipſe Dominus, cum gentes quæ fuerunt abſque omni meritorum prærogatiua Euangelij fecit participes, & Iudæos Euangelij extorres. Ideo & Pſaltes poſtquam dixit, *Oculi eius ſuper gentes reſpiciunt*, bene addit, *Qui exaſperãt non exaltentur in ſemetipſis*. Ex eo enim quod nouum teſtamentum non niſi gratis datur gentibus, exemplum præbetur Iudæis, ne arbitrentur ſe ob legem cui ante ſeruierant dignos eſſe gratia noui teſtamenti. Quia autem diuinæ gratiæ eſt, quod gentiles ſalutem conſecuti ſint, ideo Pſaltes exhortatur gentiles, vt ſuper hac miſericordia honorent Deum, eique gratias agant, & dicit:

Benedicite gentes Deum noſtrum; Dicit Deum noſtrum. i. Iudæorum, vt 7.
gentibus in memoriam reuocando, quod Deus ex pacto Iudæorum Deus

 ſit, ſa-

ſit, faciat gẽtiles intelligere quod ipſi per fidem vnius Dei ſpiritualium Iudaicorum, vt teſtatur Apoſtolus, participes facti ſint, & aduerſus Iudæos non inſoleſcant. *Et auditam facite vocem laudis eius.* i. prædicate laudes eius. Quæris quas?

8. *Qui poſuit animã meam ad vitam.* i. ordinauit, adiuuit, & direxit animam meam, vt infallibiliter apprehenderet vitam, ſiue iuſtitiam. Dico infallibiliter: in ſimilem namque ſenſum intelligit Auguſt. verba Domini apud Iohannem: Poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. In his autem verbis quod dicit: *animam meam*, non debet intelligi dictum eſſe in perſona Pſaltis, quaſi de ſua ſolius anima loqueretur, ſed totius vocatæ atque iuſtificatæ gentilitatis. Etſimiliter quod dicit: *Non dedit in commotionem pedes meos*; Id enim non de vnius Pſaltis, ſed plurium pedibus intelligendum eſſe teſtatur explicatio quam Pſaltes mox ſubdit dicendo: *Quoniam probaſti*, Non dicit, me, ſed *probaſti nos Deus*. Itaque, *non dedit in commotionem pedes meos.* i. per opem ſuæ protectionis non permiſit, vt ab accepta iuſtitia exciderem: Non enim poteſt eſſe ſenſus, *Non dedit in commotionem pedes meos.* i. non impulit me ad ruinam. Cùm enim hîc ſit ſermo gratiarum actionis, gratiarum autem actio deferatur operibus diuinæ gratiæ, non poteſt hic eſſe ſenſus, non impulit me ad ruinam, quia nõ impellere aliquem ad ruinam, non eſt opus diuinæ gratiæ, ſed id neceſſariò conſequitur bonitatem diuinæ naturæ. Quid ergò? Nunquid Adam iam lapſus dicere poterat; Non dedit in commotionem, ſiue, non permiſit commoueri pedes meos? non arbitror. Niſi enim Deus Adæ ruinam permiſiſſet, nunquam ipſe fuiſſet lapſus. Cùm tamẽ Chriſtiani prædeſtinati dicant, non dedit in commotionem pedes meos, intelligitur maioris energiæ eſſe perſeuerantię donum quod ipſis datur: alterius verò, quod partim datum, partim deſtinatum fuit Adæ. Huic enim datum fuit poſſe perſeuerare, eique deſtinatum fuit ipſum perſeuerare ſi vellet: Et ſimiliter Chriſtianis iuſtificatis, & quidem omnibus, datur poſſe perſeuerare. i. vnde actu perſeuerent ſibi cõparare, ſi viribus ſibi in iuſtificatione datis bene vti voluerint: Quia tamen homo tot infirmitatibus grauatus & tentationibus circundatus ordinariè, ne dicam ſemper, id quod minus eſt eliget, atque ad id ſe conuertet, ob hoc ſpeciale quod nunc in nobis eſt & ante lapſum non fuit periculum, prouidit Deus electis ſuis ſpeciale adiutorium, per quod præter eorũ poſſe perſeuerare ſi velint, quod eis eſt cum homine ante lapſum, & cum omnibus à lapſu iuſtificatis commune, eis inſuper peculiari ope (ob quam perſeuerantia à Concil. Trident. dicitur ſpeciale donum) dat vt perſeuerare velint, atque ideo perſeuerent: non obſtante eo quod, vt docet Proſper, in ipſis ſit vnde non perſeuerent, & proinde de ipſis dici debeat, quod tametſi in-

De prædeſ. Sanct. c. 8.

Seſ 6 c. 11

De voc. gẽ. lib. 2. c. 28

etsi infallibiliter perseuerent,non perseuerare tamen possint. Itaque Christiani prædestinati dicunt,Deus nō permisit commoueri pedes meos,quia inter eorum posse perseuerare & finaliter perseuerare, nulla talis Dei intercedit permissio, qualis interuenit inter posse perseuerare primi hominis,& perseuerare quod ei datum fuisset, si elegisset perseuerare; Inter hæc enim permittebat eum Deus suo arbitrio sufficienter instructo & communito,vt eligeret perseuerare vel non perseuerare : vt autem perseuerare vellet, ac consequenter perseueraret, Deus in eo specialiter non operabatur. Christianis verò prędestinatis & iustificatis cōceditur quidē vt eligant perseuerare vel non perseuerare, sic tamē vt Deus occultius eos confortet, accendat atque excitet,vt infallibiliter eligāt perseuerare, & hanc electionem Deo prosequente,infallibiliter perseuerent. Quapropter verè & secundum scripturas sacras Christianā perseuerantiam descripsit August.in hæc verba. *De corr. & grat ca, 11 & 12.*
Nunc Sāctis in regnum Dei,per gratiam Dei prædestinatis,tale adiutorium perseuerantię datur,vt eis perseuerantia ipsa donetur,nō solum vt sine isto dono perseuerantes esse non possint : verumetiam,vt per hoc non nisi perseuerantes sint. Quæ verba,teste Hilario Arelatensi molestè tulerunt Massilienses, & etiamnum molestè ferunt eorundem humorum homines. Sed quid? Nisi fateantur tale donum perseuerantiæ dari Christianis, non poterunt Deo dare gloriam, quod speciali gratia non permiserit commoueri eorum pedes. Pergit autem Augustinus; Christianis maior libertas (id est charitas aut virtus) est necessaria aduersus tot & tantas tentationes,quæ in paradiso non fuerunt,dono perseuerantiæ munita atque firmata,vt cum omnibus amoribus,terroribus,erroribus suis vincatur hic mundus.Hoc Sanctorum martyria docuerunt. Denique Adam ille terrente nullo, imò cōtra Dei terrentis imperium libero vsus arbitrio,non stetit in tanta felicitate,in tanta non peccandi facilitate. Isti autem non dico terrente mundo, sed sæuiente ne starent, steterunt in fide, cùm videret ille bona præsentia quæ erat relicturus, isti futura,quæ accepturi fuerant,non viderent. vnde hoc?nisi donante illo à quo misericordiam consecuti erant vt essent fideles; à quo acceperunt spiritum non timoris,quo persequentibus cederent, sed virtutis & charitatis,& continentiæ,quo cuncta minantia, cuncta inuitantia, cuncta cruciantia superarent? Hactenus August. Libet autem,ô Lector, particulatim audire illa mala,quibus contra perseuerantiam Sanctorū desæuiit mundus; & tamen,Deo pedes Sanctorum suorum nō dante in commotionem, sed,vt dixit mater Samuelis,eos seruante,eam non expugnauit? Id tibi per sequentia enarrabit Psaltes,dicens,teste Epiph. in persona martyrū, in quibus Deus mundi rugientis sæuitiā ope præcipua expugnauit, quæ sic habēt: *In hær. 64*
Quoniā.q.d.iure singulari ac speciali tuo muneri asscribo,quod non de- 9.
 disti

disti in commotionem pedes meos. *Quoniam probasti nos Deus.* i. charitatem & constantiam nostram interrogatione tormentorum explorasti, *igne,* passionis scilicet, *nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Hoc omnibus martyribus commune est. Omnes enim martyres igne passionis ab adhærentibus sibi terreni inquinamenti sordibus sunt excocti, & si quid, inquit Ambros. fuit culpæ, ignis exussit, & ipsa eorum charitas in tormentis aucta, reddita est illustrior. Pergit autem Psaltes quædam martyrum tormenta in particulari exponere, & dicit:

Amb. 2. de Iac cap. 11

10. *Induxisti nos in laqueum.* De illis hoc intelligẽdum est qui carceris diuturno squalore & vinculis tentati sunt, vel potius de illis qui sunt strangulati. *Posuisti tribulationes in dorso nostro.* Loquuntur hi qui vngulis & flagellis sunt excarnificati. *Imposuisti homines super capita nostra.* Dicũt hoc illi, qui ab infidelibus in seruitutẽ ob Christi fidem sunt abducti, aut ad metalla sub duris exactoribus damnati.

11. *Transiuimus per ignem & aquam.* Hoc illi dicunt, qui in aquis submersi, & igne consummati sunt. Illi enim propriè, inquit Hilarius, per hęc transierunt, quia per hæc ad aliam vitam traducti sunt. Quanquam non malè intelligatur de illis qui per ignem & aquam traducti, adhuc colla gladio subijcere debuerũt. Hæc autem omnia, nempe, igne probari, & quæ sequuntur, hîc Deo tribuuntur, cùm tamen à tyrannis sint inflicta, quia mala illa non nisi à Deo, eadem in hominum probationem exercitationemque, aut prouentus consimiles iisdem permittente obuenerunt, vt proinde non solum Sanctorum patientia, sed insuper ipsa eorum passio & exercitatio, diuinæ prouidentiæ donum esse censeatur, dicente Christo: Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Vbi calicis nomine non patientia, sed passio intelligi debet. Nam cùm Christus oraret; Transfer calicem hunc à me; nõ rogabat (secundum hominem dico) patientiam, sed passionem à se transire. Ob hoc etiam canit Ecclesia: Deus tuorum militum, sors & corona præmium. Sors, quia diuini muneris ipsa eorum est passio. Corona, quia Dei est eorum victoria. Præmium, quia Domini est dare illis regnum. Post hãc verò martyrum probationem atque exercitationem quid? *Eduxisti nos;* ex mortali corporis ergastulo *in refrigerium,* vitæ scilicet æternæ: de quo scriptum est: Non esurient neque sitient amplius, neque cadet super eos sol nec vllus æstus. De cuius refrigerij introitu dicit Psaltes in persona singulorum martyrum:

12. *Introibo in domum tuam,* beatam videlicet, *in holocaustis.* Vnusquisque enim martyrum semetipsum in hac vita quasi extra sancta sanctorum totius sui immolatione mactatum, ibi holocaustum sistet Domino in odorem suauitatis. *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea.* Christiani

omnes

omnes profeſsi ſumus nos legem Dei obſeruaturos, quæ diſtinctè præcipit vt diligamus Deum ex toto corde, tota anima, & omni fortitudine, & mandato à priore diſtincto, vt diligamus proximos ſicut noſipſos. Quia tamẽ huius legis pleniſsima obſeruatio in hac vita voto magis & animi præparatione præſtatur quàm re, ideo propoſitũ & deſiderium huius mandati perfectiſsimè implendi, hoc loco nomine votorum rectè intelligitur. Quia verò eam huius præcepti perfectam obſeruantiam quam reliqui in animi præparatione ambiunt, martyres reipſa exhibent; (Illi enim cùm pro Deo animas ſuas impendunt, veriſsimè Deum tota anima, inquit Tertul. diligunt, idque perfectiſsimo modo) ideo ipſi peculiariter dicere poſſunt: Reddã tibi vota mea quæ diſtinxerunt labia mea; quia præceptum dilectionis ex tota anima ipſi perfectiſsimè implent. Reddunt autẽ vota hæc ſua, in hac vita cum labore exercendo quod mandatum eſt; in futura verò offerẽdo id quod hic exercuerunt. Ideo & Pſal. 115. dicunt: Vota mea Domino reddam in atrijs domus Domini. i. Eccleſia huius temporis, in medio tui Hieruſalem. i. ciuitate cæleſti, id quod hic perfectè obſeruatum eſt ibi offerendo. Porrò martyres quoque ſolicitos fuiſſe, vt præceptum de dilectione proximi perfectè implerent, & quod nos voto tenemus, ipſi exercitio & opere redderent, manifeſtum euadit ex eo quod ſequitur: *Scorp. c. 6.*

13. *Et locutum eſt os meum in tribulatione mea.* i. cùm eſſem in tribulatione carceris & imminentis paſsionis conſtitutus, ſic mecum loquebar ac huiuſmodi ſermocinatione memetipſum conſolabar & animabam: dicebam inquam: Si memetipſum in holocauſtum Domino immolauero, tum ſimul

14. *Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum, offeram tibi boues cum hircis.* q.d. Meo exemplo etiam alios & quidem boues; quo nomine ſignificantur inuocentes Chriſtiani *cum hircis.* i. illos qui prius peccatores fuerunt ad ſubeundum martyrium corroborans & excitãs, eoſdem vna cum mei ipſius proprio holocauſto offeram tibi *in holocauſta medullata.* Martyrium enim ex medulla ſeu intimo pinguiſsimæ charitatis procedit. Ego inquam hos offeram tibi, eo quod vnuſquiſque bono iure eos Deo tanquam ſuam hoſtiam offerat, quos ſuo exemplo aut opera diuinis conſecrat obſequijs & altaribus. Addit Pſaltes, *cum incenſo arietum.* Cùm incenſi nomine ſoleat oratio, aut ſpiritualis rei oblatio ſignificari, cuius virtus inſtar vaporis ad Deum conſcendit; Et arietum nomine Apoſtoli, qui primi duces Eccleſiæ fuerunt; quid incenſi nomine aliud quàm fidem ac religionem Apoſtolorum intelligimus, quam martyres Deo offerunt, quia ſuo exemplo & confeſsione fidem ac religionem Apoſtolorum in cordibus fidelium ædificantes, faciunt hæc à fidelibus Deo in ſpirituales hoſtias offerri? Cum ergo martyres hæc ſuo exemplo in fidelibus efficiunt, tum perfe-

perfectissimo modo reddunt Deo vota sua, quæ de diligendis proximis promiserant. Ponunt enim animas pro fratribus, eosdem sibi similes efficientes. Porro Psaltes personæ martyrum inhærens, & cognoscēs hæc quæ exposita sunt, eis per summam Dei gratiam prouenisse, non contentus eadem intus grato animo cōfiteri & prosequi, vult insuper diuinæ laudi dare gloriam siue celebritatem, vt in exordio Psalmi dictum est; conuocat proinde omnes timentes Deum, irreligiosis enim, inquit Hilarius, neque adeundi, neque audiendi voluntas est, & dicit:

15. *Venite & audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*. Inter ea autem hoc vnum est:

16. *Ad ipsum ore meo clamaui*. i. dedit mihi ante omnia ad ipsum clamare, non nudo oris sonitu, sed in ipso clamore, *exultaui sub lingua mea*, quia in corde, quod sub lingua latet, eadem quæ ore rogaui, viuaciter sensi, & ex illo sensu in verba prorupi:

17. *Iniquitatem si aspexi in corde*, per eius voluntarium appetitum, non autem per iudicium, inquit Greg. Vtile enim est iniquitatē per iudicium aspicere. Ad quod exhortatur omnes D. Augustinus. Ascendat contra se homo tribunal mentis suæ. *Non exaudiet Dominus*; Diuina enim iudicia meritum iusti ex habitu mentis, inquit Ambr. non ex specie aut decore aliquorum externorum operum metiuntur.

Grego. 22. moral. c. 3. Lib. 50 hom. homil. 50. Amb. in Lucā in initio

18. *Propterea*, quia scilicet sine iniquitate cordis oraui, *Exaudiuit Dominus, & attendit voci deprecationis meæ*. Hoc autem magni beneficij loco Psaltes censet esse habendum, quod Deus orationem exaudire dignetur: Hoc enim est non solum munera muneribus cumulare, quod non grauate concedunt hæretici, sed priora posterioribus tanquam quibusdam præmijs compensare, Quod ipsi non admittunt derogantes Deo magnificentiam, operibus bonis dignitatem. Cum ergo Psaltes in persona martyris, conuocans omnes ad audienda Dei in se beneficia dicit: *Ad ipsum ore meo clamaui*; & quæ sequuntur, quid aliud quam Deum laudat ob impartitum sibi salubriter orationis, vt Augustini verbis vtar, affectum & effectum? Quæ duo sequenti versiculo cum gratiarū actione cōpræhendens subiūgit:

19. *Benedictus Deus qui non amouit deprecationem meam*. i. Non permisit mihi deesse orationem quæ pro parte mea Deo deferenda est, sitque digna ad impetrandam Dei contra tot & tanta mala opem. *Et misericordiā suam à me*. q. d. Et vicissim non permisit mihi deesse misericordiam suā per quam mihi illa quæ oraueram, præstitit. Merito autem agit gratias pro accepto spiritu orationis. Qui enim spiritum orandi accipit, is à Deo ei benefacere volenti, præparatur & diuinis beneficiis capax redditur. Docet enim Amb. quod Deus cùm vult ignoscere, prius impertiat fiduciam deprecandi.

In Psal. 37

PSAL-

PSALMVS LXVI.

HOc Pſalmo petitur vt Chriſtus reipſa efficiatur ſalus vſque ad extremum terræ. Oratur enim vt Deus effuſa per vniuerſum terrarum orbem ſua benedictione, in omnibus mũdi partibus hominum ſalutem operetur, eoſque in ſui nominis confeſsionem cõgreget. Vtile autem eſt hunc Pſalmum frequentare, quia, vt docet Ambroſ. orandum docemur, præcipuè pro populo. i. pro toto corpore, pro omnibus membris matris noſtræ, in quo eſt mutuæ charitatis inſigne: cùm enim ſinguli orant pro omnibus, & omnes orant pro ſingulis: Si pro te roges, tantum pro te rogabis; Si autem pro omnibus, omnes pro te rogabunt: Siquidem & tu in omnibus es. Ita magna remuneratio eſt vt orationibus ſingulorum acquirantur ſingulis totius plebis ſuffragia. In quo arrogantia nulla, ſed humilitas maior eſt & fructus vberior. Hæc Ambroſius. *1. de Cain et Abel, c. 9*

1. *Deus miſereatur*, miſericordia præueniente, *noſtri*. i. totius, quaqua verſum diffuſum eſt, generis humani. In qua ſignificatione accipiendũ eſt quotieſcunque in hoc Pſalmo dicitur *nos*, aut *nobis*. *Et benedicat nobis*. i. benefaciat nobis. *Illuminet vultum ſuum ſuper nos*. Quod facit, inquit Ambroſ. *in Pſal. 43* cùm nos illuminat. Nos enim ſemper in conſpectu vultus eius ſumus. *Et miſereatur noſtri*, miſericordia ſubſequente omnibus diebus vitæ noſtræ. Illuminationis autem diuini vultus quis erit fructus?

2. *Vt cognoſcamus in terra*. i. tempore huius mortalis vitæ noſtræ, *viam tuam*, qua ad te itur, tibi propinquatur, ad te peruenitur. *In omnibus gentibus ſalutare tuum*. i. Agnoſcamus in omnibus gentibus nos etiam ſalutem à te accepiſſe. Pro qua re,

3. *Confiteantur tibi*, in laude & gratiarum actione, *populi*, duodecim tribuum Iſraël, vt videtur Hilario, *Deus*, *confiteantur tibi populi omnes*. i. omnium gentium.

4. *Lætentur & exultent gentes quoniam iudicas*. i. in præſenti vita iudicia in bonum exerces erga *populos*, *in æquitate*: Æquitas media eſt inter miſericordiam & iuſtitiam, habens aliquid miſericordia amplius, quia æquitas nonnullam dignitatem aut diſpoſitionem eius cui exhibetur, reſpicit; & habet aliquid minus iuſtitia, quia æquitas, quantum in ſe eſt, non reddit retributionem ex condigno. Itaque cùm Deus remiſsionem peccatorum tribuit, præſertim tam tenui peccatorum odio aut cordis compunctioni ſimilibuſque præparationibus, cùm exaudit frigidas orationes, cum largitur ſupra quam petimus aut intelligimus, *iudicat*. i. iudicium exercet circa nos *in æquitate*, benefaciens, non omnino ſine meritis, nec tamen ex meritis condignis. *Et gentes in terra dirigis*, Impias, vt veniant ad iuſtitiam; Iuſtificatas, vt gradatim proficiant ad perfectionem in vitam æternam. Porro quia

omnis benedictio & æquitas Dei erga genus humanum ex incarnatione Christi tanquam causa meritoria proficiscitur, repetit Psaltes quod prius dixerat.

5. *Confiteantur tibi populi omnes.* Et huius exhortationis quasi causam adijciens, dicit: *Terra dedit fructum suum.* i. ex illa terra ex qua Adam prius

Tertull. cõt. Iud. ca. 13. plasmatus est, nunc Christus, inquit Tertul. ex virgine natus est. Vel *terra*,

Grego in 1 cap. 1. Reg. i. genus humanum prius sterile, *dedit fructum suum.* i. bonorum operum prouentum. Concludens autem Psalmum inuocat Psaltes Trinitatem in vnitate, dicens:

Benedicat nos Deus, Pater scilicet, quem Dei nomine in scripturis, vt in

3. thes. c. 1. Psal. 41. diximus, intelligi, testatur Cyrillus. *Deus noster*, Filius per incarnationem suam singulariter Deus noster factus, *benedicat nos Deus*, Spiri-

Gregor. 29 mora c 28 tus sanctus, *& metuant.* i. colant, *eum*, non eos, quia tres personæ vnus est Deus, inquit Greg. *omnes fines terræ.* i. omnes gentes vsque ad fines terræ.

PSALMVS LXVII.

IN hoc Psalmo describitur virtus & effectus Euangelicæ prædicationis. Incipit tamen, inquit Hilarius, cui & consentit Augustinus ab eo in quo iustificationis nostræ consistit effectus, id est à retributione bonorum. Et quia tempus retributionis est malis & bonis commune, ideo facta huius temporis mentione, ea quæ malis in eo obuentura sunt, paulò fusius Psaltes exponit, & tandem arrepta occasione ad propositum venit. Sic autem incipit:

1. *Exurgat Deus*; Prophetia est in modo optantis, inquit D. August. q. d.

Serm. 109 de temp. Exurget Deus ad iudiciũ, De quo exurgendi modo sæpius scriptura, & præsertim Isaiæ 33. Vbi manifestè sermo est de extremo iudicio. Nunc consurgam, nunc exaltabor, nunc subleuabor, dicit Dominus. *Et dißipentur inimici eius*; Dissipabuntur enim tunc omnes conspirationes, omniaque fœdera & humanarum amicitiarum præsidia, de qua re idem cap. 24. Dissipatione dissipabitur terra. *Et fugiant qui oderunt eum à facie eius.* Cùm enim præsentia iudicis, quæ nomine faciei eius intelligitur, ex signis quę erunt in sole & luna apparere ceperit, omnes impij Dei osores fugere quidem cona-

1. Theß. 5. buntur, sed vt ait Apostolus, & notat hic Hilarius, nõ effugient. Tum enim

Isaiæ 24. implebitur quod dixit Isaias, Formido & fouea & laqueus super te qui habitator seu amator es terræ: & erit qui fugerit à facie formidinis, quam signa aduentantis iudicis incutient, cadet in foueam, & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo. i. non poterit, inquit idem, auolare de angustia sua. Cùm ergo non possint diem illum effugere, quídnam in illo eueniet eis?

2. *Sicut deficit fumus, deficiãt, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores*

tatores à facie Dei. Huiuſmodi metaphoris ſignificatur interitus impiorũ in die iudicij, vt Iſa. Iſti fumus erunt in furore meo ignis ardens tota die. Et *Iſaiæ 65.*
ſupra: Sicut cera quæ fluit auferentur; indicaturque per fumum & ceram, *Pſalm. 57.*
quod nulla in eis erit virtus qua reſiſtant diuinæ vindictæ: Niſi quod euaneſcenti ſiue deficienti fumo non incommodè comparetur interitus ſuperborum. Quò enim fumus ſe ſublimiùs erigit, eo citius euaneſcit, inquit Auguſtinus. Et hæc quidem tum euenient impiis. E contrario autem

Iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei. i. præſentia Dei, de qua 3.
epulatione Dominus: Venient & recumbent cum Abrahã, Iſaac & Iacob. Quod epulum etiam Iſaias deſcripſit: Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ, cùm ſatiabit omnes ex adipe frumenti. i. diuinitate Chriſti, qui hic fuit frumentum cadens in terram. *Et delectentur in lætitia*, quia nõ raptim, ſed tota mentis auiditate haurient lætitiam illius beatitudinis quam nemo interturbabit. *Iſaiæ 25.*

Cantate Domino, Vos qui ad hoc conuiuium ſpe tenditis, *pſalmum dicite nomini eius*, qui tam opimum conuiuium iuſtitiæ veſtræ in præmium præparauerit. *Iter facite ei.* i. præparate vos vt poſsitis obuiam rapi in aëra Chriſto. *Qui aſcendit*, in cælum ſcilicet, *ſuper occaſum.* i. poſtquã per mortem occubuit, & vt frumenti granum in terram cecidit. Porro Pſaltes hic oportunè facit mentionem Dominicæ aſcenſionis, quia Chriſtus inde veniet ad iudicium, quò aſcendit in cælum. *Dominus nomen illi.* In aſcenſione enim datum eſt ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt ille homo ab eo tempore ab omnibus Deus & Dominus diceretur. 4.

Exultate in conſpectu eius, vos ſcilicet, qui ei iter facitis. iis enim dicitur: His fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, &c. Impij verò, *turbabuntur à facie eius*, timore illo horribili: de quo Sapiens: Turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis. *patris orphanorum & iudicis viduarum*, tum enim Deus qui vt orphanorum & viduarum patientiam exerceret, eorundem iniurias inultas in hac vita eſſe ſinit atque indefenſas, eorum ſe præter omnem impiorũ expectationem vindicem declarabit. Quæris autem vbi interim iſte iudex degat? 5.

Deus in loco ſancto ſuo. q.d. interim dum dies retributionis expectatur, 6.
degit in ſancto ſanctorum in quæ egreſſus eſt in ſanguine ſuo, factus pro nobis Pontifex in æternum. Ibi autem quid agit, nunquid Eccleſiæ gubernacula deſerit? Abſit. *Inhabitare facit vnius moris in domo.* Iam ſtatim enim à ſua aſcenſione per directionem & opem gratiæ ſuæ fecit eos omnes, qui facultates ſuas vulgato tum & communi more vendebant, per ſummam concordiam in commune viuere, ita vt eis eſſet cor vnũ & anima vna. Hic pri-

mus effectus fuit eius, qui est in loco sancto suo. Præter quem etiam
7. *Educit vinctos in fortitudine.* i. è vinculis eruit eos qui sedebant in dia-
Isaiæ 9 bolica & pessimarum consuetudinum captiuitate, Gentiles intelligit, se-
Psal. 106 dentes in tenebris & vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro. Quam
8 conf c 5 fortiter autem ligetur homo praua consuetudine, declarat August. dicens:
Ex consuetudine peccandi tandem quandam fieri peccandi necessitatem.
* *Similiter eos qui exasperant.* i. Iudæos, quos exasperantium nomine intel-
ligendos esse, in Psal. 65. diximus. De quibus etiam additur: *Qui habitant
in sepulchris*; Per hæc enim verba insinuatur quales erunt Iudæi cùm è vin-
culis suis educēdi sunt, & simul tempus quo id futurum est. De quo pulchrè
Ezech. 37. Ezechiel inter cætera sic dicit: Ossa hæc domus Israël est, ecce ipsi dicūt:
Aruerunt ossa nostra, Periit spes nostra, & abscissi sumus; Propterea hæc
dicit Dominus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de se-
pulchris vestris populus meus, & inducam vos in terram Israël, & scietis
quia ego Dominus cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumu-
lis vestris popule meus, & dedero spiritum meū in vobis & vixeritis. Quæ
verba de resurrectione prima, quæ est à morte peccati ad iustitiam intelli-
De Gen. ad lit. cap. 5. git Augustinus. Itaque quod hic dicitur, *Educit eos qui habitant in sepul-
chris*, propriè iuxta Ezechielis prophetiam de Iudæis prophetatur, quam-
quam negandum non sit idipsum reipsa etiam impleri in gentibus & Chri-
stianis, qui ex morte animæ per diutinam consuetudinem peccandi tanto-
pere inueterata, vt videantur iam in morte sepulti esse, per Dei gratiam e-
ducuntur & restituuntur vitæ. Quos præfigurabat resuscitatio Lazari.
Porro quia dicta captiuitas soluta est opera Euāgelicæ prædicationis, ideo
Psaltes de ea verba facturus, quędam, quę circa Israël facta sunt, cùm terram
Ægypti egrederetur, præmittit, quæ Euangelicæ prædicationis quædam e-
rant præludia, ipsumq; genus humanum ad prædicationem Euangelij præ-
parabant. de quibus sic Deum alloquitur.
8. *Deus.* i. Fili Dei, *cùm egredereris in conspectu populi tui.* i. cùm educeres
populum tuum ex Ægypto, præcedens eum in columna nubis & ignis. An-
gelum enim Domini, qui præcedebat populum, Dei filium qui incarnatus
Cyp. l. 2. ad uers. Iu. c. 5 Christus factus est, fuisse, doctè probant Cyprianus & Iustinus martyr. Hic
Iust. dial. 2 præsertim ex cap. 23 Exodi, vbi dicitur, Ecce ego mitto Angelum meum,
cū Trypho. qui præcedat te, & nomen meum in illo est. Si enim nomen Domini in illo
angelo est, ergo angelus ille Deus est: Quam consequentiam considerans
Cōc. Hispal. Concil. Hispal. probat ex illo loco Exodi Christi diuinitatem. Nec his ob-
2 cap. 13. stat, quod is qui eduxit populum, vocetur Angelus: Angelus enim non est
nomen naturæ, sed officij, quod competit filio Dei, quia ad quamuis suam
apparitionem est missus. Cùm ergo *egredereris in conspectu populi tui*, &c,
cùm

cùm pertransires in deserto. i. eundem sicut eduxeras, ita perduceres per desertum.

Terra mota est. Hoc multi de terræ motu sensibili intelligunt. Quia tamen talis terræmotus in Exodo nulla fit mentio, videtur id potius in hunc sensum accipiendum. *Terra mota est.* i. omnes qui terram inhabitant admiratione mirabilium, quę Israheli præstitisti, commoti, atque conturbati sunt. *Etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israhel.* Distillauerunt inquam, quia vna cum rore defluente manna dederunt. Mane enim ros iacuit per circuitũ castrorum, cumq; operuisset superficiem terrę, apparuit in solitudine mãna munitum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Idque *à facie.* i. præsentia *Dei Israhel.* Cùm enim id futurum esset, respexerunt filij Israhel ad solitudinem, & apparuit gloria Domini in nube. Quia tamen per stillicidium & distillationem sermo docentis, prænunciantis vel adhortantis solet intelligi, videntur cæli hîc distillasse, quia cum pertransiret Deus in deserto, vox Domini legem promulgantis de cælo audita est. Secundum quem sensum propriè *distillauerunt cæli à facie Dei Sinai,* quia Dominus de Sinai dedit vocem doctrinæ huius. Imò & à facie Dei Israhel, quia hæc legis promulgatio Israheli specialiter facta est, Israhelemque quem Deus eduxerat de terra Ægypti sibi peculiariter deuinxit. Neque necessum est, per stillicidia intelligere solummodò verba quæ suauiter defluunt, nam Amos, cum prophetaret aduersus domum Idoli, dicitur super eam stillasse, cum tamẽ verba illa comminatoria non admodum suauiter defluxerint. Hæc posterior expositio contextui magis est consentanea. Sequitur enim,

9. Exod. 16. Amos 7.

Pluuiam voluntariam. i. doctrinam quæ auditores suos efficiat voluntarios *segregabis.* i. peculiari, ac à muneribus veteris testamenti distincto munere donabis *hæreditati tuæ.* i. illis, quos ad æternam, non temporariam illam veteris testamenti hæreditatem, introducturus es. Proinde horum versuum huiusmodi est cõstructio. Cùm in Sina Israeli, quem ad terrenam hæreditatem adducebas, legem dictares, Distillauerunt cæli pluuiam, sed non voluntariam; quia nec vox illa, nec adiuncti terrores fecerunt homines illos voluntatem habere in lege Domini, manifestata verò legis insufficientia, dedisti *pluuiam voluntariam,* quæ suauiter efficiat, vt in lege Domini Auditorum voluntas sit: *Etenim infirmata est.* q.d. ideo post prius cælorum stillicidium pluuiam voluntariam conuenienter segregasti, quia hæreditas tua, infirmitatis suæ per prius illud stillicidium satis conuicta est. Hæc enim deprehensa est tanta esse, vt ne vox quidem Dei foris solummodò cum terrore docentis, ei curandę suffecerit. *Tu verò* demonstrata ei prius sua infirmitate *perfecisti eam.* i. vt per legem nihil ad perfectum addu- 10.

centem præparata, tandem perfectam & plenam salutem per pluuiam voluntariam acciperet.

11. *Animalia tua*.i.tuis altaribus digna, munda scilicet, quæ per hanc pluuiam fuerint emundata *habitabunt in ea*. i. stabilem in hac pluuia mansionem habebunt, vt in ea nutriantur, renouentur, promoueantur. Quo autem excellens hoc & singulare voluntariæ pluuiæ munus prouenit principio? An quia illi, qui sub lege fuerunt, vel alij homines suis id sibi meritis apud excelsum & sanctum Deum præparauerunt? Nequaquam, sed, *parasti in dulcedine tua*. i. gratuita bonitate tua, de qua in Psal. 20. ad vers. 3. diximus: & quam S. Basilius in eo dicit esse positam, quod Deus benè mereatur de illis, qui ope eius quacunque ratione indigent, dicens bonitatem Dei eius dulcedine siue suauitate intelligi contractiorem, vt quæ in dandis beneficijs iustitiæ siue meritorum etiam habeat rationem. Parasti ergò in dulcedine tua *Pauperi*.i.inopi meritorum, & tantæ opis indigo, *Deus*. Sed hactenus huius pluuiæ effectum & ortum audiuimus; Dic nobis tãdem ô Psaltes, quænam ista pluuia sit?

Bas.q 214 in breuior.

12. *Dominus dabit verbum*.i.os, & sapientiam, sensum & sermonem, ait D. Hilarius: *euangelizantibus, virtute multa*. Verbum inquam, præditum virtute multa, vt euangelizantes sint potentes in opere, sermone, sintque tam sensu, quam ore potentes exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Et *dabit verbum euãgelizantibus virtute multa*.i.comitatum virtute multa cooperantis Dei, qui verbum quod egreditur de ore suo non patietur ad se redire vacuum, sed per illud faciet, quæcunque voluerit, & efficiet quod prosperabitur in his, ad quæ miserit illud. Voces enim docentium, inquit D. Prosper, & litteræ paginarum quæ ad eruditionem audientium vel legentium Deo seruiunt, non carent virtute eius cui seruiunt; & quãdo id quod iubetur ab obediente perficitur, tunc effectus diuini operis declaratur. Deniq; *virtute multa*.i.comitatum miraculorum, virtutumque, & bonorum operum gratia: ob quam scriptum est, virtute magna reddebant Apostoli testimonium IESV Christi Domini nostri. Quia ergò tanta virtute præditum, & comitatum fuit verbum datum euangelizantibus, vocantur etiam ipsi Virtutes; sicut & Angeli, per quos Deus fortia operatur, Virtutes dicuntur. Sequitur proinde,

Epist. ad Demetr.

13. *Rex virtutum dilecti, dilecti*.i.Rex his virtutibus præsidens, est *dilecti dilecti*, eos namque etiam secundum suam humanitatem regit Dominus IESVS, cuius humanitas est templum ac coniunctum instrumentum dilecti.i.Filij Dei; cui dixit Pater, hic est Filius meus dilectus. de quo & Psal. 28. Dilectus, quemadmodum filius vnicornium: & ille dilectus, est *dilecti*. i. Dei Patris sui, à Filio vicissim Spiritusancto dilecti. Spiritus namque

sanctus

ſanctus ab alterutro in alterutrum exuberans, Amor vtriuſque eſt; *& ſpeciei domus diuidere ſpolia.* q. d. Huius autem regis propoſitum eſt, in ornamentum & decorem domus ſuæ quæ eſt Eccleſia (vox enim *ſpeciei* hoc loco datiui caſus eſt) *diuidere ſpolia.* i. per Eccleſiam diſtribuere, imo & in eccleſiaſticas dignitates conſtituere eos quos à diabolo deprædatus eſt, qualis fuit Apoſtolus Paulus, Dionyſ. Areop. & innumeri alij. Qui & eruditionem atque facundiam quibus ante diabolo ſeruierant ab impietate ad pietatis obſequium transferentes, magnis manubijs ab hoſtibus detractis, Eccleſiã Chriſti decorauerunt. De qua re Auguſt. de doctr. Chriſtiana. *lib. 2. c. 40.*

Si dormiatis inter medios cleros. Clerus Latinè ſors dicitur. Sortiũ autẽ 14.
nomine hoc loco ſecundum Ambr. & Hieron. teſtamentũ vetus & nouum *Amb. ca. 3*
intelligitur, ſeu noui & veteris teſtamenti inſtrumentũ, quæ ſunt vtriuſque *de parad.* *Hier. in c4.*
teſtamenti ſacræ paginæ. Quem Ambroſij & Hieron. intellectum tanquam *22. Ezech.*
conuenientiorem aliorum expoſitionibus præferimus. Dormit autem inter vtrumque hoc teſtamentum, qui in vtriuſq; teſtamenti intelligentia requieſcit: Et qui intelligentiæ vtriuſque paginæ ſic inuigilat, vt ſtudij gratia de ſomno ſibi non parum detrahat, vſque adeo vt ſi legentem hos libros neceſſarius ſomnus oppreſſerit, dormitãtis labentem faciem codex qui in manibus eſt excipiat. Cuiuſmodi diligentiam ſtudioſo ſcripturarum adhibendam eſſe quodam loco monuit Hieron. Porro neceſſe eſt ſacris literis incumbenti, & præſertim tanto quo diximus ſtudio, magna vtriuſque paginæ cognitio obueniat. Quicunque ergo illi ſunt qui in ſacris litetis requieſcũt, iiſque inueſtigandis tantam operam impendunt, illi ſunt, *pennæ columbæ deargentatæ.* i. Eccleſiæ quæ in Cantico columba dicitur, Eſtque deargentata, tum quia ei credita ſunt eloquia Dei quæ argento comparantur: tum quia ipſa ſola verum ſacrarum literarum ſenſum & vſum habet. Quæ dum doctrinam & diſciplinam ſuam ad normam ſcripturarum diſponit, ipſa ſcripturis ſacris, quaſi quibuſdam argenti laminis vndique obducta, deargentata videtur. Porro ſtudioſi iſti præ reliquis huius columbæ pennæ dicũtur, quia cum ſcripturarum ſacrarũ adminiculo quaſi quodam pennarũ remigio anima humana in diuinarum rerum contemplationem aſcendat; iſti hunc volatum præ reliquis exercent, qui præ reliquis ſcripturarum cognitione pollent. Dicuntur itaque pennæ columbæ, quia in illis & per illos tota Eccleſia rerum ſpiritualium pulchritudinẽ, ſuo ſinguli modo, cõtemplantur, & in ipſa ſecreta ſapientiæ Dei diſputationis poſſunt vbertate procedere, inquit Ambr. At quia Eccleſia nõ nuda ſacrarum literarum cognitione deargentata, verum etiam charitate inaurata eſt; ideo ſubijcitur: *Et poſteriora dorſi eius,* ſcilicet columbæ, ſunt *in pallore* vel ſplendore *auri,* quia in obſeruatione mandatorum Dei, quibus tanquam iugo Dominico Eccleſi

cleſi

clesia obedientiam, quasi quoddam dorsum supponit, emicat ab eadē Ecclesia charitas Dei & proximi, quam auro comparatam intus in corde gerit. Cui sensui comprobando accommodum est, quod Hieron. in Ezech. pro *posteriora*, interiora legit, quia interior Ecclesiæ charitas in exteriore mādatorum obseruatione relucet.

15. *Dum discernit cælestis*. i. Christus per resurrectionem cælestis factus: Secundus enim homo de cælo cælestis, quia immortalitate cælesti prędítus, vel cælestis, quia per ascensionem in cælis residens. Dum dico hic cælestis discernit. i. per gratiam nō omnibus promiscuè communem quosdam præ reliquis secundum propositum vocat. *Reges super eam*. i. vt ad regnum suum quod est Ecclesia peruenientes, suis cupiditatibus imperent: Tum inquam, *niue dealbabuntur*, per baptismum quem suscipient. Niue enim dealbari effectus est baptismi, in quo cuncta peccata perfectissime mundantur: Idcirco etiam martyr Genesius dicebat, manum baptizātis ipsum niue candidiorem reddidisse. Dealbabuntur autem *in Selmon*, quod interpretatum est mons vmbrosus, qui est Christus. Mons dictus, propter celsitudinem, Vmbrosus, quia mortalis eius humanitas obumbrauit, & in quadam obscuritate delitescentem in se continuit diuinitatem. Sicut ad virginem dicebat angelus, virtus altissimi obumbrabit tibi, quia filius Dei qui est virtus Patris, candori suę diuinitatis carnis vmbram seu obscurationē ex virgine obduxit, nō vt sibi obscuritatem adferret, sed vt à nobis videri & palpari posset. In hoc autem monte dicuntur dealbandi, quia baptizari quidem quis potest apud hæreticos & schismaticos, dealbari autem non potest nisi in monte hoc. i. in Christi corpore, quod est Ecclesia, baptizetur. Visum autem fuit Psalti facta montis huius mentione, eiusdem montis mysteria hic pluribus describere, sicut Psal. 58. facta mentione gratiæ Dei, eam ex illa occasione vberius explicuit: Proinde dicit, *Mons Dei*. i. diuinæ sublimitatis *mons pinguis*, quia vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis. Sed ne per hoc quod dixerat, *Mons Dei*, putaretur Christus eo modo esse mons Dei quo & alij sancti, de quibus scriptum est, Iustitia tua sicut montes Dei; ideo differentiam Christi à reliquis innuens, mox addit Psaltes:

16. *Mons coagulatus*. i. qui cum hypostasi filij Dei in communionem atque consortium vnius eiusdemque diuinæ personæ secundum humanam naturam in conceptione coaluit. Vox enim *coagulatus*, non quamuis advnationem humanæ naturæ ad personam verbi importat, sed eam quæ facta sit in humanæ naturæ conceptione. Coagulationis enim nomine solet humanæ naturæ conceptio designari, vnde & Iob dicit: Nónne sicut caseum me coagulasti? Christus ergo *mons Dei mons coagulatus*, quia natura eius humana cum coagularetur. i. conciperetur, in montem Dei coagulata est.

Non

Non fuit autem mons Dei, nisi ob coniunctam sibi diuinitatem, ergo in sui
conceptione secundùm humanæ naturæ cum verbo coniunctionem in mõ-
tem Dei coaluit. D. Bern. tamen præ vbertate suæ spiritualis intelligentiæ, Ser de ver
non incongruè docet Christum quatuor modis coagulatum siue adunatum bis psal. 3
fuisse. Naturali, quo est consubstantialis Patri. Personali, per incarnatio- Quis ascẽd.
nem. Spirituali, quia Christus per spiritum nobiscum vnus spiritus est.
Sacramentali, quia Christus in nobis est per spirituale connubium. De quo
Apostolus: Sacramentũ hoc magnũ est, Ego dico in Christo & in Ecclesia.
Mons pinguis; Istud repetitur ad significandum quod Christus secundum
humanam naturam Spiritussancti vnctionem non solum sibi, sed nobis om-
nibus acceperit. Quia ergo Christus mons est singulariter coagulatus,
Psaltes in Spiritu præuidens fore hæreticos, qui ex coniectura humanæ sa-
pientię dicturi essent Christũ excellentius quidẽ, sed non alio modo verbo
Dei adunatum esse quàm alios sanctos, qui etiam Christi dicti sunt, vt in
Psal. 104. dicturi sumus, eos increpare voluit, etiam antequam orti essent,
proinde dicit ad eos: *vt quid suspicamini*. i. ex sola suspicione vestra (de
qua scriptum est, multos supplantauit suspicio, & detinuit in vanitate sen- Eccli. 3.
sus eorum) confingitis eos quos Sapientia per gratiam inhabitat, esse *mon-
tes coagulatos*. i. Sapientiam eos eodem modo quo hunc de quo loquimur
montem inhabitare? Id enim procul abest, quia iste est,

Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: corporaliter scilicet 17.
vt dicit Apostolus, vsq; adeo, vt per vnionem hypostaticam corpus huius Colloss. 2.
montis totamque eius humanitatem suam faceret, & posset dici Deus cor-
poraliter natus & passus. Dicit autem beneplacitum esse Deo habitare in
eo, quia sine meritis humanæ naturæ ex bona & gratuita voluntate sanctæ
Trinitatis, hæc filij Dei in carne habitatio orta est atque processit. Ideo
& Apostolus, In ipso complacuit omnẽ plenitudinem inhabitare. *Etenim
Dominus habitabit in finem*, quia nunquam vnionem duarum in Christo
naturarum dissoluet. Vbi notari potest quod non dicit Psaltes, Benepla-
citum est Deo habitare in finem, vt enim natura humana Christi ad perso-
nam Verbi traheretur, erat merè beneplaciti diuini, vt autem vnio dua-
rum istarum naturarum Christi perseueret, non est pariter merè benepla-
citi diuini; Christo enim nõ possumus minus tribuere, quàm tribuitur illis
qui sunt in beatitudine confirmati: His autem ea sua perseuerantia non est
ita gratuita, vt nobis est vitæ huius perseuerantia: ergo nec perseuerantia
personæ Christi, nam & ipse secundum humanam naturam ab initio suæ
cõceptionis in sua hypostasi confirmatus est, sicut scriptũ est: Super filium
hominis quem confirmasti tibi. Cæterum his ex occasione de Christo in-
terpositis, redit Psaltes ad prophetãdum ea quæ sunt Ecclesiæ, cuius paulo

ante mentionem fecerat sub nomine columbæ deargentatæ ac de eius amplitudine ac numerositate dicit:

18. *Currus Dei*: Ecclesia, Cant. 1. definitur esse equitatus Domini in curribus Pharaonis. Constat enim præpositis qui sunt equitatus Domini, præcedens currum; constat & populo qui ab obediendi promptitudine comparatur dominico currui. Hic ergo *currus*.i. Ecclesiæ populus, *decem millibus multiplex*. i. infinita vt notat Hilarius multitudine numerosissimus. *Millia lætantium*: Cur non dicit *decem millia lætantium*? Quia non est par numerus gaudentium & existentium in Ecclesia. Multiplicasti enim gentem & non magnificasti lætitiam; eò quod mali qui in Ecclesia magno numero sunt, huius gaudij non sint consortes. Quod autem est istud gaudium? *Dominus in eis*. q.d. gaudium hoc hinc oritur quod Dominum in seipsis per infusionem sui spiritus inhabitantem, aut certè inoperãtem sentiunt. Ob id enim dicunt: Dedisti lætitiam in corde meo. *In Synai* q.d. Dominus est in eis sicut erat in Sinai. Ibi autem erat scribendo legem in tabulis lapideis, in istis autem est eãdem legem per Spiritum sanctum scribendo in tabulis cordis carnalibus, mentibus eorum, atque visceribus. Proinde bene additur: *In sancto*: quia scriptura legis in Sina non sanctificabat, Dominus autem in istis dicitur esse in sancto, vel vt legit Hieron. In *Sinai sancto*, quia eos inhabitando sanctificat. Hæc ergo de sanctificatione in Spiritu S. quæ communis est Prępositis Ecclesiæ & vulgaribus, cuius hic mentionem facit Psaltes priusquam commemoret Christi ascensionem, quia illa non quidem per orbem terrarum copiosissimè, sed tamen in multos effusa est priusquam glorificaretur Christus. Sed quia quædam sunt dona Spiritus S. cum quibus etiam datur Spiritus S. de quibus scriptum est: Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus; ideo vt conuenienter de his donis Psaltes verba faciat, præmittit quædam quæ spectant ad ascensionem Christi, atque adeo ad ipsum Christum per apostrophen exclamat & dicit:

19. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*. i. Diabolum captiuitatis humanæ principem. Apprehendit enim Angelus qui habet clauem abyssi draconem serpẽtem antiquum & ligauit eum, & misit eum in abyssum, & clausit & signauit super eum. Pulchrè autem, inquit Ambros. captiuam duxit captiuitatem, quia Christi victoria, victoria est libertatis, quę omnes gratiæ vindicauit, nullum astrinxit iniuriæ. Et quia Dominicæ tempore passionis sola feriabatur iniuria, quæ captiuos omnes amiserat quos tenebat, in se recurrens captiua facta est ipsa captiuitas, iam nõ Belial addicta, sed Christo cui seruire libertas est. Hæc Amb. Vel, quandoquidem Apostolus pro eo quod hic dicitur, *cepisti captiuitatem*, dicit Christum captiuam duxisse capti-

1 de Spiri. S. cap. 5.

captiuitatem; bene hoc intelligitur de peculiari captiuitate iustorum, qui vsque ad descẽsum Christi ad inferos erant in limbo, ibidem velut in quodam carcere detenti & seclusi à visione Dei. Hanc captiuitatem Christus duxit captiuam, cum eandem per gratiam confirmationis sibi astrictam, triumphum quem reportarat à mortuis inferebat cælis. *Accepisti dona in hominibus.* Huius loco Apostolus dicit, dedit dona hominibus. Cum autem necesse sit vtrumque verum esse, oritur hinc prima facie admirabile quid & quod hominem attonitum faciat, inquit Athanas. quomodo idem det & accipiat dona? Quæ admiratio concidit, si consideretur quod idem dat dona hominibus tanquam caput suis membris. Accipit idem eadẽ dona in hominibus in quibus ipse est tanquam in suis membris, propter quæ clamabat: Saule Saule quid me persequeris, inquit Augustinus, Quæ dona accepit & dedit, cum visibiliter misit Spiritum suum sanctum. Tum enim & Spiritum S. dedit tanquam donum, & Spiritus S. complura munera tanquam dona, ita vt mirandum non sit Petrum, Actorum 2. dicere; effudit hoc donum; & Psaltem hic dicere, *dedit dona*; Vtrumque enim verum est vt declaramus. Habebant quidem Apostoli inhabitantem Spiritum S. antequam Spiritus S. in eos visibiliter descenderet, ipsum tamen per incrementum iterum acceperunt. Cùm enim visibiliter aduenit Spiritus S. ineffabili vel etiam incogitabili modo, inquit August. largius in corda hominum plenitudo eius fuit diffusa. Similiter habebant prius Apostoli gratiam Spiritus S. acceperunt nihilominus Spiritum S. in linguis igneis, non gratiæ (iustificantis) inquit Cyrill. sed potius operationis & sermonis initium significantibus. Similiter Tertul. Acceperunt, inquit, Apostoli vim Spiritus S. ad virtutes & eloquium. Itaque ante Christi glorificationem dabatur Spiritus S. hominibus ad sanctificationem; glorificationi verò eius reseruabatur, vt post eam daretur idem cum insolito signo ad sanctificationis incrementum, atque ad operationem virtutum: vt quos hac sua gratia dignaretur Deus, valerent charitate, virtute, sermone, & miraculis aliorum salutem operari, ita vt gratiam quam Apostoli alijque prius per Spiritum S. acceperant in priuatam salutem cuiusque, in die Pentecostes acceperint, vt valerent, & quantum ex illa parte est, sufficerent exorandæ, acquirendæ, dirigendæ saluti alienæ. Quocirca etiam Apostoli vsque ad aduentum Spiritus sancti iubentur sedere in domo, Atque in die Pentecostes dicuntur consecrati Episcopi, quorum est alienæ saluti incumbere. Quo etiam respexisse videtur Elizæus cum Eliæ ascensuro, dixit: Obsecro, fiat in me spiritus tuus duplex: Præsignificabat enim futurum, vt per ascensionem Christi daretur ille duplex spiritus quem diximus. Quid verò post hæc?

Orat 2 cõ. Arrianos.

15. de Trinit. ca. 19.

Aug 83. q. quæst. 62.

Lib. 12. in Ioan. c. 56.

Tertull de præsc. c. 20

20. *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.* i. Fecisti eos, inquit Hilarius, qui se inhabitandos à te non crederent, templa & domicilia tua. Quod emisso Spiritu S. mox apparuit. Iudæi enim audito Petro, compuncti corde dixerunt: Quid faciemus viri fratres? Putabant enim ingens peccatum, cuius se reos nouerant, inexpiabile esse, inquit August. Ad quos tamen Petrus: Baptizetur vnusquisque vestrûm in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus S. Nunquid non ibi videmus præ pusillanimitate non credentes inhabitare cepisse Dominum Deum? Vel, *Non credentes inhabitare Dominum Deum.* i. fecisti ex infidelibus fideles, & Christum habitare per fidem in cordibus eorũ. Et quandoquidem Dominus cum hæc fierent, augebat quotidie in Ierusalem eos qui salui fierent in idipsum, addunt per gratiarum actionem Apostoli:

Tract. 113 in Ioan.

21. *Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis.* q.d. sicut in Iudæa ad prædicationem nostram quotidie auxit numerum fidelium, ita nobis in vniuersos orbis terrarũ fines profectis, prosperè procedere faciet Euangelium, cuius causa iter illud suscipimus. Faciet autem id, *Deus,* protector & promotor, *salutarium nostrorum.* i. negotiorum, quæ causa publicæ salutis suscipimus. Salutare enim dici potest quicquid salutiferum est. Huius prosperi successus exempla complura habemus in Actis Apostolicis.

22. *Deus noster,* qui est Christus Iesus, *Deus saluos faciendi.* i. ipso suo nomine, quod ei in circuncisione impositum est, præ se fert, se ad saluandum comparatum esse, siue se esse propugnatorẽ ad saluandum. Sic Augustinus. *Et Domini Domini.* i. eiusdem ipsius Iesu, qui secundum suam diuinitatem & Dominus est & Domini, quia, vt habet Genesis, Dominus à Domino, Deo videlicet Patre; Huius inquã Domini *exitus mortis,* quia ex hac mortali vita per mortem ipse exiuit. Ideo nunc est ad saluãdum, siue, vt saluum faciat populum suum à peccatis eorum, propensior, & in saluando copiosior. Vel, *Domini Domini exitus mortis,* vt eo exemplo admoneamur nos perfectam & stabilem salutem consequi nõ posse, nisi prius degustata morte. Talis est enim vita mortalis, inquit Augustinus, vt nec ipse Dominus aliter ab illa exiret, nisi per mortem. Imò *Deus saluos faciendi,* non solum non credentes faciet inhabitare Dominum Deum:

17. de Ciu. cap. 18.

23. *Veruntamen,* siue, verum etiam, *Deus confringet,* infuso lumine fidei & spiritu deuotionis, *Capita inimicorum suorum.* i. altitudinẽ erigentem sese aduersus scientiam Dei. Et eodem modo confringet, *verticem capilli perambulantium in delictis suis.* i. superbiam, inquit August. tantùm se extollentem, & tanta elatione incedentem, quasi capilli verticem perambulando calcaret.

Epi. 59 q. 3

Dixit

Dixit Dominus ex Basan conuertã.i.eos qui in sęculo deliciis affluunt. 24.
Basan enim locus fertilis est & opimus, iuglandibus copiosus. *Conuertam in profundum maris*.i.eos qui sæculi profundo immersi sunt.

Vt intingatur pes tuus in sanguine. i.tãta instantia, ô Deus (inquit Psaltes in medio narrationis quam facit ex parte Dei, in hũc ex sua persona sermonem erumpens) his conuersionibus faciendis insistes, *vt pes tuus*. i. illi qui Euangelium ad istos conuertendos deferunt, *intingatur*.i.rubricentur vt pelles arietum rubricatæ, *in sanguine* proprio, quo ob Euangelium perfundentur. Quod enim dicit, *intingatur*; hoc non tam significat mortem Apostolorum aliorumque euangelij præconum, quàm quod ipsi in euangelij prædicatione ob vibices flagellorum aliaque tormentorum vestigia, quæ euangelij causa in illis conspiciebantnr, apparuerint auditoribus suis sanguine tincti. Inter quos non infimum locum obtinuit Pes ille, qui à Ierusalem ad Illyricum vsque Euangelium detulit, qui egregiè fuit sanguine tinctus, cùm portaret stigmata Domini Iesu in corpore suo. Tanta ergo instantia ex Basan & aliunde conuertes, *vt intingatur pes tuus in sanguine*. Nec tamen ob id progredi desistat, sed, teste Apostolo, passi & contumelijs affecti, fiduciam accipiant ad vlteriora & maiora progredi. Sed nec mirandum est plebem ex istis vitijs ad iustitiam conuerti: Ipsi enim Apostoli ex similibus vitijs non ad vulgarem iustitiam, sed Apostolicam perfectionem conuersi sunt. Ideo sequitur, *lingua canum tuorum*. i. Euangelij præconum. Qui canes dicuntur, quia verbo linguæ suæ vulnera hominum curant, & super custodia domus Dei vigilias exercẽt, & extraneis seu à domo Dei alienis moribus improbando oblatrant. Canum enim nomen nõ semper in malum sumi, probat Augustinus, ex eo quod cum Gedeon iussi sunt ire ad prælium qui aquas lingua lambuerant more canum. *Ex inimicis*, vt qui erant inimici tui, inquit ibidem Augustinus, fierent canes tui, & latrarẽt pro te qui prius sæuiebant in te. *Ab ipso*.i.non à semetipsis, sed misericordia & gratia eius, inquit Augustinus. Cui consentit Greg. Porro ad linguam canum quid pertineat, pulchrè exequitur Cypr. in hæc verba: Spiritus manat iugiter, exuberat affluenter, nostrum tantum sitiat pectus & pateat. Inde iam facultas datur castitate sobria, mẽte integra, voce pura, virtute sincera, in medelam dolentium vulnerum posse venenorum virus extinguere, animorum desipientium labes reddita sanitate purgare, infestis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, &c. Post hæc verò regreditur Psaltes ad enarranda Ecclesiæ iam Spiritu sancto donatæ primordia, & dicit:

10. moral. cap. 7. Cyp. epist. 2.

Viderunt ingressus tuos Deus: Ingressus inquam quibus primitiuam Ecclesiam auspicabaris. Videbant enim tum passim omnes Dominũ in Apo- 26.

stolis palam & vbique Euangelium prædicantem, Ecclesiam congregantem, videbant & nouos ipsius Ecclesiæ ritus, fidem & noui testamẽti conuersationem. Vbi bene notandum est, quod dicit Psaltes: Viderunt ingressus, vt intelligatur quod Ecclesia ab initio quo fundata est fuerit visibilis. *Ingressus Dei mei*. Dicit, *Dei mei*; per miracula enim quæ faciebant in nomine Domini, & illapsum Spiritus sancti ad eorum prædicationem, euadebat manifestum, quod Deus opus eorum operabatur. *Regis mei*, Dicit Regis mei, qui est Christus, nam & in eius nomine operabantur miracula, & congregabant Ecclesiam, *Qui est in sancto*, quia tempore quo hæc fiebant iam sedebat in cælo ad dexteram Patris, & gubernabat sedem suam Ecclesiam. Qui autem vel quales illi fuerunt qui Ecclesiam primi constituerunt?

27. *Præuenerunt*. i. ante omnes primi ad constituendam Ecclesiam conuenerunt *principes*. i. principatu præditi, Apostoli scilicet, *coniuncti psallentibus*. i. habentes sibi adiunctã plebem, de qua dicit Lucas, quod erant quotidie collaudantes Deum, *In medio iuuencularum*, id est, virginum. Vt enim Euangelica paupertas, ita & virginitas ab initio Ecclesiæ nascentis coli cepit, ita vt etiam virginum Ecclesia ab Apostolorum temporibus extitisse satis superque testatum reddatur ex epistola Ignatij ad Philipp. *Tympanistriarum* D. Augustinus existimat hoc vocabulo significari mortificationem carnis, vt sit sensus, virginum quæ corpora sua castigabant, & in seruitutem redigebant. Vel, *tympanistriarum*, vt sit allusio ad tympanum quod Maria soror Moysi virgo sumpsit, & adiunctis sibi mulieribus cecinit Canticum Moysi. Qua allusione significetur, & istas virgines diuinis laudibus celebrandis & canticis incubuisse. Et quia Apostoli toti Ecclesiæ præfuerunt, & Ecclesiæ illis decedentibus in terris relictæ ac multiplicatæ Apostolorum soboles sunt, ideo Psaltes ecclesias vsque ad finem sæculi in terris futuras exhortatur, & dicit:

28. *In ecclesiis*. i. ecclesiasticis cõuentibus, *benedicite Deo, Domino de fontibus Israhel*. i. Apostolis, ex quibus tãquam fontibus doctrina fidei & morum primò promanauit. Cuius doctrinæ quia omnes ecclesiæ participes factæ sunt, æquum etiam est, vt ecclesiæ Deo, cuius beneficio Apostoli tales fuerunt, gratias agant. Quod faciunt cùm festa celebrãt Apostolorum. Per fontes autem Israhel Apostolos significari, manifestum est ex duodecim fontibus aquarum qui erant in Elim. Et Isaiæ 12. Haurietis aquas de fontibus Saluatoris. i. Apostolis, inquit Cyrillus.

Cyril. in illũ locum.

29. *Ibi*. i. inter illos fontes *Beniamin*. i. Apostolus Paulus, qui est è tribu Beniamin, *adolescentulus*. Non est hoc vocabulum hic nomẽ ætatis. Baronius enim colligit Paulum 35 annorũ fuisse cum cõuerteretur, sed iuuenilis alacritatis atque roboris. In quem sensum etiam iuxta proprietatem Græci

Tom. 1. Annalium.

nomi-

nominis accipi debet nomen adolescentis cùm id tribuitur Paulo in Actis. Vel, *adolescentulus*, quia Apostolorum postremus, atque ob ea quæ prius in Ecclesiam admiserat facinora, animi humilitate minimus. *In mentis excessu.* Raptus enim fuit in tertium cælum, vbi audiuit arcana verba, quæ nõ licet homini loqui.

Principes Iuda, duces eorum, principes Zabulon, & principes Nephtali. 30.
Apostoli enim reliqui, qui doctrina, exemplo & magisterio Ecclesiarum duces fuerunt, fuerũt de prædictis tribubus Israhel, vt notat Hilarius. Cuius expositio inde probari videtur, quod Christus cum discipulos collecturus esset: Habitauit, inquit Matthæus, in finibus Zabulon & Nephtalim. Deinde si per Beniamin omnium iudicio insinuatur Paulus, quia erat de tribu Beniamin, quomodo non eadem ratione per Iudam Zabulon & Nephtalim Psaltes putabitur indicare voluisse Apostolos fuisse de istis tribubus? Erant autem omnes perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus. Quæ orationes erant tales:

Manda Deus virtuti tuæ. i. Christo tuo qui virtus tua est tuaque sapientia. 31.
Manda autem ei vt emittat à te Spiritum S. suum ad propagandam atque dilatandam Ecclesiam. Quæ oratio etiam accommodari potest illis, qui perseuerabant in cœnaculo ante aduentum Spiritus S. Videntur enim & illi huiusmodi oratione vsi fuisse. Ex eo autem quod hic dicitur: *Manda virtuti tuæ*, nemo suspicetur Deum Patrem Filio & Spirituisancto, tanquam ministris mandare seu imperare. Non enim, inquit Ambros. arrogans dicentis seu mandantis imperium, aut vile æstimes facientis obsequiũ. (Prol. in li. 2. de Spirit. S.) Æqualem enim sibi Pater Filium & Spiritumsanctum fatetur operis vnitate cum dicit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Proinde mandatum hoc, inquit Basil. iuxta sensum Deo dignum intelligamus, illudque nihil aliud esse quam voluntatis traditionem à Patre in Filium & Spiritum sanctum sine tempore dimanantem, vt Pater dicatur Filio & Spiritui sancto mandare, quia suam voluntatem Filio per generationem, & Spiritui sancto per spirationem communicat. (Basil. ca. 8. de Spiri. S.) Nec absque ratione huiusmodi diuinæ voluntatis traditio ac dimanatio mandatum vel imperium vocatur, vt enim imperiũ, sibi obnoxios stringit authoritate ac lege, ita volũtatis hæc paternæ communicatio ad ea quæ vult Deus Pater, stringit Filium & Spiritum sanctum, naturali voluntatis identitate. Quapropter rectè Cyrillus docet: Filium à Patre mandatum accepisse, quia necessariò, inquit, Patris sui voluntatem exequitur, idque propter voluntatis identitatem à Patre acceptam. (9 in Ioan. cap. 1.) Prædictæ autem orationis altera pars est hæc. *Confirma*. i. stabile fac, *hoc Deus quod operatus es in nobis*; vt nos qui iam ad Ecclesiam salubriter peruenimus, in doctrina Apostolorum & consolatione

latione Spiritus S. & reliquis quæ nobis per eundem Spiritum dedisti, corroborati perseueremus. Quod operatus es, inquam, in nobis.

32. *A templo tuo in Ierusalem*; In Ecclesiam enim in Ierusalem congregatam primò Spiritus S. gratia effusa est, & per verbum Domini quod inde exiuit, est per vniuersum orbem terrarum diffusa. Quis verò huius diuini mandati erit effectus? *Tibi offerent reges munera.* i. principes sæculi tandem ad fidem conuersi semetipsos & potestatem suam tibi in obsequium fidei & religionis dedicabunt. Ad hæc,

33. *Increpa.* i. per verbi ministros cum obiurgatione corripe *feras.* i. beluinos mores & ferinos affectus *arundinis.* i. populi instabilis, qui nulla validioris naturæ radice fundatur, inquit Ambr. Et si lenis aspirauerit prosperioris auræ successus, vago motu proximos verberant, inopes ad suffragandum, faciles ad nocendum. Qui etiam, vt arundines amant fluuios, ita istos labentia mundi ac caduca delectant. Quis autem huius increpationis per cooperationem Spiritussancti fuerit fructus, declarat Ambr. alibi cum dicit: Eramus inquit feræ, sed Christus per Spiritum sanctum leonum sæuitiam, pardorum varietatem, astutiam vulpinam, luporum rapacitatem de nostris affectibus eiecit. Præter has verò feras futura est *congregatio taurorum.* i. hæreticorum qui tauris per duras suas ceruices assimilantur. Quæ congregatio erit *in vaccis populorum.* i. habebit sibi adhærentem populum, ob sensus exilitatem & carnalitatem vaccis comparatum, præsertim quia hic populus se tauris suis stolidè præbebit mulgendum. Docent enim hæretici quæ non oportet turpis lucri gratia, & deuorāt domos viduarum simulantes longam orationem. Quo autem fructu id permittit Deus? *vt excludant.* i. occasione data perfectos sensus exprimere faciant. Nam in argentaria arte, inquit Augustinus, exclusores vocantur, qui de confusione massæ nouerunt formam vasis exprimere. *Eos qui probati sunt argento.* i. eos qui scripturarum sacrarū argenti nomine passim significatarum probatum sensum, sanamque intelligentiam longa consuetudine sibi pepererunt. Hi enim exurgente hæresi è scripturis sacris ante hæresim non tam exacte excussis, vrgentibus hæreticis aptissimos ac solidissimos sensus enucleant. Ita vt verè dixerit Augustinus, Gentiles persequendo exercuisse Ecclesiæ patientiam, hæreticos verò disputando exercuisse & exclusisse Ecclesiæ sapientiam.

7. in Lucā. — 2. de Spir. S. cap. 11. — 18. de Ciu. cap. 51.

34. *Dissipa gentes.* i. gentilium infideles, *quæ bella volunt.* i. in voluntate expugnandæ Ecclesiæ persistunt. Dissipa, inquam, vt non possint vires ad expugnandam Ecclesiam coniungere. Hoc impletum est in Ecclesiæ progressu; tum enim regibus cum maxima populi parte ad fidem conuersis, infidelium residui oppugnabāt quidem Ecclesiam odio & inuidia, vt docet

Augustinus, sed quia vires in vnum conferre nō poterant, parum oberant; *Venient legati ex Ægypto*, excitati fama Euangelij, Idque vt prædicatores in suam regionem inuitent. *Æthiopia præueniet manus eius Deo.* Hoc D. Hilarius cum alijs impletum esse dicit in Æthiope illo Eunucho reginæ Candacis thesaurario, in quo in Iudæam causa adorationis profecto, tota Æthiopia manus Apostolorū præuenit, quia Æthiopia per eum fidei quædam præambula aut rudimenta accepit, priusquam Matthæus Apostolus in eam descenderet.

Expo incho ata in epis. ad Rom.

Regna terræ, quæ præuideo omnia suo tempore ad fidem Christi conuertenda, cum hoc reipsa contigerit. *Cantate Deo, Psallite Domino.* 35.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli. i. super omnes cælos, vt inquit Apostolus. Idque quia post Ascensionem Domini hæc fœlicitas vobis obuenit. *Ad Orientem.* i. è monte Oliueti, qui ad Orientem Hierosolymæ situs est, de quo Zacharias: Stabunt pedes eius, sic vt permaneant vestigia pedum eius, super montem Oliueti, qui est contra Hierusalem ad Orientem. Hunc autem montem Dominus Ascensioni suæ mysterij gratia elegit: congruum enim erat, vt qui ad ortum perennis suæ gloriæ ascendebat, & ab hoc tempore ijs qui in tenebris & vmbra mortis sedebant, vt sol iustitiæ oriturus erat, ex monte qui erat ad Orientem ascenderet. Porrò sicut Domino à conspectu eorum, qui eum euntem in cælum oculis prosequebantur ablato, duo viri astiterunt iuxta illos, absentemq; ad iudicium rediturum prænunciauerunt; ita nunc Psaltes Ascensione Domini ex monte Oliueti commemorata, subiungit narrationem eorum quę in reditu Domini ad iudicium futura sunt, & dicit: 36.

Zachar. 14.

Ecce dabit voci suæ; de qua scriptum est, Ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo. Quæ vox erit: Surgite mortui, & venite ad iudicium. Huic inquam voci, *dabit vocem virtutis*; quia ad eam maxima Dei virtute mortui resurgent incorrupti. D. tamen Bern. per *vocem* intelligit prædicationem aut quemuis sermonem, qui fit ad ædificationem. Huic voci dat Deus vocem virtutis, si vita dicentis sermoni eius consentiat, Dabis inquit, voci tuæ vocē virtutis, si quod suades prius illud tibi cognosceris persuasisse: validior enim operis quam oris vox. Qui interim epistola 201. hæc addit. Tametsi vocis virtute opus sit, operi tamen & voci gratiam efficaciamque promeretur oratio. Manent itaque tria hæc, Verbum, Exemplum, Oratio, maior autem his Oratio. Hæc Bernardus. *Date gloriam Deo super Israhel*; Dei, scilicet, ad cuius consortium pertinent omnes Sancti. Monet autem Psaltes super his dari gloriam Deo, veniet enim eo die Dominus glorificari in sanctis suis, inquit Apostolus. *Magnificentia eius & virtus eius in nubibus.* i. in illis Sanctis 37.

Serm. 59. in Cant.

2. Thess. 1.

qui vna cum eo iudicantes ſedebunt in nubibus. In his inquam apparebit magnificentia eius, tum quia magnificentiæ eſt fideles ſeruos ad tantæ authoritatis conſortium euehere. Tum quia conſeſſus ille tot iudicum & adſtipulatorum (qui cauſa inſinuandæ authoritatis quam præ ſe ferent, ab Iſaia c. 3. & 24. ſenes dicuntur) iudici ſummo in oculis iudicandorum, non parum magnificentiæ & ſplendoris conciliabit. Apparebit in his & virtus Domini, quia ſicut Sancti iudicabunt nationes, ita & dominabuntur populis, inquit Sapiens.

38. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis.* Veniet enim eo die Dominus ſicut glorificari, ita & admirabilis fieri, inquit ibidem Apoſtolus, in omnibus qui crediderunt, *Deus Iſrahel ipſe dabit virtutem & fortitudinē plebi ſuæ*, quia non ſolum qui erunt in ordine iudicum, ſed omnes omnino etiam inferioris ordinis Sancti ablato omni corporum & animorum languore, per omnia fortes erunt & præditi virtute: tum enim implebitur quod dixit Iſaias: Infirmus dicat quia fortis ego ſum. Et c. 33. Tunc diuidentur ſpolia multorum, claudi diripient rapinam, nec dicet vicinus elangui, populus qui habitabit in eo, auferetur ab eo iniquitas. Propter quæ omnia, *Benedictus Deus.*

PSALMVS LXVIII.

In finem pro ijs qui commutabuntur Dauid.

Orat. cont. Iud. cap. 5. PEr hos D. Auguſtinus intelligit legalia, quæ per Chriſti paſsionem, quæ hic latè enarratur, in ritum nouum, vt etiam in fine huius Pſalmi exponitur, commutanda erant. Poſſunt nihilominus intelligi illi, qui per Chriſti paſsionem quouis modo in melius ſunt mutādi. In eorum enim vtilitatem tanquam in finem hic Pſalmus deſcribitur. Eſſe autem hic enarrationē Dominicæ paſsionis, manifeſtum euadit ex eo quod complures verſus huius Pſalmi ab Euangeliſtis demonſtrantur Dominicæ paſsioni competere. Incipit autē Pſaltes loqui in perſona Chriſti, & dicit:

1. *Saluum me fac Deus.* i. à morte corporis per reſurrectionem libera me. In his enim verbis eſt formula orationis, quam teſte Apoſtolo cum lachrymis orauit Chriſtus ad Deum qui illum ſaluū faceret à morte. Quamquam dubitandum non ſit, quin Chriſtus hoc etiam in noſtram ſalutem orauerit, vt dum ipſe petit à morte ſaluus fieri, ſimul petere intelligatur nobis omnibus author ſalutis conſtitui. Ipſe enim, vt inquit Apoſtolus, conſummatus. i. per reſurrectionem morte perfunctus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. *Quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* i. vis perſecutionis penetrat vſque ad diſſolutionem animæ meæ à corpore.

Infixus sum in limo profundi.i.detineor fixus in manibus eorum, qui inquit Hieron. in extremis peccatorum fœcibus habitant,& in scelerum suorum sunt ima demersi. Vel,in manibus eorum qui mente mala præditi sunt: vnde oriuntur pessimæ, inquit Epiphan. cogitationes. *Et non est substantia*.i.non est inuenire fundum huius abyssi. Corda enim impiorum comparantur abyssis,eò quod non sit in eis inuenire finem malitiæ, Quod satis apparet in Iudæis, qui nullo Christi supplicio satiari potuerunt. 2. Hier. in ca. 1. Sophon. Epiph. hær. 36.

Veni in altitudinem maris.i. populum profundi & turbidi cordis. *Et tempestas*.i.furor populi flatu diaboli concitatus, *demersit*.i.occidit me. 3.

Laboraui clamans,cum dixi: Deus Deus meus,vt quid dereliquisti me. &, Sitio; Item, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. *Raucæ factæ sunt fauces meæ*, præ sitis ariditate. Quæ ariditas causa fuit, quod in clamando laborauerim. *Defecerunt*.i. vim videndi amiserunt. *Oculi mei dum spero*.i.dum secundum hominem sperare perseuero *in Deum meū*; meum; inquam, quia in Filio mihi hypostaticè coniunctum. Si ergo Christus vsque dum deficerent oculi eius, in Deo sperauit; defecerunt autem ei oculi in morte; quo ergo tempore Christus desperauit? Dixit quidem, vt quid dereliquisti me, & similia; Sed bene dixit Cyrillus, Orationes illas Christi non desperationis, sed dispensationis fuisse & exempli. Hic itaque locus notandus est,contra Caluinum Christo desperationem infelicis animæ suæ desperatione tribuentem. 4. In cap. 49. Isaiæ.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei,qui oderunt me gratis.i.absque omni omnino meo peccato vel delicto. 5.

Confortati sunt, quia clamoribus inualuerunt & Pilatum renitentem in suam sententiam pertraxerūt, *Qui persecuti sunt me inimici mei iniustè*: quia sine meo demerito. *Quæ non rapui*.i.Peccata quæ non admisi,Peccata enim rapinæ nomine designātur,quia in omni peccato rapit homo quod sibi non competit, *Tunc exsoluebam*; Non dicit,luebam; sed exsoluebam; vt significet se non reorum more pœnas pro peccatis dedisse, sed patiendo pœnas debitas redemisse.Ex quo euidenter colligitur Christum non sustinuisse pœnas inferni. Tametsi enim debitum peccati exoluere dicantur, qui pœnas inferni in specie luunt, Christus tamen vt ex scripturis notū est, alio satisfactionis genere, Redimendo videlicet pro nobis exoluit. Hoc autem satisfactionis genus,non in ipsissimi quod peccato debetur supplicij perpessione, sed in æquiualentis pretij pensitatione consistit; quia necesse est, vt in omni redemptione interueniat commutatio. Nec est quod dicāt Christum per pœnas inferni à se toleratas easdem nobis redemisse, quia pœnæ inferni non possunt vllam pretij habere rationem, Habent enim rationem vltimi finis; Finis,inquit,illorum mors,pretium verò habet ratio- 6.

nem medij ad finem vel acquirendum cum bonus, vel auertẽdum cum malus est, ergo pœnæ inferni eius rationis sunt, vt non posſint ſeruire redemptioni. Quandoquidem ergo Christus quæ non rapuit exſoluit, iure prohibetur à D. Cyrillo, ne quis dicat Christum pro ſe. i. ſuis, inquit, peccatis obtuliſſe. *Anath. 10.*

7. *Deus tu ſcis.* i. ſapienter intelligis, *inſipientiam meam*; quæ mihi à gentilibus quibus verbum crucis ſtultitia eſt, impingitur. Intelligis, inquam, quàm illa verè inſipientia non ſit, ſed ſtultum illud Dei ſapientius ſit hominibus. *Et delicta mea.* i. populi mei, *à te non ſunt abſcondita*; Noſti enim illa tanta fuiſſe, vt non conueniret illa dimitti abſque ſatisfactione, nec potuiſſe hanc ſatisfactionem plenè & conuenienter præſtari, niſi tam multiplici paſsione Filij tui: Proinde non inſipienter, ſed penè neceſsitatis cauſſa me ad hanc prima facie inſipientiam demiſi. Quod autem Christus peccata generis humani ſua vocat, id nec abſurdum eſt nec inſolitum. Eadem enim ratione 2 Reg. 7. dicitur ſub nomine Salomonis de Christo: Qui ſi iniquè aliquid egerit: non quod Christi ipſius qui eſt caput Eccleſię, inquit Auguſtinus, poſsint inueniri vlla peccata; ſed quia inueniuntur peccata in corpore ac membris eius, quæ ſunt populus eius, vt intelligamus, inquit, de ipſo quodammodo dici, quod de corpore eius dicitur. Hæc Aug. *17. de Ciu. cap. 9.* Cùm verò dicta inſipientia Christi tametſi Deo probata, hominibus tamẽ ſtultitia ſit; & cum homines magis ſectentur gloriam quæ eſt ab hominibus, quam quæ à Deo, difficile certè futurum erat hominibus de hac Christi ſtultitia apud carnales non erubeſcere. Contra quam difficultatem Christus nos ſua oratione corroborans pro nobis precatur in hæc verba:

8. *Non erubeſcant in me.* i. da eis vt non erubeſcant in me credere, & me confiteri; *Qui expectant te.* i. tuæ gloriæ participationem. *Domine virtutum.* i. angelorum. Fruſtra enim cum hac erubeſcentia te expectarent. Qui enim erubuerit me & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet coram angelis Dei. Arbitror proinde hic dici, *Domine virtutum.* i. angelorum, ad inſinuandum hic fieri alluſionem ad verba Euangelij mox citata. Eandem autem omnino rem ad commendandam orationis inſtantiam Christus petit verſu ſequenti.

9. *Non confundantur ſuper me, qui quærunt te Deus Iſrael*: Cuius orationis effectum latro excellentiſsimè conſecutus eſt, qui infirmitatem ac ignobilitatem Christi, non dico tranſactam, ſed præſentem non erubuit. Ratio autem ob quam non ſit erubeſcenda ignominia Christi, eſt,

10. *Quoniam propter te.* i. quia ea quæ tibi placita erant, faciebam ſemper & implebam. *Suſtinui opprobrium*, paſsionis, crucis & mortis. Et ob id ſuſtinentia horũ, obedientiæ erat, honoris ac glorię, & proinde nulli erubeſcenda; Om-

da; Omne enim malum natura timore aut pudore perfudit, inquit Tertull. *Apolog. c. 1*
Operuit confusio. i. dehonestatio, quę confusio videri poterat, & confusionem solet adducere. *Faciem meam.* Idque per alapas, sputa & lancinata, inquit Tertull. Christi tempora per spineam coronam: De qua dehonestatione Isaias: Non est species ei neque decor, &c. Sed inter hæc Christus *Isaiæ 53.*
propter suæ conscientiæ certissimum testimonium erat absque confusione. Posuerat namque faciem suam, vt est apud Isaiam, petram durissimam, certus quod non confunderetur. Quare loco eius quod nos legimus, *confusio*, legit Augustinus: *irreuerentia.* i. vt interpretatur, impudentia, operuit faciem meam. Erat enim laudatissima impudētia Christi, in re tali nulla verecundia permoueri. Ad quam irreuerentiam seu impudentiam exemplo Christi exercere etiā nos volens Dominus, instituit vt per stultitiam prædicationis salui fierent credentes. Hoc ipso enim voluit, inquit Tertull. vt *De carne*
per contemptum pudoris humani probaretur homo bene impudens & feli- *Christi, c. 5.*
citer stultus. Sed interposita precatione redit Christus ad prosequendam passionis suæ ceptam enarrationem, & dicit:

Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ: 11.
Dixerunt enim Christum in patriæ religionis communione cum ipsis à natiuitate enutritū, esse Samaritanum. i. alienigenæ religionis. Dixerunt & de eodem, Hunc nescimus vnde sit. Quod Christi improperium præfiguratū fuit in Iephte, cui dixerunt fratres sui, Hæres in domo Patris nostri esse non poteris, quia de alia matre es. Causa autem huius est,

Quoniam zelus domus tuæ comedit me. i. quasi in se transmutauit me to- 12.
tum, ita vt ob zeli ardorē Christus videretur in zelum transiisse, & infidelibus videretur furere ac insanire. Hic autē zelus vbique fecit Christū vindicem veræ virtutis & sinceræ religionis, atque inueteratarum consuetudinum, inter quas erat venditio mercium in templo, exterminatorem. Cùm ergo esset alienus à corruptelis, quę in religionem & mores eorum irrepserant, ipsi per calumniam eum religione extraneum & peregrinum dixerūt. *Et opprobria exprobrantium tibi.* i. tuis mandatis & verbis. Qua de re & Hieremias conqueritur: Verbum Dei factum est eis in opprobrium. Cuius *Ierem. c. 6. & 20.*
opprobrij exemplum habemus Isaiæ 28. Manda, remanda: Expecta, reexpecta, &c. Cui Ambros. addit quod dixerunt Christo: Medice cura te- *In psal. 43.*
ipsum: *Ceciderunt super me*, redundabat enim odium verborū Dei in verbi illius administrum & vindicem.

Et operui in ieiunio animam meam, cùm ieiunauit 40 diebus & 40 nocti- 13.
bus. Conuenienter autem se dicit in ieiunio operuisse animam suam, quia ieiunium animæ nuditatem vestit, cùm contrà gula nudos fecerit, inquit Ambros. Potest tamen id & hunc sensum habere, Quia Christus ad famem *de Elia c. 4*

vſque ieiunando, operuit & occultauit quod anima eius in Dei verbo ſubſiſteret. Animaduerſa enim fame eius cepit diabolus audaciam tentandi Chriſtum. Ideo & ſequitur: *Et factum eſt in opprobrium mihi*, quia diabolus Chriſto ex ieiunio eſurienti contumeliam intulit, cùm diceret: Omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me. Sic Hilarius.

14. *Et poſui veſtimentum meum cilicium*; Veſtis enim Chriſti ignobilis erat & rudis, de qua videtur hic Pſalmi locus teſtari, quod pellē eius in modum cilicij ſulcauerit & perfricuerit. *Et factus ſum illis in parabolam*. i. fabulam omnium ore vulgatam. D. Auguſtinus tamen, ieiunium hoc Chriſti myſticè intelligit. Diu enim deſiderauit Chriſtus Iudæorum fidem & conuerſionem velut famelicus cibum; Ipſe interim pro hac auiditate nihil niſi opprobrium ab ipſis reportauit. Poſuit quoque veſtimentū ſuum cilicium, quia carnem mortalem induit, per quam patiendo pro peccatis noſtris, velut quodam cilicio ſatisfecit. Nihilominus conuenientiſsimè hic verſiculus intelligitur à Chriſto dici in perſona membrorum eius, qui cum ex profeſſo vel libero propoſito ieiuniis vacant, hypocritæ vocantur. Cùm aſperiore & viliore cultu induuntur habentur ludibrio.

15. *Aduerſum me loquebantur*. i. quaſi ſapienter & ex recta ratione ſermones contra me in commune conferebant atq; conſultabant, *qui ſedebant in porta*. i. ſenatores ac iudices. *Et in me pſallebant*. i. cantilenas decantabant, *qui*
Thren. 3. *bibebant vinum*. i. poculis vacabāt ad luxum, Sicut ſcriptum eſt: Factus ſum in deriſum omni populo meo, canticum eorum tota die. Et apud Iob: Nūc autem in canticum eorum verſus ſum. Inter hæc vero quid Chriſtus?

16. *Ego verò orationem meam ad te Domine*. q.d. Ego interim orabam expectans & præ oculis habens *tempus beneplaciti Deus*. quod adueniet tranſacto prius tempore paſsionis, In illo enim tempore exaudies me, atq; in eorum quorum cauſſa patior ſalutem, hæc omnia illo tempore conuertes. Quid verò orauit Chriſtus?

17. *In multitudine miſericordiæ tuæ*. Erat enim res quam petebat nobis futura multiplicis miſericordiæ. *Exaudi me* pro membris meis orantem, *in veritate ſalutis tuæ*. i. vt intuitu eius quod temporariæ meæ ſalutis iacturam facio, tu viciſsim in eis veram quæ æterna eſt, ſalutem opereris, & veram de tribulatione ſalutem eos facias reportare, Vana enim ſalus hominis vt diximus.

18. *Eripe me de luto, vt non infigar*; Quid? Ante dixit ſe infixum eſſe in limo; quomodo nunc orat ne infigatur, niſi quia hic ſicut & ſequentibus aliquot verſibus pro membris ſuis orat, his verbis petens vt detur eis ne
33 mor. c. 9 ſordidis deſiderijs concupiſcentiæ carnalis fixi inhæreant. Iuxta Gregor. *Libera me ab his qui oderūt me*; Ne eorū odijs & quæ inde conſequūtur ego pecca-

peccatis implicer. *Et de profundis aquarum*, Ne illi qui profundo sunt corde ad peccata occultissima, quæ pertinent ad altitudinē Sathanæ me seducant.

Non me demergat. i. peccatum mortale cōmittere faciat, *tempestas aquæ*, 19.
i. seditio, conspiratio, clamor, vel concitata furentis populi persecutio. Si verò aliqui initio tumultuum conturbati per peccatum demersi sint, *non absorbeat me profundum*. i. non perseuerent in lapsu, & non deueniant in consuetudinem peccatorum, & per eam in peccatorum profundum, vt tandem peccata contemnant, inquit Greg. Quod vt fiat, *neque vrgeat super* Grego. 26.
me puteus os suum. i. profunditas peccati, non sic lapsos constringat, vt non mora. c. 30
aperiant os suum ad confessionem lapsus sui, per quam possint denuo iustificari, inquit Augustinus, Qui tamen alibi hæc sic interpretatur: *Non* Lib. 50. ho.
me absorbeat profundum, neque vrgeat super me puteus infernalis, videlicet homil. 16.
os suum: quia cum sine pœnitētiæ remedio infelices peccatores inferni puteus exceperit, claudetur sursum aperietur deorsum, & dilatabitur in profundum, nullum spiramen, nullus liber anhelitus claustris desuper agētibus relinquetur, Hæc ille. Porrò admodum conuenienter is qui in principio Psalmi dixit se infixum limo profundi, & à tempestate demersum, pro nobis orat ne infigamur, neque absorbeamur; per hæc enim significat, quod perpessione suppliciorum quæ habebant similitudinem cum supplicijs nos ad condemnationē manentibus, nos liberauerit. Quæ liberandi ratio præfigurata fuit in Iona dicente: Mittite me in mare, & cessabit mare à vobis. Demersus est enim Christus à tempestate Iudaici tumultus temporaliter, ne nos à tempestate diuinæ iræ in perpetuam damnationem mergeremur. In psal. 37
Et sic de reliquis, quæ latius exequitur Ambr. ad vers. To ta die cōtr.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua, Hilariter occurrens omnibus inuocantibus eum, *secundum multitudinem miserationum* 20.
tuarum respice in me.

Et ne auertas faciem tuam à puero tuo. i. à precibus meis & me, obedientiam pueri tibi exhibente simul & innocentiam atque humilitatem. Ob 21.
hoc enim Christus se Dei puerum dicit, ob quod teste Ambr. Abraham & l. de Abra.
Dauid, pueri Dei dicti sunt. *Quoniam tribulor* in spiritu meo super peccatis hominum, vel, quoniam pro salute eorum quorum causam ago, ego tribulationem secundum infirmitatem humanæ naturæ volens patior. *Velociter exaudi me*, vt acceleres auxilium tuæ protectionis quod hominum peccata præpediunt. cap. 6.

Intende animæ meæ. i. cum diligenti cura & attenta sollicitudine omni ex 22.
parte animæ fratrum meorum inuigila, *& libera eam*. *Propter inimicos meos eripe me*. Implorat hic Christus aliud liberationis genus, vt videlicet serui eius subinde mirabiliter à corporalibus plagis liberentur. Idque, vt

eo vi-

eo visibili miraculo conuertantur persequutores ad fidem. Talia enim miracula magis in gratiam inimicorum, quam martyrum facta esse hinc apparet, quod martyres multis subinde supplicijs erep tos, tandem adhuc necari oportuit. Ideo bene Augustinus talia miracula circa martyres & nominatim tres pueros in camino facta esse dicit, vt discerent reges infideles colere Deum verum. Absoluta autem prędicta oratione redit denuo Christus ad prosequendam enarrationem suæ passionis. In qua iuxta Ambr. dicit Christus ad Deum Patrem:

Epist. 112.

Serm. 5 in Psal. 118.

23. *Tu scis opprobrium meum & confusionem meam*, qua persusus videbar in oculis Iudæorum, vt diximus, & testatur Ambr. *& reuerentiam* seu verecundiam *meam*. Verecundatur enim castus & innocens animus aliorum iniquitates erubescendas coram cernere.

In Psal. 43

24. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me*, Tu enim qui particularia cognoscis per sapiētiam, nouisti cui studio sint dediti & mihi quam infesti. *Improperium expectauit cor meum, & miseriam*. Quod exspectatur, prænoscitur & velut optatur. Voluit itaque Psaltes hoc verbo innuere, quod Christus præsciuerit omnia quæ ventura erāt super se: Et vt notat Hilarius, anhelauerit ad passionem.

25. *Et sustinui qui simul contristaretur*, per pœnitētiam super suo peccato, *& non fuit* aliquis ex illis qui me affligebant. Nemo enim ex illis conspecta Christi mansuetudine, imò audito eius benigno sermone vt Iudas, vel recepto ab eo, vt Malchus, beneficio, ad pœnitentiam conuersus est, quod Christo (secundū hominem) solatio fuisset. Ex quo loco colligimus Christum non solum secundum inferiorem sensum, sed etiam appetitum rationalem contristatum fuisse pia compunctione pro alienis peccatis. Id tamen sine detrimento gaudij beatifici in eadem mente, quia & nos possumus de peccato dolere & simul gaudere quod doleamus. *Et* quæsiui *qui consolaretur* me per suam conuersionem *& non inueni*.

26. *Et dederunt in escam meam fel*. Non est sensus, dederunt vt fel mihi esset esca, felle enim non escam Domini, sed potum amaricauerunt. In escam ergo dederunt fel, quia post dulcem cibum, quem Dominus in cœna cum Apostolis non longo antè tempore sumpserat, potū felle mixtum ei superinfudêre. Per quos significantur illi, inquit Augustinus, qui sumpto cum reliquis sacramento corporis Domini, scandala in Ecclesia faciunt & inimicitias exercent ac schismata, & communionem dulcis cibi velut superiniecto felle in amaritudinem vertunt. *Et in siti mea potauerunt me aceto*. Id notius est quam vt egeat expositione. Quæ autem supplicia pro hac impietate reportabit Iudæa? Id non optando, iuxta Augustinum, sed prædicendo subiungitur:

Fiat

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. q. d. Pro epulo aceti & fellis 27.
mihi exhibito, epulum mensæ eorum ipsis vertetur in laqueum. Per mensam autem D. Hilarius aut sacrificia eorum intelligit, quæ mortuo Christo facta sunt eis funesta, aut scripturam sacram, quam cum cõtra Christum intelligere voluerunt, sibi conuerterunt in laqueum, per quem in infidelitate arctissimè constricti sunt. Et notandum quod additur, *coram ipsis*, Eo enim verbo secundum Augustinum significatur, quod quidam ex ipsis probè nouerint se scripturas falsa interpretatione peruertere, & tamen eo nõ obstante in proposito permanserint, & scientes atque prudentes confecerint sibimetipsis laqueum æternæ mortis. Vt autem nouerimus hanc iniquitatem eis à Deo iustè permitti, subditur: *Et in retributiones.* Retribuẽdo enim eis quod merentur, deserit eos Deus, deserti autem tanta mala propria voluntate committunt. *Et in scandalum*, vt per scripturam in errore obfirmẽtur, & grauius corruant. Quo autem modo in hæc mala deuenient? Te non illuminante,

Obscurentur oculi eorum, sic enim fiet, *ne*, siue, vt non *videant*, & eos 28.
non erigẽdo, *dorsum eorum semper incurua.* Inde enim consequetur vt propria propensione in terrena declinent & impleatur, quod de eis dicit Apostolus: Quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt. Hæc ergo de pœna siue vindicta Iudæorum inuisibili. De visibili vero sequitur in hunc modum:

Effunde super eos iram tuam, vt vindictam quam merentur nulla misera- 29.
tione cohibitus, vlla in parte cõtineas. *Et furor iræ tuæ comprehendat eos.* vt quasi conclusi nulla parte illam effugiant.

Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inha- 30.
bitet. Quod impletum est cùm vastata Hierosolyma Israhel captiuus migrauit de terra sua, & terra versa est in solitudinem. Sed sequitur & alia retributio bene quadrans in iniquitates admissas.

Quoniam quem tu percußisti persecuti sunt: & super dolorem vulnerum 31.
meorum addiderunt;

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Prior enim versus ex his, 32.
non præcedenti, sed sequenti cohæret, vt notat Hilarius. q. d. Quoniam ipsi peccando apposuerunt mihi plagã plagæ, tu vindicando desere, ex quo cõsequetur, vt ipsi apponãt iniquitatem iniquitati. Porro Deum Patrem percussisse Filium suum etiam Isaias testatur; Propter scelus populi mei percussi eum. Et Zacharias: Percutiam pastorem. Quod D. Augustinus arbitratur factum esse cùm fecit Christum carnem mortalem ex matre sumere. Ipsa enim mortalitas carnis, humanæ naturæ quædam generalis est plaga seu percussura. Huic ergo quem Deus percutiendo fecit mortalem, ipsi mortem violenter intulerunt, plagamque mortalitatis à Deo inflictam

crudeli morte cumulauerunt. Vel, *Quem tu percußisti* bona voluntate in manus eorum tradendo, *persecuti sunt.* i. grauius affligere instituerunt: quod, vt clarius explicetur, additur: *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Cùm enim de consilio Pilati flagellatum & coronatũ ostentui haberent Dominum, vt conspectis tantis plagis innocentissimi viri & bene meriti mitescerent, & ab inferenda morte desisterent, ipsi nulla miseratione tacti super dolorem priorum vulnerum dolorem crucis & mortis ei superaddiderũt. Pro hac ergo eorum plagositate tu *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum*, Deserente enim te, cõsequetur, vt, quod dicit Apostolus, Impleant peccata sua semper, & studeant internecioni Christo illatæ, & hoc adijcere, vt prædicationem Euangelij in gentibus impediant, & fidem Christi, quantum in ipsis est, extinguant. *Et non intrent in iustitiam tuam.* i. introitum ad iustitiam, quod est fidei initium, non accipiant.

33. *Deleantur de libro viuentium*, siue libro vitæ. i. beatæ prædestinationis. de quo cùm nemo re vera deleatur, illi tamen aptè dicuntur deleri, quibus sua reuelatur reprobatio. Tum enim delentur. i. deleti declarãtur de libro vitæ. Quæ pœna competit genti Iudæorum ad tempus, sicut scriptum est: Argẽtum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit eos. Tametsi enim multi ex eis fiant salui, scitur tamen quod gens ipsa manebit reproba vsque ad tempus diuini iudicij. Interim melius est, vt cum D. Gregor. per *librum viuentium* intelligamus Album iustorum, quia expositio illa textui magis est consentanea, quæ dicit: *Deleantur de libro viuentium*, non vitæ, de quo Iudæi dicuntur delendi, quia si qui ex eis prius iusti fuerint, per has in Christum iniquitates sunt iustitiam amissuri. *Et cum iustis non scribantur.* i. in iustorum album non referantur, siue non referentur: per quod simul prædicitur quod ad amissam tantis sceleribus iustitiam non sint redituri.

Grego. 24. moral. c. 9.

34. *Ego sum pauper*, Christus enim propter nos inops factus est, vt illius inopiâ nos diuites essemus. *& dolens*, quia pro nobis dolet. *Salus tua Deus suscepit me*, cùm me à mortuis suscitatum ad dexteram tuam collocasti. Post quod tempus,

35. *Laudabo nomen Dei cum cantico.* Facit enim id Christus per spiritum suum in Ecclesia: *Et magnificabo illum in laude* enarrando magnalia eius. Sicut scriptum est: Loquebantur Apostoli magnalia Dei.

36. *Et placebit Deo*: Hoc scilicet sacrificium laudis quod celebrat Ecclesia, *super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas.* i. super omnia pacifica quæ in lege offerebantur. Hic ergo significatur mutatio legalium in sacrificium laudis, quod de sacrificio nostro eucharistico intelligendum esse, in Psal. 49. diximus.

37. *Videant pauperes*, id est, gentiles, *& lætentur*, cùm contra Iudæa audita

Christi

Christi laude inuido dolore crucietur. *Quærite Deum*, vt in eius cognitione crescatis. *Et viuet anima vestra.* Non enim dixit Deus, Frustra quærite me, inquit Isaias. Ob quod & sequitur,

Quoniam exaudiuit pauperes Dominus, non deserens quærentes se. *Et vinctos suos*. i. vinculis mortalitatis & multarum necessitatũ astrictos, *non despexit*. Clamauerunt enim ad Dominum, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Sed nunquid Iudæi sic offenderunt vt caderent? Absit. Illorũ enim delicto salus est gentibus, vt illos æmulentur & æmulatione ipsorum gratiæ spiritum accipiant. Pro qua gratia quam reliquiæ Iudæorum in fine mundi accepturæ sunt, ad gratiarum actionem prouocat Christus omnia, & dicit: 38.

Laudent illum cœli & terra, mare, & omnia reptilia in eis. Vbi horum elementorum nomine omnium creaturarum liberandarum sensum, mentemque significat, inquit Hilarius. Verba tamen hæc videntur prouocantis quandam extasim significare, qua, quandoquidem creatura rationalis non sufficiat exequendæ laudi Deo pro tanta gratia debitæ, optet omnem creaturam irrationalem, quasi verti in linguas, vt enarrent laudes Deo pro hac misericordia debitas. Quæ est, 39.

Quoniam Deus longo postliminiò, *saluam faciet Sion*. i. gentẽ Iudæorum diu desertam, inquit August. *Et ædificabuntur ciuitates Iudæ*. i. multæ ecclesiæ particulares erigentur ex Iudæis, quia colligentur tunc Iudæorum reliquiæ ex dispersione in terram suam. De qua re propheta: Requiescere eos faciam super humum suam. Dicit humum suam, tunc enim non amplius erunt in terra Christianorum tanquam in aliena sub tributo. Et alibi: Eiectam vocauerunt te Sion, Hæc est quę non habebat requirentẽ, &c. Et c. 31. Reuertere virgo Israhel ad ciuitates istas tuas, vsquequo deliciis dissolueris filia vaga? 40. Orat. cont. Iud. cap. 5.

Et inhabitabunt ibi, quia non mouebo iterum populum meum de loco suo, dicit Dominus, plantabo eum, & non euellam amplius. *Et hæreditate acquirent eã*. i. tum tanquã legitimi filij & in carne & in Domino acquirent verum patrum suorum patrimonium, quod est patrimonium fidei. Cùm autem hæc postrema Psalmi pars intelligitur de Sion atque ciuitatibus Iudæ, quæ ædificantur in cælo, tum sensus est, quod illi qui inhabitabunt eas, acquirent easdem *hæreditate*. i. in hæreditatem, ita vt immobilis & æterna futura sit earundem possessio; vt distinguatur possessio illius vitæ à possessione iustitiæ quæ habetur in hac vita; Hæc enim quia cum periculo amittendi possidetur, non possidetur vt hæreditas, authore D. Bernardo. 41. Serm. 21. in Cant.

Et semen seruorum eius. i. Filij Abraham, Isaac, & Iacob, seruorum Dei fidelium, secundum carnem iam facti filij promissionis, *poßidebunt eam*, 42.

hæreditatem seu patrimonium patrum suorum. *Et qui diligunt nomẽ eius, habitabunt in ea*, in beatitudine perpetua.

PSALMVS LXIX.

QVandoquidem præsens Psalmus penè ad verbum coincidit cum postrema parte Psalmi 39. suo loco expositi, æquum est vt non oneremus lectorem eiusdem expositionis superflua repetitione, operæ pretium tamen est, vt circa illa verba,

3. *Auertantur retrorsum qui volunt mihi mala.*

4. *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, euge, euge*: audiamus

Bern. epist. 72. D. Bernardum in hæc verba loquentem: Ego, inquit, aduersus vtrosque persecutores illis duobus versiculis me munire consueui. Contra maleuolos quidem priorem, *Auertantur retrorsum qui volunt mihi mala*: Contra beneuolos autem proferens sequentem: *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge.* Hæc Bernardus.

PSALMVS LXX.

Psalmus Dauid filiorum Ionadab & priorum captiuorum.

Hierê. 35. IOnadab, teste Hieremia, fuit filius Rechab, cuius posteri dicti sunt Rechabitæ, quia disciplinam & peculiarem viuendi ritum à filio Rechab sibi præscriptum, summa in parentẽ pietate, constanter obseruauerunt. Hi typum gerunt ecclesiæ, Ecclesiæ inquam, non ratione eorum qui eam fundauerunt, eique fidei ac rectæ conuersationis normam de Christi mandato ac doctrina præscripserunt, sed ratione illorum qui fidei ac morum disciplinam à patribus traditam, inuiolabiliter obseruant. Sicut enim filij Ionadab à mandatis patris sui, ne Hieremia quidem tentante, latum vnguem recesserunt, sic Ecclesia iam à patribus fundata, auitæ religioni ac traditis præceptis tenaciter inhærens, ab iisdem, ne variis quidem tentationibus sollicitata vlla in parte recedit. Imo si rationem suæ obseruantiæ ac disciplinæ ab ea exigas, sicut Rechabitæ, maiorum suorum authoritatem ac traditionem pro ratione tibi adferent atque opponent. Conuenienter itaque præsens Psalmus inscribitur *filijs Ionadab.* i. ecclesiæ in maiorum suorum traditione perseueranti. In eo enim ostenditur ac declaratur, quod Ecclesia ne quidem in extrema sua senecta ab eo quod primitus traditum est sancto mandato defecerit, nec à Deo derelicta sit. *Et priorum captiuorum.* Præceperat Rechabitis Ionadab perpetuo habitare ruri in tabernaculis; Sed Chaldæis regiones illas circumquaque vastantibus, coacti sunt ad munitionem Hierosolymæ se recipere, vt ab excursionibus Chaldæorum tuti redderentur atque immunes. Sed quia in solitudine minus habe-

habebant impedimenti ad vacandum Deo quam in vrbe, vrbs ipſa, teſte D. Hieron. carcer eis viſa eſt, & refugium ceſsit eis in ergaſtulum. Quia itaque in ipſo ſuo aſylo iam ante captiuitatem Babylonicam, in eam quam diximus captiuitatem inciderunt, ob id hoc loco dicuntur primi captiui. In quo etiam gerunt typum eccleſiæ, nam & ipſa primam quandam captiuitatem perpetitur, cum ante quam in hæreticorum manus deueniat, in religionis ſuæ publico & libero vſu poſita, à carnalibus ſuis filiis, imo & principibus ac magiſtratibus conſtringitur, ne diſciplina quam vellet, ac iure ſuo liberè vtatur. Pſalmus autem in perſona Eccleſiæ ſic incipit: *Hiero. epiſt. 4. cap. 7.*

In te Domine ſperaui nõ confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me, 1.
Inclina ad me aurem tuam, & ſalua me. (*& eripe me.* 2.
Eſto mihi in Deum protectorẽ, & in locum munitum, vt ſaluũ me facias. 3.
Quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu. 4.

Quibus verſibus partim Pſal. 17. ver. 1. partim prioribus verſibus Pſal. 30. explicatis, ad ſequentia pergimus, quæ ſic habent:

Deus meus eripe me de manu peccatoris. i. Gentilium, de quibus Apoſt. 5.
Nos natura Iudæi ſumus, & non ex gentibus peccatores. Sunt enim peccatores, quia multis modis præuaricantur legem naturæ. *Et de manu contra legem agentis.* i. Iudæi, qui præuaricatur legem ſcriptam. *& iniqui.* i. eius qui præuaricatur hanc æquiſsimam legem: Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Ab omnibus enim his certatim oppugnatur Eccleſia. Qua autem ratione de manu eorum erui petit, nunquid intempeſtiua malorum à bonis ſeparatione, collectiſque ante tempus ex agro dominico zizaniis? non arbitror: diceret namque Paterfamilias, Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Petit ergo *erui de manu peccatoris,* hactenus, ne à ſcandalis peccatorum in iniquitatis conſortium, & per id in ſeruitutem peccati & hominum peccatorum deueniat. Hoc igitur vt euadat, opus in primis eſt patientiæ præſidiis. Omne enim peccatum, inquit Tertull. impatientiæ aſſcribitur. Malum enim eſt impatientia boni. Nemo impudicus non impatiẽs pudicitię, improbus probitatis, inquietus quietis. Et poſt: Patientia omnia Dei placita tuetur, omnibus eius mandatis interuenit. Subdit proinde Pſaltes: *De patient. cap. 5.*

Quoniam tu es. i. à te mihi eſt *patientia mea.* neque enim ſubſtantia Dei 6.
eſt noſtra patientia, inquit Auguſt. vnde & Pſal. 61. idem quod hic dicitur, ſermone magis aperto dictum eſt, Ab ipſo eſt patientia mea. Quod itaque dicit, *Erue me de manu peccatoris, quoniam tu es patientia mea.* idem eſt ac ſi dicat; Impertito mihi quod in manu tua eſt patientiæ dono, ne ab inimicis in peccata pręcipiter, protege me. Patientia enim non ſolum cuſtodit bona, inquit Cypr. ſed & repellit aduerſa, quia Spiritui S. fauens & cæleſtibus in- *15. de Trinit. cap. 17* *De bo. pat.*

bus inhærens, cõtra facta carnis & corporis virtutum ſuarum propugnaculo reluctatur. *Domine ſpes mea à iuuentute mea.* Ab initio enim quo cepit Eccleſia, ſciuit in Domini protectione ſperare.

7. *In te confirmatus ſum ex vtero.* i. à primo tempore quo nata ſum, tuo munere ſum conſeruata ne vnquam deficerem: (non enim mouere debet aliquem ne credat hic eſſe ſermonem in perſona Eccleſiæ, quia ſermo in genere maſculino verſatur; Eius enim rei cauſa eſt, quod Chriſtus in perſona ſuæ Eccleſiæ loquitur: Cuius tamen voces nos immediatè in perſona Eccleſiæ exponimus, vt ſenſus euadat clarior & magis expeditus.) Id autem qua ratione? nunquid dono aliquo, ô Eccleſia, inſito, per quod dici potueris non poſſe deficere, cuiuſmodi dono à principio ſui ingreſſus in beatitudinem confirmantur ſancti, vt à beatitudine non poſsint deficere? nequaquam, ſed à te Domine conſeruata ſum ex vtero, quia *de ventre matris meæ tu es meus protector*, qui me tametſi in memetipſa infirmam, inter tot aduerſa tua ope tuitus es ne deficerem, nam ſtabilitas mea eſt continuum auxilium tuum. Hic autem quæritur, quis ſit hic vterus matris, ex quo Eccleſia ſe dicit eſſe confirmatam, an ille cenſeri poſsit limus terræ, ex quo creatus eſt Adam in gratia, ita vt ab illo tempore, ne quidem per lapſum protoplaſtorum vnquam defecerit, vel interrupta ſit Eccleſia? Opinor quod non. Cùm enim ſine fide non poſsit conſiſtere Eccleſia, & Doctorum teſtimonio, atque ratione, (ſi enim Adam fidem non perdidit, quo authore primus filius ei natus eſt infidelis?) ſatis conſtet, Adam, per infidelitatem fidem perdidiſſe, relinquitur protoplaſtis labentibus Eccleſiam, quæ in illis cœpta erat, tunc temporis ſimul concidiſſe. Nec oritur ex hac concluſione, quippiam abſurdi, Indefectibilitas enim non eſt proprietas adhærens vel competens cuiuis Eccleſiæ, ſed eſt prærogatiua conceſſa Eccleſiæ Chriſti. Quanquam tamen exiſtimemus eam, iam inde ab initio redintegratæ Eccleſiæ eidẽ competiſſe, & quod apud fideles quoſq; indubitatum eſſe debet, vſque ad finem ſæculi in ea iugem perpetuamque futuram; vt quemadmodum à primordijs rediuiuæ iuſtitiæ nunquam mundo iuſti aliqui defuêre, aut ad finem ſæculi defuturi ſunt, ita neque defuerit neque defectura ſit Eccleſia, extra quam nemo eſt iuſtus. Cum enim Eccleſia iam inde à reparatione ſui ſit corpus Chriſti, vnam eam perpetuò atque indiruptam fuiſſe ac futuram eſſe colligimus, quia inconueniens ſit corpus Chriſti non eſſe vnum atque cõtinuum. Præſertim, cum etiam huius rei ſignificandæ gratia, naturale Chriſti corpus, ne quidem in paſsione diſciſſum ſit vel diruptum. Quocirca, deprehenduntur hæretici telas areneæ (vt de illis teſte Hieron. dixit Iſaias) texere, cum volunt Eccleſiam quaſi aliquando collapſam, redintegrare. Itaque, cum defendendum nobis ſit

Proſp. reſ. 1 ad exc. gen. & c. 19. & 21. cõ. Caſſ. Fulgent. de inc. & gra. cap. 22.

Iſaiæ 59. Hiero. epiſ. 139.

bis sit Ecclesiam ab initio sui vsque ad finem mundi vnam esse, iugem & perpetuam, non est necesse initium eius desumere à die quo Adam in iustitia creatus est, sed à die quo à lapsu atque errore reuocatus, fidei atq; vnanimitati est restitutus. Ab eo enim tempore corporis Christi, quod vnum est atque perpetuum, cepit habere rationem. Ab eo etiam die ceperunt homines infallibiliter vocari, iustificari, glorificari, ita vt Ecclesiam ab illo solummodo tempore indefectibilem esse oporteat. Imò non rectè dici videtur Ecclesia ante lapsum cum ea quæ est à lapsu, vna esse. Vnam enim Ecclesiam facere videtur vnitas corporis. Hoc autem est corpus Christi, quod illa non erat, ergo non est hæc cum illa vna Ecclesia; vt nihil dicam de ratione perueniendi ad salutem, quæ à lapsu longe alia est quam ante illum. Quæ omnia tantam videntur differentiam inter vtrasque illas societates inducere, vt illum non facile poßit materialis vtriusque Ecclesiæ vnitas (constat enim vtraque hominibus) conciliare. Quocirca, vterus de quo hic Psalmus, non est limus è quo formatus est protoplastus, sed est ille sinus in quo fouebatur & præparabatur homo lapsus, donec formaretur Christus in eo. E quo cum in Christo renasceretur, tunc simul in suis primordijs nata est Ecclesia, à die illius ortus, vsque ad occasum mundi, absque omni interruptione perpetuo perseueratura.

In te cantatio mea semper, Ex parte enim Dei semper habet Ecclesia vnde in diuinis laudibus exultet, *tanquam prodigium factus sum multis*: Prodigium dicitur, quod est præter morem vel naturam; Talis visa est Ecclesia multis imprimis Ethnicis qui teste Tertull. in Apolog. existimabant Christianos Deorum, legum, morum imo totius naturæ inimicos. Talis Ecclesia in suis selectißimis membris etiam apparet carnalibus Christianis, dum putant sacram continentiam & Christianæ vitæ accuratiorem disciplinam esse humanæ naturæ contrariam, nescientes scripturas neque virtutem Dei: Qui etiam putant vitam religiosorum prodigiosam esse, quia contra communem morem. De qua re pulchrè Bernard. Quid aliud sæcularibus quàm ludere videmur, cum quod ipsi appetunt in hoc sæculo, nos per contrarium fugimus: quod ipsi fugiunt, nos appetimus, more scilicet ioculatorum & saltatorum, qui capite misso deorsum pedibusque sursum erectis, præter humanum vsum stant vel incedunt, & in se omnium oculos defigunt? Quid autem? nunquid Ecclesia contrà quàm monet Isaias opprobria hominum metuēs & prodigiosi sui status pertæsa, mores suos deserit? Non: Additur enim: *Et tu adiutor fortis*, faciens eam inter irrisores fortiter præstare, imo & irrisores ad sanam mentem benefaciendo conuertere. Quid verò pro hoc forti adiutorio Ecclesia?

8.
Cap. 20.
Epist. 87.

Repleatur tuo munere *os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota* 9.

diema-

die magnitudinem tuam. i. te pro magnitudine gratiæ tuæ ac magnificentiæ provt oportet collaudem. Hactenus itaque de iuuenta Ecclesiæ nunc de eius senectute, de qua dicit:

10. *Ne proijcias me* tanquam te indignam sicut proiecisti Synagogam *in tempore senectutis*, cum scilicet abundabit iniquitas, *cum defecerit virtus mea.* i. eodem tempore quo abundante iniquitate simul refrixerit caritas multorum. *Ne derelinquas me*, dato mihi libello repudij, sicut dedisti Synagogæ. Ex qua precatione absque dubio exaudienda, discimus Ecclesiam in multitudine malorum constitutam à Deo tanquam vas perditum non esse proijciendam. Causa autem huius posterioris partis instantius implorandæ est.

11. *Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam*, non causa auxiliandi sed speculandi, & cum auiditate obseruandi quoduis desideratæ sibi ruinæ meæ periculum atque initium: Quo sensu etiam apud Hieremiam, dicit Dominus, se terrores audiuisse in circuitu, à viris qui erant (inquit) pacifici mei & custodientes latus meum. Isti, *consilium fecerunt in vnum.* i. collato consilio in vnam de me sententiam multis adductis rationibus conuenerunt,

12. *Dicentes*: *Deus dereliquit eum.* i. Deseruit iam Ecclesiam, ita vt ipsa quod & Lucifer, teste Hieron. aliquando putauit, ex casta virgine Christi scortum diaboli facta sit. Quam oportunitatem nacti, *persequimini*, tum enim putant esse tempus expromendi in eam odij, quod continebant cum eam arbitrabantur adhuc à Deo protegi *& comprehendite.* i. cōprehendetis eam, *quia non est qui eripiat*, nec enim curæ erit Deo desertricem illam eripere de manibus nostris: hæc ergo illi; Quæ in primis dicta sunt à Donatistis asserentibus de orbe terrarum aliquando perijsse Ecclesiam, cuius reliquias ipsi multis modis & inaudita crudelitate persequebantur. Nec tamen illa aliena sunt à nostri temporis hæreticis, asserentibus religionem quam profitentur, in illis quæ fidei sunt ac salutis reformatam esse: quod si verum est, ergo prius fuit deformata. Si deformata, ergo perijt aliquando Ecclesia, Cœtus namque hominum deformatæ religionis, non est Ecclesia Christi, sed est adultera & synagoga Sathanæ. Si dicant se non religionem Ecclesiæ, sed quarundam regionum reformasse, oportet ergo fateantur semper fuisse cœtum aliquem hominum, quam dicant Ecclesiam, qui illam religionis formulam, quam per suas reformationes introducunt, à Christo vsque huc continuò obseruauerit, quem si voluerimus nobis in scriptis veterum vel historiographorum demonstrari, detrectabunt id, quia, contra verba Christi dicentis: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, dicent eum inuisibilem fuisse. Demus itaque talem aliquem cœtum hucus-

Dial. adue. Lucif. c.

hucusque continuò fuisse; negabimus porrò tam illum quam quæ nunc videmus reformatæ religionis conuenticula esse Christi Ecclesiam, aut gregem Christi. Qua enim ratione censebuntur pertinere ad Christi gregem, qui profitentur se non habere pastorem siue rectorem, contrà quam instituit Christus? Qui sicut cum de Dauide diceret: Tu pasces populum meum Israhel, eum constituit siue prædixit fore Israelis regem, ita cum dixit Petro: Pasce oues meas eundem constituit sui gregis rectorem. Pascere enim in scripturis sacris, nō semper esse idem quod docere aut prædicare, sed aliquando idem quod regere, manifestū est ex c. 5 Micheæ, vbi dicitur: Pascēt terram Assur in gladio & terram Nemroth in lanceis suis. Quid? gladius & lancea sunt instrumenta doctrinæ, an potestatis atque regiminis? Præterea quomodo huiusmodi hominum cœtus etiamsi à principio exstitisset, habebit Ecclesiæ rationem, cum non agnoscat sacerdotem? cum tamen dicat S. Hieronymus non esse Ecclesiam quæ non habet sacerdotium. Et Cyprianus dicat quod Ecclesia sit plebs sacerdoti adunata & pastori suo grex adhærens? Quocirca cum hoc tempore nullus existat hominum cœtus qui formam veræ Ecclesiæ præ se ferat, nisi is qui Romano adhæret Pontifici, is enim verum agnoscit pastorem & propriè dictum sacerdotium, necesse est illam veram Ecclesiam esse, eamq; proinde à veræ fidei religione non defecisse. His itaque dicentibus: *Persequimini & comprehendite quia non est qui eripiat*, ex alia parte orat Ecclesia:

Epist. 69.

Deus ne elongeris à me, sed esto à dextris mihi ne commouear, *Deus meus in auxilium meum respice*, Diuina namque protectione, cum in se sit infirma, in fide & religione perseuerat Ecclesia. Quid verò his tam indigna de te opinantibus optes ô Ecclesia? 13.

Confundantur manifestata falsitate prædictæ assertionis suæ *& deficiant* auctoritate ac viribus; Post primos enim feruores deficiunt hæretici in suis factionibus, torrenti qui cito defluit comparati, *Detrahentes animæ meæ*. i. diminuentes existimationem quam oportet de mea perpetua stabilitate, & tuæ protectionis perpetua assistentia habere, hoc enim verè est detrahere. *Operiantur confusione & pudore*; Prophetia est in die iudicij potissimum adimplenda; *qui quærunt mala mihi*. 14.

Ego autem semper. i. in quauis multitudine malorum mihi adhærentium & circumfrementium inimicorum *sperabo* auxilium tuæ protectionis. Imprimis enim competit Ecclesiæ illud Psalmi: Ab auditione mala non timebit, paratum cor eius sperare in Domino. Ex quo discimus in nulla rerum difficultate spem nobis esse deserēdam. *Et adijciam super omnem laudem tuam*. q.d. Sicut tu iam super omne auxilium à tempore iuuētutis meæ mihi præstitum adhuc in tantis periculis constitutæ, in tempore senectutis 15.

aliud auxilium adijcis, & priora beneficia posteriorioribus superas, vel saltem accumulas, ego vicissim laudes ob priora beneficia tibi debitas posterioribus augebo & cumulabo; Nec his contenta insuper in medio persequentium,

16. *Os meum annunciabit iustitiam tuam*, vt tali annunciatione etiam inimicos conuertam *tota die*. i. quauis occasione quæ in die potest accidere, *Salutare tuum*. i. Christum salutis auctorem, aut, gratiam Dei salutis effectricem.

17. *Quoniam non cognoui litteraturam*. i. legis veteris obseruantiam; Nunc enim sine lege iustitia Dei manifestata est, inquit Apostolus, testificata à lege & Prophetis, quia Ecclesia ex gentibus collecta iustitias Dei agnouit, nec tamen prius legem didicit, legiue veteri seruiuit. *Introibo in potentias Domini*. i. ad ipsam medullam diuinarum virtutum penetrabo, vt earũ medullitus particeps efficiar, & interiores vires accipiam ad exercendam iustitiam atque perseuerantiam: Quod Ecclesia videtur dicere ad distinctionem potentiarum Domini, quas in egressu ex Ægypto atque in Sina vidit Israhel; tum enim medullam diuinarum virtutum intus corroborantem non experiebatur, sed *potentias Domini* solummodo in signis illis atque portentis admirandis intuebatur foris. Ecclesia verò ad has virtutes ingressa est, quoniam non cognouit literaturam legis: Ex legis enim cognitione Israhel secundum carnem in præsumtionem suæ virtutis se attollens, ad has Dei virtutes penetrare non potuit, ignorans enim Dei iustitiam & suam volens constituere, iustitiæ Dei non fuit subiectus. *Domine memorabor iustitiæ tuæ solius*, quia ob id quod non cognoui litteraturam, nihil allegare, nihil in medium adferre potero, nisi solá iustitiam à te mihi donatam. Cum contrà alij iactare solent iustitias legis, vt vidimus in Pharisæo cum Publicano simul orante. Porro pro eo quod nos legimus *literaturam* alij legunt *negotiationem*. Quæ lectio cum nostra in idem redit, Negotiatio enim est rerum hinc inde æquiualentium conuentionalis commutatio. Iudæi itaque eò quod cognouerunt literaturam, non solùm induerunt præsumtionem, verumetiam cognouerunt negotiationem, quia arbitrati sunt se ad præstantiam Euangelij merito obseruatæ legis peruenire debere aut peruenisse, quam negotiationem nescit Christi Ecclesia quæ super sola Dei misericordia & gratia laudans Deum & honorans, agnoscit se Euangelium Christi gratia accepisse. Interim, negotiationem quæ quasuis merces licitas pretio permutat, nouit Ecclesia, quia sine ea non subsistunt commercia humanæ societati in hoc tempore necessaria. Ideo etiam
Apolo. c. 37 de primis Christianis, dicit Tertull. Omnia vestra impleuimus, vrbes, castella, castra, palatium, senatum, forum, &c. Et c. 43. Si qui fortè de sterilitate

rilitate Christianorum conqueri poterunt. i. quod nullum lucrum opificificibus aut mercatoribus adferant, conqueri possent primi lenones, sicarij, venenarij, magi, arioli, aruspices, Mathematici, &c. His autem infructuosos esse magnus fructus est. Hanc igitur negotiationem non fugit Ecclesia, didicit enim à Leone esse quæstum vt illicitum, ita & licitum. Sed à quo tempore iustitiam sine lege didicit & accepit Ecclesia? *Leo Epist. 92. cap 9.*

Deus docuisti me, sine lege tuam iustitiam, *à iuuentute mea*. i. à principio quo mundo reddita sum. Iustitia enim fidei, inquit Cyrillus, prior & antiquior est lege, quæ inter primam obseruantiam eorum sanctorum qui ante legem rari ex fide vixerunt, & Euangelij manifestationem ac dilationem subintrauit, inquit Apostolus, vt abundaret delictum. Quod eleganter præfiguratum fuit in partu Thamar, vbi Zaram primus protulit manum in qua obstetrix ligauit coccinum, significans mundo priores velut apparuisse, qui ex fide Christi viuebant. Eo verò manum retrahente, natus est Phares; quia post primos patres ex fide Christi viuentes, in lucem prodijt lex, per quam nonnihil obscurata, & quasi retracta est iustitia fidei, & conuersatio seu vita hominum ex fide. Impleto autem legis tempore facta est Euangelij manifestatio, atq; plenè in lucem prodijt Zaram in manu habens coccinũ. i. apertam & planam ex fide Christi conuersationem, quæ ante legem in paucis ex fide Christi viuẽtibus tenuiter apparuerat. De qua re pulchrè Ambr. Per geminorum mysteriũ gemina describitur vita populorũ: vna secundum legem, altera secundum fidem. Prior gratia quam lex, prior fides quam littera. Et ideo gratiæ typus Zaram manum ante præmisit, quia gratiæ actus ante pręcessit in Iob Melchisedech Abraham; qui per fidem sine lege viuebant. Sed media tanquam sæpes obiecta est legis obseruatio, & quodammodo maiorum vita videtur incisa per obseruantiam legis; Qua transacta, vita maiorum per Euangelium in lucem splendidissimè prodijt. Verissimè itaque dicit Ecclesia, *Deus docuisti me* sine lege iustitiam *à iuuentute mea*: Quibus addit, *Et vsque nunc*. Istud, *nunc*, erit quamdiu & quandocunque pronunciabitur hic Psalmus. *Vsque nunc* itaque, *pronunciabo mirabilia tua*: Quæ egisti in toto decursu Ecclesiæ. Hæc enim Ecclesia in eadem fide perpetuo perseuerans, tanquam ad se pertinentia indesinenter laudando & prædicando pronunciat. Sed nunquid Ecclesia aliquando tandem deficiet & à sana mirabilium Dei intelligentia temporis processu atque decursu excidet? Absit: Id enim ne accidat per spiritum prophetiæ orat Psaltes in persona Ecclesiæ:

18. *10. in Ioã. cap. 13.* *3. in Lucã.*

Et vsque in senectam. i. tempus quo appropinquem senectæ ac vergam ad senectutem, *& senium*. i. tempus illud quo iam ad extremam peruenero senectutem: quod est extremum illius temporis, quo Ecclesia in mũdo est 19.

peregrinatura. *Deus ne derelinquas me.* Te enim non derelinquente, non potero ad errorem aut impietatem deficere. Quæris autem qui fieri possit, vt cum homini accreſcentibus annis deficiat vigor mentis & corporis, idem multiplicatis annis non pariter eueniat Eccleſiæ? Id tibi explicabit Irenæus in hæc verba: Prædicationem Eccleſiæ vndique conſtantem & æqualiter perſeuerantem per initia medietates & finem, & vniuerſam Dei diſpoſitionem perceptam ab Eccleſia, cuſtodimus, quæ ſemper à ſpiritu Dei quaſi in vaſe bono, eximium quoddam depoſitum conſeruat iuueneſcens (non enim veteraſcit verbum Dei) & iuueneſcere faciens ipſum vas, ita vt ipſa Eccleſia, quam vaſis nomine intelligit Iren. nunquam, ne quidem præ ſenio efficiatur ſimilis ciſternæ diſsipatæ, quæ non valeat continere aquas. Si ergo verbum Dei facit iuueneſcere ipſum ſuum vas, quomodo non ſicut corpus primi hominis præſeruatum fuiſſet à ligno vitæ contra vetuſtatem, ita per Verbum vitæ non præſeruabitur Eccleſia contra propriam ſuam, & ad minus ſemper vergentem, fragilitatem? Itaque ex Irenæi verbis manifeſtum eſt hæreticos ſcripturę diuinæ, & Patribus aduerſa ſentire cum dicunt; Vſu venit Eccleſiæ ſeneſcenti quod de ſenectute canit poëta Satyricus: Circuncidit agmine facto morborum omne genus. Nouit enim Eccleſia ſenectutis atque vetuſtatis tempora, eo quod in multos annos cana perſeueret; ſed quia per verbum & ſpiritum Dei iuuentus eius vt aquilę indeſinenter reparatur, ſenectutis languorē & detrimenta non nouit. Vxor enim Loth, inquit Irenæus, remanſit in Sodomis, iam non corruptibilis, ſed ſtatua ſalis, ſemper manēs, & per naturalia ea quæ ſunt conſuetudinis hominis (menſtrui fluxum intelligit qui mirabile dictu nō deſijt, Cypriano teſte, huic muliebri ſtatuæ) oſtendens quoniam & Eccleſia quæ eſt ſal terræ, ſubrelicta eſt in confinio terræ, ſeu in medio malorum iuxta Sodomam, patiens quæ ſunt humana; & dum ſæpe auferuntur ab ea membra, integra perſeuerat ſtatua ſalis, quod eſt firmamentum fidei firmans & præmittens filios ad Patrem. Hæc Irenæus. Qua autē ratione ſtatuæ ſalis, tametſi mutilatæ hęc ſua perſeueret integritas, explicat Cyprian. loquēs de illa in hæc verba: Si quis mutilauerit aduena formam, protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet. Ad hunc enim modum Eccleſia complet ex ſemetipſa, ſi, non dico aduena vel hoſtis, ſed etiam Deus ipſe ab hac vita quempiam euocando, ab ea abſtulerit: Ea enim vulnera protinus ex ſeſe complet, dum ſi quis Pontifex, ſi Epiſcopus, ſi paſtor ab ea ablatus ſit, ex ſinu ſuo alios producit, quos in decedentium locum ſufficiat: Si quidam ei abripiantur ad partes hoſtium, ex ſemetipſa profert, vnde prædicando, docendo, ſimilibuſque modis illa damna reſarciat. Dicit ergo Eccleſia; Vſque ad ſenectam & ſenium ne derelinquas me.

[Margin notes: Li. 3. ca 40 — Li. 4. c. 51. — Cyp in car. de Sodoma — Cypr ibidē.]

Donec annunciem brachium tuum. i. Christum, *generationi omni quæ* 20.
ventura est. i. vt in senectute bona & veritatis annunciatione perseuerem in omni generatione & generationē. Ex quibus verbis manifestum est hic esse sermonē in Ecclesiæ persona. Non est enim hominum aliquis, ne ipse quidem Christus qui per se annunciet Euangelium in omni generatione & generationem, sed id præstat sola Christi Ecclesia, sola in hoc sæculo perseuerans in omni generatione & generationem. *Annunciem* itaque *Brachium tuum*, & simul.

Potentiam tuam quam exercuisti in martyribus & exerces in confessoribus, *& iustitiam tuam Deus vsque in altißima quæ fecisti magnalia.* i. Iustitiam tuam quam admodum excellere fecisti in quibusdam Christianis, adeò vt peruenerint vsque ad culmen iustitiæ, de qua scriptum est: Iustitia sicut montes Dei; Qualis iustitia videtur fuisse in Macedonibus, de quibus Apostolus: Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum. *Deus quis similis tibi*, q.d. Quis hominum sine spiritu tuo huiusmodi magnalia posset operari? Post hæc recordatur Ecclesia persecutionum, quas à iuuentute sua perpessa est, & simul diuinæ opis atque clementiæ, per quas ex istis partim vincendo partim euadendo est liberata. Idque hoc consilio, vt ex ijs quæ experta est, certissimam spem concipiat se futuris, & præsertim Antichristi persecutionibus, non superandam, sed ijs cum labore & dolore transactis, cumulandā esse gloria & laude. Dicit proinde: 21. 2. Cor. 8.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas. Dicit quantas, 22.
ob earum acerbitatem, Multas ob varietatem. Malas, quia fecerunt multos à fide deficere, & in tribulationem pessimam & angustiam, quæ paratur in animam omnis hominis facientis mala, deuenire. Sed quid Deus? nunquid continebit in ira misericordias suas? *Conuersus*, inquit, ab ira ad misericordiam *viuificasti me*, quia lapsos ad iustitiam denuo reuocasti. *Et de abyßis terræ*, de quibus Apostolus, In solitudinibus errantes, in montibus, speluncis, & in cauernis terrę. In his enim tempore persecutionum fere degebant fideles & delitescebat ecclesia, *Iterum reduxisti me*, quia persecutionibus transactis, ad publicum reuocata est Ecclesia & in propatulo cepit denuo conuentus agere & religionem suam palam exercere. Dicit proinde D. Cyprianus: Quàm beata, quàm gaudēs portas suas aperit Ecclesia, vt adunatis agminibus, intretis de hoste prostrato trophæa referētes? Huiusmodi quid & Iudæa experta est, quia templo à persecutione Antiochi restituto, rursus ibidem diuina exercuit, recordata quod paulò ante eadem in montibus peregisset. Hebr 11. Cypr initio de lapsis.

Multiplicasti magnificentiam tuam. Etsi enim multi lapsi sint, complures tamen per magnificam Dei gratiam variis modis distributam, in medio

persecutionis feruore magni & admirabiles perstitêre, martyrio, confessione, eleemosynis, variisque pietatis, qualia status illius temporis exigebat, operibus. *Et conuersus* ad clementiam per quam cessare, & respirandi gratia, intermitti fecisti persecutionem. *Consolatus es me*. In lætitiam enim, inquit Cyprian. redeunt mentes, & tempestate pressuræ ac nube & caligine discussa, tranquillitas & serenitas refulserũt: Quam consolationem ibidem splendidissimè pluribus exequitur.

24. *Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam Deus, psallam tibi in cythara sanctus Israel.* Transacta enim persecutione cepit Ecclesia veritatẽ Dei & laudes eius publica celebritate canere. Dandæ enim, inquit Cypr. Deo laudes, & beneficia eius ac munera cum gratiarum actione celebranda: quamuis agere gratias nostra vox nec in persecutione cessauerit. Id autem, *in vasis psalmi*. i. hominibus ad psallendum Deo ex officio aut professo dedicatis.

25. *Exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemisti.* Quia cantat Ecclesia voce ac labiorum motu, cãtat simul & exultat anima seu mente. Atque adeo coincidit hic versus cum illo Psalmi 83. Cor meum & caro mea exultauerũt in Deum viuum. Quod notandum sit contra illos hæreticos qui sic volunt in spiritu & veritate adorare, vt non patiantur spiritum redundare in corpus, suámve internam deuotionem per corporis motum exercere aut excitare. Quod qua ratione fiat, elegantissime prosequitur D. Augustinus.

De cura pro mort. ca. 5.

26. *Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam, cum confusi & reueriti fuerint qui quærũt mala mihi*. i. Vbi cessauerit persecutio, lingua mea meditabitur iustitiam tuam. Eo enim tempore Ecclesia quietem nacta, vacare cepit legi diuinæ vberius inuestigãdæ, & vberiore cum eruditione exponendę. Quod ipsum in Psal. 45. ad versum 10 notatum est: Lingua autem hoc loco non corporis membrum significat: hoc enim elocutioni seruit nõ meditationi, sed linguam mentis, quæ meditatur, dum in inuestigatione sapientiæ euoluendo obscura, & hæc cum illis conferendo, inuisibili modo sermocinatur, qua ratione Psalmo 36 dictum est, quod os iusti meditabitur sapientiam.

PSALMVS LXXI.

In Salomonem.

SVb Salomonis nomine hic Psalmus in Christum immediatè dicitur, ita vt conuenientius sit eum de Christo literaliter quam allegoricè exponi, eo quod in eo permulta sint, quæ Salomoni, vt etiã veteres obseruauerunt, conuenire non possint. Qui sic incipit:

Deus

Deus iudicium tuum. i. Iudicandi munus atque officium. *Regi.* i. Christo 1.
ſecundum humanam naturam. *Da.* Cùm autem ſecundum doctrinam D.
Thomæ ad iudicandi officium Chriſto proprium tria pertineant; Iudicium Cõpen. The.
quo in hoc mundo reguntur homines; Iudicium quo vnaquæq; anima cor- p 2. c. 58.
pore exuta particulariter iudicatur; & iudicium vniuerſale; precatur Pſaltes hoc loco concedi Regi munus regẽdi. Deſcribit enim hic regnum Chriſti quod eſt huius vitæ. Cumque iudicij quod Chriſtus etiam in hoc ſæculo exercet munia varia ſint (ex illo enim iudicio diſpenſat bona pro bonis, bona pro malis, & mala pro malis) determinat Pſaltes, in quem effectum rogauerit dari Regi iudicium de quo dixit, & dicit: *Et iuſtitiam tuam.* i. iuſtificandi munus da *filio Regis.* i. Chriſto qui filius eſt Dei Patris, cui regia dignitas & authoritas originaliter competit. Hanc autem interpretationem probant ſequentia, quæ ſic habent:

Iudicare populum tuum in iuſtitia. Hæc enim verborum cohærentia non 2.
alium ſenſum importat, quam ſi diceret Pſaltes: Iudicium tuum Regi da, vt iudicet populum tuum in iuſtitia, ſiue iudicium ad iuſtificãdum exerceat in populum tuum. *Et pauperes.* i. homines ſæcularis dignitatis & opulẽtiæ exortes, *tuos*, quos tu elegiſti in hoc ſæculo diuites fieri in operibus bonis. *In iudicio* diſcretionis. Inſinuat enim his verbis Pſaltes, quod Rex iſte in principio regię adminiſtrationis ſuę, ad iuſtitiam electurus ſit pauperes ſæculi præ diuitibus, ſicut ſcriptum eſt: Videte fratres vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilla mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret. Hoc autem iudicium ſiue poteſtas regendi Regi Regiſq; filio datum eſt in eius
aſcenſione, teſte Daniele in hæc verba. Aſpiciebam in viſione noctis, & ec- Daniel. 7.
ce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat. In nubibus inquam, quia
in aſcenſione ſua nubes ſuſcepit eum, inquit Cyrillus: diciturque non ſim- In expoſit.
pliciter filius hominis, ſed quaſi filius hominis, quia non erat ſimpliciter ſymb. Nyc.
homo, ſed Deus & homo, inquit idem. Quamquam Tertull. arbitretur eum loco præall.
dici, quaſi filium hominis, quia Daniel in viſione ſua ſpeciem tantum & ſi- & c. 25 de
militudinem hominis videbat, eo quod illo tempore filius Dei nondum fu- incar. vni.
erit incarnatus. Hic vſque ad antiquum dierum peruenit. i. vſque ad Patris Tertull. 4.
ſui qui ſine principio eſt, thronum. Et in conſpectu eius obtulerunt eum, cont. Mar.
Angeli videlicet, qui eum honoris cauſa adducebant, Quibus offerentibus cap. 21.
competenter tribuuntur illa verba Apocal. Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere diuinitatem. i. diuinitatis gloriam & honorem. Qua oblatione facta, dedit ei, inquit Daniel, antiquus dierum poteſtatem. Quam quæſo?
Niſi

Nisi sicut Euangelium loquitur, potestatem iudicium facere, quia filius hominis est. Tum enim dixit illi: Sede à dextris meis, quibus verbis iudicandi potestas & authoritas eidem conceditur. Sed quo ordine perficietur in hominibus huius iudicij atque iustitiæ effectus?

3. *Suscipiant*, inquit, *montes*. i. homines potestate sublimes, siue populi rectores, ecclesiastici præsertim ordinis *Pacem populo*. vt non solum pro semetipsis habeant opus seu fructum iustitiæ, qui teste Isaia est Pax, sed vt præ iustitię excellentia & pacis abundantia populo pacem adferant, pacem procurent, valeantque dissidentes conciliare, sedare turbas, inimicos cum Deo in gratiam reducere. De hac ergo pace siue pacificandi gratia præpositis ex officio competente, dicit Psaltes: *Suscipiant montes pacem populo*. Cuius sensus est, Sic homines hos in sublimitate constitutos per gratiam tuã præpara, vt consentiant acceptare vel cooperari donis gratiæ à te illis infundendæ. Dico cõsentiant, Suscipere enim gratiã Dei, gratiæ est diuinę, inquit

2. de voca. gent. ca. 26 Prosper, & voluntatis humanæ. Propter quod confitendũ est, quãuis inspirationem seu infusionẽ præuenientis gratiæ Dei, homini sic infundi, vt eius infusionẽ homo non possit quidem impedire, quia nemo in potestate habet

De spir. & litt. ca. 33. Seß. 6. c. 5. quid ei, inquit Aug. intrinsecus in mentẽ veniat; potest nihilominus homo, eiusque arbitratui permittitur iuxta Concil. Trident. illam inspirationem recipere, quod est consentire; vel non recipere, quod est dissentire. Et similiter potest homo, eiúsque relinquitur arbitratui, per, aut secundum gratiam sic inspiratam vel infusam operari vel non operari. Quæ omnia, videlicet, consentire, dissentire, operari, non operari, non solum circa gratiam infusam, sed etiam circa gratiam excitantem ab homine fieri posse admittimus. Dicit namque D. Prosper voluntatem hominis ad hoc diuinis

loco præall. excitatam esse præsidijs, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat vnusquisque exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium. Cùm enim in illis quæ sunt ad finem, consentire vel dissentire; & similiter eadem velle & nolle proprij actus sint voluntatis siue liberi arbi-

De spir. & lit. c. 33. & 1. de pec ca. merit. c. 22. trij, vt docet D. August. & certissimum est: gratia determinationi voluntatis ad bonum præuia, in omni genere medendi atque auxiliandi hoc agit, inquit ibidem Prosper, vt receptricem donorum suorum ac famulam sibi præparet voluntatẽ. Quæ præparatio in primis facit volũtatem posse si velit, & appetitum rationalem accendendo in bonum, prouocat eam vt velit, præter hæc autem non dat ei aliud auxilium speciale ac prępuium, quo velit. Dico præuium, quia cum iam vult, dat ei auxilium concomitans quo vult. Itaque in quouis actu seu opere bono, gratiæ pręparanti accedit proprius liberi arbitrij consensus, à Deo quidem speciali gratia præparatus, per ipsum verò liberũ arbitrium ex naturali sua virtute cum prędicta diuinæ gra-

tiæ preparatione ad bonum eligendum vel exequendum determinatus atq; admotus. Non sic enim gratiæ vacandum est vt non subinferatur, inquit August. adnitendo etiam nostræ voluntatis efficacia, Adiutor enim noster Deus dicitur, nec adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur. Quæ cùm ita sint, verissimè D. Hieron. in illud Pauli: Persuasio non est ex eo qui vocat vos, dixit. Simpliciores quique putantes se Deo deferre, vt persuasio quoque nostra in eius sit potestate, abstulerunt partem orationis [non] & sensum contrarium Apostolo reddidere. Siue ergo in bonam, siue in malam partē, nec Deus nec diabolus in causa est, quia persuasio nostra non est ex eo qui vocauit nos, sed ex nobis, qui vel consentimus, vel non consentimus vocanti. Hæc Hieron. Ex cuius tamen verbis hæc oritur quæstio. Si persuasio sit ex nobis, quid est quod dicit August. se requirere vt Pelagiani hanc gratiam aliquando confiteantur, qua non solum suadetur omne quod bonum est, verum etiam persuadetur? Si enim per gratiam persuadetur bonum, ergo persuasio est ex Deo. Resp. Inter August. & Hieron. nullam esse contrarietatem, quia loquūtur quidem de eâdem re, videlicet Persuasione, sed non similiter. August. enim requirēs, vt Pelagius fateatur, gratiam Dei persuadere, intelligit id de gratia cor hominis sic præparāte vt liberum arbitrium à sese amplectatur id quod suadetur. Hieron. autem negans persuasionem quoque nostram in Dei esse potestate, eo sensu id dicere accipiendus est, quo quidam imaginabantur, ipsum præparatæ, & inter duo nihilominus pendulę voluntatis æquilibrium, à Deo speciali directione sine libero sui vsu moueri ac determinari. Hoc autem asseruit Hieron. verum non esse, quia pugnat, non quidem cum arbitrij libertate, sed cum proprio libertatis ac libero vsu, qui ex eo liber dicitur, quia in proprio hoc suo actu à semetipso determinatur, suâque se sponte quo libet aut visum est, mouet. Dicit quidem scriptura: Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & similia, nec negandum est Deum id præstare, sed præstat id alio modo quam isti quos Hieron. simpliciores vocat, imaginabantur. Sic enim præparat, disponit & in bonum accendit cor hominis, vt voluntas quæ secundum cordis ac appetitus sui propēsionem semetipsam consueuit determinare, semetipsam in illam partem in quam cor eius & appetitus rationalis à Deo præparatus est & excitatus, inclinet atque determinet. Quocirca August. interpretans illud Psalmi: Pone Domine custodiam ori meo; Hoc, inquit, est dicere: Fac vt ponam custodiam ori meo; ita & illud; Auerte oculos meos ne videant vanitatem, & reliquæ orationes quæ à Deo id præstari petunt quod nisi interueniente libero nostræ voluntatis opere non fit, in eundem modū verissimè & saluberrimè interpretandæ sint. Nam & ipse August. per quem perfectæ gratiæ cognitionē Scholæ Theologicę adeptæ sunt, cum finiendæ

2. de pecca. mer c. 5 de perfec. iust. de verb. Apost. ser. 13

Li. 3. in epi. ad Galat.

De gr. Christi, cap. 10.

De grat. & li. arb. c. 17

De gr. Chri sti, ca. 47. controuersiæ causa à Pelagio requireret, vt fateretur voluntatem & actionem nostram diuinitus adiuuari, voluit ad cautelam verba sua ipse interpretari, Dixit enim, Fateantur Pelagiani voluntatem actionemq; nostram, i. inquit, vt velimus, vt agamus diuinitus adiuuari. Nisi enim August. sua verba ad eum modum interpretaretur, videri posset à Pelagianis requirere vt faterentur quod Deus tam simpliciter operaretur velle, sicut operatur posse, hoc enim operatur in nobis sine nobis. i. nobis libero saltem actu nō cooperantibus: cùm verò August. ipse sua verba, qua audiuimus ratione interpretatur; satis insinuat gratiam Dei, qua adiuuatur hominis voluntas & actio, ad voluntatis actionisque præparationem præcipuè pertinere, sicut scriptum est: Præparatur voluntas à Domino. Et: Creati à Deo in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Hic iterum oritur quæstio: Si gratia Dei ad bona opera præparat voluntatem, quæ sit ergo gratia Dei quæ vocatur efficax? Resp. Dubium non esse quin gratia Dei cooperans dum volumus, dum benè operamur, efficax sit: sed confitēdum est eam gratiam etiā efficacē esse & dici debere quia præstat vt velimus, vt operemur. Itaque gratia quæ præparat voluntatem vt benè agere vel perseuerare velit, dicitur efficax, sed diuersimodè. Nam gratia quam Deus largitus est Angelo, vt cum ea perseueraret si vellet, in Angelo perseuerante efficax dici potest ab euentu; gratia verò qua nos à Deo præparamur vt velimus, dicitur efficax à virtute: Efficit enim consensum voluntatis. Quāquam non sine libero arbitrij vsu eum producēdo. Cùm enim, vt D. Thomas dicit, & paulo antè diximus, mēs hominis de aliquo faciendo vel nō faciendo iudicet secundum suā dispositionē, nouit Deus hanc dispositionē ita diuersimodè inoperari, vt tamen consensus voluntatis subinde non sequatur, vt vidimus in angelo labente, subindè verò sequatur infallibiliter vt in fidelibus in Christo secundum Dei propositū vocatis, iustificatis & perseuerātibus. Tantum enim, inquit Aug. Spiritu S. accenditur eorū voluntas, vt ideo

De corr. & grat ca 12 sic velint, quia Deus operatur vt velint. Vbi hoc interim notandum est id quod Aug. ibidem dicit gratiam agere liberū arbitrium indeclinabiliter & insuperabiliter, hoc ab eo dici, quia posita tali gratia, nō cóntingit liberum arbitriū declinare aut superari, non autē quasi posita tali gratia liberū arbitrium declinare aut superari nō possit. Adhæc fatendum est, quod si gratia æquilibrium humani arbitrij sine libero vsu sui in bonum protruderet, illa quam maximè efficax dici deberet, sed quia illa ponenda non est, ideo eius aliam hoc loco non facimus mentionē. Hic iterum oritur quæstio, An non saltē gratia liberū arbitrium præparans, idq; ita mouens, vt indeclinabiliter & insuperabiliter velit, libero actui contrarietur? Respondendū quod non, quia liberi actus liberi arbitrij sunt, consentire, dissentire, velle & nolle, sic

tamen

tamen vt dum consentit possit dissentire; dum vult, possit nolle. Quod autẽ istud consentire vel dissentire, velle vel nolle, à Deo præparetur siue iuuetur, non repugnat libero actui, quia ad apprehendendã boni perseuerãtiam etiam Angelorũ & primi hominis liberũ arbitrium per Dei gratiam adiutũ est & præparatũ; & tamẽ præter eos qui cũ Pelagio desipiunt, nemo dixerit per hoc adiutorium liberũ ipsorum arbitrium in proprio suo actu impeditũ fuisse. Quia tamen illud adiutorium non præstabat, vt liberum arbitrium indeclinabiliter gratiæ consentiret, eligerétve eidem cooperari, facilè admittitur à Catholicis auxilium tale proprio actui liberi arbitrij nihil præiudicasse. De auxilio verò post lapsum, quod præstat vt non nisi benè volentes, non nisi benè operantes, non nisi perseuerantes simus, maior est difficultas, quia auxilium huiusmodi liberum arbitrium in bonũ quodam modo prædeterminat. Eo tamen non obstante, ne quidem huiusmodi gratia, gratiæve auxilium libero actui repugnat. Adiutorium enim Angelo & homini ante lapsum datum, non fuit extremum id quod Deus saluo vsu liberi arbitrij dare potuit, sed quod pro conditione illius tẽporis & status Deum dare decuit. Dignè siquidem, vt August. verbis vtar, illius status bonitati, & non peccandi facilitati cum adiutorio sufficiente, perseuerandi committebatur arbitrium. Lapso verò homine, quia à libero arbitrio fides, vt Athanasij verbis vtar, seruata nõ fuit, ipsiusque culpa Dei creatura perijt, & homo lapsus in deterius mutatus multis tentationibus ac infirmitatibus factus est obnoxius, planè conueniebat, vt Deus opus quod instaurabat firmiore muniret auxilio, nec arbitrium perseuerandi vel benè agẽdi eodem modo committeret illi, qui semel fidem violarat, & eandem, ob contractam ex priori peccato infirmitatem, iam etiam iustitiæ restitutus, minus, vt meritò præsumebatur, erat seruaturus. Cõueniebat itaque tum ordini diuinæ prouidentiæ, tum infirmitati hominis lapsi, vt Deus occulta sapientiæ & virtutis suæ, quæ vsque ad illud tempus in ipso solo fuerant abscondita, mundo manifesta faceret, & illud auxilium suæ gratiæ quo, salua ad bonum & malum in agendo libertate, ex genere suo efficacius esse non potest, in medium proferret. Quod quidem ante lapsum erat intempestiuum; In emensione enim diuinæ gratiæ ordo, inquit August. seruandus fuit, vt prius experientia doceret quid posset, aut cum possibilitate boni, præstaret liberum hominum arbitrium, Deinde quid diuinæ gratiæ hoc quod dicimus speciale beneficium. Nec hoc ergo, quod nobis tandem explicandum est, repugnat libertati vel eius libero actui. Si enim, inquit D. Thomas, per hominis prouidentiam fieri potest, vt causæ quæ deficere potest à suo effectu sic ferat auxilium, vt interdum indeficientes sequantur effectus, sicut patet in medico sanante, & in cultore vineæ contra sterilitatem vitis adhibente remediũ,

Ser 3. cont. Arrianos.

Ench. c. 105.

Compẽ. Th. p. 1. c. 140.

multò magis ex ſapientia diuinæ diſpoſitionis contingit, vt quamuis cauſæ contingentes deficere poſsint, quantum eſt de ſe, ab effectu; tamen quibuſdam adminiculis adhibitis indeficienter ſequatur effectus, quod eius cõtingentiam non tollit. Hæc D. Thomas. Cuius rei ratio eſt, quia omne auxilium quo Deus dat vt velimus, immediatè eſt appetitus rationalis illarumque virium hominis, quæ conſenſioni vel diſſenſioni voluntatis liberè agẽtis naturali ordine ſunt ſubiectæ: Proinde liberum arbitrium illas vires habet in ſua poteſtate & ſuo ſubiectas imperio; Cui non repugnat quod eiſdem indeclinabiliter cooperetur vel conſentiat, Id enim etiam ex ipſius liberæ voluntatis parte oritur, cui ſolemne eſt ſecundum diſpoſitionem ſuorum affectuum ſe determinare. Nec refert affectus hos ſic à Deo ſuccendi, vt voluntas non ſit æqualiter diſpoſita vel præparata ad bonum & malum: Dicere enim nullum velle vel nolle eſſe liberum, niſi quod proficiſcitur à voluntate in vtramuis partem æqualiter diſpoſita, Pelagiani erroris eſt, omnium iudicio facilè reprobati; qui nõ dubitant peccare homines, quamuis ordinariè multò magis diſpoſiti ſint & præparati ad malũ quam ad bonum. Sed de his hactenus, reuertimur ad textum, qui poſtquam pro principibus populi Chriſtiani orauit, *ſuſcipiant montes pacem populo*, pro ipſo populo orationem ſubiungens addit. *Et colles*. i. qui non ſunt in ſublimitate poſiti, ſuſcipiant *Iuſtitiam*, qua ſuæ ſaluti proſint, & in modum collium ad nonnullam iuſtitiæ ſublimitatem conſcendant. Nec hæc fruſtra Pſaltes orauerit, ſequitur enim:

4. *Iudicabit*. i. iudicium de quo paulò ante diximus, exercebit, circa *pauperes populi*, de quibus ſupra. *Et ſaluos faciet filios pauperum*, quia vocatio hominum huius ſortis ad Religionem & æternam ſalutem, durabit in multas generationes, donec tandem accedant pingues terræ, de quibus in Pſalmum 21. diximus, vt & illi panem vitæ manducent. *Et humiliabit*, i. de principatu deijciet & fidelium, qui ſunt in ſæculo infimæ ſortis, pedibus ſubſternet, *calumniatorem* qui eſt diabolus, falſa crimina tum apud Deum, tum apud homines impingens innocentibus. Inter quas calumnias
Epiſt. 109. D. Bernardus, & illam recenſet, quod putet diabolus nos iniuſtè ſuo imperio & ſupplicij conſortio eſſe ſubtractos, quia alterius, Chriſti videlicet, pretio redempti ſumus. His autem regij iudicij effectibus explicatis, tranſit Pſaltes ad enarranda quædam, quæ ad ipſius Regis dignitatem & Incarnationem pertinent, de quibus ſic dicit:

5. *Et permanebit cum Sole*, vel vt interpretandum eſſe cenſet Auguſtinus, *Compermanebit Soli & ante Lunam*. i. expers omnis mutabilitatis, vel, maior quàm vt vlla mutabilitas per Lunam ſignificata eum contingat, coæternus permanebit Deo Patri, qui vt Sol immutabilis eſt in maieſtate ſua. *In*

sua. *In generatione & generationem*, non dicit in omni generatione & generationem; per quod quid aliud significatur, quàm regem hunc in sola sua immutabilitate permansurum, donec decurrant in sæculo aliquot generationes, videlicet 76. His verò decursis, generatione videlicet septuagesima septima non permanebit solummodò ante Lunam vt prius, sed:

Descendet & sub Luna erit, quia humanæ mutabilitati se per humanæ naturæ assumtionem subijciet. Voluit enim Dominus, vt notat Augustinus, generatione septuagesima septima descendere, vt eo numero significaret se omnium peccatorum remissionem sæculo adferre; Septuaginta septem enim conflantur ex vndenario septies repetito: Vndenario autem, qui denarium (quo lex continetur) saltem vnitate transgreditur, significatur peccatum, quod est transgressio legis. Septenario verò designatur vniuersitas, eò quod per septem dies cuncta euoluantur sæcula. Vndenarius itaque multiplicatus per septenarium, quid portendet nisi Christum incarnatione sua nobis adducere omnium peccatorum remissionem? Quam etiam Dominus significauit, cum dixit: Dimitte septuagies septies. i. omnia eius in te peccata. Itaque compermanebit quidem soli in omni generatione & generationem, quia nunquam, ne incarnatus quidem suam deseret immutabilitatem, sed non permanebit ante Lunam in omni generatione & generationem, quia generatione septuagesima septima *descendet*, non mutando locum, nec suam exuendo immutabilitatem, sed seruilem formam, & quæ ad eam naturaliter & pœnaliter consequuntur superinduendo, ita vt per hanc formam superindutam, ipse Deus homo sit; æternus, sit in tempore; immensus, sit in definito loco; qui in cælis regnat, in terris stadium decurrat. Descendit itaque siue demisit se Deus, quia maiestate permanens per omnia immutabilis & immotus, hæc quæ dicta sunt, & his multò inferiora, sua fecit, eademque de se veraciter voluit prædicari. *Descendet* autem *sicut pluuia*. Comparatur descensus Verbi pluuiæ, vt per aquarum abundantiam quam infundit pluuia, designetur nobis plenitudinem Verbi ad incarnationẽ se demisisse, vt notat Ber. *In vellus*, vt enim pluuia in vellus placidè illabitur, ita verbum in vterum virginis placidum & insensibilem habuit descensum, inquit Tertull. consentiente Bernardo. *Et sicut stillicidia*, quę hic idem sunt quod pluuia, Stillicidiorũ nomine appellata, quia non in torrentis modum inundat, sed per stillas guttatim decidit. *Stillantia super terram*. Vt enim pluuia in terram decidens, inebriat, inquit Isaias, & infundit eam, & germinare facit eam, sic, teste Epiph. Verbum in virginem descendens, adduxit eidẽ sine viri opera fœcunditatem, vt terra illa virginei corporis daret fructum suum. Et sicut pluuia, vt ibidem obseruat Epiph. transfertur in naturam vniuscuiusque

6. *de consen. Euãg li. 2. cap. 4.*

Ser. 2. super Missus est.

Tert. 3. con. Marc ca. 9.

Epiphan in hær. 74.

plantæ & arboris quam rigat, secundum propriam speciem vniuscuiusque, (transsubstantiatur enim tam in vitem quam in oleam, & sic de reliquis) ita Verbum, non quidem in substantiam hominis transiuit, sed ex vtero eius in quam descendit, ac materia humanæ naturæ carnem matri consubstantialem fecit, eamque sibi in vnitatem suppositi copulauit. Cæterùm quanquam prædicta verba hunc, quem dedimus, sensum vt proprium habeant & primarium, pulchrè tamen iuxta Hilarium & Augustinum accommodantur spirituali descensui Verbi in mentes hominum, in hunc modum: *Descendet sicut pluuia in vellus*, quia idem ipsum Verbum se ad notitiam hominum prius demittet sub imaginibus & figuris rerum carnalium. An non enim doctrina Christi decidebat in mentes veteris populi sicut pluuia in vellus, cum populus ille cognitionem Christi non apprehenderet, nisi sub figura agni, ouis, hirci, rerumque similium? Iterum descendebat prius ad hominum cognitionem, *sicut pluuia in vellus*, quia vmbrosa illa Christi cognitio nullam gentem occupabat, præter Iudæam exiguo terræ spatio definitam; erat enim illo tempore iuxta ænigma Gedeonis in omni terra siccitas, & ignorantia Christi: Postmodum verò siccato vellere, *descendit*. i. ad hominum cognitionem se demisit Verbum *sicut stillicidia stillantia super terram*, quia desertis Iudæis, vniuersa terra pluuiã doctrinę Christianę accepit, eamque non sub figura rerum carnalium vt prius; sed claram, puram, luculentam & à prioribus inuolucris expeditam. Vnde dicit in persona eorum Apostolus, nos omnes reuelata faciẽ gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à spiritu Domini.

Hilar. in Psal. 67. Aug. serm. 108. de tempore.

7. *Orietur in diebus eius*. i. temporalis vitæ eius, *iustitia*, *& abundantia pacis*, tum propter multitudinem eorum qui ad iustitiam illis diebus conuertendi sunt, tum propter iustitiæ & pacis vbertatem; Vbertatem dico, Gratia enim, inquit Leo, per Christum aucta non cepta est. Pax autẽ hæc increscet, *donec auferatur luna*. i. omnis mutabilitas atque mortalitas vsq; ad corporis immortalitatem, inquit August.

Serm. 3. de Natiuit. Aug. epist. 119. ca. 6.

8. *Et dominabitur*. i. Potestas eius atque imperium effectum sortietur, *A mari vsque ad mare*. i. per omnem terram quæ Oceano vndique cingitur, quia per eam dilatabitur Ecclesia, *& à flumine* Iordane scilicet, vbi per vocem Patris dicentis: Ipsum audite, magisterij & prædicandi authoritatem, per quam regnum suum erat vsque ad terminos orbis terrarum propagaturus, accepit. Versiculo hoc frequentissimè vtuntur veteres, & præsertim D. August. contra Donat. ad probandum Ecclesiam non posse esse ad vnum orbis angulum contractam. Valet quoque ad confutandum eos; qui dicunt, Ecce hic est Christus aut illic. Cùm autem regnum Salomonis vsque

vſque ad terminos orbis terræ ſe nunquam extenderit, colligunt hinc Tertull. & Hieron. hunc Pſalmum ad literam de Salomone intelligi nō poſſe: Sicut nec illud, Permanebit cum ſole & ante lunam, & quædam alia. *loco cita et Hier. in ca. 11. Daniel.*

Coram illo procident Æthiopes.q.d.horridum illud & deforme hominum genus. *Et inimici eius terram lingent*.i.ſubiecti erunt,inquit Tertul. Huiuſmodi enim corporis geſtu ſumma quædam ſubiectio deſignatur. Non ſolum autem populi ſubiecti erunt, ſed etiam 9.

Reges Tharſis & inſulæ; In eo quod dicitur, *Inſulæ*, intelligendum datur, inquit Auguſt. quam nulla pars orbis terrarum relinquenda ſit vbi non ſit Eccleſia, quando nulla relinquitur Inſularum, *munera offerent* in recognitionem ſummi eius dominij. Alluditur autem ad id quod Regi Salomoni vicini offerebant munera. *Reges Arabum & Saba dona adducent*. Impletum eſt id iuxta Tertull.in Magis,qui Chriſtum infantem muneribus coluerunt. Illi enim ex Arabia ſecundum probabiliorem ſententiam aduenerunt. 10. *Epiſt 80.* *Tertull. 5. cont. Mar. cap. 13.*

Et adorabunt eum omnes reges terræ, quia ſucceſſu temporis nullum erit regnum, cuius reges non ſint ſuo tempore conuertendi. *Omnes gentes ſeruient ei*. Oportet proinde, inquit Auguſt. vt in omnibus gentibus aliquando futura ſit Eccleſia, nō vt omnes qui ſunt in gentibus credant. Cauſa autem huius conuerſionis eſt, 11. *Epiſt. 80.*

Quia liberabit pauperem. i. virtutis meritorumque inopem, imò multis demeritis locupletē. *A potente*.i.diabolo,qui vt fortis armatus cuſtodiens atrium ſuum,qua vi poterat eos in incredulitatē concludebat. *Et pauperē*, q.d. Pauperem inquā *cui non erat adiutor*,eo ergò maiore animi gratitudine eius auxilium eſt proſequendum,quia fuit in ſumma neceſsitate vnicum. 12.

Parcet pauperi & inopi. Prædicitur eius clementia, qua ab infirmis, attenta eorum imbecillitate, non requirit extremum gradum charitatis, gratitudinis, pœnitentiæ, bonorum operum, & reliquorum quæ poſſet à ſingulis his requirere, ſi exigeret id quod ſibi par eſt præſtari; ſed parcior erit in exigendo. Lex enim clementiæ in ore eius. *Et animas pauperum ſaluas faciet*.i.ad ſalutem æternam per donum perſeuerantiæ perducet. 13.

Ex vſuris. Per vſuras intelligit Ambr. protoplaſtorum tranſgreſsionē. Per modum fœnoris accreuit ei iniquitas totius poſteritatis, eo quod multiplicetur hæc iniquitas quaſi ex ſemetipſa,quia ſine nouo voluntatis opere per omnes multiplicatur. Ex his vſuris redimit,cum peccati originalis reatum dimittit, *& iniquitate*. Cùm iniquitas ſit habitudo mentis iniuſtæ, quādo ex ea redimit, niſi cum ipſius mētis iniuſtitiam infuſo Spiritu ſancto tollit? Proinde peccatum per remiſsionem non tantum raditur, ſed quoad omnia quæ peccati rationem habent, deletur. *Et honorabile nomen illorum* 14. *Ca 4 & 9 de Tobia.*

coram

coram illo. Quos enim viles fecit carnalis ſapientia, neſcimus quam pretio-
Serm. 10. de Quadra. ſos faciat gratia ſpiritualis, inquit Leo, propterea & Dominus apud Hierem.
Hiere. 31. Si filius honorabilis mihi Ephraim ſi puer delicatus, &c.

15. *Et viuet.* Immortalis enim ſedebit ad dexteram Patris: *viuet* etiam, quia de fide & corde Eccleſię nunquam eius memoria aut ſpiritus deficiet. *Et dabitur ei de auro Arabiæ.* vel, quia ſapientes ſeculi ad fidē eius tranſibunt; Vel, quia multi diuitias ſuas illi ad vſum religionis, vel pauperum eius conſecrabunt. Vel ſecundum Tertull. inſinuatur hic iterum oblatio Magorum. *Et adorabunt.* i. Deum venerabuntur. *De ipſo ſemper.* i. ob ea quæ Deus fidelibus in ipſo Chriſto & per eum præſtitit. Poteſt tamen & hic eſſe ſenſus: *Adorabunt de ipſo ſemper*, quia cū Eccleſia ſit corpus eius, cum ipſa actus adorationis ſiue religionis Deo defert, Vnde quæſo illi cenſendi ſunt procedere, niſi de ipſo Chriſto; qui in Eccleſia tanquam corpore ſuo orat, Deum colit, & gratias agit? Vel, cùm ipſe tanquam ſummus ſacerdos preces noſtras & ſacrificia reliquumque latrię cultum Deo Patri offerat, nunquid nō Eccleſia de ipſo adorat, quum adorationes eius de ipſo vt ſummo ſacerdote ad Deum Patrem immediatè perueniunt? Quia tamen Chriſtus ſic nobis natus nobiſque datus eſt, vt tamen & ipſe dederit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret; ideo non tantum de ipſo nobis dato gratias agimus, aut per ipſum; ſed etiam illi ipſi: ſubijcitur proinde, *Tota die benedicent ei.* i. ſine intermiſsione ei ſacrificium gratiarum actionis immolabunt.

16. *Erit firmamentum in terra in ſummis montium*, Pro [*firmamētum*] alij transferendum cenſent frumentum, ſiue placenta. Hi quidem (vt tradunt Hebrææ linguæ periti) nō toto (vt aiunt) cælo aberrant, verùm non ſatis explicant vim & energiam vocabuli Hebræi, quæ plenè explicata erit, ſi legerimus: Erit firmamentum panis in terra. Hoc autem à multis de ſacramento Euchariſtiæ explicatur, quod verè eſt firmamentum panis, quia eſt panis cor hominis confirmans. In cuius explicationis confirmationem pro eo quod nos legimus, *In ſummis montium*, Chaldaica tranſlatio vel paraphraſis legit, erit placentula in capitibus ſacerdotum, cum videlicet ſacra Euchariſtia populo adoranda ſupra capita ſacerdotum eleuatur. Cùm tamen noſtra lectio authentica ſit, illa magis hunc ſenſum videtur requirere. *Erit firmamentum* panis. i. ſanæ doctrinæ, quæ eſt bonus panis, & fidei ſoliditas *in terra.* Dicit *in terra*, habemus enim hoc firmamentum iuxta nos, ita vt non ſit neceſſe infallibile argumentum veritatis à Chriſto per reuelationem aut priuatam inſpirationem de cælo, vt volunt hæretici, petere vel deducere. Et ſi quidem in Pſalmo nihil aliud diceretur, quàm *Erit firmamentum in terra*, arbitrari liceret iſtud firmamentum eſſe Eccleſiam

hic in

hic in terris militantem, eò quòd ipsa sit columna & firmamentum veritatis: Sed quia additur, *In summis montium*, oportebit fateri de alio aliquo firmamento hic esse sermonem. Firmamẽtum enim quod est Ecclesia, non est in *summis* solummodo *montium*, sed est per montes, colles, valles quaquauersus diffusum. Montes verò in quorum summis est hoc de quo Psaltes loquitur firmamentum, metaphoricè intelligendi sunt, eò quod firmamentum terræ ad literam sumptæ, magis in imis quam in summis montium sit. Qui ergo per montes poterunt intelligi, nisi qui in sublimitate sive sublimi potestate positi sunt, quos supra ver. 3. nomine mõtium intelleximus? Quorum montium summa quæ sunt, nisi hi qui inter reliquos montes potestate præcellunt, atque adeo ad potestatis culmen peruenerunt? Vbi autem est potestatis culmen, nisi in sede illius cui dictum est: Tibi dabo claues regni cælorum, siue potestatem regendi Ecclesiam? Qui ergo illi sedi præsident, *summa montium* sunt. In quibus verè est firmamentum panis, siue infallibile fidei & doctrinæ argumentum, quia eis dictum est in Petro: Confirma fratres tuos. Quamuis ergo, vt diximus, Ecclesia columna & firmamentũ veritatis sit, pręter id tamen est & firmamentum veritatis *in summis montium*, quod est quasi firmamentum firmamenti, cui Ecclesia ad sui firmitatem cohæret, sicut domus Rahab meretricis, quæ est Ecclesia, hærebat muro. Quocirca & in Prouerbiis sapientia paruulos & vecordes vocat *Prouerb. 9.* ad arcem & mœnia ciuitatis: vbi ciuitatis nomine Ecclesia indubiè est intelligenda, cuius mœnia siue propugnacula illi sunt, quos posuit in ea Dominus pastores & doctores in consummationem sanctorum, vt non simus velut paruuli fluctuantes. De quibus Isaias: Super muros tuos Hierusalem constitui custodes. Quæ verò ciuitatis huius arx est, nisi sedes Sancti Petri in sublimi posita? quæ, vt arx peculiarem sibi habet munitionem à munitione ciuitatis, cui imminet, nõ dependentem, ita hæc à Christo singularem habet suæ firmitatis ac indefectibilitatis protectionem, quia ei singulariter dictum est in Petro, Non deficiet fides tua. Quæ etiam Ecclesiæ sibi cohærenti, tametsi suis pastoribus per circuitum bene munitæ, singulare præbet firmamentum atque præsidium, velut arx ciuitati. Vocat itaque Sapientia insipientes & vecordes. i. eos qui exercitatos nondum habent sensus ad discretionem boni & mali, nec valent verum à falso ratione atque iudicio discernere, ad arcem & mœnia ciuitatis, inuitans eos, vt firmamento siue infallibili argumento fidei, quod Deus posuit in Romana sede, eiúsque præsidibus tanquam *summis montium*, & simul Ecclesiæ pastoribns ei, vt ciuitas arci, cohærentibus, absque omni erroris periculo fidem adhibeant. *Superextolletur super Libanũ fructus eius*. i. firmamẽti huius. Cuius fructus quis est nisi ille de quo Dominus Apostolis: Posui vos vt eatis & fructum affe-

ratis, ordinans eos vt irent ad congregandam Ecclesiam, & rediret ad eum à quo erant missi, portantes manipulos suos. i. secum adferentes copiosam fidelium messem bonis operibus locupletem? Huiusmodi quoque est fructus huius firmamenti, cuius auspiciis verbum Dei crescit & fructificat in vniuerso mundo, & superextollitur super Libanum, quia Ecclesiæ Christi, inquit Leo, cælo inserenda sublimitas in fidei quam Petrus erat confessus, firmitate consurget. *Et florebunt de ciuitate*; quam Isaias vocat ciuitatem vanitatis, cuius incolæ sunt amatores sęculi. *Sicut fœnum terræ*. Exsiccabitur enim fœnum hoc; & cadet eius flos, quia superueniente amore Dei, deficiet amor & cultus sæculi, sicut dixit Isaias: Exsiccatũ est fœnum & cecidit flos; quia spiritus Domini insufflauit in illud: Vel, *Florebunt sicut fœnum terræ*, quia flos sęculi sicut flos fœni, ait Iacobus, transibit. exortus est enim sol cum ardore & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit: sic & diues in itineribus suis marcescet. Psaltes ergo his per spiritum prophetiæ cognitis ex sua persona subiungit:

Serm 3 de anniu. assump. ad Pont.

17. *Sit nomen eius benedictum in sæcula*. i. omnes quamdiu durabit hoc sæculum audito nomine Christi, ei benedicant, dent gloriã, & gratias agant. *Ante solem permanet nomen eius*. Tametsi enim nomen aliquod ei impositum sit sub cælo & ex tempore; habet tamen nomen æternum, quod sine temporis initio accepit, quod est Verbum Dei, quod nemo nouit nisi ipse, nec est in genere signi: Ideo etiam Dominus cum Moyses ab eo peteret: quod est nomen tuum? mentem eius agnoscens, inquit Ambr. non respondit, nomen, sed negotium, Hoc est, inquit, rem expressit, non appellationẽ, dicens; Ego sum qui sum. Hæc Ambrosius.

In Psal. 43

18. *Et benedicentur in eo omnes tribus terræ*. Ergo gratia Christi non solum in omnia regna, sed multò diffusius etiam in omnes tribus humani generis distribuenda est. Ideo & dicetur huic regi in gratiarum actione: Redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione. *Omnes gentes*, Non tamen ob id omnium gentium singuli homines; vt mox ex Aug. diximus, *magnificabunt eum*. i. magnitudinẽ eius prædicabunt. Porro quia descripta Christi dispẽsatio seu œconomia toti Trinitati accepta ferenda est, ob consilij benigni atque humani cõmunitatem, inquit Dionys. omnisque diuini beneficij ac muneris societatem, subdit Psaltes, etiam gratiarum actionem S. Trinitati, dicens:

De diuin. no. p 1. c 2.

19. *Benedictus Dominus Deus Israhel, qui facit mirabilia solus*. Solus dicit, quia nullus extra eum huius beneficetissimi & admirabilis operis atque consilij consors est. Dicimus extra eum, alludentes ad verba Isaiæ, Extra me nõ est Deus; eò quòd dictio solus attributa alicui ex personis S. Trinitatis ratione operationis quam vocamus ad extrà, aut naturalis dignitatis, non

non excludat vllam aliam S. Trinitatis personā. Est quidem filius solus incarnatus, sed incarnatum esse non est operatio, sed operationis terminus.
Et benedictum nomen maiestatis eius.i. omne nomē quo exprimitur eius 20.
diuinitas sit benedictum, vt eo audito benedicant singuli Dominum. *Et replebitur maiestate eius omnis terra*, quia in omni terra ob inhabitantem fideles Spiritum sanctum, relucebit ex hominum mentibus & moribus quidam splendor præsentis diuinitatis. Quis enim, inquit Leo, illic non præ- *Serm vlt.*
sentem intelligat Dei maiestatem, vbi veram videt apparere virtutem? quę *de Epipha.*
vtique sine Deo nulla est, nec proprietatem obtinet dignitatis nisi spiritu sui vegetetur authoris. Cui prophetię suo tempore implendæ Psaltes suum votum ardenter adiungens, geminato Psalmum concludit optatiuo. *Fiat, fiat.* Quod autē in fine huius Psalmi adiungitur, Defecerunt laudes Dauid filij Iesse, id ad titulum Psalmi sequentis referendum est, si Augustino & Hieron. credimus.

PSALMVS LXXII.

Defecerunt laudes Dauid filij Iesse Psalmus Asaph.

IN hoc Psalmo describitur transitus hominis ab amore temporalium ad rerum spiritualium amorem. Conuenienter itaque in titulo dicitur. *Defecerunt laudes Dauid filij Iesse*.i. laudes illæ quas Dauid secundum carnem, ex carne caro natus, seu potius ex persona hominis animalis canere solet, quia, vbi carnalis homo mox dictum trāsitum fecerit, desinet esse de numero eorum, de quibus scriptum est: Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Exinde enim, pro acceptis terrenis beneficiis non amplius carnaliter laudabit Deum. Inscribiturque Psalmus Asaph, quia illi ad decantandum traditus est.
Quam bonus.i. quantę bonitatis & quam varijs mensuris suam bonitatem 1.
diffundens, ita vt eam etiam in peccatores distribuat, eosque congruis sibi afficiat beneficijs. Solem enim suū oriri facit super bonos & malos & pluit super iustos & iniustos. Quam bonitatem admirabatur Psalmus 35. cùm diceret; Homines & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. *Israel Deus*. i. ille Deus qui nunc temporis à sola gente Israelis colitur, & hanc suam quam hic præcipuè admiramur, bonitatem, suamq; circa temporalem felicitatem prouidentiam, in Israel secundum carnem singulariter demonstrat. *His qui recto sunt corde*. i. qui cor habent nullo sinistro affectu distortum aut perturbatum, quibus *Deus Israel bonus* esse dicitur, quia hæc Dei bonitas ab eis solis agnoscitur ac intelligitur.
Mei autem cum nondum essem corde recto ac benè composito, nec ad 2.

participationem illius bonitatis quam Deus effundit in peccatores peruenissem, *Penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei.* i. Penè in peccatum incidi.

3. *Quia* zelo indignationis *zelaui super iniquos, pacem peccatorum vidēs.* i. obseruans peccatoribus illa bona obuenire, illisque bonis quæ appetunt affluere, ita vt ea affluentia pacatum reddatur eorum desiderium. Putabam enim, (quia diuinæ bonitatis, mãsuetudinis & benignitatis hac in parte consors non eram) id indignum esse & inordinatum. Bonorum autem quibus mali me indignante affluunt, hic quædam libet recensere capita: Quorum vnum est,

4. *Quia non est respectus,* siue vt legit Ambrosius reclinatio *morti eorum.* i. non citò deficiunt aut declinant ad mortem, sicut scriptum est: Iustus
Ecclis.7. perit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore: *& non est firmamentum in plaga eorum,* quia plaga eorum citò transit aut curatur. Diues enim
Eccli 13. commotus, inquit Ecclesiasticus, confirmatur ab amicis, humilis autem cum ceciderit expellitur & à notis, diuiti decepto multi recuperatores, &c.

5. *In labore hominum non sunt.* Cum enim singula quæque hominum genera, inquit Bernardus, aliquid habeant laboris, aliquid voluptatis, aduertere est prudentiam aliquorum, & mirari quemadmodum nouo inter hæc artificio discernentes, & ea ab inuicem sequestrantes, totum quod delectat eligunt & amplectuntur, quod molestum est fugiunt & declinant: & ideo etiamsi sint cum reliquis hominibus in pari vitæ genere, obtinent, vt non sint cum illis pariter in labore vel afflictione. *& cum hominibus non flagellabuntur.* Nouerũt enim se à communibus Reipub. oneribus & plagis eximere, suamque quam ferre deberent partem in aliorum humeros & capita deriuare. Et quod his minus ferendum est,

In declam. sup. verb. Ecce nos reliquimus omnia.

16. *Ideo.* i. ob immunitatem quam sibi improbè vendicant *tenuit eos superbia.* i. insuper in superbiam eriguntur, atque in ea confirmantur, cum insultatione se iis præferẽtes, quibus se iure ac ex æquitate in laboris consortio deberent facere conformes. *operti sunt.* i. scatent *iniquitate* in proximum, *& impietate sua* in Deum, eo quod non patiantur se laboribus hominum coerceri ac dedolari.

7. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum.* i. iniqua opera eorum ex abundantissima cordis malitia processerunt. *transierunt in affectum cordis.* i. à recta ratione se in aduersam partem transtulerunt, vt impotenter faciant ea
Serm 49. in Cant. quæ affectus praui eorum cordis suggerit. Quod faciendum non esse, docet
Ambr. 5. de fid c 8. Bernard. Vel, *Transierunt in affectum cordis,* quia diuina (sub quibus diuina iudicia intellige) ex sui cordis dispositione æstimauerũt, inquit Amb.

8. *Cogitauerunt & locuti sunt nequitiam.* i. sermones à se nequiter excogitatos

tatos in medium proferre, & in vulgus ſpargere non erubuerunt. *Iniquitatem in excelſo*.i.iniquitatẽ quę vociferetur & clamet in excelſo, *locuti ſunt*.
Poſuerunt in cælum os ſuum, blaſphemando Deum. Blaſphemiarum autem quas euomunt vnam hanc dicit eſſe Ambroſ. quod cùm ſibi ſint crimi- 9.
num authores, dicãt ſe neceſsitate quadam fatali peccare. *Et lingua eorum*, 3 de interpel Iob.c.7
i.ſuperbi, impij, blaſphemi ſermones eorum *tranſiuit in terra*.i.in conſuetudinem verſi in prouerbium vulgi abierunt, ita vt vulgus ab eis edoctum, improbos eorum ſermones, tametſi nõ pari impietate, pro more tamen frequentet.
Ideo.i.quia hæc obſeruat & videt impunè fieri ſalua interim & incolumi 10.
eorum felicitate temporali, *conuertetur* intro, ad conſiderationem huius rei *populus meus hic*.i.populus fidelis, ſeu, vt notat Ambr. qui perfectus nõ Serm 7 in pſ 118 v.3
eſt, *& dies pleni inuenientur in eis*. i. tota die velut defixi incumbent in indaginem huius admirabilis negotij.
Et dixerunt.i.primum quod circa hãc rem inquirere incipiunt, iſtud eſt. 11.
Quo modo ſcit Deus & ſi eſt ſcientia in excelſo? q.d. Quomodo hæc tanta vt apparet iniquitas & impunitas conſiſtere poteſt cum eo quod dicitur, Deum omnia ſcire, eiuſque oculos eſſe apertos ſuper omnes vias filiorum hominum? *quia*,
Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo, obtinuerũt diuitias, quorũ 12.
prius eſt vt apparet iniuſtum, inquit Ambr. poſterius verò iniquum, Æquitas enim poſtulare videtur, vt qui abundat diuitijs non obtineat ampliores.
Et dixi: Loquitur Pſaltes in perſona eorundem, ſed in numero ſingu- 13.
lari, ac ſi diceret: poſt dubitationem quæ ex prædictis, eis ingeritur, de ſcientia, ſiue, vt dicit Ambr. prouidentia Dei; etiã apud ſemetipſos diſputant in hunc modum. *Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum*, quia cum iuſtitiæ, vt apparet, præmia impij præ pijs, aut ſaltem vnà cum pijs conſequantur, nulla aut ſaltem nulla peculiaris eſt merces iuſtificationis. *Et laui inter innocentes manus meas*. q.d. ergo fruſtra, vnà cum illis qui abſtinendo ab operibus mortis innocentes dicuntur, ſollicitus fui me à ſordibus peccatorum venialium ſtudioſe emundare.
Et fui flagellatus tota die. i.fruſtra, vnà cum ſorte iuſtorum aſsiduè ad- 14.
uerſa ſuſtinui. *& caſtigatio mea in matutinis*. i. fruſtra poſt quodcũque delictum vna cum eis quos amat Deus, ſtatim præ foribus redargutio mihi & caſtigatio præſto fuit; Deus enim quos amat, arguit & caſtigat. Vel, *Fui flagellatus tota die*.i.in hac diſceptatione cordis mei poſitum ſine intermiſſione percuſsit me cor meum, ſiue, pro huiuſmodi ſermonibus momordit me conſcientia mea, *& caſtigatio mea in matutinis*. i. poſt conſcientiæ remorſum, illuceſcẽte mihi diuinæ lucis matutino, cogitationũ priorũ arcana

Serm. 9. de Quadra. castigare cepit. Quod iustorum esse docet D. Leo. Fuit autem castigatio huiusmodi:

15. *Si dicebam, Narrabo sic*. i. si perrexero hoc quod cepi, nempe, quod impijs feliciter agentibus ego sine causa iustificauerim cor meum, pronunciare, illamque opinionem in vulgus spargere; *Ecce natione filiorum tuorum reprobaui*. q. d. ex illa opinione mea ac sententia sequitur absurdum, reprobatio videlicet omnium iustorũ ac filiorum Dei, quod scilicet & illi frustra coluerint te, nec à te maiore præmio digni habiti sint quam impij. In vtramque igitur partem habens argumenta,

16. *Existimabam*. i. operæpretium iudicabam, *vt cognoscerem hoc*. i. vt operam darem ex hac ambiguitate emergere, & ad veritatis indaginem deuenire. Sed, *labor est ante me*. i. videbam mihi fore laboriosum ab hac me difficultate expedire: Cuius exitum inuenire non potui:

17. *Donec intrem in sanctuarium Dei*. i. penitius introspexero sanctum & abscõditum consilium prouidentiæ diuinæ, *& intelligam in nouißimis eorum*. i. intellexero quid Deus statuerit reddere nouissimis impiorum & iustorum. In hoc autem sanctuario vidit solutionem prædicti ænigmatis. Vidit enim placuisse Deo in sua prouidentia præparare, vt docet August. bona iustis quibus non fruerentur iniusti, & mala impiis quibus non cruciarentur boni; sed in finem. Tempus enim omnis rei, inquit Sapiens, tunc erit, i. in fine huius sæculi, res omnis tam bona quàm mala locum & præmium sibi debitum consequetur. Id autem voluit Deus, vt discerẽt iusti non magni pendere bona, inquit B. August. quæ in hac vita adipiscuntur & mali: & simul discerent non seruire Deo propter bona huius vitæ. Vtrumque autem horum facilè in animos inducerent iusti, nisi iniqui aliquando cum iustis, aliquando autem & præ illis temporalem prosperitatem à Deo consequerentur. Quapropter si præmium iustitiæ condignum & solis iustis repositum, non sine eorum emolumento in futurum seruatur, non est quod dicat infirmus pacem peccatorum videns, ergo sine causa iustificaui cor meum.

(Margin: 1. De ciuit. Dei, ca. 8. — 20. de Ciu. Dei, cap. 2.)

18. *Veruntamen* nec præsentia bona impiis inuidenda, aut diuinæ prouidẽtiæ iudicia propter hæc sunt arguenda, quia bona hæc, malis non magnum emolumentum adferunt. In primis quia, *propter dolos posuisti eis*. Prima facie videtur hic esse sensus. Dedisti eis Domine temporalem felicitatẽ hac intentione, vt ex ea deciperẽtur; Qui sensus impius est, quasi verò Deus in huius rei prouidentia dixerit apud semetipsum quod notum est Saulem dixisse cum maligno animo proponeret Dauidi dare Michol filiam suã vxorem: Dabo eam, inquit, vt sit illi in scãdalum, & sit super eum manus Philistinorum; Absit autẽ: Ex scripturis sacris enim manifestum est temporalem felici-

felicitatem malis à beneuolo, nõ autem malignante Deo prouideri. Itaque ſicut Pſalmo 50. cùm dicitur; Tibi peccaui vt iuſtificeris, particula, *vt*, ita hoc loco *propter*, non cauſam finalem, ſed euentum ſignificat. Sunt enim bona temporalia in muſcipulam quidem pedibus inſipiẽtium, id autẽ prouenit, ex inſipientia eis abutentium, Deo quidem id prę ſciente, ſed nõ prouidente. Cùm ergo contingat impios ex his Dei donis ſibi dolum facere, & laqueum nectere, magis condolendum eſt eis quod temporalibus abundant quam indignandum. Quid refert enim quod quidam eorum ob hæc in ſublime efferantur? *Deiecisti eos dum alleuarentur*, ita vt ipſa elatio ſuperbientium magna ipſorũ depreſsio ſit. Notat proinde D. Auguſt. quod hic 14 *de ciu. cap.* 13.
non dicitur, Deiecisti eos poſtquam eleuati ſunt, ſed, cùm eleuarentur, quia *Greg in* 1.
ipſum eleuari quamuis non appareat, deijci eſt. Decurſis verò huius vitæ, *Reg. cap.* 5.
quos ſibi mali ad pacem habebant, paucis & fugacibus annis;

Quomodo facti ſunt in deſolationem! i. in quantam & quam admirandam 19.
deuenerunt triſtitiam & deſolationem, ablatis iis, (ſed non deſiderio eorum) quibus hic ſecurè fruebantur, & nihil inuenientes ad quod ſe conuerterent, eo quod neſcierint prouidere in poſterum, theſaurizare ſibi in futurum, aut aliquid reponere in diem neceſsitatis, nec fecerint ſibi hic amicos de mammona iniquitatis! Quæ deſolatio ex eo maior erit, quia *ſubitò*. i. ex improuiſo, cùm dicerẽt, Pax & ſecuritas, *defecerunt*. i. exciderunt à ſplendore priſtino & ſæculi proſperitate, ſicut ſcriptum eſt: Et poma deſiderij *Apocal.* 18.
animæ tuæ diſceſſerunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa non inuenient. *Perierunt*. i. inſuper in æternam perditionem deuenerunt *propter iniquitatem ſuam*, quam per proſperitatem ſæculi multis modis exercuerunt, ſibique exercendo adauxerunt. Tum verò, quid profuerit eis ſuperbia & diuitiarum iactantia quid cõtulerit eis? Tum enim

Velut ſomnium ſurgentium Domine, in ciuitate tua. i. cum in gloria ce- 20.
perit eſſe ciuitas tua diluculò ſcilicet futuræ vitæ, *imaginem ipſorum*. i. bona quæ imaginabantur eſſe bona, & erant ſolùm in ſpeciem iucunda; *ad nihilum rediges*, quia facies nihil præteritorum bonorum eos in futurum comitari, ſed ibidem experiri præteritorum bonorum vanitatem atque fallaciam. Idque *velut ſomnium ſurgentium*. Sicut enim ſomniat eſuriens, in- *Iſaia* 29.
quit Iſaias, & comedit, cùm autẽ fuerit expergefactus vacua eſt anima eius; Et ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & cùm fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit; ſic erit multitudo omnium gentium. i. gentiliter viuentium, cum ad futurum ſæculum deuenerit. Proinde tunc dicent illud Sapientis: Tranſie- *Sapient.* 5.
runt illa omnia velut vmbra. Hæc itaque ſunt ob quæ non oporteat zelare ſuper iniquos pace peccatorum viſa. Sed qua ratione tu quiſquis hic locutus es in hanc æmulationem deueniſti?

Quia

21. *Quia inflammatum est cor meum*, æstu indignationis ac zeli *& renes mei commutati sunt*. i. contremuerunt mihi renes præ hac animi mei commotione, sicut & Matathiæ cum accensus est zelus eius. *Et ego ad nihilum redactus sum*, quia zelando prosperitatẽ impiorum, eandem occultè amabam & expetebam. Nisi enim illam amassem, non putassem esse mihi pro ea zelandum; Amor autem temporalium sensim ad nihilum in cõspectu Dei redigit amantem. *Et nesciui*. Putabat enim se spirituali zelo moueri. Ei proinde tunc temporis rectè obijci potuisset illud Christi; Nescitis cuius spiritus sitis. Sed nihil minus quam quod zelo spirituali motus fuissem. Quia

22. *Vt iumentum*. i. non intelligens siue sine intellectu, inquit August. *factus*
10. de Ciu. cap. 25. *sum apud te*, desideraui enim carnis commoda & salutem temporalem quæ hominibus communis est cum iumentis sicut scriptum est, Homines & iumenta saluabis Domine. *Et ego semper tecum*, quia tametsi talium bonorum desiderio fuerim detentus, à te tamẽ non apostataui, nec à dijs alienis hæc quæ amabam mihi volui suppeditari. Quid autem homini sic affecto Deus? Nunquid illum despexit aut in illa infirmitate dereliquit? Non. Sequitur enim.

23. *Tenuisti*. i. appræhendisti sic vt tibi appræhendenti me non subducerem aut subtraherem, *Manum dexteram meam*. i. appetitum meum per quem operarer & quærerem bona quæ à dextris sunt; hunc dico appetitum, appræhendendo siue tenendo, excitasti, accendisti & dirigendum suscepisti. *Et in voluntate tua*. i. secundum propositum bonæ voluntatis tuæ, non secundum merita mea *deduxisti me*. i. in amore & studio æternorum gradatim me proficere fecisti. Atque ad huius progresſionis terminum cum peruenero, dicturus sum, *Cum gloria suscepisti me*. Postquam verò tua ope atque directione in castum amorem tui rerumque spiritualium deueni, præ illorum bonorum præstantia confidenter exclamo.

24. *Quid enim mihi est cælo*, quod ibi carnaliter appetam, sicut filij Zebedæi confessum dexteræ tuæ & sinistræ? *Et à te quid volui super terram*? i. quid est quod nunc super terram carnali desiderio à te requiram? Etsi enim prius cùm essem vt iumentum apud te, hæc à te siue in cælo siue in terra requisierim, sed nunc non, Nunc enim,

25. *Defecit*. i. concidit & in nihilum deuenit *caro mea*. i. appetitus ille carnalium rerum, qui prius in me viguit. Defecit simul *& cor meum*, quia appetitus meus rationalis, qui cordis nomine solet intelligi, iam non amplius sensualitati deseruiens illarum rerum vt prius satagit. Nunc itaque, tu es *Deus cordis mei*, quia cor meum te vt vnicum & summum bonum suum amat atque desiderat, nec aliud abs te, nisi illud propter te, Minus enim te amat qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. Non autẽ addit Psaltes;

Psaltes: Et Deus carnis meæ, inquit August. quia per cor etiam caro mundatur, sicut scriptum est. Mundate quæ intus sunt, & quæ foris sunt, munda erunt. *Et pars mea Deus in æternum.* i. te pro parte & portione mea æterno, & quo nunc sum proposito, nunquam defecturo amore amplector. Id autem propterea addo, *De ciu Dei vbi supra.*

Quia ecce, omnes qui elongant se à te. i. illi qui cum casto amore tibi a- 26.
liquando adhærentes, tibi tam propinqui fuerunt, vt vnus tecum spiritus fuerint, cùm dico, hi ad carnalium amorem se conuertentes, longè (quod ex diuerso rerum tanto interuallo dissitarum amore fieri necesse est) à te recedunt; *peribunt.* i. æterna perditione digni erũt. *perdidisti.* i. vt filios perditionis habuisti *omnes qui fornicantur abs te.* i. qui tuos amplexus deserẽtes ad aliarum rerum amorem se transferunt. Proinde

Mihi autem adhærere. i. immobili amore *Deo* affixum manere *bonũ est*, 27.
quia id per se bonum est, & inde demum omnia alia huius vitæ bona, sicut & æternæ proueniunt. Quapropter prudenter notat August. in his propheticis verbis vim & fructum dilectionis contineri. Vim quidem dilectionis, in eo quod dicitur *adhærere Deo.* i. immobili ac æterno amore eidem adglutinari; fructum verò dilectionis in eo quod dicit, *bonum est*, quia inde omnia bona procedunt. Sed quia charitas huius vitæ, tametsi in præsenti multa bona adferat diligentibus Deum, non tamen omnia quæ expeti possint ac debeant, ideo addit Psaltes: Bonum est mihi *ponere in Domino Deo spem meam.* i. etiam futura bona à Deo per spem cum patientia exspectare. Dico cũ patientia; dicit namque Cyprianus: Tolle charitati patientiam & desolata non durat. Bonum itaq; est mihi ponere in Domino spem meam, *De mor Eccle. cat. c. 16* *de bo pat.*

Vt spe illa in rem conuersa, *annunciem omnes laudationes tuas.* i. plenis- 28.
simam ac dignissimam tibi celebrẽ laudem & gratiarum actionem, *in portis filiæ Sion.* i. in consessu atque cõcilio sanctorum tuorum, qui illius vitæ erunt. Atque hac ratione, Per omnia *Defecerint laudes Dauid filij Iesse.*

PSALMVS LXXIII.

IN principio huius Psalmi deploratur desertio gentis Iudaicæ, & oratione fusa pro eorum qui de illa gente sunt salute, enarratur quanta superbia ac impietate templum, & quæ ad id pertinebant à Romanis euersa sint, sic tamẽ vt sub illa narratione comprehendi censeantur sacrilegia, quæ Antiochus & reliqui impij ac etiam hæretici in sancta Dei sacrilegis manibus admittunt. Et quia Iudæorum delicto salus est gẽtibus, transitur ab his & enarratur virtus quam exercuit Deus in conuersione gentium, quorum religiosa solennia quandoquidem multis locis erãt ab infidelibus exterminanda, petitur in fine Psalmi ob gloriam diuini nominis

minis contra vim illam sacrilegam diuina protectio.

1. *Vt quid Deus*, plangentis vox est, Cuiusmodi sermone etiam vsa est vxor Tobiæ cum absentiam filij sui deplorans diceret; Heu fili mi, vt quid te misimus peregrinari. *Vt quid* ergo, à gratia tua *repulisti* gentem Iudaicam *in finem*, vt tum demum effundas super domum Dauid & habitantes Ierusalem spiritum gratiæ & miserationis? *Iratus est furor tuus*.i.vindicta tua quæ cedit in punitionem & non in emendationẽ *super oues pascuæ tuæ*, i.super populum Israel, quem tanquam gregem ouium deduxisti per desertum, ac manna pauisti & doctrina veritatis.

2. *Memor esto cõgregationis tuæ*. i.huius populi tui, vt saluos facias quosdam ex eis, *quam possedisti ab initio*. Cùm enim separares filios Adam, & diuideres gentes permittendo vt ingrederentur vias suas, hunc populum in maioribus suis tuæ gratiæ tuoque cultui ab initio reseruasti. Illa ergo tua in populum hunc benignitas te nunc ad misericordiam prouocet.

3. *Redemisti*. i. à captiuitate Ægyptiaca eduxisti. Quod dicitur Deus per redemptionem fecisse, ratione rei significatæ. Cùm enim redimere sit mediante ac interueniente iusto pretio id quod captiuum est asserere in libertatem: Dicitur Deus redemisse populum suum ab Ægypto, ratione mysterij, quia populum suum à seruitute sæculi, quam significabat captiuitas Ægypti, liberauit interueniente pretio sanguinis sui. *Redemisti* ergo *virgam*, i.dimensam portionẽ seu partẽ *hæreditatis tuæ*.i.populi tui hęreditar j qui à generatione in generatione in religionẽ patrum suorũ quasi in hęreditatẽ succedebat. Dicitur ergo Iudęa *virga dominicæ hæreditatis*, quia erat pars siue portio Domini. Partes autẽ solent mẽsura virgæ aut funiculi discriminari, & ob id Israel nunc virga, nunc funiculus diuinæ hæreditatis dicitur. *Mons Sion in quo habitasti in eo*. q.d. adduxisti insuper populum tuum ad locum vbi est *mons Sion*. vbi extructo templo in medio populi tui habitasti. Ad quem montem etiam Moyses alludit, cùm dicit in Cantico, Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ. Et Apostolus, cùm dicit: Non accesſistis ad tractabilem montem, &c. Sed quia templum hoc ab impiis suo tempore euertendum est, cum id facere ceperint,

4. *Leua manus tuas*.i.ad morem eorũ qui ferire intentant, leuabis siue præparabis vindictã *in superbias eorum*. Dicunt enim superbiendo, Manus siue virtus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. *In finem*, in fine enim intentatam principio vindictam in eos effundes. *Quanta*. i. quam horrenda, quam indigna, & nefanda *malignatus est*. i.malitiosè machinatus est & exercuit, *inimicus*, *in sancto*.i.in ea quæ ad religionem & populi sanctificationem fuerant instituta.

5. *Et gloriati sunt* Romani *qui oderunt te*.i.odio tui illa perpetrarunt, *in medio*

medio solennitatis tuæ. i. in die Paschæ qui solet esse ad solennitatem tibi, Gloriati inquam sunt, in illo die se hanc tibi contumeliam irrogasse.

Posuerunt iam paulo antè priusquam templum euerterent, *signa sua signa*, tum enim & aquilam auream super porticum templi Herodes & equestrem statuā Adriani Imperatoris in sanctum sanctorū alius quispiā in signa superbiæ suæ constituerūt. Vel, iam euerso templo in locis quæ prius signis victoriarum Dei ope partarum religiosè nobilitata fuerant, ipsi trophæa sui sacrilegij erexerunt. *Et non cognouerunt*, id est, non intellexerunt neque præ oculis habuerunt, vt hæc facerent, *sicut in exitu super summum*, siue desuper, vt legit D. August. Non enim cogitabant hæc facere ea intentione, ex qua à Deo egressus erat sermo vt hæc fierent. Dei namque intentio siue consilium erat abolere Ierusalem & templum, vt ex eorum euersione manifestum euaderet iam venisse Christum. Cùm enim à prophetis fuerit prædictum, quod venturus esset ad templum sanctum suum dominator Dominus, quodque in Ierusalem esset occidendus, necesse erat his exterminatis Dominum iam prius venisse ad templum, ac fuisse occisum. Pulchrè proinde Tertull. aduersus Iud. Redde Iudææ statum, vrbis videlicet & templi, & alium Christum venire contende. Cyrill. vero prædicti exterminij causam esse dicit, vt, quandoquidem absque templo vel tabernaculo non potuit lex magna ex parte seruari, his deletis, Iudęi legalium obseruātiam per omnia desererent. Sed nihil minus. Pertinaciam enim eorum bene depinxit Ieremias in hæc verba. Cumq; non possent, euerso scilicet templo omnia, imò præcipua legalis obseruantię præscripta seruare, tenuerunt lacinias suas. i. à solido abruptas & dilaceratas quasdam laniatę suę religionis partes mordicus sibi reseruauerunt. Cùm ergo Deus hoc consilio voluerit Ierosolymam & templum euerti, & poterat illa euersio religiosè fieri, Romani Dei consilium impio animo & intentione impia perfecerūt. Proinde Deus *leuando manus suas in superbias eorum*, non quod ipse per illos agebat aut intendebat, sed quod ipsi voluerunt, ait Aug. eis retribuit. 6.

Cap. 13. Cyrill. 9 in Iul. Thren. 4.

Quasi in silua lignorū securibus exciderūt ianuas eius in idipsum. i. certatim ianuas tēpli & exedrarū exciderunt ea petulātia qua ligna in siluis exciderēt. *In securi & ascia deiecerūt eā*. Vrbē Hierosolymā & quæ erāt in ea. Huiusmodi enim fabrilibus instrumētis etiā vsi sunt ad euertendā ciuitatē. 7.

Incenderunt igni sanctuarium tuum. i. templū de quo dicit Isaias; Domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, vbi te laudauerunt patres nostri facta est in exustionē ignis. *In terra*. Dicit *in terra*. Vel, quia ad sanctuarium cæleste nō pertingit manus eorum, Vel, quia insinuat huiusmodi impietatem & sacrilegium ab infidelibus per vniuersam terram suis temporibus fieri. *Polluerunt*. i. ignominia ac contumelia dehonestauerunt *Taber-* 8.

naculum nominis tui.i.templum, in quo prius prædicabatur, laudabatur, celebrabatur nomen tuum. De quo ipse dixisti. Erit nomen meum ibi.

9. *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul*.i.omnes illi qui tametsi natione distincti, impietate tamẽ sacrilega sunt cognati; Ex quo apparet Psalmum hunc extendi ad quosuis sacrilegos, eumque propterea ab Ecclesia cuiusuis publici sacrilegij tẽpore conuenienter frequentari. Hæc ergo tota eorum cognatio, vno sensu eademque sententia dixit: *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.* Et quia dies festi ad cultũ Dei instituti sunt, quid sibi hoc compromisso aliud volunt, quam vt cessare faciant omnẽ Dei cultum à terra? His malis accedit quòd subdit Psaltes in persona Iudæorum deplorantium hæc.

10. *Signa nostra*, quæ & cuiusmodi videbamus cum Heliodorus templum prophanare vellet, *non vidimus*. *Iam non est propheta*, quales erant in populo tempore Babylonicæ captiuitatis. *Et nos non cognoscet amplius*.q.d. & si esset propheta, nõ agnosceret nos eos esse quibus prophetare deberet. In quem sensum etiam illud accipi debet, quod pro hoc eodem tempore in persona Iudæorum dicit Isaias, Abraham nesciuit nos. Per hæc enim verba non datur ab Isaia intelligi Abraham ignorasse illa quę fiebant circa populum, sed non agnouisse eos pro suis filiis. Idque, donec veniat Elias & cõuertat cor patrum ad filios, quia conuersis Iudæis, patres eorum Abraham Isaac & Iacob, denuo amabunt eos vt filios.

11. *Vsquequo Deus improperabit inimicus*. i. cultum veræ religionis nobis in improperium obijciet. *Irritat aduersarius nomen tuum.* i.illa quæ de te communi fidelium sermone prædicantur & celebrantur, vana & inania facere satagit?

12. *Vt quid*, sermo est piè cõquestuosus, *auertis manum tuã*, non protegẽdo. *Et dexteram tuam de medio sinu tuo*.s.non profers, sed eam velut in sinu tuo contines, idque *in finem*, vt tunc demum eam ad vindictam proferas? Absit autem, non auertit Deus manum suam nec dexteram suam de medio sinu suo in finem. Deserta enim gente Iudaica eo quod ipsa regem suum à se repulisset.

13. *Deus autem rex noster ante sæcula*.i.qui cùm sit ante sæcula regit omnia sæcula, *operatus est salutem in medio terræ*. i. illo tempore salutem quam propagaturus erat vsque ad extremum terræ, operari cepit in medio terræ.i. Hierosolymis, quæ teste Hieron. est vmbilicus terræ. Idque, vel quia ibi in salutem totius terræ crucifixus est Christus, vt intelligunt Hieron. & Beda. Vel, quia ibi primò noui testamenti congregauit Ecclesiam, in totius mundi salutem vbique propagandam. Quo autem medio, quáve ratione hanc salutem in medio terræ operatus est?

Hier in ca. 5. Ezech. Bed de loc. Sanct c. 5.

Tu con-

Tu confirmasti.i.quadam immobili virtute, ita vt ne quidem ministrorum iniquitate infirmari posit. *in virtute tua*, quam nemo eneruare potest, *mare*.i.baptismi sacramentum per mare rubrum præfiguratum, nam omnes qui illud pertransierunt, in Moyse baptizati sunt in mari. *Contribulasti capita draconum in aquis*, quia per aquas baptismi caput siue principatum dæmonum, cum magna eorum afflictione deiecisti. Dicit proinde Cypr. Scias diaboli nequitiam pertinacem vsque ad aquam salutarem manere, in baptismo verò omne nequitiæ suæ virus amittere, & quæ sequuntur. 14. Epist. 76.

Tu confregisti capita draconis, quia & aliis modis, aliquando sanctorum tuorum imperio (vt sententia Pauli qua indixit mago, qui quærebat auertere proconsulem à fide, cæcitatem) aliquando exorcismis dominatum ac violentiam dæmonum ad nihilum redegisti. *Dedisti eum escam populis Æthiopum*, quia à pœnitentibus & iustis exturbatus, solos impios qui Epiphanio populi Æthiopum sunt, malis suis artibus & promissis, inquit D. Hieron. saginat. 15. Epiph. hær. 27. Hieron. in c 33. Ezec.

Tu dirupisti fontes & torrentes. Aperuisti enim ora Apostolorum, & eorum qui ab illis eruditi sunt, vt de intimis pectoribus suis abũdanter proferrent fluenta euãgelicæ doctrinæ. *Tu siccasti fluuios Ethan*.i.fluuios fortes, inquit Hieron. Per quos intelligitur affluentia rerum huius sæculi, quæ tam fortis est, vt plures inuenias à copia quam inopia rerum sæcularium fuisse deuictos, obrutos ac superatos. 16. Hier. de 40 mãs. mãs. 7

Tuus est dies. A te enim illuminati lumine tuo clari sunt & illustres quicunque sunt filij diei. *Tua est nox*, quia in tua potestate sunt & à tua misericordia repulsi non sunt illi qui adhuc in tenebris versantur, vt noctem eorum vertas in diem, & ponas tenebras eorum coram ipsis in lucem. *Tu fabricatus es Auroram*.i.eos qui in primordijs suæ illuminationis consistũt. *Et solem*.i.fecisti & eos qui ad perfectam lucem & ardorem pertigerunt. 17.

Tu fecisti omnes terminos terræ. i.erexisti Ecclesiam per omnes terminos & fines terrę. *Æstatem*.i.tempus maturitatis & messis. *Et Ver*.i.tempus sementis. nam hæc sibi tempora habet Ecclesia; Non ignorans quando sibi seminandum sit, quando de suorum maturitate gaudendũ; *Tu plasmasti ea*. Tua enim hæc omnia opera sunt quæ egisti, cum circa Iudæam videreris dexteram tuam in medio sinu tuo ad quietem reclinare. Attamen, sicut populus Israel Dei magnalia prius expertus, ob peccata sua vna cum illis quę suæ erant religionis, manibus inimicorum ac infidelium, vt audiuimus, traditus est; ita populus Christianus etiã ob peccata sua manibus hæreticorum affligendus, cultusque Christianæ religionis ijsdem euertendus, ob peccata eorum, tradetur. Quod cùm fiet, infideles illi non improperabunt populo sua peccata, tanquam ob illa sibi hæc licuerint, sed impropo- 18.

rabunt Domino imbecillitatem tanquam qui nõ valeat hæc efficaciter prohibere. Id enim improperant Domino quidem in suis cordibus: Ore autem idipsum improperant Christo in sacramento corporis & sanguinis sui. Et etiam in sanctis suis, in quorum tamen manibus gladij ancipites ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis. Cùm ergo hæc ita fiant, fideles qui sciunt hæc ob sua peccata fieri, (data est enim potestas cõtra iuge sacrificium propter peccata, inquit Daniel) nõ habentes merita per quæ possent Deum, vt prohibeat hæc, obsecrare, allegant eidem improperia infidelium, quæ cedunt in iniuriam diuini nominis, vt Deus saltem ob gloriam nominis sui dicta sacrilegia atque blasphemias prohibeat, & dicũt.

19. *Memor esto huius.* Cuius? *Inimicus improperauit Domino.* Vt videlicet ad auertenda improperia sancti nominis tui eorum studia cohibeas. *Et populus insipiens*, qui stolidè ignorat hæc non per imbecillitatem virtutis tuæ, sed ob peccata populi tui permitti. *Incitauit nomen tuum.* i. blasphemiis suis incitauit te, vt propugnes nomen tuum, ac gloriæ nominis tui habeas rationem.

20. *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.* i. ne permittas eos qui confitentur tibi quod iustus & verus sis, quodque ipsi peccauerint tibi, deuenire in potestatem eorum, qui membra sunt illius bestiæ quam vidit Ioannes similem pardo ob varietatem, habentem pedes vrsi per stupiditatem, & os sicut os Leonis, quia nihil nisi sæua loquitur & blasphema. Hæc ergo ora-
2 Mach 10 tio coincidit cum oratione Machabæorum, qui è potestate infideliũ eruti, prostrati in terram rogabant Dominum, vt si quando iterum peccassent, mitius ab ipso corriperentur, & non traderentur barbaris & blasphemis hominibus. *Et animas pauperum.* i. paupertatem suam agnoscentiũ, *tuorum* quales tu, vt tuos diligis: *ne obliuiscaris in finem.* i. Ne eis subuenire differas in finem, sed opem gratiæ tuæ etiam in præsenti vita eis exhibe.

21. *Respice in testamentum tuum.* Hæc oratio propriè spectare videtur Iudæos, vt circa eos impleat Dominus illud testamentum de quo Apostolus. Veniet ex Sion qui auferat impietatem à Iacob, & hoc à me testamentum illis cum abstulero peccata eorum. In quibus verbis prædicitur conuersio Iudæorum circa finem sæculi. *Quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ, domibus iniquitatum.* i. quia Iudæi corda habent plena iniquitate, eò quod amor *terræ.* i. rerum terrenarum eos excæcauerit. Cùm itaq; multis grauentur demeritis, vt eis subuenias, respice in testamentum tuum. Quæ tamen oratio etiam accommodari potest Christianis terrę immersis, vt intelligatur super eos inuocari testamentum Domini nouum, quo promisit sine præuijs meritis homines & tenebris & vinculis suis educere.

22. *Ne auertatur humilis factus confusus.* i. ne repellatur ab auribus tuis

oratio

oratio eius ad confusionem vultus eius. *Pauper & inops*, qui absque confidentia meritorum suorum gratiam à te ambiunt, & requirunt, *laudabunt nomẽ tuum*, cum contrà superbi omnia à te accepta arbitrentur sibi deberi, & ob id non referant tibi debitas laudes. Itaque ob gloriam nominis tui exaudi nos.

Exurge Deus, iudica causam tuam, periclitatur enim nunc gloria nominis tui, *memor esto, improperiorum tuorum, eorũ quæ ab insipiente sunt* 23.
tota die.i.memor esto, facta rerum commutatione, finem imponere improperijs, quæ tibi tuisque institutis infideles sine intermissione irrogant.

Ne obliuiscaris voces. i. contumelias ac blasphemias *inimicorum tuo-* 24.
rum, qui tibi, eo quod inimico in te sunt animo, nec credere volunt, nec ab alijs credi cultumque exhiberi permittunt. Nec quæso diu differas horum malorum recordari, dilatio enim non cedet eis in emendationem, quia *Superbia* cuius filiæ sunt contumelia, irrisio, blasphemia, *eorum, qui te oderunt, ascendit*. i. increscit, ac maiora effundit *semper*, quamdiu sibi permittitur.

PSALMVS LXXIIII.

In finem ne corrumpas psalmus Cantici Asaph.

DEscribuntur hoc Psalmo quædam, quæ in extremo iudicio facturus est Christus, inscribitur proinde per modum admonitionis, *In finem ne corrumpas*, quia lectione huius Psalmi admonemur, vt præseruemus nos ab æterna illa corruptione, quam in illo die haurient peccatores terræ, ex fœcibus calicis furoris omnipotentis Dei. Prioribus autem Psalmi verbis loquuntur Christiani enarrantes officium suum, quoad illa quæ Dei sunt: & dicunt,

Confitebimur tibi Deus, confitebimur confessione laudis & gratiarum
actionis; *Et inuocabimus nomen tuum*.i.orationibus operam dabimus, quas 1.
à laudibus Dei ordiendas esse ex D. Basil. in Psal. 17. diximus.

Narrabimus mirabilia tua, vt ea deducamus in notitiam aliorum ac ob
ea apud omnes sanctificetur nomen tuum. Christianis verò hæc sibi studia 2.
proponentibus, & his vacantibus respondet Christus. *Cùm accepero tempus*. Secundum humanam naturam loquitur, secundum quam accipit tempus sibi oportunum, qui secundum naturam diuinam idem sibi præstituit, atque vt D. Athan. loquitur, adducit. *Cùm* ergò inquit *accepero tempus*. Atha. apol.
extremo iudicio destinatum. *Ego iustitias iudicabo*. i. iustum iudicium fug. suæ.
tam in bonos quam in malos exercebo. Instante verò iudicij die,

Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea. i. vigor fidei ac chari-
tatis, tam in illis, qui in repub. aliorum velut basis sunt, quam in alijs qui 3.
hisce

hisce basibus innituntur elanguit, & solutus est, vsque adeò vt dixerit Dominus: Filius hominis veniens putásne inueniet fidem in terra? Interim tamen, *Ego*, inquit Christus, *confirmaui*. i. in fide & iustitia conseruaui *columnas eius*, quo nomine Ambr. & Cyrill. intelligunt Apostolos & Præpositos quibus tota structura Ecclesiæ Dei innititur. In medio enim liquescentis terræ & habitantium in ea, Dominus multos ex Ecclesiæ præpositis in auita fide & integritate confirmat, vt in expositione nostra in Cant. Cant. quodam loco ex Cypr. demonstrauimus, per quos confirmat reliqua quæ moritura erant, ita vt Ecclesia etiam illo tempore tota, siue per omnia membra sua pulchra sit & formosa. Tametsi itaque Ambr. alibi columnarum nomine intelligat, quosuis qui vincunt hoc sæculum, Dicatque de illis hoc loco dici, *ego confirmaui columnas eius*, videtur tamen prior eius expositio conuenientior, tum quia columnarum nomine præpositi Ecclesiarũ solent intelligi, Dicente Apostolo de Iacobo Cepha & Ioanne quod videbantur columnæ esse; Tum quia per talem intellectum non solum indicatur quod illi qui habitant in terra siue populi confirmati sint, sed indicatur ordo per quem sunt confirmati, Operâ videlicet & exemplo suorum præpositorum. Porrò, per columnas has & eos qui ab illis confirmati sunt, qui, vt imminente diluuio Noë, sic hoc rerum statu erunt iustitiæ & pœnitentiæ præcones; per hos inquam:

Ambr. 1. de interp. c. 5. Cyril. 12. in Ioã. ca. 55. — Amb ser. 5 in psa. 118 vers. 6.

4. *Dixi iniquis, nolite iniquè agere*, quod est, peccatum ab ipsis committendum prohibere. *Et delinquentibus*. i. illis qui peccata iam committunt vel admiserunt, *Nolite exaltare cornu*. i. nolite cristas erigere & gloriari cum malè feceritis, vel, nolite erecta ceruice in impœnitentia perseuerare, inquit Gregorius.

Past cur p. 3. adm 31

5. *Nolite*, inquam, *extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui aduersus Deum iniquitatem*, Dicentes: nõ videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. vel, Vbi est promissio aut aduentus eius, ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant sicut à principio creaturæ. vel, Percussimus fœdus cum morte, cum inferno fecimus pacem, flagellum inundans cum transierit, non transibit fines nostros. Hæc omnia enim & similia tum temporis maximè dicenda sunt ab ijs qui fruuntur hoc sæculo; Sed iniquè in Deum dicuntur, continent enim contemptum diuini iudicij imminentis.

2. Pet. 3. — Isaia 28.

6. *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus*. i. quia nulla parte poteritis iudicium imminens effugere, nullísque desertis ab illo vos abscondere. *Quoniam Deus iudex est*, qui dixit per Sophoniam. Congregans congregabo omnia à facie terræ. Et per Ioëlem. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & ibi disceptabo cum illis. Omnibus verò ad iudicium congregatis,

Sophon. 1. — Ioel. 3.

Hunc

Hunc humiliat & hunc exaltat, quia ex omnibus quosdam secum sursum ad gloriam euehet, alios verò in profundum laci detrudet atque demerget. Id autem faciet, non pro mero arbitratu aut potestate sua, sed *quia calix in manu Domini*. Tum temporis enim assumet Christus in manũ *calicem*. i. retributionem siue partem atque portionem quæ vnicuique debetur: Calicis enim nomine retributionẽ significari supra diximus. Qui quidem calix est, *vini meri*, quia meracus in isto calice potus est quo inebriabuntur, qui eo digni fuerint, ab vbertate domus Dei. Quid enim meracius diuinitate? *Plenus misto.* quia iustitiam Deus misericordia temperat, inquit Hieron. Hoc autem rectè additur cum huius vini meri fit mentio, quia rarissimus vini illius copiam consequitur, nisi prius iudicium eius misericordia temperetur. Hunc autem calicem non sine discrimine in omnes effudit: sed, *Hier. in c. 3 Malach.*

Inclinauit ex hoc in hoc, siue vt alij legunt, *ex hoc in hunc*, quia vnicuique eorum quos exaltabit ex eo sigillatim dabit potum, ita vt singuli peculiarem sibi partem siue portionem ex hoc calice accipiat: Vt etiam ex hac metaphora appareat in retributione non omnes fore æquales, siue vno, quod aiunt, succo sine discrimine perfusos. *Veruntamen*, siue, nihilominus, *fex eius non est exinanita*, quia quamuis calix iste sit *vini meri*, est tamen in eo & *fex*, quam *bibent omnes peccatores terræ*, quia bibent de calice vini furoris omnipotentis Dei, qui potus rectè comparatur fecibus, quia, vt inquit Isaias, amara erit potio bibentibus eam. Interim tamen non est prætereundum quod hic dicitur, *fex eius non est exinanita*, quia, vt præclarè hunc locum interpretatur Ambros. inclinat quidem Christus calicem, (ex eo enim potum fellis dat etiam impiis) sed non euacuat, quia plenitudinem iræ suæ non effundit. Quod ergo inclinat, censuræ est; Quod non euacuat, est misericordiæ, quia iudicium quoque cum misericordia temperat Dominus Deus noster. Hæc Ambr. Ex quo loco satis testatum euadit impios in futuro sæculo mitius esse puniendos quàm merentur, præsertim cum nec Augustinus hanc sententiam improbauerit. 8. *Ser. 20 in Ps. 118. v. 4* *21 De ciui. Dei. ca. 24*

Ego autem (inquit Ecclesia) *annunciabo in sæculum*, non enim cessat Ecclesia futurum Dei iudicium prædicare, *Cantabo Deo Iacob* misericordiam & iudicium. 9.

Et omnia cornua. i. omnem superbiam & arrogantiam, virtutem ac potẽtiam *peccatorum confringam*. i. ad nihilum redigam, cùm Christus acceperit tempus iudicandi iustitias. Hoc dicit Ecclesia ratione Sanctorum suorum, quia cùm in illa die Dominus iuxta vaticinium Isaiæ, incuruauerit ciuitatem sublimem, siue sæculi superbiam, humiliaueritque eam vsque ad terram, & detraxerit vsque ad puluerem, tunc conculcabit eam, vt idem ait, pes, pedes pauperis gressus egenorum. *Et*, eodem tempore, *exaltabuntur* 10. *Isaiæ 26.*

 cornua

cornua iusti. nam iusti tunc temporis absque omni superbia, fastu, vel arrogantia cristas erigent.

PSALMVS LXXV.

In finem in laudibus Psalmus Asaph, Canticum ad Aßyrios.

CVm in hoc Psalmo bona ex parte describatur extremum iudicium, non abs re inscribitur *ad Assyrios*, per iudicium enim illud implebit quod se facturum iurauit Dominus, cùm per Isaiam diceret: Si non vt mente tractaui ita erit, vt conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum. Quod quidem de exercitu Sennacherib ad literam intelligendum videretur, nisi sequeretur: Hoc consilium quod cogitaui super omnem terram, & hæc est manus extenta super vniuersas gentes. Itaque Assyrius incircumcisus cum vniuersis gentiliter viuentibus in die iudicij in terra Domini conterendus est, vt in posterum non gerat iniqua in terra Sanctorum. Dirigitur etiam Psalmus *in finem in laudibus* in die enim iudicij, *Cogitatio hominis*, vt habet Psalmus, *confitebitur Domino, & reliquiæ cogitationis diem festum agent ei.*

Isaia 14.

1. *Notus in Iudæa Deus.* Tametsi in gentibus non ignotus fuerit Deus, inquit August. Hæc est enim, ait, vis veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti non omnino ac penitus poßit abscondi; Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium deprauata est, vniuersum genus humanum Deum mundi huius fatetur authorem. In hoc ergo quod Deus fecit hunc mundum cælo terraque conspicuum, etiam antequam imbuerentur fide Christi, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem quod Deus non est iniuriis suis cum dijs falsis colēdus, notus in Iudæa Deus. Hæc Augustinus. Secundum Aug. ergo, *notus in Iudæa Deus*, quia sola gens Iudæa decalogo, quem sola accepit, erudita, sciebat non esse sibi deos alienos habendos coram Domino, siue, deos falsos sibi non esse vna cum vero Deo colēdos. Ex cuius etiam verbis manifestè apparet notitiam vnius Dei naturaliter haberi posse; Qui proinde cum alibi dicere videtur vnius Dei notitiam non posse haberi nisi munere diuinę gratiæ, intelligi debet id dicere de illis, quibus per gentilitios errores natura nimium, vt mox dixit, deprauata est. Qui enim notitiam vnius Dei superstitione perdiderunt, aut etiam ingenij hebetudine assequi non potuerunt, non assequentur eam, nisi humani erroris atque ignorantiæ tenebras lux diuinæ gratiæ dispulerit. Cùm tamē in Psalmis, posterior versiculi pars fere soleat explicare priorem, videtur Psalmus potius loqui de notitia earum rerum, quæ de Deo cognosci non possunt nisi per reuelationem, quia sequitur: *In Israel magnum nomen eius*.i. In Israel habetur notitia illius magni nominis Adonai, quod Deus Abraham, Isaac,

Tract 106. *in Ioan.*

Iſaac, & Iacob, & gentibus non indicauit. Et ſimiliter, *in Iraël magnum nomen eius*, quia Deus annũciauit verbum ſuum Iacob, & iuſtitias ſuas Iſraël, non faciens taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtans eis. Itaque Iudæorum atque Iſraelis ſecundum carnẽ, eorúmve qui erant ſub lege prerogatiua fuit de Deo per reuelationem quædam noſſe, quę cuiuſuis ingenij humani ſagacitatem atque virtutem excedunt. Quia tamen per hanc prærogatiuam eis data eſt ſterilis cognitio myſteriorum Dei, ſubiungitur in Pſalmo, quod præſtantius eſt, & dicitur:

Et factus eſt in pace locus eius. q.d. Poſt legem verò dedit Deus pacem 2.
hominibus eos reconcilians ſibi, eoſque per donum charitatis, quæ non eſt niſi in reconciliatis, inhabitans. Itaque pax qua mediante factus eſt Deo locus in nobis, eſt fructus, ſiue effectus noſtræ cum Deo reconciliationis. Sed præter eam eſt quædã pax nobis neceſſaria, non tam vt Dei habitatio quàm eius operatio ſit in nobis, quæ pax poſita eſt in paſsionum noſtrarum ac appetituum quiete quadam ac tranquillitate. Fructus ſiquidem inhabitantis Dei, quæ eſt eius (quatenus in hac vita haberi poteſt) fruitio, inſpiratio, inoperatio, à nobis non percipitur niſi animo pacato, & à perturbationibus, tametſi nõ magnopere illicitis ſiue mortiferis, immuni, libero & expedito. Dicit proinde Tertull. Deus præcepit Spiritum S. vtpote pro bono ſuæ naturæ tenerum & delicatum, trãquillitate & lenitate, quiete & pace tractare, non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare. Quem paulò pòſt inquietari teſtatur quauis tacita noſtri ſpiritus paſsione ſiue paſsionis cõmotione. Qui proinde alibi deplorat Chriſtianos motibus paſsionum ſuarum fructui inhabitantis Spiritus ſancti obſtaculum ponere, cùm dicit: Eheu, Chriſtianus ſpiritum quem à Domino ſumpſit ſæcularis rei gratia cõcutit. Non dicit, Excutit, non enim deplorat ibi (quamuis id maximè deplorandum ſit) Spiritum, ſæcularis rei gratia à Chriſtianis pelli, ſed operationes eius, quæ niſi in animi tranquillitate (ſunt enim ſibili auræ tenuis) percipi non poſſunt, à perturbatis ſæpenumero eorum affectibus expungi, excludi, ac exturbari. Et, loco ex lib. de ſpectaculis paulo ante allegato, vehemẽter dehortatur Chriſtianos à contuitu ſpectaculorum, eo quod neceſſe ſit, animum etiam eius qui ſpectaculis pro dignitatis, ætatis vel etiam naturæ ſuæ conditione probè & modeſtè fruitur, tacita, inquit, ſui ſpiritus paſsione ex iiſdem variis modis concuti, commoueri, perturbari, eumque cauſa vel tantillæ perturbationis, Spiritus ſãcti contubernio atque conſuetudine, durante ea animi perturbatione, fraudari. Si autem Tertull. etiam hac de cauſa Chriſtianos deterruit, ne ſpectarent gentilium ſpectacula, quot putas hodie ſunt rerum atque negotiorum genera, à quibus Chriſtianis abſtinendum erit, ne aliqua, v.g. lætitiæ cupiditatis, indignationis, triſtitiæ, zeli, impatien-

De ſpect. cap. 15.

Lib de pat. cap 7.

tiæ pasſione conturbati, Spiritus ſancti inſpiratione, directione, ac conſuetudine ſe priuent atque ſubducant? Itaque; cùm dictum eſt, *factus eſt in pace locus eius*, edocti ſumus qualis, cuiúſve conditionis debeat eſſe locus quem inhabitet Deus; reliquum erat, vt Pſaltes, ſicut in principio cùm dixit, *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius*, non ſolum indicauit quod Deus myſteria ſua reuelaſſet, ſed etiam quibus ea reuelaſſet; ita nunc, poſtquam dixit qualis debeat eſſe locus quem inhabitet Deus, inſinuaret quænam illa congregatio ſit, quam poſt reuelationem veteris teſtamenti in habitationem ſibi eligeret Deus, ſubdit proinde, *Et in Sion*, quæ eſt Eccleſia, *habitatio eius*, repulſa enim ſynagoga, Eccleſiam Deus elegit in templum ſibi, de qua dicit Pſalmus; Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Et de eadem ipſe Dominus: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.

3. *Ibi*.i.in loco pacis ſuæ, *confregit potentias arcuum*. i.vim & ſtudia inſidioſorum ſiue inſidiantium. Pax enim Chriſtiana neſcit inſidiari. Confregit ibidem & *ſcutum*, quo repelluntur, Apoſtolo teſte, tela inimicorum. Charitas enim nouit, vbi opus eſt, non reſiſtere malo, ſed ſi quis percuſſerit maxillam vnam, præbet illi & alteram. *Gladium*. Charitas enim non infert malum. *Et bellum*, Bellum inquam, quod intentione & opere bellum eſt, à Bellona concitatum, in quo infeſto vtrimque animo concurritur. Cuiuſmodi erant bella gentilium, quibus per Chriſtianam religionem finem imponendum eſſe paſsim prædicit ſcriptura. Hæc bella conterit Charitas, ipſa enim pacato & pacifico animo bella ſua molitur ac ſuſtinet. Per *Sion* tamen vbi mox dicta eſt eſſe habitatio Dei, intelligi poteſt Ieruſalem ciuitas cęleſtis, in qua eſt plenitudo pacis, in qua perfectiſsimè confringũtur potentiæ arcuum, ſcutum, gladius & bellum. Poſt hæc autẽ ex abrupto tranſit Pſaltes ad perficiendam narrationem eorum quæ de extremo iudicio ſuperiore Pſalmo incompletè recenſuerat, & dicit ad Chriſtum:

4. *Illuminans tu mirabiliter*. i. In die iudicij mirabili modo illuminabis abſcondita tenebrarũ, & manifeſtabis conſilia cordiũ. Tua enim virtute in momẽto vnuſquiſque conſcius fiet omnium eorum quæ cogitauit, dixit, & fecit, cognoſcetq; certiſsimè & ineuitabiliter, quæ & qualia illa ſint ac fuerint. Hanc autem illuminationem præſtabis *à montibus æternis*, quia, vt ex D.Thoma ſuprà diximus, ſancti iam ante iudiciũ vniuerſale æterna gloria à te donati, cooperabuntur vt vnicuique appareat cauſa ſaluationis & damnationis tam ſui quàm aliorum, eo modo quo ſuperiores Angeli inferiores, vel etiam homines illuminare dicuntur. D.Hieron. tamen interpretatur illuminationem hanc huius eſſe viæ, in qua illuminamur doctrina & eruditione Apoſtolorum atque maiorum qui ſunt velut mõtes æterni. *Turbati*

Comp Tbe. p.2.c 61.

Hiero in c. 52. Iſaiæ.

ſunt

sunt omnes insipientes corde, quando secus quàm putarant, imo quàm sibi persuaserant, de operibus atque consiliis suis ad æternam suam perditionem sentire debebunt.

Dormierunt somnũ suum. i. eo tempore edormierint impij somnũ suum. 5.
Somnus enim, inquit Ambros. est hic viuendi vsus, in quo diuersæ commutationum vices tanquam ebriæ, & nihil solidum, nihil firmum. Tanquam dormientis somnium videntes non videmus, manducantes non saturamur, gratulantes non gratulamur, currentes non peruenimus. Itaque inanes & vacuæ rerum species tanquam in somno venerunt, abierunt, astiterunt, euanuerunt. Teneri videntur & non tenentur, &c. Vbi ergo edormierint somnum hunc, & iuxta prophetiam Danielis euigilauerint in opprobrium sempiternum, *nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Tum enim transierint omnia quæ erant in hoc sæculo ad voluptatem, tanquam vmbra, vt in Psal. 72. dictum est. Dicuntur autẽ isti *viri diuitiarum*, vt ostendantur, inquit Ambros. nõ possessores suarum diuitiarum fuisse, sed à suis diuitijs fuisse possessos.

Epist. 44.

Ambr. c. 15 de Naboth.

Ab increpatione tua Deus Iacob, qua in illo die increpabis iniquos, vt 6.
in Psal. 2. & 9. dictum est. *Dormitauerunt.* i. sine consilio vertiginosi, sine viribus languidi facti sunt, *Qui ascenderunt equos.* i. ambulauerunt in superbia ac præsumptione.

Tu terribilis es, Ita vt impij ruinas montium inclament super se, dicen- 7.
tes montibus cadite super nos, & collibus operite nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira Agni. Quis enim stabit ad vidẽdum te? *Et quis resistet tibi?* In illo enim die, inquit Ambros. nec pretio redimeris, nec potentium supercilio inflecteris, sola culpæ pretia discriminãs potentes potenter flagellabis. *Ex tunc.* i. ab illo demum die *ira tua* suum dicenda est habere locum, aut sortiri effectum. Tametsi enim peccatis hominum etiam in hac vita irascaris, illisque inferas iram, quia tamen, vt verbis Eliu apud Iob vtar, nunc non infers iram, nec vlcisceris scelus valdè, meritò dicitur, *ex tunc ira tua*, quia ira quam nunc infers ad illam quam tunc inferes, ne quidem commemoranda aut ira appellanda esse videtur.

Apocal. 6.
Malach. 3.
Cap. 16. de Naboth.

De cælo auditum fecisti iudicium, quia de cælo motu corporali descen- 8.
dens, ex superiore parte aëris iudicij tui detonabis sententiam. *Terra tremuit*, Concussione enim cõcutietur terra, inquit Isa. commotione commouebitur, agitatione agitabitur sicut ebrius. Tum enim omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt, inquit Apocal. *Et quieuit*, quia ab illo die culturæ in posterum non subiacuit, nec vllum fructum sponte sua suppeditauit.

Cùm exurgeret in iudicium, siue ad iudicandum *Deus. Vt saluos face-* 10.

ret. i. perpetua ſalute donaret *omnes manſuetos terræ.* Hi autem qui ſunt, niſi illi qui ſecundum patientiam boni, vt loquitur Apoſtolus, operis, gloriam honorem & incorruptionem quæ ſierunt? Vnde autem eſt quod iſtos in iudicio ſaluos faciet Deus?

10. *Quoniam cogitatio hominis* quæ eſt initium omnis boni operis, nō enim eſſent bona opera, inquit Auguſt. niſi præceſsiſſent cogitationes bonæ; *confitebitur tibi* tanquam ipſius cogitationis authori, non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Et reliquiæ cogitationis.* i. quod cogitationibus reliquũ eſt, velle videlicet & perficere, *Diem feſtum agent tibi.* i. ſe ſacrificabunt tibi, aut ſemetipſas tibi tanquã authori aſſcribent. Si ergo manſueti quos diximus in illo die ſalute donandi ſunt, quia & initium omnis boni operis quod eſt cogitatio, & eiuſdem cõſummatio Deo in ipſis authore prouenit, quid per hæc datur intelligi, niſi manſuetos tum fore ſaluandos, quia Deus omnia eorum opera operatus in eis, fecit eos dignos æterna ſalute? Dicunt enim apud Iſaiam iuſti. Domine, pacem (æternam) dabis nobis, omnia enim opera noſtra operatus es in nobis. D. Bern. verò prædicta verba aliter intelligit, dicens: Cogitationem hominis ſpiritualis confiteri Domino, cum id quod de cogitatione. i. meditatione vel contemplatione pia verbo vel exemplo in medium venire poteſt, ad laudem & gloriam Dei in publicum profertur, reliquum verò quod in plebium ædificationem expendi non poteſt, Deo dicatur & in internum Deo ſacrificium conuertitur. Sed quid conſilij ſupereſt hominibus vt Chriſtum iudicem clementem inueniant?

De grat. & lib. arb. c. 5

Iſaiæ 26.

Serm 62. in Cant.

11. *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Vbi per munera, quæ ſunt ſpontanea donaria, intelliguntur opera ſupererogationis, de quibus conuenienter dicitur: *Vouete*, illa enim vt docet Eccleſia, propriè ſunt materia voti: eo quod vouere ſit promiſſione Deo facta, vinculum religioſæ obligationis, ſola ſua voluntate ſibi inijcere; Si ſola ſua voluntate, ergo voto non ſubiacet, quod diuinitus obſtringit. Quid autem eſt quod de oblatione munerum dicitur *Vouete*, ſi non præſtantius ſit ex voto quam ſine voto eiuſmodi opera præſtare? Idque quia illa quæ ex voto præſtantur, ex voluntate in bono magis obfirmata & proinde meliore, proficiſcuntur. An boni operis rationem diminuat vinculum obligationis? Fateor id locum habere in illis, in quibus vinculum iſtud diminuit deuotionem voluntatis. Qui autem, provt oportet, gaudent ſibi non licere quod cum ſuo detrimento licuiſſet, quid eis detrimenti adfert neceſsitas boni operis, vbi ipſa neceſsitas filia eſt bonæ voluntatis? Sed Vouere, inquiunt, contrariatur libertati? Et quare quæſo vouere

vouere magis quam vxorem ducere? Si enim homo ſalua ſua libertate ſe poteſt obſtringere homini, cur non itidem Deo? Proinde vouere non præiudicat libertati, ſed non poſſe vouere eidem præiudicat. Hoc enim imponit voluntati, quod non poſsit ſemetipſam ad alteram partem ob firmare aut obligare. Quæ cum ita ſint, merito adhortatur Pſaltes fideles ad offerendum Deo munera paratos, vt eadem voueant ſiue ex voto Deo offerant. Tametſi verò vouere bonum ſit, eſt tamen tum demum vouẽdum, vt in hunc locum ſaluberrimè docet Auguſt. cum vouendi propoſitũ Deus aſpirat. Tunc enim ad perpetuam alicuius rei obſeruantiam fiducialiter ſe voto obſtringere quiuis poteſt, quia, ſi vouendi propoſitum Deus éi aſpirauit, ergo Deus in eo bonum illud cepit, eſt ei proinde iuſtum ſentire cum Apoſtolo, quod qui cepit in eo opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti. Deo autem vouendi propoſitum non aſpirante, non arbitror alicui conſultum fore vt voueat, tametſi contingat illam temeritatẽ Deo miſerante ſubinde cedere in bonum. Dicit namque Concil. Arauſicanum, *Cõc Arauſ. 2. ca. 11.* quod nemo rectè Deo voueat, niſi quod ab illo acceperit; iuxta illud; quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. *Et reddite.* Prius conſilij, hoc autem eſt præcepti, vt notat Auguſtinus: Malum enim eſt homini deuotare Sanctos, & poſt vota retractare; quia diſplicet Deo infidelis & ſtulta *1. ad Poſt. cap. 24.* promiſsio. Quæ autem promiſsio eſt infidelis, niſi cùm, re promiſſa & non præſtita, à vouente fides non ſeruatur? *Vouete ergo & reddite Domino Deo veſtro.*

Terribili. dicit *Terribili*, vt deuotatione operum ſupererogationis 13. vnuſquiſque ſtudeat eum ſibi efficere benignum atque placatum: vel, vt inſinuet Deum terribilem fore illis, qui promiſſa non præſtant. Idque, quia ſicut Phariſæis dicit Chriſtus, quod faciant proſelytos ſuos filios gehennæ duplo quam erant ipſi; quia proſelyti negligebant, ait D. Auguſtinus, implere quod ſponte ſuſceperant: ita & votifragorum certum eſt ag- *16 cõ. Fauſtum, c. 29.* grauari iudicium, ex eo quod non ſoluant id, quod ſponte promiſerunt. *Et ei qui aufert ſpiritum*. i. elationem, confidentiam, inſolentiam *principum*: tum enim, vt Iſaias prædixit, quieſcere faciet Dominus ſuperbiam *Iſaia 13.* infidelium, & arrogantiam fortium humiliabit, & erunt quaſi damulæ. i. pleni trepidatione fugientes, & quaſi oues. *Terribili apud omnes reges terræ*, quia horrendè, inquit Sapiens, & citò apparebit eis, atque iudi- *Sapient. 6.* cium duriſsimum his qui præſunt, fiet, fortioribuſque fortior inſtabit cruciatio.

PSAL-

PSALMVS LXXVI.

In finem pro Idithun Psalmus Asaph.

PSalmos, qui inſcribuntur Aſaph, Sinagogam ferè concernere non ſemel dicit D. Auguſt. cuius ſentẽtia in hoc Pſalmo locum habet. Tametſi enim complures eius verſus ad varias vtilitates atque occaſiones dirigi poſsint, ipſe tamen Pſalmi contextus orationem continet pro conuerſione Iudæorum. Proinde cùm Pſalmo hoc vtimur ad exorandam eorum conuerſionem, tum eo vtimur in ſenſu proprio ac præcipuo; cùm verò in admonitionem, exhortationẽ, ſalutemque aliorum, tum illum ad ea quæ ſunt Iudæorum rebus cognata extendimus. Quod etiam in aliis locis ſcripturæ ſacræ habet locum. Nam quædam in illis diriguntur ad certas nationes, inquit Tertull. quæ cùm ad intentionem noſtram detorquemus, non proponimus nobis exhortationis proprietatem, inquit, ſed exemplum. Itaque Pſaltes in Pſalmi huius principio velut ab exemplo docet, quæ orantium debeat eſſe diſciplina, quæ inſtantia, & ſimul enarrans quis debitæ orationis ſit fructus; exinde, quibuſdam quæ concernunt Iudæorum conuerſionẽ interpoſitis, enarrat magnalia quæ Deus in prædicatione Euangelij præſtitit, ex iis ſemetipſum erigens in ſpem, de futurâ, per ſimilia Dei magnalia, Iudæorum conuerſione.

De præſcr. adu. hær. c. 8 & 9.

1. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Deum, & intendit mihi.* Dicit, *intendit mihi*; Tametſi enim oratio à principio non conſequatur ſuum fructum à Deo, vix tamen, inquit Bern. egreſſa eſt de ore, quin Deus eam ſcribi iubeat in libro ſuo, vt det nobis ſuo tempore, aut quod petiuimus, aut quod magis expedit nobis.

Bern ſer. 5. de Quadr.

2. *In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis.* i. operibus meis. Quo modo enim Deus incorporeus & impalpabilis manibus quæritur, ſi non operibus? inquit Auguſt. D. tamen Epiphan. accommodat hæc verba tanquam dicta ſint in perſona Apoſtoli Thomæ, qui quæſiuit Chriſtum manibus contingere, & eſt ei indultum. *Nocte*, cuius intempeſtiua importunitas declarat inſtantiam quærentis. Ob quam & Lucæ 11. Amicus iuit ad amicum media nocte. Qui enim meritis Deum exorare non valet, reſtat ei vt id improba quadam inſtantia conetur. Non ergo, inquit Baſilius, tecum dixeris, peccator ſum, & propterea non exaudiar. Vt enim diffidentiæ tibi cauſſam omnem præcideret Deus, dixit: etſi non dabit ei ſurgens eò quod amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget & dabit ei quotquot habet neceſſarios. Hæc Baſil. *Contra eum.* i. coram eo. Pulcher tamen ſenſus dari poteſt ſi intellexerimus *Contra eum* idem eſſe quod aduerſus eum, vel, ei ex aduerſo, Senſus enim erit, *Exquiſiui Deũ contra eum*, id eſt,

Aug. epiſt. 121. c. 13. Epipha. in Ancorat.

Baſil. conſt. monaſt. c. 2

Quaſi

Quaſi contentioſe egi contra Deum, inſtans pro auxilio, cum ille me videretur repellere. Cuius rei exemplum habemus in Chananæa. *Et non ſum deceptus*; quia voti compos factus ſum; ſicut & Chananæa, de qua dicit Amb. quod ipſa pertinax in precibus negantem inclinauerit. *Ambr. 5. in Lucam.*

Renuit conſolari. i. ad quietem ſe conuertere aut contenta eſſe, *anima mea* donec ſcilicet Dominus exaudiret, ſicut ſcriptum eſt: Oculus meus afflictus eſt (præ lachrymis.) Nec tacuit, eò quod non eſſet requies, donec reſpiceret & videret Dominus de cælis. Et alibi: Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, Et donec propinquet non conſolabitur, & nõ diſcedet donec altiſsimus aſpiciat. Vel, *Renuit conſolari anima mea*; quia ei qui Deum inſtanter quærit, omnibus præſentis vitæ delicijs atque ſolatijs eſt renunciandum. Quod neceſsitatis tẽpore priſcos Chriſtianos feciſſe narrat Tertull. Nos ieiuniis aridi, & omni continentia vitæ expreſsi, ab omni vitæ fruge dilati in ſacco & cinere volutantes, inuidia cælum tundimus, &c. Inter hæc tamen homo conſolationis omnis expers non permanet, ſequitur enim: *Memor fui Dei & delectatus ſum.* Dei enim per ſpeciem ſuam abſentis vel recordatio, credentem exhilarat; præſertim ſi cogitet ſe illius clementia licet poſt multa demerita ſaluãdum fore, vt docet Hieron. Quæ delectatio fuit propoſito ſupplicis huius valde oportuna, ſcriptum eſt enim: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. *Et exercitatus ſum*, ad profectum fidei & diuinæ recordationis. *Et defecit ſpiritus meus.* Spiritus hominis eſt ſpiritus erroris, qualis erat in prophetis, de quibus dicitur: Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum. Eſt etiam turgens tumenſque quiuis vitioſus affectus; Hic exercitatione eorum quæ Dei ſunt, defecit, quia ſolẽne eſt humano ſpiritui ijſdem gradibus deficere, quibus gratia Spiritus S. per nouum ſpiritum in interiore homine accreſcit. 3. *Threnor. 3.* *Eccleſ. 35.* *Apol. c. 40.* *Hier. 2. cõ. Pelag. c. 7.*

Anticipauerunt vigilias oculi mei. i. ſpiritu meo in præcordijs meis de mane euigilaui ad Deum, vt in Pſalmum 62. explicuimus. *Turbatus ſum*, ex obſtreperis ſuggeſtionibus corrupti cordis mei, *Et non ſum locutus.* Illa enim quæ prauitas cordis, etiam orantibus, ſuggerit, coram Deo eloquenda non ſunt. 4.

Cogitaui dies antiquos. Dies antiqui illi eſſe videntur à quibus ille qui Danieli apparebat, dicebatur Antiquus dierum, quam interpretationẽ confirmare videtur quod ſequitur, *Et annos æternos in mente habui.* Solent enim in Pſalmis verba verſiculorum poſteriora, præcedentia interpretari vel determinare. Poſſunt tamen per dies antiquos intelligi dies præteriti ſæculi, & per annos æternos dies futuri ſæculi, ſiue dies, ſi qui ſint, æternitatis. 5.

Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & ea quæ Deus præteritis gene- 6.

rationibus ad hominum ſalutem egit, & ea quæ futuro ſæculo hominibus reſeruat. *Et exercitabar*, in cognitione æternorum ſiue in vera ſapientia,
14. de Trin. quæ D. Auguſtino eſt æternorum cognitio intellectualis. *Et Scopebam.* i. agitabam ſiue fodiebam *ſpiritum meum*, quem ad hæc meditanda à Domino acceperam, ventilans eum, vt repulſis quaſi paleis, quę eidem ex infirmitate hominis adhærent, liber eſſet, expeditus, acer, mundus, ad penetranda & percipienda ſecreta Dei. His ergo viribus fidei, deuotionis, ſedulitatis, & conſtantiæ inſtructus atq; exercitatus atque ad id quod propoſuerã præparatus, ſic mecum cepi quærere:

7. *Nunquid in æternum proijciet Deus*? gentem Iudæorum? Quod tamen vt in argumento Pſalmi diximus, aliò extendi poteſt. *aut non apponet, vt complacitior ſit adhuc*? i. Eſtne adhuc tempus, vt iræ quam hactenus exercuit, adijciat placiditatem, eique placeat vt placatus reddatur populo ſuo?

8. *Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, à generatione in generationem*? Quod dicitur, à generatione in generationem, arguit hic eſſe orationem pro ſalute alicuius gentis, cuius eſt per generationes perſeuerare.

9. *Aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas*? q.d. Non: Cùm enim iratus fuerit miſericordiæ recordabitur. Ex hoc loco probare conatus eſt Origenes pœnas damnatorum aliquando per
Aug. 21. de Ciuit c. 24 miſericordiam Dei finiendas, ſed inefficaciter. Docet enim D. Auguſt. iſtud impleri aut in hac vita, vbi Deus iram ſuam miſericordia temperat, dum huius vitæ ærumnas intermedijs ſuis benedictionibus temporalibus tam circa reprobos quam electos mitigat. Aut circa electos, quos in hac vita per gratiam ſuam è criminibus educit: quæ expoſitio maximè probabilis eſt, quia ſequitur: *Nunc cepi, hæc mutatio dexteræ excelſi*; Vt etiam notat
Hier. in ca. 3. Sophon. Hieron. Aut ſi iſtud circa damnatos locũ habet, tum intelligi debet Deum non obliuiſci miſereri, quia damnatos mitius punit quàm merentur. Hæc Auguſt. Itaque vt ad propoſitũ redeamus, ſpem optatæ conuerſionis præbet pia præſumptio de miſericordia Dei. Nunquid autem effectus diuinæ miſericordiæ ex parte gentis Iudaicæ impedietur, eo quod in ipſa nullum appareat futuræ conuerſionis initium? Nequaquam: Hoc enim Pſaltes aut quicunq; hæc loquitur argumento à ſe deducto ſibi perſuadet. q.d. Iudaicæ gentis conuerſionem, ne dictam quidem ob cauſam deſperaui, quia,

10. *Et dixi, nunc cepi, hæc mutatio dexteræ excelſi*. q.d. Ego ipſe aliquando agnoui me iuſtificationis initium habere, illudque mihi à Deo auctore proueniſſe: Ex me itaque diſco conuerſioni Iudæorum non obſtare, quod ne initium quidem eius ex ſemetipſis habeant. Nam & idem quod ego accepi
2 can. 15. Aug. 2. ad Bonif. c. 10 conuerſionis initium, adducet eis dextera excelſi. Quapropter Concil. Arauſic. & Auguſtinus ex his Pſalmi verbis probant initium vitæ bonæ ex

Dei

Dei dono esse. Quin nec solum ex semetipso deducit Psaltes argumentum rei iam dictæ, sed ex multis & magnis Dei operibus quæ in confirmationem eiusdem rei adducit, de quibus sequitur:

Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuo- 11.
rum. Dicit, *Ab initio*, quia etiam ante Christi tempora, multa in salutem generis humani machinari cepit Deus.

Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis. i. iis 12.
quæ in lapsorum salutem recenter manifestasti, quæ quidem fuerunt tempore primæ integritatis in sola prædestinatione tuæ sapientiæ abscondita *Exercebor.* Illa autem sunt hæc quæ sequuntur.

Deus in sancto via tua, quia Christum sanctum sanctorum constituisti 13.
nobis viam, vt per fidem quæ tempore huius vitæ præcipuè meditatur illa quę sunt humanitatis eius, aliquando perueniamus in contemplationem diuinitatis eius, & per exempla patientiæ & humilitatis eius perueniamus ad consortium beatitudinis eius. Ideo & ipse dicit: Ego sum via. *Quis.* s. eorum qui dij esse creduntur, *Deus magnus*, qui talia præstitit populo suo, *sicut Deus noster. Tu es Deus qui facis mirabilia.* Quæris quæ?

Notam fecisti in populis virtutem tuam, efficacis scilicet gratiæ tuæ, cui 14.
à nullo duro corde resistitur, de qua dixisti: Cõuertam in profundum maris. Quæ virtus inter recentes adinuentiones Domini non extremũ locum habet. Sicut nec id quod sequitur: *Redemisti in brachio tuo.* i. filio tuo per quem fecisti & sæcula, *Populum tuum, filios Iacob & Ioseph.* i. electos tuos tam ex Iudæis quàm gentibus.

Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ. i. ad agnitionem tui nominis 15.
deuenerunt populi, *& timuerunt.* i. timorem tui, suæ iustificationis initium conceperunt. *Et turbatæ sunt.* i. contremiscere ceperunt, *abyssi.* i. illi qui aliquando profundo fuerunt corde.

Multitudo sonitus aquarum. i. multi populi in confessionem tui nomi- 16.
nis voces suas concorditer extulerunt. *Vocem dederunt nubes.* i. Apostoli, q. d. Apostolis prædicantibus hæc multitudo collecta est.

Etenim sagittæ tuæ. i. verba prædicantium, cooperatione spiritus tui, 17.
transeunt, quia cadunt, inquit Ambros. in corda inimicorum regis. *Vox tonitrui tui.* i. Euangelicæ prædicationis quæ in modum tonitrui auditum hominum inuisibili fragore percelluit ac penetrauit. Vnde etiam Ioannes & Iacobus Boanerges. i. filij tonitrui dicti sunt. *In rota*, quia in modum rotæ quam vidit Ezechiel, per vniuersam terram circumuoluta est.

Illuxerunt coruscationes tuæ. i. miracula, per quæ maiestas diuinitatis 18.
tuæ rapido quodam corusco micat, *orbi terræ. Commota est, & cõtremuit terra*, quia mundus visis miraculis fidem & timorem tui concepit.

19. *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis.* Ad insulas enim per mare & flumina prædicatio Apostolorum peruenit. *Et vestigia tua non cognoscentur.* Inuisibili enim atque occulto modo prædicationis huius aditum & progressum instituisti, ita vt successus eius omnibus sit admirationi. Virtus itaque tua qua fecisti hæc, potest sibi subijcere etiam reliqua quæ adhuc tibi resistunt. Cuius virtutis in gentẽ Iudæã exerendæ tibi non deest ratio,
20. *Deduxisti enim sicut oues populum tuum, in manu Moysi & Aaron.* Tu ergo qui deducis velut ouem Ioseph, appare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. i. populo Israel hucvsque deserto, illisque veritatem Euangelij demonstra.

PSALMVS LXXVII.

Didicimus ab Apostolo, quod quando venit mandatum, peccatum reuixerit, & factum sit supra modum peccans peccatum per mandatum, quia peccatum quod ante legem erat solummodo transgresio legis naturæ, post mandatum factum est insuper præuaricatio legis positiuæ, & sub grauium suppliciorum interminatione demandatæ; Quæ tanto maiore iniquitate violatur, quãto manifestiore cum districtione præcipitur. Legem autem illam quantumuis præuaricationes operantem posuit Deus, non solum in vtilitatem Iudæorum, vt ipsi insufficiens adiutorium legis agnoscentes, ad Christi gratiam, etiam tum cum Christus expectaretur, transirent; sed etiam in vtilitatem Christianorum, vt Christiani infirmitatem liberi arbitrij in Iudæorum, legis æmulatorum, transgresionibus speculantes, Christi gratiam ad salutẽ esse necessariam alieno exemplo ac proprio compendio feliciter discerent, & ad gratiam Christi suscipiendam malis aliorum edocti, legis pædagogia non tolerata, sed in Iudęis solummodo contemplata, transilirent. Pertinuit enim ad diuinę prouidentiæ pulchritudinem, vt docet August: Sicut in vno homine, ita etiam in vniuerso hominum genere ætatum gradus & differentias obseruare. Iudæorum ergo populus legis disciplina egebat priusquam in Christi gratiã crederet; Eo enim tempore genus humanum in quadam adolescentia positum erat, eratque hæres paruulus, qui propterea egebat pædagogo. Tempore vero Dominicę incarnationis venerat plenitudo temporis, in quo ad maturam ætatem peruenerat genus humanum, & propterea non amplius egebat pædagogo, sed erat ei vtile legis pædagogia in eis qui in generis humani adolescentia vixerant, contemplari. In hoc proinde Psalmo in vnam seriem atque compendium redegit Spiritus S. veteris populi historiam, vt populus maior, cui minor ille populus ipsa legis seruitute pręministrauerat, formulam haberet, in qua sibi expedite ob oculos poneret, quot modis lex adiun-

83. quæst. q. 44. et 51

adiunctis sibi promissis & beneficijs temporalibus Iudæos præuaricatores constituerit, quodque Lex cum promissionibus atque terroribus suis, Iudæis fuerit adminiculo ad exhibendum legi forinsecus obseruantiam, non autem ab intus. Lex enim illa non mundabat secretæ mentis, vt cum Ambrosio loquar, affectum. Id verò hoc fine, vt harum rerum contemplatione Christiani spem adipiscēdæ iustitiæ & obedientiæ in Christi gratia, maiore cum deuotione collocarēt. Proinde hic Psalmus Christianis scribitur, primisque eius versibus Christiani, qui ex Iudæis ad Christum vocantur, compellantur, quos Psaltes in persona Christi hoc modo alloquitur.

Attendite popule meus legem meam. i. noui testamenti doctrinam. Ex 1.
eo autem quod dicit: *Populus meus*: &, *legem meam*, manifestum euadit hic esse sermonem in persona Christi, cuius est populus, cuius est & lex. *Inclinate aurem vestram.* i. humili & demisso animo auscultate, *in verba oris mei*; quæ proprio ore vobis profero.

Aperiam in parabolis os meum; Dicit, *aperiam*, prius enim Christus pa- 2.
rabolas loquebatur, quas postea discipulis seorsum enarrabat. *Loquar propositiones ab initio*, absconditas. Hunc sensum requirūt verba Matthæi, dicentis: Eructabo abscondita à constitutione mundi. Christus enim illa docuit per quæ veteris testamenti ænigmata patefacta & intellecta sunt. Cùm verò Christus suam doctrinam in medium proferret, populus Iudaicus, secundum Hieron. eam recipiens, propter doctrinæ eius, cui dictum est, Me- *In cōment.*
liora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis, præstantiam, in admirationem raptus, sic apud se dicebat:

Quanta. i. quantæ virtutis atque præstantiæ verba & opera, *audiuimus* 3.
de Christo, *& cognouimus.* i. intelleximus ea, inquit Ambrosius. *Et patres* *exp. tit ser.*
nostri narrauerunt nobis. Narrabant enim patres filiisfamilias verba & o- *15. in psal.*
pera Christi à generatione in generationem. Vnde sequitur: *118.*

Non sunt occultata à filijs eorum, in generatione altera. 4.

Narrantes laudes Domini. i. prædicantes eum, *& virtutes eius.* i. vir- 5.
tuosa opera pietatis, clementiæ & mansuetudinis eius. *Et mirabilia eius.* i. miracula, *quæ fecit.*

Et. Transit nunc Psaltes ad describendam veteris testamenti historiam, 6.
quam orditur in hunc modū: *Suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel*, in Sina scilicet, quæ lex dicitur testimonium, quia testificata est hominibus quod egerent iustitia Dei, aut gratia noui testamenti. Circa quæ legis tempora,

Quanta mandauit patribus nostris, secundum carnem. *Nota facere ea* 7.
filijs suis, vt cognoscat generatio altera, quæ in nouo testamento Christum receptura erit.

8. *Filij qui nascentur & exurgent* in nouam religionis formam, *& narrabunt filijs suis*, ea scilicet, quę iis euenerũt qui sub lege fuerũt, idq́; hoc fine.
9. *Vt ponant in Deo spem suam*.i.discāt à Deo donum iustitiæ per gratiam expectare & sperare à Deo legis obedientiam. *Et non obliuiscantur operũ Dei, & mandata eius exquirant*, quæ tempore veteris legis in testimonium diuinæ gratiæ fecit. Huius rei exemplum habemus in Actis, vbi Petrus qui erat ex circumcisione, & iam pertinebat ad generationem alteram, memor eorum quę illi qui sub lege fuerant in Dominum admiserunt, & à Deo vicissim receperunt, hortatur, vt doceant discipulos, tam ex Iudæis quam ex Gentibus, salutem per gratiam Christi accipere, dicit enim: Quid tentatis imponere super ceruices discipulorum iugum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari. Ad hoc autem patres ea quæ dicta sunt, narrabunt filijs;
10. *Ne fiant sicut patres eorum*, qui scilicet sub lege fuerunt. videlicet *generatio praua & exasperans*.
11. *Generatio quæ non direxit cor suum*, ad obediendum Deo, quia solo timore legem seruauit. *Et non est creditus cum Deo spiritus eius*.i.non habuerunt spiritum fidei, vt ex fide iustitiam à Deo impetrarent.
12. *Filij Ephraim*.i.Iudæi sub lege constituti, *intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli*.i.similes sunt eis qui magnũ quidem bellandi apparatum faciunt, & tempore bellandi se in fugam conuertunt. Quibus rectè comparantur Iudæi: Dixerunt enim magna voce, Omnia quæ dixerit nobis Dominus faciemus; & cum ad rem ventum est, promissa non præstiterunt, quia,
13. *Non custodierunt testamentum Dei*. i.pactũ quod inijt cum eis in Sina. Nunquid autem ex infirmitate? non: Quia *in lege Domini noluerunt ambulare*, ergo ne bonam quidem in obsequium Dei voluntatem habuerunt. Dices: Secus tamen oportuisset, eo quod Deus quos ex Ægypto liberauerat, multis beneficijs ad obsequendum sibi prouocarit; Ita quidem, sed ipsi
14. *Obliti sunt benefactorũ eius, & mirabilium eius quæ ostendit eis*. Quæris vbi, & quando?
15. *Coram patribus eorum*.i.inspectantibus patribus eorum, *fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos*.i.in agro regiæ ciuitatis, quæ dicitur Thanis: Ibi enim Moyses à Pharaone egressus, mirabilia illa per quæ afflicta est, & ad quæ obstupuit Ægyptus, operatus est. Cum verò patres eorum iam essent egresi ex Ægypto,
16. *Interrupit mare*, & per medium maris, *perduxit eos*, in littus aduersum. *Et statuit*, in altum hinc inde erexit *aquas* immobiliter in ea forma conseruans eas, *quasi in vtre*. Et post transitum maris rubri,

Et de-

Et deduxit eos in nube diei. i. in columna nubis per diem: *Et tota nocte* 17.
in illuminatione ignis. i. in columna ignis per noctem.
Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos velut in abysso multa; 18.
Tantam enim petra à Moyse percussa aquarum eis suppeditauit copiam, quantam suppeditare posset ingens, & cuius vadum nescias aquarum gurges. quod ipsum Psaltes ad commouendam admirationem, repetit versu sequenti:
Et eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas. 19.
Et, q.d. Per hæc tamen nihilo meliores effecti, *apposuerunt adhuc pec-* 20.
care ei: in iram excitauerunt excelsum in inaquoso.
Et tentauerunt. i. irritauerunt *Deum in cordibus suis, vt peterent escas* 21.
animabus suis; q.d. cum peterent escas animabus suis, conuerterunt se non ad deprecandum, sed ad irritandũ Deum præ cordis sui duritia omnis supplicij siue affectus supplicis nescia; Volentes enim beneficium à Deo,
Malè locuti sunt de Deo, eius potentiam reuocantes in dubium, *Dixe-* 22.
runt, nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Qui sermo dubitantium est, ac proinde ex infidelitate procedit: Fides enim ex eo quod definiatur sperandarum substantia rerum, certum ac fixum consensum requirit, vt ex illis verbis Apostoli, docet Bernardus, ita vt de fidei rebus non liceat tibi, inquit, putare aut disputare, iisve dubium adhibere assensum sine fidei iactura. Et hæc quidam ex illis. Alij verò eorum apud semetipsos sic dicebant: *Epist. 190.*
Quoniam percussit petram & fluxerunt aquæ, & torrẽtes inundauerunt. 23.
Nunquid & panem poterit dare aut parare mensam populo suo? q.d. Vi- 24.
dimus & scimus eum aquam eduxisse de petra, idque tanta copia vt in torrentis modum aquæ è petra prorumperent, non obstante tamen tam claro potentiæ eius documento, nunquid sicut id potuit, ita etiam poterit tantæ multitudini escam præbere? Quæ incredulitas non est ex infirmitate vt prior, sed planè cõtumax, quæ diuinæ omni potentiæ clarissimis argumentis in faciem præfracta resistit. Cùm enim potentia Dei quæ potum miraculosè suppeditat, possit præbere & cibum; profectò qui potentiam hanc in vna parte expertus, de eadem circa alteram dubitat, eum non argumenti insufficientia, sed contumax proteruia incredulum facit. Quid verò circa hos contumaces Deus?
Ideo audiuit Dominus & distulit; supple, vindictam inferre: Idque vt 25.
notas nobis faceret diuitias longanimitatis suæ, & nos suo diuino exemplo ad longanimitatem prouocaret: Si enim peccatis hominum semper præsto esset diuina vindicta, inurerẽt infideles Deo notam passionis & impatientiæ. Ipsis verò hac longanimitate Dei non resipiscentibus, *Ignis*

accensus

accensus est in Iacob, *& ira* (quæ mox ignis dicta est) *ascendit in Israel*; ita vt secundum duritiam cordis sui, & impœnitens cor, ex Dei longanimitate thesaurisauerint sibi iram Dei etiam in hac vita. Causa autem diuinæ iracundiæ est,

26. *Quia*, illi qui dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? *Non crediderunt in Deo*: Quidam verò eorum, *nec sperauerunt in salutari eius*. Non enim sic senserunt de Domino in bonitate, vt sperarent, quod ipse suam quam penes eum esse credebant, in salutem populi exereret, potentiam. Propterea pulchrè docet D. Basil. fidei diuinæ omnipotentiæ etiam spem adiungendam esse; Voluit interim Deus incredulis istis beneficia sua, præstare. Et primo quidem eis, qui ex infirmitate fidei murmurauerant præbere escam, vt immeritis beneficijs mansuefacti, ad credendum Deo (quod sine quadam mansuetudine cordis fieri non potest) præpararentur. Ideo sequitur:

Homil. 8.

27. *Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cæli aperuit.*

28. *Et pluit illis manna ad manducandum.* In hoc mandato diuinæ operationis virtus significatur, ac si diceret: Effecit vt nubes pluerent manna ad manducandum. Quia verò manna non solum illi populo datum est in pabulum, sed etiam in noui edulij à Christo præstandi sacramẽtum. i. sacrum signum; ideo, teste Cyrillo, rem per manna significatam intuens Psaltes subdit: *panem cæli*, qui est diuinitas Verbi, *dedit eis*:

4. in Ioan. cap. 10.

29. *Panem angelorum manducauit homo*, quia filium Dei in quem desiderant angeli prospicere, de cælo per incarnationem dimissum, & fide & altaris sacramento manducauit homo. Voluit enim Deus hominibus suam diuinitatem manducandam præbere, vt cibo quem eis proponit, non deesset viuificandi virtus: Voluit & eum de cælo demittere, vt diuinitas verbi adiuncta vel admixta carni, hominũ, quibus sola diuinitas in hac vita nimium spiritualis est, palato congrueret. Ad hanc autem expositionem mouet Cyrillum, quod dicitur, panem angelorum, Hoc enim de pane illo corporeo quem pluit Deus intelligi non potest; eo quod angeli, vt qui sint spiritualis naturæ, corporeo cibo non vescantur tanquam pane suo: Vnde & Raphael dicebat Tobiæ: Videbar vobiscum comedere, sed ego cibo inuisibili vtor. Quin nec potuit Deus se ab hoc beneficio continere ob murmur quo populus eum lacessiuerat: Populus enim recenter ex Ægypto egressus hac, de qua loquimur, tempestate, quasi infantilis ætatis paruulus apud mansuetum Deum censebatur. Vnde & Moyses dicit: Portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo portare paruulũ filium suũ. Quemadmodũ autẽ paruuli ploratu necessaria sibi alimenta flagitantes, matres non ad iracundiam, sed ad subueniendum prouocant, sic inquit Cyrillus, conquestuosus obiurgationisque

Vbi supra.

Deuter. 1.

3. in Ioan. cap. 34.

tionisque plenus clamor populi ad Deum, petitionis (si ab infirmis adhuc & infantibus in habitu virtutis fit) locũ retinet, Hæc Cyrillus. Quapropter id quod dictum est, Ignis accensus est in Iacob, non primo murmuri tribuitur, sed posteriori. *Ciberia misit eis in abundantia*, quia coturnicum multitudinem. Hoc ergo modo satisfecit Deus ijs qui ex infirmitate fidei murmurauerant. Eorum autem qui contumaciter murmurabant desiderijs satisfecit in modum, qui sequitur:

Transtulit Austrum de cælo, & induxit in virtute sua Africum. Dicit, 30.
virtute sua, quia ordo & dispositio naturalium causarum hunc ventum eo tempore non afflabat, sed Deus prouidentia peculiari disponebat naturales causas ad hunc effectum.

Et pluit super eos sicut puluerem carnes, Et sicut arenam maris volatilia pennata. Abundantiam rei desideratæ significat. 31.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum, vt pigris illis hominibus opus non esset causa leuandæ necessitatis, vel aucupio operam & laborem impendere. 32.

Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. Improperatur eis abusus præstitæ à Deo abundantiæ, quia vel nimia voluptate has carnes manducauerunt, vel eis se nimium oppleuerunt. Iis enim qui in prima murmuratione priusquam manna acciperent, carnes manducauerant; nullam vindictam intulit Deus: Nam quoniam nuper ab Ægypto egressi, panem cælestem qui cor hominis corroborat, adhuc non receperant, facilius poterant, inquit Cyrillus, in cupiditates carnis incidere, propterea & venia digni visi sunt. Postea verò cum Domino (in manna figurato) fruebantur, tunc iure, quoniam corporalia spiritualibus præposuerunt, acerba dederunt supplicia, & ad supplicia insignem calamitatis memoriam sepulchra videlicet concupiscentiæ reliquerunt, Hæc Cyrillus. 33. *Cyril loco citato.*

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. 34.

Et occidit pingues eorum, qui hoc Dei miraculo solummodo vsi sunt ad saturitatem carnis. *Et electos Israbel*. i. illos qui in medio carnalis populi electi erant, filij Dei *impediuit*, quia ad exercitium patientiæ vna cum carnalibus istis, molestias longi itineris & reliqua incommoda eos perferre fecit. Quem sensum confirmat, quod alij pro, impediuit, legunt, compediuit; quod est, ijsdem incommodis inuoluit. Quid autem carnales, sociorum funeribus superstites? 35.

In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderũt in mirabilibus eius. 36.
Vt sciamus ad gratiam pertinere, si quis aliorum conspectis supplicijs fidem & Dei timorem concipiat.

37. *Et defecerunt in vanitate dies eorum*, quia omnia illa Dei opera quæ ad Dei gratiam suo ordine pertinebant, in vacuum acceperunt, per eorum experientiam in melius non proficientes. *Et anni eorum cum festinatione.* Nullum enim fructum qui illis remaneret in vitam æternam, ex annis suis sibi reseruauerunt.

38. *Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* metu carnali adacti, vt docet D. Augustinus.

Aug. 3. ad Bonif. c. 4. *Et rememorati sunt, quia Deus adiutor est eorum: & Deus excelsus re-*
39. *demptor eorum est.* i. metu agente eis in mentem venit, quod Deus solet eos ad se conuersos à malis liberare.

40. *Et*, cùm ambirent ab eo ab internecionibus liberari, *dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.*

41. *Cor autem eorum non erat rectum cum eo*; quia non amabant Deum, sed timore impendentis sibi supplicij, eum sibi quadam blandiloquentia demulcere satagebant. Porrò cor hic pro voluntate vel affectu voluntario ponitur, non pro sola appetitus sensualis, aut etiam rationalis inclinatione. Hæc enim quamdiu consensus voluntatis ei non astipulatur, neminem bonæ voluntatis facit mendacem aut hypocritam: non enim qui inuitus aliud sentit quam vult, hypocrita est; sed qui aliud vult videri quam velit esse.
2. Corin. 4. Propter quod etiam Apostolus, cùm dixisset: Abdicamus occulta dedecoris. i. ipsarum cogitationum & inclinationum nostrarum malarum arcana castigamus & mortificamus, confidenter addit, non ambulantes in astutia, quia quod intus cõtra voluntatem geritur, nemini ad hypocrisin imputatur. *Nec fideles habiti sunt in testamento eius.* i. testamentum eius non bona fide, quia non ex animo seruauerunt. In quo sensu vox fidei accipitur Ecclesiastici 15. Si volueris mandata mea conseruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere.

42. *Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum*, à Moyse exo-
Exod. 32. & Num. 14. ratus. *Et non disperdet eos*, pestilentiâ, alioque funesto supplicio. *Et abundauit*, supra meritũ populi, *vt auerteret iram suam*, quam exer-
43. cere ceperat, *& non accendit omnem iram suam.* i. cum clementia puniuit eos. Cuius clementiæ causa est,

44. *Recordatus est quia caro sunt.* i. carnales & proinde fragiles homines. *Spiritus vadens & non rediens*, qui posint à bono per se recedere, non au-
1. De voca. gent cap. 7. tem per se redire, inquit Prosper, Ex quo versu datur intelligi peccata, quæ ex infirmitate committuntur, minorem apud Deum vindictã mereri.

45. *Quoties exacerbauerunt eum in deserto, in iram concitauerunt eum in inaquoso?*

46. *Et conuersi sunt, & tentauerunt Deũ, & sanctum Israbel.* i. filium Dei, *exacer-*

exacerbauerunt. Iſrahel enim interpretatur videns Deum, hoc autem filio proprium eſt, quia patris imago: Vnde & ipſe dicit, nemo videt patrem niſi qui eſt à Deo, hic vidit patrem. Hunc propriè exacerbaſſe dicuntur, quia cum ipſis peculiariter fuit in deſerto, vt ſupra in pſal. 67. diximus, quod Deus miſerit Moyſen populo principem, cum angelo qui apparuit illi in rubo. Angelus autem ille filius fuit ſi Ambroſio credimus & Tertull.

Non ſunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis. 47.

Sicut poſuit in Ægypto ſigna ſua, & prodigia ſua in campo Taneos. 48.

Et conuertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent. 49.

Miſit in eos cynomyiam, & comedit eos, & ranam, & diſperdidit eos. 50.

Et dedit æruginis fructus eorum, & labores eorum locuſtæ. Enumerantur hîc plagæ Ægypti, non eo quo euenerunt ordine. Vbi enim de laudibus Dei agitur, inquit Hieron. non eſt ſeruandus ordo ſignorum. Inter cætera autem dicitur: 51. *Hier. in ca. 2. Amos.*

Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina. 52.

Et tradidit grandini iumenta eorum: & poſſeßiones eorum igni. quem locũ citat Auguſtinus, ad probandum herbas & frutices vitam quandam habere & occidi poſſe. Et proinde præceptum non occides; quamuis ſine additamento certæ rei poſitum ſit, non debere niſi de hominibus intelligi, quandoquidem Manichæi contendebant pecora per illud præceptum occidi non poſſe herbas tamen occidebant. 53. *Aug. 1. de Ciuit c. 20*

Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem: immißiones per angelos malos. Ex quo euidens eſt terram Ægypti percuſſam eſſe opera & miniſterio dæmonum, vt etiam ex hoc loco docet Hieron. quanquam diffitendum non ſit angelos bonos debitis plagis peccatores ſubinde affligere, vt clarum eſt in Sodomitis. Boni autem homines ad patientiam nunquam exercentur per aduerſa bonorum angelorum obſequio inflicta, vt notat Auguſtinus in hunc locum, Ideo & Sathan expetiuit Iob, non angelus bonus: Imò etiam cum permittit Deus malos pro meritis ſuis ſeduci, ſicut Achab, ad id nunquam vtitur operâ bonorum angelorum. deceptionis enim miniſterium eos non deceret, inquit Auguſt. ſed ſecundum leges prouidentiæ ſuæ integerrimas vtitur Deus in hoc obſequiũ illis ſpiritibus, qui ſibi tales partes imponi vltro cũ lætitia poſtulãt. 54. *Hier in ca. 13 Iſa. & alibi.* *Aug. li. 83. quæſt. q 53*

Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, & non pepercit à morte animabus eorum: & iumenta eorum in morte concluſit. 55.

Et percußit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. 56.

Et abſtulit ſicut oues populum ſuum, Dicuntur oues tanquam ad paſcua Domini pertinentes. *Et perduxit eos tanquam gregem in deſerto*, quia in 57.

vnum populum eos collegit sub vno principe & vna lege, iam tum vnitatem Ecclesiæ præfigurans.

58. *Et eduxit eos in spe*, hoc populo illi competit ratione bonorum, qui in eo fuerunt, nam complures eorum frequenter desperauerunt ingressum terræ promissæ, *& non timuerunt*: Aliqui enim in ipsis erant, qui credebant Moysi dicenti, Nolite timere Ægyptios: Quanquam istud vberius impleatur in populo noui testamenti, quem educit Dominus è seculo in spe futurorum. qui etiam non timent, de Domini protectione securi. *Et inimicos eorum operuit mare*, Sicut inimicos populi Christiani Baptismus.

59. *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisiuit dextera eius.* Ad litteram designatur terra promissionis. ex eo autem quod additur, *montem sanctificationis*; Item, *quem acquisiuit dextera eius*; satis innuitur sub terra promissionis respectus fieri ad cælum, quod est verè mons sanctus Domini, finis & quies eorum qui è sæculo educti sunt, quem acquisiuit nobis dextera Dei Christus in sanguine suo.

60. *Et eiecit à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.*

61. *Et habitare fecit in tabernaculis eorum, tribus Israel*. Descendit hic rursus ad litteram. Ipsi verò terram promissionis ingressi,

62. *Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt.*

63. *Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum, quemadmodum patres eorum*, vt patet ex lib. Iudicum & Regum. *Conuersi sunt in arcum prauum*, quia adinuentiones & intentiones eorum in malum.

64. *In iram concitauerunt eum in collibus suis*. i. idolorum culturâ quæ in collibus fiebat. Ideo dicit Hieremias: In omni colle sublimi tu prosternebaris meretrix. *Et in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt*, vt Deus æmulus fieret diuini sui honoris, quem illi sculptilibus deferebant, eumque sibi soli vindicaret.

65. *Audiuit Deus & spreuit*, Spreuisti enim omnes discedentes à iustitijs tuis; Ideo etiam nullius momenti est apud Deum quantauis peccatorum
Epist. 157. numerositas, vt docet Augustinus, ita vt mirum non sit, quod sinat Deus tam multos perire. *Et ad nihilum redegit valde Israhel*, ita vt diceret Daniel, imminuti sumus plus quam omnes gentes terræ, sumúsque hodie humiles in vniuersa terra.

66. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus*. Hoc factum est tempore Heli, cum capta Arca translatum est tabernaculum à Silo. Hoc autem posuit eis Dominus in signum, vt adimeret eis vanam fiduciam, quam ipsi cum essent pleni peccatis, repositam habe-

bant in templum, putantes Dominum illud semper & populum propter illud à malo conseruaturum. Ideo per Hierem. dicit eis Dominus: Ite ad *Hiere. 7.* locum meum in Silo, vbi habitauit nomē meum à principio, & videte quæ *& 26.* fecerim ei propter malitiā populi mei. Et post pauca: Faciam domui huic in qua vos habetis fiduciam, & in qua inuocatum est nomen meum, sicut feci Silo. Et bene additur: *tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus*, quia vult Dominus sibi tabernaculum visibile extrui, quod suo modo inhabitet, in signum & testimonium, quod per Spiritum sanctum suum inuisibiliter inhabitat eos in quorum medio est templum. Vbi ergo Deus desierit homines inhabitare, etiam templum suum visibile ab eis remouet.

Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. 67.

Et conclusit in gladio populum suum: & hæreditatem suam spreuit. 68.

Iuuenes eorum comedit ignis: & virgines eorum non sunt lamentatæ. 69.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderūt; & viduæ eorum non plorabantur. 70.
Quæ omnia acciderunt sub Heli, cum caperetur Arca & occiderentur filij eius Ophni & Phinees. Quis autem tot præuaricationum, rebellionum & plagarum fuit exitus?

Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, cùm videlicet resurrexit 71.
à mortuis, diciturque tanquam dormiens, non quasi verè mortuus non sit, sed quia communi more, ex absoluta videlicet necessitate mortuus non fuerit: *tanquam potens crapulatus à vino*, quia amore vineæ quàm acquisiuit sibi ad instar Noë, inebriatus est, & amore hoc ebrius, dormiuit patentibus fœmoribus, quia crucifixus & mortuus est nudus.

Et percussit inimicos suos. i. gentem hanc quæ ei inimica facta erat, *in* 72.
posteriora; quia ab eo tempore in posterum gens illa à Deo proiecta multis calamitatibus facta est obnoxia. *Opprobrium sempiternum dedit illis*, quia vsque in finem sæculi opprobrium Christi ab eis crucifixi, non auferetur ab eis.

Et repulit tabernaculum Ioseph. i. omnem colendi ritum veteris populi: 73.
Id enim factum est à resurrectione Christi. *Et tribum Ephraim.* i. ipsum populum Iudaicum, *non elegit*,

Sed elegit tribum Iuda. i. Christum de tribu Iuda, & qui Christi sunt: qui 74.
tametsi genere sint gentiles, rectè tamen dicuntur de tribu Iuda aut Iudæi: Isti enim sunt (de quibus Apostolus) Iudæi in abscondito, circumcisi non *ad Rom. 3.* carne, sed corde in spiritu. *Montem Sion quem dilexit.* i. Ecclesiam noui testamenti.

Et ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum. Sanctificium Domini 75.
est, id quo instrumentaliter sanctificamur, videlicet externa sacrificia & sa-

cramenta nouæ legis. Cùm itaque sibi eligeret Christus montem Sion siue Ecclesiam, ædificauit in ea sanctificium suum, quia multa per quæ sanctificamur sacramenta & media ei concessit. Hoc autem sanctificium ædificauit sicut vnicornium, quia cùm ante Christum alijs & alijs medijs saluati sint homines: Alijs enim sacrificijs vsi sunt, qui fuerunt ante legem; alijs qui sub lege; alijs etiam qui in gentibus crediderunt, Vel ante tempora legis, vt Melchisedech, Iob, Vel tempore legis, vt Iethro sacerdos Madian; Nunc sanctificium est sicut vnicornium, quia vnicum acquirendę salutis medium; ita vt hoc tempore nemo cuiuscunque sit conditionis, sortis vel gentis, sanctificetur, nisi sanctificio nostro re vel voto fuerit vsus. Hoc verò sanctificium *ædificauit Dominus in terra, quam fundauit in sæcula*. Ritus enim huius sanctificij stabilis est, atque in sæculum duraturus, cum sanctificium veteris testamenti tantum institutum sit vsque ad tempus correctionis. Porro tametsi complures ab eo loco: Excitatus est tanquã dormiens, &c. Psalmũ hunc interpretãtur de vindicta quam Dominus exercuit in Philistæos, cùm cepissent arcam Domini, & quædam verba illi expositioni videntur satis consentanea: nostram tamen expositionẽ reliquis pręferimus, tum quia verius explicat quomodo excitatus sit tanquã dormiens Dominus & potens crapulatus à vino, tum quod ædificauerit sanctificiũ in terra quam fundauit in sæcula, quòd cõpetere non potest in templum à Salomone ædificatũ. Illi enim paucis post annis fecit Dominus, sicut prius fecerat Silo. Postremò quia conuenit proposito Psaltis, vt post decursum legis, etiam finẽ eius & exitum exponat, vt populus Christi in principio Psalmi ad attentionẽ excitatus, videat quis tandem fuerit finis & exitus eorum qui fuerunt sub lege.

76. *Et elegit Dauid seruum suum.* Hoc inter cætera pertinet ad beneficia populo veteri à Deo præstita. Nec mirandum quod id hîc non suo loco narretur: Iam enim ex Hieronymo diximus quando de laudibus Dei agitur, non esse necesse in narrando seruare ordinem rei gestæ. Potest tamen id & de Christo intelligi, quem elegit Deus de semine Dauid. *& sustulit eum de gregibus ouium, de postfœtantes accepit eum.* Hoc Christo ad literam per omnia non competit, sed Dauidi, competit tamen Christo in simili: Christus enim labore manuum suarum (cui, teste Basilio, prima sua ætate sub imperio parentum suorum incumbere dignatus est, vnde etiam Marci 6. faber dictus est) ad officium prædicandi translatus est. Sicut ergo Dauidem de ouibus, ita Christum vt pasceret populum, transtulit Deus fabrorum malleis.

Cap. 5. cõst. monast.

77. *Pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam.* i. populum Israeliticum, cui Deus Dauidem in Regem concessit, & eorũ patribus Christum in pastorem promisit, sicut scriptum est apud Ezechielem: Et suscitabo su-

Ezech. 34.

tabo super eos paſtorem vnum qui paſcat eos, ſeruum meum Dauid, ipſe paſcet eos, & erit eis in paſtorem. Quo loco abſque omni ambiguitate Chriſtus in paſtorem promittitur.

Et pauit Chriſtus præcipuè *eos in innocentia cordis ſui*, quia benefaciendi intentione, & ſine vllo paſtoralis officij peccato, vnde & pſal. 54. dixit: Sine iniquitate cucurri & direxi. *Et in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos*, quia non ſolum palantes oues ad gregẽ adduxit, ſed ipſum gregem conſeruando & promouẽdo deduxit, idq́; *in intellectibus manuũ ſuarum*. i. operibus & verbis in bona regendi intelligẽtia prudenter diſpoſitis. 78.

PSALMVS LXXVIII.

Pſalmus Aſaph.

IN hoc Pſalmo in perſona populi fidelis, Pſaltes lamentatur excidium religionis factum à gentilibus. Nomine Hieruſalem & templi eius (quod, vt vnicum illius temporis veri Dei templum, tunc præcipuè præ oculis habebat) compræhendens omnia veræ religionis templa; Et nomine Gentilium (à quibus eodem tempore exterminandum videbat illud templum) quoſvis infideles templum cultumq́; veræ religionis diſturbantes. Oratq́; Pſaltes Deũ hanc ſuę indignationis virgam, tum propter gloriam diuini ſui nominis, tum in gratiam eorũ qui tempore dicti excidij religionis cauſa occidendi erant, per Dei miſericordiã maturè auferri.

Deus venerunt gentes. i. gentiles alijq́ue infideles inuaſerunt ſiue irruerunt *in hæreditatem tuam*. i. populum quem filius tuus morte ſua tibi mirabiliter acquiſiuit, & per veram religionem in æternam hæreditatem poſſidere cepit. *Polluerunt*. i. prophanauerunt, contaminauerunt, *templum ſanctum tuũ*. Quam impietatem velut ad oculum deſcribit lib. Machab. in hæc verba. Peſſima & vniuerſis grauis malorum incurſio, nam templũ luxuria & commeſſationibus gentium erat plenũ & ſcortantium cum meretricibus ſacratiſque ædibus mulieres ſe vltrò ingerebant, intrò ferentes ea quæ non licebat. Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. Ad quem modum templa hoc tempore polluta, plena ſunt meretricũ illarum, quæ vt habet Sapiens, verba ſua dulcia faciunt, & ſcortantium cum illis. Et cultus ſi quem Deo deferunt plenus eſt illicitis. *Poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam*, vt euerſis ciuitatis ædificijs nihil in ea reliquum fuerit, præter quædã tuguria ex ruinis ciuitatis tumultuario opere cõgeſta, qualia ſibi ex virgultis atque ſarmentis componere ſolent, qui cuſtodiendis pomarijs (iam matureſcentibus eorum fructibus) deputati ſunt. De qua re & Iſaias: Derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur.

Margin notes: 1. (beside "Deus venerunt gentes"); 2. Macch. 6. (beside "verba. Peſſima"); Iſaiæ 1. (beside "Derelinquetur")

Poſue-

2. *Posuerunt morticinia seruorum tuorum*, quos odio religionis occiderunt, *escas volatilibus cæli; carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.* Hoc huic loco, inquit Augustinus, inseritur ad exaggerandam crudelitatem eorum qui ista fecerunt, non ad infœlicitatem eorum qui ista perpessi sunt. Et paulo pòst, Proinde omnia ista, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompæ exequiarum magis sunt viuorum solatia, quam subsidia mortuorum. Hæc August. Bene autem habet quod Augustinus, curationi funeris & reliquis non annumeret sacrificia, ieiunia, orationes & elēmosynas, ne quis suspicetur & illa magis ad solatia viuorum, quam suffragia mortuorum pertinere.

1. de Ciuit. cap. 12.

3. *Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam.* i. copiosissimè, In quem sensum ex Cyrill. interpretati sumus illa verba Psal. 21. Sicut aqua effusus sum. Vel, *tanquā aquam*, q. d. illa immanitas non magis cordi aut curæ illis fuit, quam si aquam effunderent. *In circuitu Ierusalem.* i. vbique per totam vrbem Ierusalem, quod tempore Machabæorum factum esse historia ipsa testatur. Vel, per totam Ecclesiam per circuitum orbis terrarum diffusam. *Et non erat qui sepeliret.* i. præ metu hostium sepulturam prohibentium, quibusdam locis omnino non sepeliret. Vel, tandem non nisi furtiue, inquit Augustinus, sepeliret. Reliqui verò qui stragi huic Deo seruante superuiximus,

4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris*. Illi enim qui ex omni parte circumcirca nos sunt, vertunt nobis ea quæ sunt religionis nostræ in opprobrium. Atque, quod eodem pertinet, *facti sumus subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.*

5. *Vsquequo Domine irasceris.* i. quamdiu perseuerabit hæc ira tua, ita vt videatur continuari *in finem*? *Exardescet velut ignis zelus tuus.* i. vsquequo zelus tuus, qui peccata à nobis in sancta tua admissa non permittit abire inulta, vel diutius tolerari, *exardescet velut ignis*, quia sicut ignis exardescens, paulatim vehementius succenditur & latius serpit, ita zelus tuus videtur permittere, vt furor impiorum in religionem indies concitetur vehemētius & latius serpat. Nunquid autē Deo peccata populi sui per hæc vlciscente, ipsi qui hæc perpetrant, abibunt impunè? Nequaquam, quia cum compleuerit Dominus cuncta opera sua, inquit Isaias, siue omnem vindictam aut disciplinam suam in monte Sion & in Ierusalem, visitabit Dominus super opera, quæ gentes in prædicto religionis excidio fecerunt & facere voluerunt, de qua re sequitur.

Esaia 10.

6. *Effunde* siue effundes, præsertim in die iudicij, *iram tuam in gentes quæ te non nouerunt & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.* Effundes inquā, quia nec per fidem nec per tui nominis inuocationem vllum obstaculum

culum obiecerunt quo minus phialas quas vidit Ioannes continentes plagas nouissimas in eos effunderes.

Quia. q.d. Tu non quod per illos agis, sed quod ipsi voluerunt & intenderunt, retribues eis. Ipsi autem, *comederunt Iacob*.i. populum Israel occidendo, dispergendo, variisque afficiendo cladibus consumpserunt. *Et locum eius*, pristinę scz habitationis eius *desolauerunt*.i. ab incolis suis reddiderunt desertum ac derelictum. Quod tamen & alio extendendum est, vt sit sensus: *Comederunt Iacob*. i. multos fidelium suæ superstitioni suoque schismati incorporauerunt. *Et locum eius*, auitæ scz religionis eius *desolauerunt*. diruerunt enim aut dissipauerunt templa, monasteria destruxerunt, ac omnia publica diuini cultus loca, pristino religionis cultu vacare fecerunt. Quia vero prædicta mala obueniunt fidelibus propter peccata; propter peccata enim inhabitantium Ierusalem, accidit circa locum sanctum despectio, inquit author, 2. Mach. c. 5. ita vt ipse locus particeps factus sit populi malorum, vt etiam declarat August. ideo nunc in persona populi hæc mala lugentis atque plangentis, subdit Psaltes: *Epist.* 122.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Dicit *antiquarum*, videtur enim insinuare quod huiusmodi mala à Deo demum permittantur peccatis hominũ iã multiplicatis & inueteratis, ita vt nemo arbitrari debeat Deũ festinum esse ad permittẽdam vindictam hanc. Quod ipsum etiã insinuare videtur Ieremias, cùm dicit in persona populi auita religione exuti, Vigilauit iugum iniquitatum mearum, in manibus eius conuolutæ sunt & impositæ collo meo, infirmata est virtus mea. Dedit me Dominus in manum de qua non potero surgere. *Citò anticipent nos*.i. merita nostra, absq; longa, &, si dicere licet, solita, non tamen iniqua dilatione, præueniant, *misericordiæ tuæ*.i. multitudo miserationum tuarum. *quia pauperes facti sumus nimis*. i. nimis destituti sumus meritis, quibus possemus tuas erga nos miserationes præuenire. 8.

Adiuua nos Deus salutaris noster.i. salutis omnis author, siue à quo nobis est omne salutis initium. Quod epitheton fideles Deo oportunè tribuunt, cùm ab eo (vt hic) ambiunt gratiam præuenientem, Merentur enim, inquit Hieron. fideles à Deo accipere quod ei tribuũt. *Et propter gloriam nominis tui*. i. vt omnes cum laude prædicent misericordiam & virtutem tuam, *libera nos. & propitius esto peccatis nostris*, vt de eis debitam non sumas vindictam, *propter nomen tuum*, ab iniuria & contumeliis vindicandum. sequitur enim: 9. 3. cõ. Pela. cap. 3.

Ne forte dicant in gentibus, vbi est, siue quis est *Deus eorum*, eo quod arbitrentur infideles se sine Dei iudicijs sua virtute prædicta patrare. Vel, non esse verum Deum qui suæ religionis non impedit exterminium, igno- 10.

rantes religionem non Deo vero, sed cultoribus ipsis prodesse. *Et innotescat.* i. hæc persuasio inualescat *in nationibus coram oculis nostris.* i. nobis id præ oculis nostris videntibus, & nil valentibus impedire, eo quod falsitatem validius persuadeant argumenta quæ desumunt ex suis factis, quam veritatem persuadeamus nostris verbis aut confessionibus. Rectè autem orant fideles prædicta mala à se suisque sacratis locis amoueri, ad auertẽdam
Isaiæ 48. prædictã diuini nominis iniuriam: Dicit enim Dominus per Isaiam: Propter me, propter me faciam vt non blasphemer. Qua de causa etiam Moyses & Iosue simili precatione vsi sunt, cùm hic diceret: Ne dicant, callidè eduxit eos vt occideret eos in montibus. Et, Non poterat eos introducere in terram, pro qua iurauit patribus eorum. Hic verò; Quid facies magno nomini tuo? Et præter hæc:

11. *Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est, introeat in conspectu tuo*, vt per temporariam aduersitatem vlciscaris in infideles sanguinẽ sanctorum tuorum, quem effuderunt, & ea ratione simul cessare facias ferociam eorum atque extermines dominatum. Introeat simul in cõspectu tuo *gemitus compeditorum.* i. eorum qui ab eis detinentur in vinculis. Vel, qui per violentiam eorum constringuntur, quo minus exerceãt ea quæ suæ sunt religionis, vt gemitu horum ad miserationem inflexus, aperias carceres, soluas hæc vincula & compedes.

12. *Secundum magnitudinem brachij tui, poßide filios mortificatorum.* q. d. exere virtutem tuam ad possidendum nos, qui fide ac imitatione sumus filij eorum qui pro religione interfecti sunt, cõtemplatione habita siue proportione facta, nõ ad merita nostra, sed ad magnitudinem *brachij* siue potentiæ tuæ, qua potens es subijcere tibi etiam omnia. Quod autem orant, *Poßide*, quid per hoc aliud dant intelligi, quam se id petere, quod expressius
Cap. 26. apud Isaiam dicunt sancti. Domine possederunt nos domini, quia infideles nos sibi in seruitutem redegerunt, absque te. i. non in nomine tuo, tu ergo nos eorum tyrannide liberatos, tuo dominatui vindica, vt vltra non subijciamur nisi potestati eorum qui in tuo nomine præsunt & imperant. Et hic quidem huius vocabuli sensus proposito huius loci est consentaneus. Potest tamen eidem accommodari sensus spiritualis hoc modo, *Poßide filios mortificatorum*, vt mentem, carnem, corpus eorum tuus spiritus omni ex parte possideat, factus nobis quatenus in hac vita fieri potest, omnia, vt do-
Epi ad Demet. in fine cet Prosper, in omnibus, non mentem error aut sapientia sæculi, possideat, non cogitationem vanitas, non voluntatem peruersitas, non carnem concupiscentia, nec corporis membra efficiantur arma iniquitatis ad iniqui-
In Ps. 131 tatem. In quem sensum videtur August. accipere orationem *Poßide* nos, cùm dixit, nos nihil gratius Deo offerre posse quam si ei dicamus, Posside nos. An

nos. An autem arbitrari debemus ratione vacare, quod cùm orant se à Deo posſideri, non dicant Poſside nos, ſed *poßide filios mortificatorum*? non arbitror. Quid ergò id orando ſibi volunt, niſi vt ſemetipſos ad obtinendam imploratam gratiam, Deo gratos, & hoc nomine faciant commendatos, quod ſint fide, religione, ſucceſsione, obſeruantia, filij eorum qui religionis cauſa mortem obierunt? Si eo nomine Deo ſe commendatos reddere ſtudent, idque inſtigante Spiritu ſancto, qui hanc orationem authori ſuo non fruſtra nec incaſſum ſuggeſsit, ergò neceſſe eſt fateri fidelibus in gratiam martyrum bene à Deo fieri; Hoc autem quid aliud eſt, quam fideles in neceſsitate aut inopia conſtitutos martyrum meritis adiuuari? Quid verò poſt hæc omnia manet infideles, qui prædicta mala perpetrarunt?

Et redde vicinis noſtris, quibus, vt in principio dictum eſt, facti ſumus 13.
opprobrium *ſeptuplum*. i. plenam retributionem, Septenarius ſiquidem numerus plenitudinem ſignificat, *in ſinu eorum*. i. in extremam retributionem; Solet enim his verbis redditio extremæ retributionis deſcribi, propter quod & apud Lucam dicitur: Menſuram bonam & confertam & coagitatam dabunt in ſinum veſtrum. *Improperium ipſorum, quod exprobrauerunt tibi Domine*. ſ. redde in ſinum eorum. Dicit autem, *quod exprobrauerunt tibi Domine*. Quod enim ea quæ religionis noſtræ ſunt nobis improperãt, id in Deum redundat, quia faſtidio humilitatis, ſimplicitatis, fidei, ac diſciplinæ, quibus pollent omnia quæ noſtræ ſunt religionis, neceſſe eſt etiam Deum faſtidiant, qui talis cultus placet. Deinde, qui cultum religionis exprobrat cultori, eundem ſimul exprobrat authori eius, non ſecus quam Prouer. 14
qui calumniatur egentem, & deſpicit pauperem, exprobrat factori eius. & 17.

Nos autem, principatu fideli nobis reſtituto denuo effecti *populus tuus*, 14.
quod propriè dicemur, vbi omnia illa quibus cõſtat populus, v. g. Principatus, religio, leges, conuentus, atque communitas, tua tuoq; ſpiritui ſubiecta ac conſentanea fuerint. *Et oues paſcuæ tuæ*. i. iterum in gregem vnum collecti, & ſub virga vnius paſtoris ad ſacramentorum ac verborum tuorum paſcua deducti, *Confitebimur tibi* in laude ac gratiarum actione, *in ſæcula*. Per multa ſæcula enim celebrantur ab Eccleſiis cum ſolemni gratiarum actione anniuerſarij dies reſtitutæ ibidem religionis.

In generatione & generationem annunciabimus poſteris noſtris *laudem* 15.
tuam. i. beneficia tua, per quæ à nobis in perpetuum laudandus es. Quorum vtrumque gratitudinis fructus eſt & effectus. Eſtque vtrumque Deo gratum non ſui gratia, ſed quia in nobis diligit quod bonum eſt. Bonum autem eſt confiteri Domino. Bonum etiam eſt opera Dei reuelare & confiteri.

PSALMVS LXXIX.

In finem pro ijs qui ex Iudaicæ infidelitatis reliquiis accepta fide Christi *commutabuntur in melius testimonium Asaph:*

ASaph, inquam; Est enim hic iterum oratio pro cõuersione Iudæorum, Cui pro titulo non abs re inscribitur *testimonium*. Ipsa enim hæc oratio à Spiritu S. dictata testimonio nobis est Iudæos aliquando conuertendos esse. Pro quorum conuersione Spiritus S. nobis ob id tam multas orationum prouidit formulas, quia optandum nobis est & studendum, inquit Leo, vt populus qui ab illa spiritali patrum nobilitate defecit, ramis suæ arboris iterum inseratur. Multum enim nos Deo illa beneuolentia commendat. Nam & Apostolus dixit: Voluntas cordis mei & deprecatio mea fit pro illis in salutem. Nihilominus, frequentat Ecclesia, præsertim tempore Dominici aduentus, hunc Psalmum, orans per eum vt Deus Christianis initium conuersionis ad iustitiam inspiret, nec id incommodè: ijsdem enim diuinæ gratiæ præsidijs, & consimili opere Christiani conuerti habent ad iustitiam, quibus Iudæi ad fidem: præsertim cum illa, vt ex Tertul. in argumento psal. 76. diximus, quæ in sacris litteris ad certam nationem diriguntur per authoris intentionem primariam, secundum intentionem Spiritus S. extẽdi possint ad alias nationes quibus causa similis est.

Serm 5. de Epiphan.

1. *Qui regis Israel*. i. Tu sine cuius auspiciis nemo filiorum promissionis, (nomine enim Israelis hoc loco illi intelligũtur qui sunt Israel ratione promissionis) in salutem dirigitur. *Intende*. i. ad ordiendam salutem populi pro quo deprecor, animum adijce. *Qui deducis velut ouem Ioseph*. i. Tu qui salutem electorum in finem vsque præeundo, vt ait Prosper, perducis (subaudi) etiam Iudæorum salutem postquam à te inchoata fuerit, in consummationem vsque prosequere.

Prosp epist. ad Ruffinũ

2. *Qui sedes super Cherubim*. Nomine Cherubim intelligit D. Irenæus quatuor animalia Ezechielis quæ figurant nobis quatuor Euangelia, quorum authores quatuor istis animalibus comparati sunt. In his sedet Dominus, quia ex ijs tam ipse quam œconomia eius in carne cognoscitur. Quæ Irenæi expositio ex eo probabilis redditur, quod ipse Ezechiel dicit se tandem intellexisse animal illud quod viderat iuxta fluuiũ Chobar, fuisse Cherubin. Sensus ergo est: Tu Christe qui in quatuor tuis Euangeliis toti mũdo notissimus, & omnibus conspicuus rutilas. *manifestare corã Ephraim, Beniamin, & Manasse*. i. ablato velamine à corde reliquiarum Iuda, etiam ipsis te in Euangelio tuo manifesta.

Lib. 3. c. 11

Ezech. 10.

3. *Excita*. i. incipe exerere, *potentiam tuam*. i. gratiæ tuæ virtutem qua nunquam cares, sed in ira tua velut ab opere vacantem contines. *Et veni*, per

auxilium

auxilium gratiæ, *vt ſaluos facias nos*; Dicit, *nos*; loquitur enim in perſona populi ſui. Sed quia Deus eos non faciet ſaluos ſine cooperatione proprij eorum arbitrij, additur:

Deus conuerte nos, vt quæramus eum à quo pertinaci voluntate auerſi 4.
ſumus: *Et oſtende faciem tuam*. i. eſſentiam tuam, *& ſalui erimus*. Dicit: *Et ſalui erimus*; quia manifeſtatione diuinæ eſſentiæ non ſolummodo fieri poteſt, ſed, vt docet Auguſt. continuo fit ſaluus, cui illa reuelatur. Proinde quod dicitur: *Oſtende faciem tuam & ſalui erimus*; rectè etiam explicatur de peculiari quadã illuminatione diuini vultus ſuper nos in hac vita. Sicut enim Deo vultum ſuum per reuelationem diuinæ eſſentiæ ſuper nos illuminante continuo reipſa efficimur beati, ita eodem vultum ſuum per gratiam noui teſtamenti ſuper nos illuminante, ſpe efficimur ſalui, ſiue in ſalutis ſtatum conſtituimur, vt docet ibidẽ Auguſt. Sed quia prẹuidit Pſaltes orationem ſuam in hac parte non niſi multo poſt tempore exaudiendam, ſubdit per modum interrogationis aut querelæ. Et dicit:

De corrept. et gra. c. 12

Domine Deus virtutum, cui videlicet non eſt impoſsibile omne verbũ: 5.
Quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui. i. quouſque cum frequenti oratione pro Iudæorũ conuerſione pulſeris, tu inſuper in priſtina cõtra eoſdem ira perſeueras? Nõ enim ſenſus eſt. *Iraſceris ſuper oratione̅ ſerui tui*. i. iraſceris quod oret ſeruus tuus te pro hac re, quia nõ iraſcitur Deus quod pro conuerſione illius gentis oretur, ſicut iraſcebatur Moyſi cum nimis importunè deprecaretur officium ſuæ legationis. Cui interrogationi ſeu querelæ ſibimetipſi ſatisfacturus Pſaltes ſubdit:

Cibabis nos pane lachrymarum: & potum dabis nobis in lachrymis in 6.
menſura. q. d. Permanebis in ira donec doloris & lachrymarum menſura, quæ ad eam rem obtinendam iure deſideratur, impleta fuerit; ita vt ex vna parte priuſquam menſura hæc impleatur, iram non auferas, & ex alia rurſus parte, lachrymas, & dolorẽ ſine menſura multiplicari non permittas. Hunc itaque verſum præcedenti querelæ oportunè, Pſaltes addit. Huius enim rei conſideratio querelam conuertit in æquanimitatem, & ſuppeditat alacritatem perſeuerandi in ceptis. Quæ interrogatio atque querela à Patribus accommodatur ijs qui diutina ante recõciliationem macerantur pœnitentia. Vel, qui abſolutione præmaturè accepta, nondum experiuntur pacem & conſcientiæ tranquillitatẽ, ac Spiritusſancti conſolationẽ, quam conciliũ Trid. viris pijs & ſacramentũ pœnitẽtiæ cum deuotione percipientibus interdum obuenire teſtatur. Quaſi iſti dum à reconciliationis ſacramento differuntur, vel præmaturè abſoluti adhuc priſtinorum peccatorum ſtimulis intra ſemetipſos exagitantur, ſic apud ſemetipſos dicant: *Domine Deus virtutum, quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui*? i. quamdiu adhuc

Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 3

post preces à me præmissas ira tua super me perseuerabit? Cui interrogationi siue querelæ ipsi respondeant, ac sibi satisfaciant, per id quod sequitur: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura*; Persuadere enim sibi debent iram Dei solummodo perseueraturam, vsque dum debitam pœnitentiæ mensuram expleuerint; Ne abundatiore tristitia absorbeantur, vt docet Ambr. Ex alia iterum parte sibi persuadere debent irā Dei non esse auferendam, ante impletē debitam pœnitentiæ mensuram, eò quod iustus sit Dominus & misericordiam suam in pondere dispenset, Vt ex hoc loco notat Hieron. Si cui ergo percepta absolutione remorsus & inquietudo conscientiæ adhuc perseueranter adhæret, non is illum remorsum diabolo tribuat, tanquam qui hominem debita securitate fraudare & inutilibus scrupulis exagitare conetur; sed cogitet se panem & potum lachrymarum ac pœnitentiæ nondum sumpsisse in iusta mensura, & ob id se non plenum reconciliationis percepisse effectum. Et si ad factæ confessionis integritatem nihil defuerit; Et in confessione vel minimum necessariæ cōpunctionis habuerit gradum, is tum id quod ei ad debitæ compunctionis ac pœnitentiæ mensuram defuit, postmodū suppleat, & sic paulatim ad conscientiæ deueniet tranquillitatem. Ideo Greg. Peccata inquit diu sunt plangenda, vt sic consumpta formidine nascatur securitas. Sed interim dum ira Dei in gentem Iudæorum perdurat, quid accidit Iudæis?

1. de pœnit. cap 12. & in Psal. 1.

Hier. 2. cō. Pelag. ca 7

Greg. 6. Registr. c 187

7. *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris*: Omnes enim vndique obloquuntur & aduersantur Iudæis, *Et inimici nostri subsannauerūt nos.* Qui enim Iudæos Christiana charitate non diligunt, pro eo quod eorum erroribus & calamitatibus compati deberent, eos derident & subsannant. Illi vero qui eos Christiana charitate diligunt, orant in persona eorum ac dicunt quod sequitur:

8. *Deus virtutum* cui nihil impossibile *conuerte nos, & ostende faciem tuā, & salui erimus*. Et sicut illa quæ olim in ea gente præclara fuerunt permouerunt Apostolum, vt Iudæorum ardentius desideraret salutem, cum diceret: Optabam ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, quorum adoptio est filiorum & gloria, & testamentum, & legislatio, &c. Ita nunc Psaltes ingerit Deo beneficia pristina, quibus illum populum olim honorauit, vt eorum intuitu clementiam eidem quondam dilecto populo exhibeat & dicit:

9. *Vineam*. i. gentem Iudaicam, quæ hoc nomine Isaiæ 5. & in Euangelijs designatur, Et hoc loco vineæ nomine intelligendā esse testatur Hilarius. *De Ægypto transtulisti*, in terram lacte & melle manantem. *Eiecisti gentes & plantasti eam*; vt in illa terra ad summam gloriam incresceret.

Hilarius in Psal. 131.

Dux iti-

Dux itineris fuisti, per columnam nubis & ignis, *in conspectu eius*, 10.
Nunquam enim defuit columna nubis per diem, & columna ignis per no-
ctem coram populo, *Et plantasti radices eius, & impleuit terram*. Cùm
gens Iudæorum per vniuersam terrā non sit dilatata, sed Christi Ecclesia:
putant quidam noui testamenti Ecclesiam vineæ nomine intelligendam
esse. Sed ille intellectus valde incommodus est, reliquis enim huius Psal-
mi partibus nec quadrat nec cohæret, Et non est necessarius: Gens enim
Iudæa impleuit terram, non quidem vniuersam, sed suam, quia ob populi
numerositatem factum est, vt terra illa esset plenissima habitatoribus &
incolis. Imò etiam impleuit vniuersam terram, non quidem incolatu,
sed rerum gestarum fama, odore religionis & splendore gloriæ suæ, quæ
penetrauit in omnes terræ partes. Propter quod dicebat Moyses: In quo *Exodi 33.*
scire possumus, ego & populus tuus inuenisse nos gratiam in conspectu
tuo nisi ambulaueris nobiscum, vt glorificeris ab omnibus hominibus qui
habitant super terram. Voluit enim Deus Iudæam gentem in qua erat no-
tus Deus, in medio reliquarum gentium, inquit Hieron. collocare, vt om- *In c. 5. Eze.*
nes in circuitu nationes illius sequerentur exemplum. Et Ambrosius: Vo- *Ambros. in*
luit Deus vt populo Israëlitico populi finitimi iungerētur, quo paulatim *psal. 43.*
etiam gentibus infunderetur cognitio cælestium sacramentorum. Hæc ille.

Operuit montes vmbra eius. i. cum ipsa gens & religio eius vmbra fuerit 11.
futurorū, tamen in illa ipsa vmbra latuerunt *montes*. i. homines fide ac spi-
ritu admodum sublimes, *Et* operuerunt *arbusta eius Cedros Dei*, quia sy-
nagogæ modica sublimitas, quasi non excedens cacumina arbustorum, in-
tra se occultauit eos, qui coram Deo sanctitate erāt sublimes vt Cedri: Oc-
cultauit inquam, quia cum Cedri isti more synagogæ carnalibus rebus &
sacrificijs Deum colerent, non apparebat hominibus quod colerent Deum
spiritu & veritate. Et cum reliquorum more vxores haberent & abundarēt
opibus, latebat homines quam erant parati, & vxoribus & rebus tempora-
libus renunciare, si mores illius tēporis id tulissent, Sicut docet D. August. *De sancta*
Verè ergo operuit montes vmbra eius. *virginit.*

Extēdit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumē propagines eius. 12.
His enim terminis habitatio illius populi definita fuit.

Vt quid destruxisti maceriam eius. Per maceriam quæ apud Isaiam alio 13.
nomine sepes dicitur, D. Cyrillus, Dei protectionem intelligit. D. verò *Cyrill in c.*
Irenæus per sepem intelligit terminos quibus Iudæa definita fuit. Secun- *5 Isaiæ.*
Iren lib. 4.
dum quam expositionem fuerit maceria destructa, cum gens Iudæa finibus *cap. 70.*
suis expulsa per vniuersum mundum dispersa est, tum enim *vindemiauerūt*
eam omnes qui prætergrediuntur viam, quia omnes ad quos deueniunt, eos
diripiūt & excoriant. Cū qua Irenæi expositione coincidit dicta expositio
Cyrilli,

Cyrilli, eò quod Cyrillus fateatur Dei protectionem, quam sepis siue maceriæ nomine intelligit, à Iudæis in vindictam mortis Christi esse ablatam. Quærebas autem *vt quid* maceria hæc à Deo destructa sit?

14. *Exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam.* Truculentia enim & feritas aprorum ac beluarum deserti, quam Iudæi in Christum effuderunt, cùm eum tot plagis affectum ad necem depostularent, prius attulerunt vineæ huic vastitatem & exterminium pietatis, quibus postea per iustam vindictam Deus immisit exterminium gentis & regionis. Sed quid? Nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit: Est enim vt ad Israel transmigratam & dispersam loquitur Ieremias: Spes nouissimis eius & reuertentur, inquit, filij tui ad terminos suos. Proinde sicut Daniel orauit, vt iuxta suum vaticinium filij Israel è captiuitate Babylonica redirent ad terram suam; ita nunc Psaltes pro iisdem orat, vt redeant ex dispersione ad fidem, & dicit:

Ierem. 31.

15. *Deus virtutum conuertere*, ab ira ad misericordiam; *respice de cælo & vide*, *Et*, in salutari tuo siue salutifera donatione gratiæ tuæ, *visita vineam istam*,

16. *Et*, inspirata ei fide Christi, *perfice eam quam plantauit dextera tua*, in occursum & aduētum Christi. *Et*. s. respice, *super filium hominis quem confirmasti tibi.* Qui est Christus, secundum humanam naturam in subsistentia seu hypostasi Verbi confirmatus, ita vt ab ea nullatenus separandus sit. Orat itaque hic Psaltes, vt Deus respiciat in faciem Christi sui, qui, vt dicit Ioannes, pro illius gentis conuersione erat moriturus, & intuitu Christi sui gentē illam Deus faciat redire ad cor. Ad quam meam orationem, si mihi, ô Deus virtutum, responderis innumera & maxima exstare illius gentis scelera, quæ eius conuersioni obstaculum ponunt; fatebor rem ita se habere, sed si eos misericorditer respiciens cōuertere volueris, id tibi impedimento non erit, quia

17. *Incensa igni*. i. peccata cupiditatis, *& suffossa*. i. peccata, inquit August. ex timore commissa, vel peccata profundi cordis, cuiusmodi à Prophetis peccata Iudæorum dicta sunt. *Ab increpatione vultus tui peribunt*. i. cùm tu illa (sicut ordinariè facis in conuersionis principio) illustratione gratiæ tuæ & veritatis tuæ manifestatione, arguere & increpare volueris, tum peribunt & in nihilum deuenient, ita vt increpatio vocis tuæ quam fecisti vocem virtutis, etiam hæc primi moliminis obstacula facilè amouere, & è medio tollere possit. De qua Dei virtute pulchrè Bernardus: Intuere, inquit, vtrúmne aliquid dilectum hunc auertere potuerit à dilecta, quo minus ei & peccanti & auersæ perseueraret. Glomeratæ nubes radios solis offundere contendebant, vt iniquitates nostræ separarent inter nos & Deum, sed

Ser. de Nati. B. Mar.

incaluit

incaluit sol & vniuersa dissoluit. Hæc Bern. Prædictam itaque orationem fudit Psaltes pro Iudæorum conuersione, cui addit alteram pro eorundem perseuerantia, & dicit:

Fiat manus tua.i. operatio gratiæ tuæ, *super virum dexteræ tuæ*.i. Christum, qui secundum suam humanitatem, Verbo, quod est dextera tua cohærens, eiusdem Verbi proprium instrumentum ac templum est. *Et super filium hominis*, eundem, qui filius hominis dicitur, quia secundum humanitatem suam vnicam tantum habet parentem, *quem confirmasti tibi*. Ad quid autem? vt exæques gratiam nostram gratiæ eius; Et sicut eum confirmasti tibi, vt quod ei in principio ex gratia dederas nunquam ab eo auferres: Et sicut super eum descendit spiritus, sic vt ab eo nunquam recederet; ita des nobis iam per spiritum iustitiæ illi incorporatis, vt in eo perseuerantes ab eo nunquam recedamus. 18. Zachar 4.

Et non discedimus à te. Donum enim perseuerantiæ quod in Christo, atque ad similitudinem gratiæ eius præparasti, non præstat nobis solummodo perseuerare si velimus, sed planè vt perseueremus & non nisi perseuerantes simus: In quem sensum hunc locum doctissimè & verissimè interpretatur Augustinus in hæc verba: Dictum est per Prophetã: Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi. Iste certe non est Adam primus, in quo discessimus ab eo, sed Adam nouissimus, super quem fit manus eius, vt non discedamus ab eo. Christus enim totus est cum suis membris propter Ecclesiam quæ est corpus eius & plenitudo eius. Cùm ergo super eum fit manus Dei vt non discedamus ab eo, ad nos vtique peruenit opus Dei, (hoc est enim manus Dei) quo opere Dei fit vt simus in Christo permanentes cum Deo, non simus in Adam discedentes à Deo. Hæc August. Itaque quod dicit, *super virum*, &, *filium hominis*, duo importat: Primum, vt ad similitudinem perseuerantiæ Christi det nobis Deus perseuerare: Alterum, vt detur perseuerantia Christo secũdum membra sua, vel vt ferè loquimur, Christo in nobis membris eius; vt hinc appareat quod Christus mediator noster sit, non solum in impetrando, sed etiam in accipiendo, quia super eum fit manus Domini, vt nos in illo gratiam accipiamus. *Viuificabis nos*, per gratiæ augmentum, *& nomen tuum inuocabimus*, quia in nullo gratiæ prouectu licet ab oratione cessare. Cæterum quia pro impiis prius postulanda est conuersio, quam perseuerantia, reuertitur Psaltes ad primam orationem, & dicit: 19. De bon. per seuerãt. c. 7

Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus. 20.

PSALMVS LXXX.

In finem pro torcularibus Psalmus ipsi Asaph quinta Sabbathi.

IN huius Psalmi initio continetur exhortatio ad gratiarũ actionem præstandam Deo pro impertita fidelibus suis regenerationis seu renouationis gratia. Quam, quia martyres non baptizati morte sua (tametsi non per modum regenerationis, qui Baptismi Sacramento proprius est) in primis consequuntur, ideo Psalmus inscribitur, *pro torcularibus*. i. martyribus, qui cùm patiuntur, calcantur quasi in torculari. Et quia eandem consequuntur, etiam ij qui baptizantur; ob id inscribitur quinta sabbathi: Hoc enim die produxit Deus ex aquis omnem animam viuẽtem, atque motabilem in genere suo: ad cuius facti similitudinẽ, producit Deus ex aquis baptismi animas viuentes atque motabiles Spiritui S. vt sit sensus, *Quinta sabbathi*, q.d. Psalmus dedicatur illis, qui ex aquis Baptismi ad vitam prodierunt, ad instar eorum quæ in creatione vniuersi quinta die seu quinta sabbathi, ex aquis à Deo producta sunt. His igitur duobus hominum generibus competit exhortatio, qua dicit Psalmus:

1. *Exultate Deo adiutori nostro*, multa enim præstat Deus adultis auxilia priusquam ad gratiam regenerationis, siue per martyrium, siue per baptismum perueniant: quæ præfigurata sunt in illis quæ præstitit Deus Israeli exeũti ex Ægypto priusquã baptizaretur in Moyse, nube & in mari. *Iubilate Deo Iacob*: Iacob figura est electorũ, q.d. Deo qui ad gratiã suã elegit vos.

2. *Sumite psalmum & date tympanum, psalterium iucundum cum cythara.* Allusio est ad tympanum quod sumpsit soror Moysi post transitum maris rubri, & est sensus: Quibus potestis modis lætitiam cordium vestrorum exponite. Diuo interim Bernardo Augustinum secuto, sumere Psalmum est gratiam spiritualem accipere, Dare autem tympanum, est temporalia & corporalia præbere; quia nemo illa accipit, nisi his quatenus oportet renunciauerit.

Apolog. ad Guiliel.

3. *Buccinate in Neomenia tuba*. i. publicè prædicate laudes Dei, & vestram lætitiam in die vestræ renouationis. Si enim Ecclesia comparatur Lunæ, certè renouatio membrorum Ecclesiæ est neomenia eorum, inquit Ambr. *In insigni die solemnitatis vestræ.* Posset id ad idem referri, sed magis videtur hic describi dies martyrij vniuscuiusque martyris, qui publico triumpho & gloriosissima celebritate est cuique eorum insignis, & publica confessione solemnis. Quam expositionem confirmat, quod Ecclesia passiones martyrum, eorundem appellat solemnia: quorum, inquit, solemnia colimus. Hoc autem faciendum esse probat Psaltes ab exemplo veteris testamenti, quod in spiritualis neomeniæ figura præcessit, & dicit:

In Psa. 43.

Quia

Quia præceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob. 4.
Testimonium in Ioseph posuit illud, cùm exiret de terra Ægypti. Inter 5.
cætera enim legis præcepta, Israeli post egressum ex Ægypto demandata est solemnitas neomeniarum in figuram iubilationis quæ exhibenda foret Christianis in neomenia sua, vel die regenerationis ac renouationis suæ. Notandum autē quod *præceptum, iudicium, testimonium*, hic eandem rem significent, mandatum scilicet, veteris legis, quæ in vniuersum constabat præceptis, iudicijs & testimonijs. Voluit autem Psaltes per tria hæc membra mandatum veteris legis designare, nō tam mysterij quàm sermonis seu carminis gratia. Quemadmodum & per *Israhel, Iacob* & *Ioseph* populus Israeliticus suaui sermonis varietate designatur. Et quia Israelis secundum carnem mentio facta est, ad eruditionem Christianorum subiungit illa quæ Israëlem secundum carnem concernunt, & dicit: *Linguam quam non nouerat.* i. quę ei inaudita fuerat, *audiuit.* Audiuit enim inusitatam vocē Dei de cælo loquentis: Vel, *Linguam quam non nouerat, audiuit*, cùm ingrederetur terram Ægypti, & præsertim cùm ibidem in seruitutem redigeretur. Audiebat enim imperiosa mandata, feroces minas, importunas exactiones, & similia, Cuiusmodi sermonibus nunquam fuerat prius compellatus. Sed Dominus,
Diuertit ab oneribus dorsum eius. Antea enim, *manus eius in cophino ser-* 6
uierunt, quia per cophinos asportabat populus collectas per vniuersam Ægyptum paleas.
In tribulatione inuocasti me, & liberaui te. Filij enim Israel, ait Exo- 7.
dus, ingemiscentes vociferati sunt ad Dominum, & liberauit eos. *Exaudiui* Exodi 2.
te in abscondito tempestatis, Deus enim qui videt in abscondito, nouerat qua tempestate animi eorum intus agitabantur præ seruitutis duritia, quæ ipsa eorum interna afflictio cōmouit misericordem Dominum ad exaudiendum preces afflictorum. Ad impetrandum enim quod in pressuris petitur: facilior est oratio, inquit Cypr. Est etiam quædā in tribulationibus interna (Epist 77.) peccatorum sæua tempestas, inquit Ambr. quādo foris sunt pugnæ, intus timores, quando velut quodam maritimi sali æstu fluctuant nostræ cogitationes, nec vlla in profundo mentium definitionis stabilitate placidantur. (Amb. præf. in Psal 45) Hæc est tempestas in abscondito, quæ solo potest Christi sermone sedari. Qui ergo in tempestate se ad Christum conuerterit, in abscondito tempestatis orans exaudietur. Et licet cum Apostolo aporietur. i. inops consilij fluctuet, non tamen derelinquetur. *Probaui te apud aquas contradictionis.* Ibi enim reipsa expertus est Dominus populum esse incredulum & rebellem, vt videre est Num. 20. Quamquam magis credam hoc loco sermonem esse de aqua quæ producta est ex petra Exodi 17. Ibi enim probatus est

Iſrael inuentusque eſt dubitare de ſumma rei, quia dixit: Eſtne Deus in nobis? Quam eorum dubitationem auferre volens Deus, & in fide vnius veri Dei eos confirmare, ſubdit:

8. *Audi populus meus & conteſtabor te*: Sui enim ſuæque in populo præſentiæ non parua eis teſtimonia dedit. *Iſrael ſi audieris me, non erit in te Deus recens*, de quo ſcilicet ſit dicere: Erat quando non erat. Quidquid enim à non eſſe cepit, neceſſe eſt per naturam recens ſit. Quia ergo filius Dei Deus eſt, neceſſe eſt eum non fuiſſe recentem, ſiue non veniſſe, de non

Ep hær.74 Cyril.li.2. theſ cap.2. & l.4.c.2.

eſſe ad eſſe, ſed fuiſſe ab æterno. Sic Epiph. *Neque adorabis Deum alienum*. i. Deum alterius alicuius gentis, qui non eſt Deus patrum tuorum. *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*. q.d.

9. Hoc beneficio te ad mei ſolius cultum meritiſsimè obligaui. Si autem iſtud beneficium Iſraeli paruum videretur, addit. *Dilata os tuum*. i. cor & animã tuam amplioribus beneficijs accipiendis præpara atque diſpone, *atque implebo illud*. i. pro augmento tuæ diſpoſitionis plura beneficia ad plenitudinem vſque à me percipies. Hic autem obſeruandum eſt, quod cum dicitur, *dilata os tuum*; id non ſic præcipi homini, ac ſi illud ſine Dei auxilio facere deberet aut poſſet, ſed dicitur: *Dilata os tuum*, quia os aperimus, in-

2 ad Bonifac. cap.8.

quit Auguſtinus, Dei adiutorio & opere noſtro. Dicit viciſsim Deus. *Et implebo illud*, quia Deus implet illud ſine opere noſtro.

10. *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi*. Quis enim cæcus niſi populus meus, inquit per Iſaiam de Iudæis Dominus, quis ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi? Ob hanc tamen eorum improbitatem non dicit Deus: Miſi in eos deſideria cordis eorum; ſed,

11. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum*, quibus flagrabant. His autem me non protegente dimiſsi, ipſi *ibunt in adinuentionibus ſuis*. i. ambulabunt facientes ea quæ in officina cupidi ſui cordis machinantur & fabri-

Aug.5.cõt. Iulian.c.9. De nat. & grat.ca.23

cant. Qui ſermo planè conſentit, cum eo quod Auguſtinus dicit, Deum in peccata non impellere, ſed dignos deſeri, deſerere, Deſertos autem à luce diuinæ gratiæ, non Deo agente, ſed ſua ſponte parere opera tenebrarum.

12. *Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in vijs meis ambulaſſet*.

13. *Pro nihilo forſitan*. i. nullo negotio, *inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam*; qua eos cohibuiſſem. Conditionalis autem (*forſitan*) hoc loco ſignificat huius rei promiſsionem fuiſſe populo ſub conditione factam, videlicet, ſi in mandatis Dei ambulaſſent. Quamquam quidam, forſitan; interpretentur pro, ſtatim.

14. *Inimici Domini mentiti ſunt ei*. Prophetia eſt; Hoc enim futurum erat tempore Chriſti, cum Iudæi ad apertam inimicitiã conuerſi, negaturi erant Chriſtum contra propriam multorum conſcientiam. *Et erit tẽpus eorum*, retribu-

retributionis videlicet ac vindictæ, *in sæcula*; quia vsque in finem sæculi vindicta illi populo adhærebit.

Et cibauit illos, q.d. Enumeratis beneficijs, & hoc, quod pene oblitus 15.
fuerã recensere, adiecit, quod cibauit eos *ex adipe frumenti*, delicatissimus enim erat panis ille cæli. *Et de petra melle saturauit eos*, quia erat aqua illa dulcis vt mel: excellunt enim omnia opera Dei miraculosa. Sed potius credendum est manna de cælo adipem frumenti, & aquam de petra, mel de petra dici, propter mysterium & figuram sacramenti altaris, quod datur eis qui per baptismum renouati sunt. Quod appellatur frumentum, quia ex frumento fit corpus Christi, & etiam quia post cõsecrationem perseuerat species panis. Cuius frumenti adipes nihil aliud sunt, inquit Hiero. quam caro Christi, de qua dicit Dominus: Nisi manducaueritis carnem filij hominis. Et mel, est suauissima charitas, quam hauriunt communicantes de petra. i. ipso Christi corpore vsque ad quandam satietatem. De qua re Cypr. Amaritudo inquit omnis quæ intus insederat Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis & cibum sumis & potum, lignum quod apud mara profecit in imagine ad saporis dulcedinem, tibi in veritate proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem. Porrò Bern. ex eo quod versus, *Cibauit eos* subiungitur versui, *Inimici Domini*; notat corpus Christi ab inimicis aliquando accipi, non improbans donum, sed boni doni malum vsum.

in c.55. Isa.

Cyp in fine tract. de zelo et liuore

Sermo 74. in Cant.

PSALMVS LXXXI.

CONtinet hic Psalmus correptionem iniquorum iudicum, demonstratque finem illorum futurum sine honore.

Deus stetit in synagoga deorum, nomine deorum, hic & in lege, cùm di- 1.
citur, Applicabitur ad deos, iudices intelliguntur. Dij appellati, quia pollent potestate iudicandi, quæ Deo primariè competit. Nec mirari oportet homines, qui tam procul à vera diuinitate absunt, deos dici; Deus enim Deus dicitur, non tàm singularitate nominis, inquit Tertull. quàm ea re qua nemo Deus est. Per Deum autem qui in horum deorum medio stetit complures Christum intelligunt, qui tempore mortalitatis suæ conuersatus est in medio iudicũ & populi Iudaici. Cui expositioni satis fauet quod dicitur *in synagoga*: Hæc enim vox propriè designat gentis Iudaicæ collectionẽ. Fauet & quod dicitur, *stetit*, &, *in medio*. Ob præsentiam enim corporalem Christi dicit Ioannes; Medius vestrum stetit. Sed sicut ea quæ in Psalmo consequũtur, non tantum competunt iudicibus populi Iudaici, verum omnibus per vniuersum mundum cuiusuis ordinis ac populi iudicibus; ideo nomine Dei hoc loco tota Trinitas conuenientius intelligitur. Sancta ergo Trinitas vnus *Deus stetit in synagoga deorum*, quia omnium iudicum

Tert. 1 con. Marc. ca 7.

actibus per præſentiam & obſeruationem continuo, ſemper, ac perſeueranter intereſt. *In medio* autem eorum exiſtens, *deos dijudicat*, quia exactiſsimè diſcernit, qui bene, qui vero male iudicent. Porro hic verſus in capite Pſalmi ponitur ad incutiendum iudicibus huius diuinæ obſeruationis timorem; & ad cohibendum vulgares, ne temere iudicent iudices, vtpote qui à Deo
Epiſt. 3. dijudicandi & corrigendi ſint, vt notat Anacletus Pontifex. Quam ob cau-
Eccli. 8. ſam iiſdem dicit Eccleſiaſticus: Ne iudices contra iudicem, iuſtè enim iu-
Quodlib. 4. dicat, q. d. Hoc tibi de iudicibus præſumendum eſt, vt docet D. Thomas, &
art. 14. cætera diuino tibi iudicio ſunt relinquenda. Subijcitur poſt hæc correptio iudicum iniquorum, Deus enim in medio eorum ſic eos obſeruando dijudicat, vt iniquos etiam ſtudeat quibuſdam modis corrigere. Dicit proinde:

2. *Vſquequo iudicatis iniquitatem.* i. iniquas fertis ſententias iniquis cauſis fauorabiles, *& facies peccatorum ſumitis.* i. perſonas in iudicio accipitis, quia non attenta cauſarum æquitate, contemplatione eorum quæ ad rem non pertinent, ſententias formatis: Imò, cùm malum ſit etiam pietatis vel alicuius boni impertinentis intuitu perſonas accipere, vos quod peius eſt, agitis, quia *ſumitis facies peccatorum.* i. in fauorem & ad voluntatem iniquorum & ſceleratorum hominum formatis ſententias. Quin potius,

3. *Iudicate.* i. iuſtitiam adminiſtrate, *egeno.* i. illis qui carent opibus, nec habent vnde ſportulas præſtent aut munera, *& pupillo.* i. iis qui carent patronis; ne ſitis ex illis de quibus Iſaias: Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. *Humilem & pauperem iuſtificate.* i. per veſtram ſententiam iuſtam illum cauſam, vbi res id poſtulat, habere decernite. Imò, quod plus eſt,

4. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Sunt enim iudices qui pauperes quidem non opprimunt in iudicio, ſed tamen cùm eos opprimi vident, timentes vultum potentum, nolunt in tali caſu ferre ſententiam, aut non curant contra eos qui vim faciunt, aut calumniam ſtruunt pauperi, inſtitui actionem. Peccant ergo non committendo iniuſtitiam, ſed iuſtitiam vbi oportet nõ vindicando. Sed quid ipſi ad hanc correptionem?

5. *Neſcierunt*, q. d. circa propria vſqueadeo cæcutiunt, vt non animaduertant ſe hæc præiudicia committere. Sicut ſcriptum eſt Eſaiæ 28. Ipſi paſtores ignorauerunt iudicium. *Neque intellexerunt*, quod ſibi non cum Pilato pro poteſtate metu aut fauore, ſed pro æquitate iudicandum ſit, & pro iuſtitia ad mortẽ vſque agonizandum. *In tenebris ambulant.* i. conuerſantur, quia Dei ſiue quam nunc præſcribit, ſiue quam poſtmodum vindicando exercebit, iuſtitiam præ oculis non habent. Sed, *mouebuntur omnia fundamenta terræ*, quia veniet tempus cum omnis ordo iudicum, qui ad fundamenta terræ pertinet quia ſine eorum officio & authoritate, non poteſt ſal-

teſt ſalua conſiſtere vlla in terris, vel ſpiritualis, vel terrena reſpublica; Veniet inquam tempus cum ordo hic loco mouebitur, & qui cauſas ſolent iudicare, cauſas ſuas coram ſummo iudice debebunt dicere. Et qui ſolent cum ſecuritate ad iudicandum ſedere, debebunt ad ſententiam Chriſti iudicis anxij pendêre. Hoc autem fiet, cum implebitur quod dictum eſt in perſona Chriſti: Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. In quo iudicio quādoquidem ſola iuſtitia ſeu charitas honore & præmio digna cenſebitur, tunc dicet Chriſtus:

Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. q. d. Ego pro diis ibi eos ſolos 6.
agnoſcam, qui ea qualitate dij ſunt quæ faciat eos deos, non tantū à publica aliqua diuinitus inſtituta aut demandata iudicandi vel regendi poteſtate, ſed faciat eos deos, quia Dei ſiue excelſi filios. Quæ diuinitatis participatio non eſt propria vni ordini hominum, ſicut eſt participatio diuinitatis quæ eſt ex poteſtate iudicandi; ſed eſt omni hominum ſorti promiſcua. Ideo *dixi; Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* i. vos omnis generis homines. Si ergo illo tempore illi ſoli vt dij honorandi ſunt, qui ex omni ordine hominum fuerint filij excelſi: Quid eueniet illis, qui ſola iudicandi poteſtate dij fuerunt?

Vos autem, Qui ſcilicet dij fuiſtis ſola poteſtate, & nō ſimul filij excelſi, 7.
ſicut homines moriemini. i. ablata omni dignitate, & in ordinem redacti, (erit enim in die iudicij ſicut populus ſic ſacerdos, inquit Iſaias) morti æternæ trademini. *Et ſicut vnus de principibus.* i. ſicut diabolus, de principatu veſtro, *cadetis.* Hoc itaque loco obſeruādum eſt, quod qui tam in primo quàm in hoc verſu dij dicuntur, ita dicantur, non naturâ ſed qualitate: Verum ibi à qualitate poteſtatis, quæ bonis & malis eſt communis, hic à qualitate charitatis, quæ communis eſt omni hominum ſorti & ſimul faciat deos & Dei filios. Ob id etiam non in primo, ſed in hoc verſu, poſtquam dictum eſt: Ego dixi dij eſtis, additur: Et filij excelſi omnes. Porro tametſi & angeli boni, filij Dei ſint; non tamē inueniuntur dij appellati, inquit Auguſtinus, Ne propter eorum excellentiam aliquem eorum ſibi Deum conſtituere humana auderet infirmitas. Quod in hominibus facile eſt euitare propter eorum mortalitatem, aut quia ex anima & corpore compoſiti ſunt, & ob id à naturali diuinitate, quæ ſpiritualis ſeu potius ſpiritus eſt, plus quam angeli, ſemoti. Hæc Auguſtinus. Huius autem rei Cyrillus & Irenæus, aliam dant rationem, dicētes homines illos qui ſunt filij Dei etiam deos vocari, quia gerunt ſimilitudinem Chriſti qui Deus & homo fuit: vt ſicut Verbum caro factum, fecit hominem illum Deum per hypoſtaticam vnionem, ita ſpiritus Verbi incarnati in hominem veniens, faciat eum vocari Deum, per Verbi incarnati ſimilitudinem & participationem.

Iſaia 24.

Aug. l. 9 de Ciui. c. vlt.

Filius

Filius Dei, inquit D. Cyrillus, propter nos nobis similis exstitit, vt nos propter eum optimum statum recuperemus, dijque extra omnem humanum sensum efficeremur, cum gratia humanitateque eius tam magnum consecuti simus splendorem: Ego, inquit, dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Hæc Cyrillus. A cuius sententia non abhorruisse videtur August. cùm scripsit: Deus homo factus est, vt homines deos faceret. Quia itaque Angeli non habent Dei caritatem ad similitudinem, neque per gratiam Christi incarnati, tametsi dicantur Dei filij; Non tamen dicuntur dij. Porrò quod sequitur, *Vos autem sicut homines moriemini*, nos contextui morem gerentes interpretati sumus per oppositionem eorum qui potestate dij sunt, ad eos qui
3. thes. c. 1. Hier epist. 22. c 2. ad Eustoch. dij sunt adoptione. D. autem Cyrillus & Hieron. interpretátur id per oppositionem eorum qui dij sunt adoptione, ad Deum viuum ac verum; quasi his dicat Psaltes: *Dij estis*, sed præter vos est vnus qui naturâ Deus est, & natura sanctus, à cuius præstantia vos longo interuallo distatis, Ille enim Est, suaque vita ac sanctitate priuari nõ potest. *Vos autem* qui diuino munere estis dij, *sicut homines moriemini*. quia iustitia vestra non præstat vobis, quo minus hoc tempore morti quæ est quædam naturæ corruptio obnoxij sitis, imò & in mortem deueniatis. *Et sicut vnus de principibus cadetis*. q.d. Et sicut à vita ita etiam à iustitia, sicut exciderunt angeli, excidetis. Quo tamen sermone non significatur id re vera futurum esse, sed id per naturam & mutabilitatem adoptiuorum deorũ facile fieri posse. Facile enim, inquit Cyrillus, qui dij participatione sumus, gratiam amittimus. Eodem sermonis genere dicitur Psal. 101. Cæli peribunt; non quod sint in nihilum redigendi, sed quia sunt natura caduci, vt ibidem ex Athanasio dicturi sumus. Postquam ergo per spiritum prophetiæ cognouit Psaltes hæc quæ prædicta sunt in extremo iudicio esse euentura, adiecto prophetiæ voto suo inuocat Christum, vt eadem eueniant dicitque:

8. *Surge Deus iudica terram*. i. exurge in iudicium, inquit Augustinus Ne
Tract 9. in Ioannem. Cyp. 2 cõt. Iud. ca. 28. autem damnationem reprobãdorum iudicum optasse videretur, adiungit, *Quoniam*, q.d. ob id tuum inuoco aduenire iudicium, *quoniam tu hæreditatis in omnibus gentibus*. i. in illo iudicio ad perpetuam hæreditatem, quod mihi in votis est videre, adoptabis omnes gentes Abrahæ promissas.

PSALMVS LXXXII.

PSalmus hic continet orationem Ecclesiæ in pressuris constitutæ, præsertim cùm ad eam expugnandam hostes conspiratione facta
ad Marcel. vndequaque conueniunt, inquit Athanasius.

1. *Deus*. q. d. Tametsi magnis viribus nobis immineant aduersarij: Attamen, ô *Deus quis similis erit tibi*, Si tu contra eos pro viribus agere volueris?

lueris? Cùm ergo ſubſit tibi cum volueris poſſe, *Ne taceas neque compeſcaris Deus.* i. ne te,quo minus virtutem tuam exeras, cohiberi per noſtra demerita patiaris.

Quoniam ecce inimici tui. i.qui te tuamq́ue iuſtitiam in nobis perſequuntur *ſonuerunt.* i. bellici atque hoſtilis apparatus magnum ſtrepitum ediderunt,& grandia ſunt comminati. *Et qui oderunt te*,& quicquid pertinet ad te, *extulerunt caput.* i.audaciam inferendi belli ſumpſerunt. vel: Factionis ſuæ ſibi conſtituerunt principem. 2.

Super populum tuum malignauerunt. i. ex malignitate concéperunt & concluſerunt *conſilium, & cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos.* 3.

Dixerunt, Venite & diſperdamus eos de gente, noſtra ſcilicet, vt inter nos ne vnus quidem de populo Dei reſiduus ſit. *Et non memoretur nomen Iſrael vltra.* i. Sic exterminentur,vt non ſit qui eorum vel mentionem facere norit. 4.

Quoniam cogitauerunt vnanimiter, ſimul aduerſum te teſtamentum diſpoſuerunt. i.inierunt fœdus, pro cuius executione ad mortem vſque decertarent. Qui autem illi ſunt? *Tabernacula.* i.caſtra, ſiue paratæ copiæ *Idumæorum & Iſmaelitæ.* 5.

Moab & Agareni, Gebal & Ammon, & Amalec, alienigenæ. i.qui non ſunt ex eodem nobiſcum patre. Qui enim prius recenſiti ſunt, omnes ferè vna cum populo Iudaico ex Abraham aut Thare ſunt prognati. Sicut itaque illo tempore illi qui ex Abraham ac Thare nati erant, adiunctis ſibi alienigenis oppugnabant populum Dei,ita nunc,hæretici qui ab eadem matre Eccleſia aliquando in Chriſto renati ſunt,implorato Turcorum, aliorumq́ue gentilium auxilio oppugnant Eccleſiam. *Cum habitantibus Tyrum.* i.negotiatoribus terræ. Hi enim hoſtibus Dei opes ſuppeditant. 6.

Etenim Aſſur. i.diabolus, *venit cum illis*, quantum poteſt auxilij adferens conatibus eorum. *Facti ſunt in adiutorium filijs Loth.* i. omnibus illis qui à vero Deo & iuſtitia defecerunt, ſuppetias adferunt. Loth enim idem eſt quod deficiens. 7.

Fac illis ſicut Madian & Siſare, ſicut Iabin in torrente Ciſſon. i. His te propugnante eueniat quod olim Madian & Siſare, qui 8.

Diſperierunt in Endor. i.in finibus loci Endor,quem inhabitabat pytoniſſa, quam conſuluit Saul. *Facti ſunt vt ſtercus terræ*, quia cadauera eorum computruerunt ibidem inſepulta. Et cadauera exercitus Iabin traxit torrens Ciſſon. 9.

Pone principes eorum ſicut Oreb & Zeb, & Zebee & Salmana. 10.

Omnes principes eorum qui dixerunt, hæreditate poßideamus ſanctuarium Dei. i. Sic in noſtram poteſtaté redigamus Eccleſiam,quę eſt ſanctua- 11.

rium Dei viui, vt exterminium quod illi adferemus, perseueret, & iugi successione transeat ad posteros nostros à generatione in generationem. Et iisdem quidem quo Madian & Sisara, Oreb & Zeb, modis per decursum sæculorum subinde superatur conspiratio hæreticorum contra Ecclesiam. Circa finem vero sæculi soluetur Sathanas, qui hic dicitur Assur, de loco
Apocal 20 suo, inquit Apocal. & congregabit gentes à se seductas in prælium, circuibuntque castra sanctorum & ciuitatem dilectam. Circa cuius persecutionis finem superueniente extremi iudicij tempore, fiet illis quod hic precatur Psaltes:

12. *Deus meus pone illos vt rotam*, vt cùm in omnem partem se voluerint ad euadendas superuenientes angustias, sicut scriptum est: Anima inimicorum tuorum rotabitur sicut in circulo fundæ, eas tamen effugere non possint. *Et sicut stipulam ante faciem venti.* Erũt enim tunc sicut puluis quem proijcit ventus à facie terræ.

13. *Sicut ignis qui comburit siluam, & sicut flamma comburens montes.* De qua Apocal. Descendet ignis de cælo & deuorabit eos. Qui forte erit ignis conflagrationis, per hunc enim purgabitur terra & pristinam inæqualitatis suæ formam amittet, ipsaque terra, & quæ in eo sunt opera exurentur.

14. *Ita persequeris eos in tempestate tua*, quam præmittes aduentui tuo ad iudicium. Cuius mentionem facit Isaias c. 29. A voce Domini visitabitur in tonitruo & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempestatis, flamma ignis deuorantis. Cæterum quandoquidem Christianis orandum est, non tam vt hostes eorum conterantur quàm vt cõuertantur. Vult enim Deus & ex hostibus saluos fieri, ideo subdit Psaltes orationem qua imploratur conuersio inimicorum, & dicit:

15. *Imple facies eorũ ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Sic enim sibi displicentes, eò deuenient, adminiculo huius confusionis & ope gratiæ
Aug 14. de Ciui. ca. 13 tuæ, vt tu eis placere incipias, & ipsi te quærere, inquit Augustinus.

16. *Erubescant.* i. Erubescat incircumcisa mens eorum. *Et conturbentur*, recordatione ac conscientia tot flagitiorum, facinorum, sacrilegiorum à se admissorum, *in sæculum sæculi.* q. d. fiat in eis hoc quod dixi, per omne tem pus quo decurrit hoc sæculum. *& confundantur* per displicentiam sui, *& pereant.* i. pereat in eis status peccati.

17. *Et cognoscant quia nomen tibi Deus.* i. quod tu sis verus Deus, seu nomẽ veri Dei tibi iure competat. *Tu solus altißimus in omni terra.* i. cognoscãt te solum esse, cuius voluntati nulla in re vllus potest resistere aut præualere. vel, quod nullus sit similis tibi. Particula autem solus hoc loco non excludit à Deo suum filium, quia Ioannes qui fuit propheta Christi, dicitur
Amb. 3. de fide. cap. 2. fuisse propheta altißimi. Excludit autem omnem potestatẽ virtutis creatæ.

PSAL-

PSALMVS LXXXIII.
In finem pro torcularibus.

DOcet Psalmus cuius rei contemplatione se consolari debeant tam
martyres quàm alij qui *in torcularibus*, siue in quauis pressura
sunt, introducens quempiam rerum cælestium contemplatione
flagrantem, qui præ ardore charitatis exclamet:
Quam dilecta. i. mihi sunt *tabernacula tua* cælestia. *Domine virtutum*. i. 1.
Angelorum, qui ibidem ministerijs tuis beatissimi assistunt. Tametsi enim
tabernaculum (quia de loco in locum transfertur) frequenter Ecclesiam
peregrinantem designet: hic tamẽ vt & Psal. 14. & Isaiæ 33. cælum ipsum
mansionemq; perpetuam significat. Quia vero amans iste rem amatam sibi
præsentem non habet, subiungit & exprimit, quid amor in rem absentem
operetur, dicens: *Concupiscit*, Quia enim ob absentiam frui non valet,
concupiscit siue desiderat. *Et deficit anima mea*. Nõ mentis deliquio quo
infirmatur homo, & fere oritur ex intemperato motu passionum. Sed defi-
cit eneruatione ac diminutione suæ vetustatis, de quo defectu interpretati
sumus illud Psalmi 72. Defecit caro mea; Quæ defectio iuxta Ambr. est de- *Ca 8. de fu*
fectio cupiditatum, defectio vanitatum, defectio timoris humani. Deficit *ga sæculi.*
autem in atria Domini, quia amor rerum cælestium, ad quas suum deside-
rium extendit, huiusmodi defectionem operatur. Vnde Ambros. Anima ad- *3. de Virg.*
hærens Deo vbi se in illum æthereum purumq; locum plausu spiritualium
erexerit alarum, despicit omnia quæ in hoc mundo sunt, & æternis intenta
virtutibus supra mundum labitur, &c. Et alibi: Spiritui adhærens anima *Ser 11. in*
deficit ab eo quod est anima. Disce autem defectionem istam esse nimiæ *ps. 118. v. 1*
cupiditatis. Concupiscit enim & deficit anima mea in atria Domini. Hæc
Ambrosius. Possunt quidem secundum Bernardum, Tabernacula, atria, &
domus distingui; Nos tamen maluimus illa hoc loco de eadem re intelli-
gere. Cæterum ne amor iste solummodo in beatitudinem beatorumque
consortium, ob quæ, siue quorum nomine tabernacula & atria Domini di-
liguntur, exardescere videatur; adiungit vir iste desideriorum priori-
bus, quod maius est, & sanctorum desideriorum castissimum atque sum-
mum, dicitque:
Cor meum. i. mens mea Dei cognitione imbuta, eique per amorem affe- 2.
cta, *& caro mea* menti in hoc officio deseruiens, & quiddam exultationis ex
mentis exuberãtia in se recipiens, *exultauerunt*. i. ipsius Dei amore cum læ-
titia se erexerunt, *in Deum viuum*. i. in ipsius Dei diuinæque eius essentiæ
visionem & complexum. Quæ omnia dum quis eorum vel desiderio tene-
tur, non parum illi præsidij præbent & adminiculi.

3. *Etenim passer inuenit sibi domum.* q.d.Homo enim iste spiritualis ob viuacitatem & alacritatem spiritus passeri comparatus,prędicta absens amando, in illis inuenit sibi domum illam non manufactam æternam in cælis, quam cōsequetur, si terrena domus huius habitationis fuerit dissoluta, Multum autem est nosse quid desideres; *& turtur.* Idem qui passer, turturi comparatus ob amoris, quo cor & caro eius exultauerunt in Deum viuum, castimoniam. Hic inuenit sibi *nidum.* i. fidei quietem, inquit Gregor. vel fidele receptaculum, *vbi reponat.* i. vbi sub fideli custodia deponat, & cuius consequendi amore hic interim per spem foueat, atque ad maturitatem enutriat *pullos suos.* i. tenellos suarum virtutum partus siue bona opera suæ conuersationis in hoc sæculo. Qui pulli siue opera ibidem deponuntur per

Gregor. 19 mora. c. 24

4. *Altaria tua,* cùm scilicet opera illa ab vnoquoque nostrum ad te relata siue propter te facta, in altari sui cordis per ignē feruidæ charitatis tibi consecrantur atque ad futuram beatitudinē referuntur. *Domine virtutum.* i. Angelorum, qui hęc vota atque sacrificia nostra ad domum tuam atque nidum suum deferunt. *Rex meus,* qui dirigendo me regis vt eo deueniam, & *Deus meus.* i. in quem tanquam finem atque summum bonum hic totius meæ dilectionis impetus currit.

5. *Beati.* q.d. illi verè dicendi sunt beati *qui habitant in domo tua.* In illa enim consequuntur statum omnium bonorum aggregatione perfectum. Vbi tametsi transierit præsentis vitæ labor & exercitatio, erit tamen ibi requies sine ocio, quia *in sæcula sæculorum laudabunt te.* Nam quid aliud ibi agetur, inquit August. vbi neque vlla desidia cessabitur, neque vlla indigentia laborabitur, nescio. Admoneor etiam, inquit, sancto cātico, vbi lego & audio: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te: Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis quæ nunc videmns per vsus varios necessitatis distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas, proficient in laudibus Dei. Omnes quippe quæ nunc latent harmoniæ corporalis numeri, non latebunt, intrinsecus per corporis cuncta dispositi; & cum cæteris rebus quæ ibi magnæ atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationalis pulchritudinis delectatione succendent. Hæc Augustinus. Beati itaque qui habitant in domo tua Domine, nihilominus etiam in hac vita,

21. de Ciu. cap. 30.

6. *Beatus* in spe, siue, felix est *vir cuius est auxilium abs te,* te enim dirigente & auxiliante, *ascensiones.* i. profectuū gradationes *in corde suo disposuit.* i. ordinauit, vt bono ordine gradatim meliora pariter atque maiora virtutum opera exerceret; Quas ascensiones benè dicitur in corde suo disposuisse, Incrementa enim bonorum operum dependent ab incrementis interio-

teriorum virtutum, ita vt inaniter ferè meditemur aut tentemus maiora exercere foris, si non intrò præmiserimus incrementum virtutis. *In valle lacrymarum.* i. in lugubri humilitate, vt interpretatur Grego. Gradus enim ascensionum disponi non possunt, nisi ab eo qui prius in humilitatem deuenerit, quia scriptum est: Surgite postquam sederitis. Quæ humilitas dicitur *vallis lacrymarum*, quia humilitas in primis luget & deplorat imbecillitatem atque propriam inopiam, sicut scriptum est: Ego vir videns paupertatem meam. Ambrosius tamen per vallem lacrymarum hunc mundum intelligit lacrymis & miserijs plenum, vt sit sensus; Beatus vir qui inter lacrymas & miserias huius vitæ ascensiones disposuit in corde suo. *In loco quem posuit.* q. d. qui disponit prædictas ascensiones in loco quem sibi ad transigendam hanc vitam delegit. Ascensiones enim istæ non possunt tantum fieri in vno aliquo loco ad proficiendum accommodato aut composito, sed Deo auxiliante poterunt fieri in singulis locis siue vitæ generibus, quæ quisque sibi delegit. In cuius rei testimonium de singulis ordinibus hominum quidam in Ecclesia existunt sanctitate clari & conspicui, quod enim ipsi fecerunt, id fieri posse docuerunt, inquit Prosper. Quia vero Psaltes dicendo, *Beatus vir cuius est auxilium abs te*, indicarat solummodo quid per auxilium Dei fieret, non autem quod auxilium illud hominibus donandum esset, ideo idem præuidens tempus noui præsertim testamenti declarat auxilium illud pluribus hominibus dandum esse, & dicit:

7.Regi.epi. 125. & ho. 19. in Ezec.

Ser. 14 in ps. 118. v. 1 Greg hom. 15. in Eze.

3 de vita cõtem. c. 12

Etenim benedictionem dabit legislator. i. is qui prius legem dedit, dabit & benedictionẽ per quam impleatur lex, cuius benedictionis virtute, *ibunt*; numerus pluralis insinuat benedictionem prædictam in plures diffundendam. *De virtute in virtutem.* Hoc D. Greg. intelligit de singularum virtutum profectu, vt sit sensus, De initiis virtutum proficient ad earũdem incrementa, & sic sensim ad perfectionẽ. Sed quia dicitur, *De virtute in virtutem*, his verbis potius datur intelligi, non quidem quod vna habita omnis virtus habeatur, vt voluerunt, Non Apostoli, inquit Hieron. sed Philosophi; verũ quod ex vna virtute in aliam deueniatur. Si enim, quod puto esse verius, sacrisque litteris (inquit August.) congruentius, ita sunt animæ intentiones vt corporis membra, non quod videantur locis, sed sentiantur affectibus, & aliud illuminatur amplius, aliud minus, aliud omnino caret lumine, aliud tenebroso inumbratur obstaculo, profecto ita vt quisque illustratione piæ charitatis affectus est, in alio actu magis, in alio minus, in aliquo nihil, sic potest dici habere aliam, & aliam non habere, aliam magis, aliam minus habere virtutem. Hæc August. Itaque *ibunt de virtute in virtutem*, quia ex vna virtute deuenient in aliam quam prius non habebant virtutem. Quocirca D. Ambros. castitatem atque clementiam appellat quasdam 7.

Homil. 15. in Ezech.

1. cont. Pelag. cap 7.

Epist. 29.

de obitu fr.

dam parentes virtutum, & pietatem, vt principatum omnium bonorum, cæterarum virtutum vocat seminarium. Harum verò ascensionum ac progressionum terminus est, *videbitur Deus deorum* oculo ad oculum *in Sion*. i. in contemplatione futuræ vitæ. Porro, quia ei qui de virtute in virtutē Dei adiutorio progreditur, & ascēsiones ponit in corde suo, opus est Dei protectione ne lapsus eo grauius corruat quo altius conscendit, adiungit Psaltes orationem:

8. *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob.* Quod autem orat, hoc est:

9. *Protector noster aspice Deus.* i. ad protegendum nos respice. Et quia perseuerantia Dei donum est per Christū subdit: *Respice in faciem Christi tui.* i. intēde in merita Christi tui. Potuisset quidem Christi merita aliis verbis implorare, tamen non absque certo consilio id his verbis facere voluit. Cùm enim dicit, *respice in faciem Christi tui*, iisdem verbis simul indicat Christum, in illo regno quod supra ex parte descripsit, sacerdotē agere, atq; adeo vultui Dei cum vulnerum suorum cicatricibus pro nobis apparere, vt hac adiectione penè cōpletam habeamus regni Dei descriptionē. Recensitis autem iis quæ in domo Dei desiderabilia sunt, subijcit comparationem horum cum ijs quæ in hac vita possunt esse delectabilia, dicitque,

10. *Quia melior est dies vna in atrijs tuis, super millia.* q.d. Quandoquidem tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucūditas societatis angelicę atque sanctorū, tanta voluptas quæ prouenit ex contemplatione lucis æternæ, tanta gratia Christi sedentis in dextera diuinæ gloriæ, vt etiamsi inquit Aug. non liceret in perceptione horum ampliùs quam vnius diei mora (cōuenientius enim hæc mora per diem vnā intelligitur, quam æternitas, Non obstante eo quod D. Basilius per diem vnam hanc æternitatem intelligat) manere, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis & circūfluentia omnium temporalium bonorum rectè meritoq; contemneretur. Non enim inquit falsò aut paruo affectu dictū est, *quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia.* Quandoquidem ergo hæc ita se habent.

3. de libe. arb. in fine.

Basil hom. 1. opificij.

11. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei.* i. abrenunciata pompa sæculi humilem, seruilem atque sęculo despectam Christianorum conditionē subire, de qua iudex ad Agathā: Nónne te pudet nobili genere natam seruilem Christianorum vitam agere? *magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* i. hoc mundo vti eo luxu quo peccatores eodē vtuntur. vel, *Elegi abiectus esse.* i. relicto etiam licito vsu secularium rerum, minimum locum & statum amplecti, *In domo Dei mei.* i. Ecclesia Dei viui, ibiq; degere in tabernaculis cādidatorum sanctitatis, magis, *quam habitare in tabernaculis peccatorū.* i. manere in sæculo in medio peccatorū. Quæ vox illis propria est, qui statum religio-

religionis amplectũtur, & est hęc interpretatio potior priore, quia sequitur:

Quia misericordiam & veritatem diligit Deus. Hoc enim quo nexu cohæret superioribus, si non intelligantur de illis qui amplectuntur consilia Christi, vendentes omnia quæ possident eaque pauperibus erogantes? Qui proinde etiam hoc nomine eligunt abiecti esse in domo Dei sui, vt per misericordiam quam, sua pauperibus distribuẽdo, faciunt, à Domino diligantur. Qui in iisdem etiam diligit *veritatem*, quia præclare faciunt veritatem cùm censent minimo & abiecto loco in domo Domini omnia bona huius sæculi posthabenda esse. Pro qua misericordia & veritate, *gratiam*, locupletem scilicet *& gloriam*, eminentem eis *dabit Dominus.* Nunquid autem retributio gloriæ infallibiliter aderit? Aderit. Quia, 12.

Non priuabit. i. non fraudabit, *bonis.* i. exspectatis præmiis, *eos qui ambulant in innocentia.* Dicit, *in innocentia*; quia Dominus ob peccata priuabit eos qui ambulauerunt in innocẽtia, honore & præmio dispo sito, si in eadem non perseuerauerint. Nec iniuria, quia conuentio de denario non dico promerendo, sed porrigendo facta est operantibus vsque ad vesperam, i. in opere Dei perseuerantibus. Vel, *Non priuabit bonis.* i. non spoliabit gratia sua, *eos qui ambulant in innocentia.* q. d. quamdiu homo peccatum nõ admittit Deus gratiam ei collatã non subducit. Non enim deserit Deus nisi desertus. Quia si Deus hominem sibi obedientem ablatis iustitiæ viribus à iustitia deturbat, & bene currentẽ cadere facit, pro bonis mala retribuit, inquit Prosper. Vnde ergo in noxam cadit homo qui ambulat in innocentia? Suo præcipitatus libero arbitrio. Quauis enim huius vitæ (non dico gratiæ auxilio) sed gratia posita, potest, imò vt creditur etiam contingit liberum arbitrium se à iustitia auertere, vt proinde valde iniquũ sit, lapsum iusti tribuere diuinæ desertioni aut subtractioni virium iustitiæ. Sed nunquid non potest Deus lapsum hominis ambulantis in innocentia per suæ protectionis auxilium prohibere? Potest, Ergo si id non præstat non desertus deserit: Id non sequitur: Is enim propriè deseritur cui debita, donata, aut præstita auferuntur, non autem cui indebita non apponuntur, siue non adiiciuntur. Auxilium autẽ gratiæ à lapsu non prohibentis, cuiuis iusto per iustitiam indebitum est; & cum id (eò quod actuale sit) singulis vicibus habeat dari, si non detur, non censetur auferri, & ob id denegatione talis auxilii non censetur iustus deseri aut suis bonis priuari. Subdit tandem Psaltes: *Domine virtutum*, qui solus potens es eos qui ambulant in innocentia à lapsu præseruare, *beatus homo qui sperat in te.* Hic enim tua protectione non destituetur, quia tametsi protectio tua ad tuam pertineat gratiam; non tamen tam es rigidus vt eam deneges sperantibus in te. Imò dignatus es eam sperantibus in te promittere, quia dici voluisti protector omnium 13.

Ad cap. Gal lo. cap. 12.

speran-

ſperantium in te. Dicit autem, *Beatus homo*, quia pro accipienda protectione diuinæ gratiæ in Deo ſperare, originem habet à gratia præueniente, quæ pertinet ad magnam felicitatem eius cui illa aſpiratur.

PSALMVS LXXXIIII.

IN principio Pſalmi recenſet Pſaltes Deo cum gratiarum actione opera miſericordiæ quæ præſtitit in conuerſione gentium: Deinde quia Iudæi non crediderunt in gentium miſericordiam, ſic tamen vt & ipſi tandem miſericordiam conſequantur, ſubiungit orationem pro Iudæorum conuerſione. Et ſuper oratione ſua accepto diuino reſponſo, exponit concordiam quæ orta eſt ex eo quod Iudæi gentibus in fide ſubiuncti ſunt, cauſamque huius benedictionis docet eſſe Chriſti incarnationem.

1. *Benedixiſti Domine terram tuam.* i. gentium aridam prout Gedeoni per rorem in vniuerſa terra demiſſum oſtendiſti. *Auertiſti captiuitatẽ Iacob*, i. electos tuos ex gentibus è diabolica captiuitate eruiſti.

2. *Remiſiſti*, per baptiſmi ſacramentum, *iniquitatem plebis tuæ.* i. eorum quibus aliquando dixiſti non plebs mea vos, nunc autẽ populus meus. *Operuiſti omnia peccata eorum*, quia feciſti eos veteris conuerſationis turpitudinem tegere emendatioribus factis. De qua re Pſal. 31. diximus.

3. *Mitigaſti omnem iram tuam.* i. Non accendiſti omnem iram tuam, ideoque in eis ad reconciliationem recipiendis magna clemẽtia vſus es. De qua in Pſalmũ 71. ad verſum 12. diximus. *Auertiſti ab ira indignationis tuæ*, i. non ipſi præuenerunt te, vt cum illis in gratiam redires, ſed tu ipſe prior cepiſti ab ira te tua ſponte auertere, eoſque ad pœnitendum præuenire. Et hæc quidem gentibus. Quid ergo reliquum eſt, niſi vt in perſona Iudæorum, quibus ex parte cæcitas contigit donec plenitudo gentium intraret, exclamemus?

4. *Conuerte nos*, vt quęramus te, *Deus ſalutaris noſter.* Quo ſolo authore negotium ſalutis inchoatur & perducitur ad finem. *Et auerte iram tuam à nobis.* Iram inquam tuam, per quam iuſte nos deſeris. Vnde & noſtro vitio tribuitur, quod ad te non conuertamur.

5. *Nunquid in æternum iraſceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?* q. d. Non: quia

6. *Deus tu conuerſus*, ad ſaluandum nos, *viuificabis nos*, ex morte, in qua nunc detinemur, *& plebs tua* Iudaica, quæ per electionem patrum ſuorum ſingulariter tua eſt, *lætabitur in te*. Erit enim tum publica lætitia tam Iudæorum quàm gentium. De qua in cap. 7. Cant. Cant. diximus.

8. *Oſtende nobis.* i. notam fac quam in occulta tua prædeſtinatione nobis præpa-

præparaſti, *miſericordiam tuam. Et ſalutare tuum.* i. Chriſtum tuũ, quem poſt illuſtratam faciem omnium populorum ſiue gentium, paraſti in gloriam plebis tuæ Iſraël, *da nobis*, vt ſalutis quæ per eum eſt, reddamur participes. Qui tamen verſiculi frequentantur ab Eccleſia ad implorandam ſalutem Chriſtianorum, quibus nõ abſimilis cauſa eſt cum Iudæis, vt etiam in titulum Pſal. 79. diximus. Poſt hanc autem orationem percepit Pſaltes apparatum diuini reſponſi ſibi ſuper præmiſſa ſua oratione reddendi, eique excipiendo auditum parans, ſemetipſum alloquitur, & dicit:

Audiam. i. auſcultabo, *quid loquatur in me Dominus Deus.* Quod ipſum 8.
cuique noſtrum ſibi dicẽdum eſt, cùm intus ſibi videtur audire vocem erudientis, increpantis, præmonentis aut corripientis Dei, memor eius quod ſcriptum eſt; Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Magnum enim compendium adfert ad profectum à voce loquentis Domini non auertere auditum. Quid autem eſt quod dicturus videtur Dominus: *Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* i. Videtur mihi locuturus verba conſolatoria, quod ſcilicet daturus ſit pacem plebi ſuæ Iudaicæ.

Et ſuper ſanctos ſuos. q. d. loquetur id quod ſimul pacẽ dabit ſanctorum 9.
deſiderijs qui Iudæorum deſiderant ſalutem. *Et in eos qui conuertuntur ad cor.* i. loquetur etiam pacem præuaricatoribus, qui redeunt ad cor, proponendo ac inſpirando eis à principio ſuæ conuerſionis ſpem futuræ remiſsionis, ne alioqui peccatorum priſtinorum nimia mole conſternantur & conturbentur. Quia verò initium ſapientiæ ſiue iuſtificationis, timor Domini, ſubiungit Pſaltes:

Veruntamen prope timentes eum ſalutare ipſius. Hæc autem diuinæ be- 10.
nedictionis opera hoc fine euenient, *vt inhabitet gloria.* i. vera virtutum & fidei opera, *in terra noſtra*, quia diuinæ gloriæ cernimus quodammodo maieſtatem, vbi videmus veram apparere virtutem, inquit Leo. Vbi autem Iudæi gẽtibus in fide fuerint adiuncti, tum reipſa implebitur quod ſequitur: *Serm. vlt. de Epiph.*

Miſericordia, ex qua gentes ſaluæ factæ ſunt, *& veritas*, ex qua Iudæi. 11.
Chriſtus enim, inquit Apoſtolus, miniſter fuit circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſsiones patrum. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum. *Obuiauerunt ſibi*, quia in vnam Eccleſiam diſtinctos populos conuenire fecerunt. *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Iudæi enim cum gentilibus in vnam iuſtitiam & pacem conuenerunt; Chriſto in quem concorditer crediderunt exiſtente pacis principe ac lapide angulari, qui fecit vtraque vnum, coniungẽs in ſemetipſo diſsidentes prius populos. Porro cauſa ob quam hæc à Deo ſuo tempore concedenda ſunt, eſt, quia *Hoc modo exponit hũc locum D. Tho. 1. p q. 21. art. 4. ad 2.*

Veritas. i. æternum Dei verbum, *de terra orta eſt.* i. ſecundum carnem de 12.
virgine natũ eſt. *Et iuſtitia.* i. Deus ipſe *de cælo proſpexit*, quia illi qui de

virgine natus est, de cælo testimonium perhibuit. In primis cùm in cælo, nato Christo, stellam inusitati fulgoris collocauit: Et postmodum Christo baptizato, super eundem voce sua intonuit & Spiritum sanctum in columbæ specie misit. Vel, *iustitia*. i. ipsa æterna Dei iustitia *de cælo prospexit*. i. cælestem suam pulchritudinē per scintillas quasdam nobis in homine quem assumpsit, apparere fecit. Hinc factum est quod sequitur:

13. *Etenim Dominus dabit benignitatem*. i. ex cælesti sua benignitate dabit

6. cō Colla nobis, vt nos delectet credere & benefacere, inquit Prosper. *Et terra nostra dabit fructum suum*. Accepta enim delectatione iustitiæ, tametsi simus homines de terra terreni, faciemus fructum bonorum operum. Nos enim hæc

2. ad Marcell. ca. 17. terra sumus, inquit Augustinus.

14. *Iustitia*, qui, vt quidam interpretantur, est Ioannes Baptista, qui venit in via iustitiæ, *ante ipsum ambulabit*, quia præibit ante eum parare vias eius. *Et ponet in via gressus suos*, quia ipsemet inambulabit quam demonstrat viam. Vel, *iustitia ante eum ambulabit*. i. ipse ad normam iustitiæ quæ ipse est conuersabitur, rectæ conuersationis formam in iustitia, quæ ipse est, præ oculis habens. *Et ponet in via gressus suos*. Ipsemet enim primus ingredietur illam quam docebit iustitiæ formam. Quia in ipso primo, euangelica

5. Thez. c. 4 vita effulsit, inquit Cyrillus.

PSALMVS LXXXV.

Oratio ipsi Dauid.

IN hoc Psalmo est oratio Christi in persona, partim sua, partim membrorum. Incipit autem orare in persona membrorum, dicitq; ante omnia in persona peccatoris nondum iustificati:

1. *Inclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops* virtutis *& pauper*. i. destitutus meritis *sum ego*. Ob quæ, quia oratio eius non valet ad aures Dei ascendere, Dicit, *Inclina aurem tuam*, implorans vt Deus se ad tam exilis hominis precem exaudiendam dignetur demittere. Per quam orationem postquam pauper iam acceperit à Deo aurum ignitū, quo factus fuerit, vt habet Apocal. locuples; In sequenti versu orat Christus in persona iustificati, dicitque:

2. *Custodi animam meam*. i. da perseuerantiam, *quoniam sanctus sum*. i. à te &

in hunc locum. in te iustificatus sum. Quæ vox sic intellecta, non est sermo elati, sed confessio non ingrati, inquit Augustinus. Dicit autē, *quoniam sanctus sum*, quia

c. 6. de bo. perseuer. iustitia orationi adiuncta, suppliciter, vt docet Aug. emeretur perseuerantiam. *Saluum fac*. i. ad salutē perduc, *seruum tuum*. i. Christum in suis membris. *Deus meus sperantem in te*: hoc addit: Spes enim miserendi locum inuenit apud Deum, inquit D. Bernardus.

Miserere

Miserere mei Domine quoniam ad te clamaui tota die. Hic alia insinuatur causa, nempe orationis instantia, ob quam oratio à Deo exauditur. *Lætifica animam serui tui*. Particularis quispiam hic loquitur. *Quoniam ad te Domine animã meam leuaui*. Nunquid autẽ æquũ est te ob id lætificari? Est; 3.

Quoniam tu Domine suauis. i. es obdulcans, *ac mitis*, quia absque indignatione benignã aurem porrigis etiam illis orantibus quorum oratio non est tuæ maiestatis auribus, siue ex defectu conuersationis, siue cõpunctionis, siue attentionis deuotionisque, digna. Videor enim mihi videre, inquit Augustinus, Psaltem ad hoc dixisse mitem Deum, quia patitur ista nostra, & expectat tamen à nobis orationẽ vt perficiat nos, & quando illi eam debemus, accipit gratè & exaudit, nec meminit tantas quas inconditè facimus, & accipit vnam quam vix inuenimus. Hæc Augustinus. Quæ eius doctrina ne nos faciat desides & cura orandi solutos, tum demum locum habet, cum ariditas orationum oritur ex inculpata spiritualium virium infirmitate, non autem incuria, & dum adest infirmo solicitudo ipsius suæ infirmitatis paulatim per Dei gratiam superandæ, non autem semper dissimulandæ. Qui enim videt se à diuina patientia tolerari, satagere debet ne diuinæ bonitati diu molestus sit, vt ex Tertull. in Psal. 6. diximus. *& multæ misericordiæ* multa namque peccata remittis, *omnibus inuocantibus te*. Si omnibus, ergo & animam meam quæso, eadem mihi exhibendo, lætifica. 4.

Auribus percipe Domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ. hæc omnia ad eandem petitionem pertinent. Post hæc loquitur Christus in persona sua, dicitque: 5.

In die tribulationis meæ. Cùm pro statu damnationis, in quo erat humanum genus, in tribulatione spiritus mei versarer. *Clamaui ad te, quia exaudisti me*. i. signum est vt ex August. in Psal. 16. versu 7. diximus, quod clamauerim ad te. Meæ vero orationi tam vberem tribuisti prouentum, vt dicere debeam, 6.

Non est similis tui in dijs Domine. Omnes enim qui appellantur dij aut ementita aut à te participata gaudent diuinitate. Tu autem es Deus, quia es quod es. Et sicut tibi non est similis in diis Domine, ita, *non est secũdum opera tua*. Quæris quæ? 7.

Omnes gentes quascunque fecisti, vt homines essent, præcipuè verò vt fierent & essent fideles. *Venient*, non locum mutando, sed in suis locis credendo, inquit Aug. *Et adorabunt coram te Domine*. i. colent te. Hoc autem describitur nomine adorationis, quia adoratio, inquit Cyrillus, ianua est ad reliqua seruitutis opera. *& glorificabunt nomen tuum*. i. te prædicabunt. 8. Epist. 80. 2. in Ioan. cap. 92.

Quoniam magnus es tu. Non ergo glorificabunt te quasi tibi magnitudinem adijciendo, sed magnitudinem tuam celebrãdo. *Et faciens mirabilia*. 9.

In Psal. 95 Magis enim mirabile est, inquit August. quod Deus totum terrarum orbem
22. de Ciu. cap. 8. ab interitu liberauit quàm quod suscitauit mortuos: Ipsaque omnium gẽtium fides magnum est teste eodem prodigium. Quibus addi potest & il-
1. De conf. c 18. et seq. lud mirabile, quod Deus solus, teste Augustino, cultum falsorum deorum prohibuerit, & nemo eorum vnquam cultum veri Dei; Quodq; Deus omnem cultum falsorum deorum tandem in nihilum redegerit. *Tu es Deus solus*, Nemo enim est Deus extra te Domine, qui in Trinitate es vnus Deus.

10. *Deduc me Domine* inquit conuersa gentilitas, *in via tua*, ad quam scilicet me adduxisti. *Et ingrediar in veritate tua.* In iis enim ad quæ creden-
Epist. 107. do peruenimus, inquit August. ita nobis ambulandum est, vt ab eis nullo modo deuiemus. Ideo & Apost. ad Philip. 3. Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem permaneamus regula. *Lætetur cor meũ vt timeat nomen tuum.* Lætitiæ timorem adiungit. Lætitia enim, quando per se est, cito infundit errorem, inquit Ambros. Timor autem, inquit idem serm. 5. in Psal. 118. versu 6. verbi quædam basis. Verbum enim Dei in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur, ne veniant volucres cæli & auferant illud de incuriosi & dissimulantis affectu. Propter quod etiam scriptum est: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta, id est perseuera, aut constanter te tene, in iustitia & timore, quia si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua. Augustinus verò dicit lætitiæ hîc adiungi timorem, eo quod in hac vita etiam illis qui lætantur in Domino, nulla sit securitas à malis, quibus in hoc sæculo obnoxia est vita iustorum. Quid verò ob hæc mirabilia quæ fecit Dominus, ei retribuendum est? gratiarum actio & confessio laudis. De qua sequitur:

11. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, & exaltabo nomen tuum in æternum.*

12. *Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Quia liberasti me à statu damnationis, ex quo in infernum certo deuenissem. Dicitur autem infernus inferior, aut ad distinctionem lumbi patrum, qui supra infernum damnatorum erat. Eleuabat enim epulo oculos suos ad Abraham. Quam sententiam, vt non improbat, ita nec affirmat Augustinus. Vel dicitur infernus inferior ad distinctionem inferni, qui est hic mundus; Infernus dictus, quia sinu suo cõplectitur multos spiritu mortuos ac impios ait Augustinus.

13. *Deus, iniqui,* inquit Christus, *insurrexerunt super me, & synagoga potentium.* i. principum gentis iudaicæ: *Quæsierunt animam meam.* Volebãt enim Christi tam corpus quam animam morte secunda interficere. *Et non proposuerunt te in conspectu suo*, quia non cogitabant vineæ quam à te acceperant excolendam, fructus tibi Domino reddere, sed occiso vineæ, quem

quem nouerant, hærede, vineam in hæreditatem sibi seruare. Quid autem Christus?

Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens. i. patiēter ad conuersionem peccatores sustinens, *& multæ misericordiæ*, quia multa peccata condonans *& verax.* i. quod iustum est retribuens. Quibus epithetis hic Christus compellat patrem, quia eorum quæ petiturus est quædam pertinent ad Dei misericordiam, quædam verò ad veritatem siue iustitiam. Ad quam quidem pertinet quod dicit: 14.

Respice in me, &, siue id est, *miserere mei.* Erat enim in miseria Christus secundum carnis passionem. *Da imperium tuum*, vt tecum ad dexteram tuam consedeam *puero tuo*, qui tibi iniquitates potentum sustinendo ad mortem vsque velut puerili simplicitate obediens fui, vt in Psal. 67. diximus: *Et* à morte corporis (orauit enim Christus cum lacrymis ad Deū qui illum saluum faceret à morte) *saluum fac filium ancillæ tuæ.* Eius quæ dixit: Ecce ancilla Domini. Hæc ergò vt dixi, pertinent ad veritatem, quia debebātur Christo & iure & merito suo. Ad miserationes verò, misericordiam, & patientiam Dei pertinet effectus orationis quæ sequitur: 15.

Fac mecum signum in bonum. i. cooperare mecum vt signum quod ego 16.
Israeli sum (ego enim & pueri mei, inquit Isaias in persona Christi in signū *Isaiæ 8.*
& portentum Israëli à Domino) cedat compluribus in bonum, vt non sim omnibus in signum cui contradicatur, sed in signū quod sibi obseruandum proponant. Non dicit autem: *Fac mecum signum bonum.* Sicut enim Apostolus in omni loco erat bonus odor Christi, siue odor ille quibusdam fieret vitæ in vitam, siue mortis in mortem; ita Christus semper erat signum bonum, siue ei crederetur, siue ei contradiceretur. Orat proinde vt Deus faciat cum illo signum in bonum, ad hoc scilicet, *vt videant* oculis fidei ac mentis suæ, *qui oderunt me & confundantur.* de odio scilicet, quo sunt me persecuti. *Quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.* q.d. Videant hæc signa eo saltem tempore quo me adiuuisti, & per gloriæ tuæ cōsortium es consolatus, qui hæc signa non videbant cùm me in passione aliquousque desereres. Quia verò etiam pueri quos dedit Christo Dominus, illi scilicet quibus piscantibus dixit: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Ex quibus Petrus Ecclesiæ præpositus constitutus est; Pueri, inquam. i. Apostoli & viri apostolici, omnesque Ecclesiarum Prælati etiam in signum atque portentum sunt Israël à Domino exercituum, profectò conuenit etiam illis prædicta oratio in hunc modum: *Da imperium tuum puero tuo.* i. illis qui tametsi alijs præpositi sunt, sunt tamen in oculis tuis velut pueri
ignorantes cum Salomone ingressum & egressum suum; His inquam, da *3. Reg. 3.*
spiritum & sapientiam bene, & prout oportet, imperandi seu gubernandi.

Et saluum fac filium ancillæ tuæ. i. da illis etiam quæ necessaria sunt ad salutem animarum suarũ, ne cum alijs prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur, & patiantur animæ suæ detrimentum. Da itaque illis ad bene imperandum, spiritum tuum, vt officio suo prout oportet perfuncti, possint tibi vnà cum illo cuius nomine & loco Ecclesiæ in signum positi sunt, canere illud Psalmi 56. Sine iniquitate cucurri & direxi. *Fac mecum signum in bonum.* i. cooperare mihi, vt signum seu forma euangelicæ doctrinæ, correptionis, conuersationis, quod aliis proponere habeo, cedat illis in bonum, *vt videant qui oderunt me*, & in principio aduersantur mihi, *quoniam tu Domine adiuuisti me.* i. obseruent te cooperari nobis. *Et consolatus es me.* i. obseruent te nostris laboribus consolationem præbere in salute eorum, quibus signum quod proponimus, aut illis sumus, cedit in bonum. Hoc autem signum D. Gregor. intelligit esse charitatem, de qua Dominus: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Quod signum, inquit, requirebat Propheta cùm diceret: *Fac mecum signum in bonum.*

Gregor. 9. reg. epis. 52

PSALMVS LXXXVI.

DEscribit Psaltes fundamenta, portas, incolas, affectumque ciuitatis Dei quæ est Ecclesia secundum formã quam habitura erat tempore noui testamenti, asserens hæc à Prophetis qui tempore veteris testamenti, in ea fuerunt esse prædicta. Cuius ciuitatis pulchritudinem cum aliquantisper internis oculis ac mente tacita fuisset contemplatus, in hæc tandem verba prorumpit.

1. *Fundamenta eius*, ciuitatis scilicet quam oculis intueor, *in montibus sanctis.* i. sanctis Christi Apostolis. Istorum enim authoritas portat, inquit Augustinus, infirmitatem aliorum, & fulcit fidem. Ideo & Apostolus: Superædificati supra fundamentum Apostolorum. Et in Apocal. vidit Ioannes ciuitatem habentem fundamenta 12. *Diligit Dominus portas Sion.* Iidem sunt, Portæ dicti, quia opera sua infideles ad hanc ciuitatem introducunt. Has portas eosq; qui eis succedunt in portarum officium, diligit Dominus, *super omnia tabernacula Iacob.* i. supra Synagogam quæ comparatur tabernaculo quod est tentorium transeuntium. (Non enim synagoga erat habitura stabilitatem.) Hoc autẽ ob id, quod multò plures ingressuri essent per has portas in Ecclesiam, quàm vllo vnquam tempore sinu suo complexa est synagoga.

2. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Ecclesiam habentem formam noui testamenti ciuitatẽ vocat, quia forma eius permanebit. Deinde quia muris cincta est vt sit inexpugnabilis. Portæ enim inferi non præualebunt cõtra eam.

tra eam. Estque in ea prouidentia rectorum, concordia incolarum, vniformitas legum. De hac dicta sunt, seu à prophetis prædicta sunt, *gloriosa*, dicit enim Aggæus. Magna erit gloria domus huius postremæ plus quam primæ. Et Isaias: Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, ponã te in superbiam sæculorum. De qua & hic dicit Deus eandem ex gentibus multiplicaturus,

Memor ero Rahab. i. Ægypti. Rahab enim hoc loco non est nomen v- 3.
nius mulieris, sed regionis, *& Babylonis*. Ad hoc videlicet, vt eas esse faciã in numero, *scientium me*. Cui diuino promisso Psaltes alias adhuc gẽtium nationes ad Ecclesiam venturas prospiciens, cum admiratione succlamat:

Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum. i. omnes quàm latè dispersæ sunt gentium nationes, tandem audita per Apostolos euangelij prædicatione, *fuerunt illic*; quia per fidem illius ciues & domestici Dei facti sunt. Sed quid ego enumerandis illis qui per Apostolorum prædicationem illi ciuitati adscribendi sunt, immoror? Hem,

Nunquid Sion. i. Sioni (est enim apud Hebræos datiui casus) siue po- 4.
pulo Hierosolymitano, aduentum Messiæ exspectanti, *dicet*, siue euangelizabit, *homo*, Christus? Imò dicet, Dixit enim Psalmo 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius. Quid autem dicet Sioni hic homo, aut quomodo compellabit eam? Dicet ei, O mater Sion, vt legunt Augustinus & Ambrosius. Appellabit enim, inquit Ambros. synagogam matrem. Quia, *homo natus est in ea*, id est, ipse vt homo, siue secundum humanam naturam, natus est de Maria virgine in synagoga. *Et ipse fundauit eam Altißimus*. i. ipse idem secundum suam diuinitatem (in vtraque enim natura, vt ibidem docet Ambros. Vnus est Christus) est altißimus, qui *fundauit*. i. creauit eam. Vel, *fundauit eam*. i. prima Synagogæ fundamenta iecit. Hoc enim fecit cùm adhuc in sublimitate suæ diuinitatis absque carne permanens, Moysi aliisque ea quę synagogæ erant demandaret. Et ob id, in persona eius quasi iam ad Sion matrem suam in propria carne loquentis, pulchrè dicit Isaias: Ego ipse qui loquebar, Abrahæ scilicet Moysi, aliisque, ecce adsum, in propria mea carne. Omnia autem quæ ad ciuitatem hanc pertinent,

Amb. de excess. fr. Sat.

Dominus vberius *narrabit in scripturis* (per scripturas enim tanquam 5.
verba singulariter sua, Dominus nobis loqui censendus est) *populorum & principum horum qui fuerunt in ea*. Scripturæ enim quarum hîc fit mentio, & ad quas se refert Psaltes, partim per eos qui in ordine vulgarium fuerunt, vt Amos, Ozeæ, & similes, partim per eos qui in principum & nobiliũ sublimitate, vt Dauid, Salomon, Isaias, conscriptæ sunt, qui omnes fuerunt in synagoga. Concludendo porro Psaltes psalmum, dicit per apostrophen ad Ecclesiam:

Sicut

Sicut lætantium omnium habitatio est in te, quia propter donum charitatis quo in omni membrorum tuorum sorte & ordine dotata es ô Ecclesia, omnibus quoque adest animi hilaritas, cùm in synagoga regnauerit timor. Dicit autem, *Sicut lætantium*, quia in ecclesia huius vitæ non est plenum gaudium.

PSALMVS LXXXVII.

Canticum Psalmi filijs Core, in finem pro Maheleth ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.

MAheleth alia lingua chorus est: Scribitur autem hic Psalmus in quo Christi passio magna ex parte recensetur choro seu congregationi fidelium *ad respondendum.* i. vt ipsi per imitationem respondeant Christi passioni: Christus enim passus est, vt sequamini vestigia eius. Sic August. vel ad respondendum, vt scilicet chorus vocatorum cum iniquitatum suarum, ex qua vocatur, multitudine pressus dicit; Domine vim patior, responde pro me, per hunc Psalmum habeat præparatam verborum formã, qua Christus pro eis siue in eis respondeat. Christus enim in hoc psalmo inuenit pro salute eorum qui in statu damnationis sunt. Estque ob id recitandus, cùm pro conuersione eorum oratur qui sunt in statu peccati mortalis. In cuius principio est oratio Christi aut alicuius pij viri in persona iniustorum, pro quibus orat in hæc verba:

1. *Domine Deus* author *salutis meæ, in die clamaui & nocte coram te.* Est enim pro iniquorum salute die ac nocte orandum.

2. *Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.*

3. *Quia repleta est malis.* i. abundat iniquitate, *anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.* q. d. Vno tantum gradu, vt ita dicam, ego & infernus diuidimur. Qua oratione in persona iniustorum præmissa, Christus pro iisdem subito interuenit, & vt è statu damnationis eripiantur, pro eis suam passionem Deo Patri exponens eundem sic interpellat:

4. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacũ.* i. à Iudęis passus sum vt peccator, & in infernum post mortem præcipitandus. Hanc autem peccatoris similitudinem ego sustinui, vt eos qui per peccata sua sensim verè descendunt in lacum, ab ea pernicie liberares. *Factus sum sicut homo sine adiutorio*, quia derelictus, inquantum passus ait Ambr. Id verò ad hoc, ne illi qui à te verè derelicti sunt, semper derelicti manerent. *Inter mortuos liber*, à
Epist. 39. mortis reatu, inquit Cyrillus, quia mortem quæ humano generi pœna est, ego sustinui absque culpa. Id autem ad hoc, vt per mortem meam humanum genus à morte sua liberares, vel, *inter mortuos liber*, quia cum essem inter mortuos in inferno superiore, infernus in me non habuit imperium,

inquit Epiph. in Ancor. Non enim fuit Christus more aliorum carceribus inferni mancipatus, vel ibi necessitate vlla detentus, vt docet Augustinus contra Felicianum c. 15. Porrò quia Christus hoc Psalmo allegat eas suas passiones, per quas nos à pœnis ac supplicijs nostris redemit, ob id arbitror expositionem D. Cyrilli tanquam proposito magis conuenientem præferendam esse. Tametsi enim triduana illa mortis perseuerantia, quam Christus in Limbo inter mortuos transegit, naturæ humanæ, vt docet D. Thomas, fuerit pœnalis, quia naturali existentiæ vtriusque partis tam animæ, scilicet, quam corporis aduersa, non fuit tamen hæc mortis mora à Christo in pœnam suscepta, sed solummodo dispensationis & exercendæ potestatis gratia, vt per moram illam probaretur fuisse verè mortuus. Sed nec illa pœna fuit pro nobis satisfactoria, quia vt idem docet, non est tolerata tempore huius vitæ. Factus sum,

D. Th. opusc. de sym. apost.

Caiet. in 3 p q 52. a. 2

Sicut vulnerati spiculo mortis. *Dormientes in sepulchris quorum non es memor amplius: Et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Talis inquã factus sum, 5.
quia non apparebat foris spes resurrectionis, Idque vt ob similitudinem huius obliuionis & repulsę memor fieres eorum, qui in morte peccati sunt, & in peccatis sepulti, atque eos quos merito suo ab auxilio tuo repulisti, repulsam hanc diutius sustinere non permitteres, sed eos ex illa morte ad iustitiam reuocares.

Posuerunt me in lacu inferiori in tenebrosis, & in vmbra mortis: Sepul- 6.
tura Christi allegatur. q.d. ob id quod me posuerunt in tenebrosis & vmbra mortis, aperias tu Pater sepulcra & tumulos eorum, qui per peccandi consuetudinem in peccatis vt Lazarus, sepulti sunt.

Super me confirmatus est furor tuus, quia ad primas plagas meas iram 7.
tuam, quam in salutem generis humani ego excepi, ne mei quidem caussa conuertisti in mansuetudinem, nec cito accepisti satisfactionem, sed perseuerauit prædicta ira tua ad extremum vitæ meæ terminum: donec omnem plagarum mensuram implerem, diceremque consummatum est. Proposuerat enim Deus iram suam à genere humano nõ auertere, nisi Christus agonem suum morte compleret. *Et omnes fluctus tuos*. i. omnia plagarum genera, flagella, sputa, irrisiones, crucem *induxisti super me*. Et hæc à principibus, põtificibus, populo à me multis beneficijs affecto, gentilibus, omni sexu atque ætate. Idque vt vniuersitatem pœnarum, quibus obnoxium erat genus humanum, Christus pœnarum suarum quadam vniuersitate per modum satisfactionis lueret. Ideo Athan. Super me, inquit, confirmatus est, &c. quia iram aduersus nos conceptam Christus ipse gestauit.

Ser. de ver. Omnia mihi tradita.

Longè fecisti notos meos à me, Discipuli enim eius omnes relicto eo, fu- 8.
gerunt. *Posuerunt me abominationẽ sibi.* Inter eos enim Petrus de Christo

interrogatus cepit eum deteſtari. Vel, *Poſuerunt me abominationem ſibi*, Iudæi,qui Chriſtum vt ſibi abominabilem conſpuerunt.
9. *Traditus ſum*.q.d. Succeſsit traditori negotium traditionis. *Et nō egrediebar*. Pilato enim qui laborabat dimittere me, ſtudium & conatus non ſucceſsit. *Oculi mei languerunt præ inopia*. Vigor enim oculorum Chriſti defecit præ lacrymis eius,quia ceperunt oculi eius caligare præ illis. Si-
Iob.16. cut in perſona Chriſti dicit Iob: Facies mea intumuit à fletu & palpebræ meæ caligauerunt,quando ſcilicet cum lacrymis oraui. In quo fletu,
10. *Clamaui ad te Domine tota die*. & formâ orantium, *expandi ad te manus meas*. In qua oratione filiali & caſto amore pro tui nominis gloria in primis ſollicitus, ſic orabam:
11. *Nunquid mortuis facies mirabilia*? i. quamdiu homines in peccatis mortui manent,nunquid experientur illa mirabilia quę operaris in conuerſione peccatorum ad vitam? quæ magis ſunt admiranda,quam cum mortuos ſuſcitas ſecundum carnem. Et ſi tu mortuos ſpiritu non ſuſcitaueris,nunquid *medici ſuſcitabunt*. i. Nunquid inuenientur aliqui medici ſine te,qui valeant hos mortuos ad vitam reuocare? Et ſi eſſent huiuſmodi medici, nunquid *confitebuntur tibi*. i. nunquid tibi id aſſcribent, vel id ad gloriam nominis tui referent?
12. *Nunquid narrabit aliquis in ſepulcro miſericordiam tuam, & veritatē tuā in perditione*? i. Si quis perſeueret in peccato ſepultus,aut in ſtatu perditionis deſperatus, nunquid narrare poterit miſericordiam tuam, quam oſtendes ſi peccatores è ſuis ſepulcris eduxeris?
13. *Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis*? i. Si quis in tenebris infidelitatis & obliuione iuſtitiæ permanſerit,ita vt neſciat,aut ne ſemel quidam ei in mentem veniat,quid pertineat ad iuſtitiam aut rectam conuerſationem; Nunquid à talibus cognoſcentur mirabilia tua,& pulchritudo iuſtitiæ tuæ? Quandoquidem igitur ſi homines in morte, ſepulcro, terraque obliuionis reliqueris,obſcurāda ſunt mirabilia tua, & gloria nominis tui, experiantur quæſo mortui mirabilia tua in reſuſcitatione ſui. Educantur ex ſepulcris ſuis defuncti,à perditione perditi, è tenebris cæci. Recordentur tui qui ſunt in terra obliuionis, vt per experientiam gratiæ tuæ enarrent magnalia tua ad gloriam nominis tui.
14. *Et ego ad te Domine clamaui, & mane oratio mea præueniet te*. i. ad orandum te tempus matutinum præueni. Dico tempus matutinum: nulla enim oratio ipſum Deum præuenit, qui ſemper vigilat ad audiendum: Præterea nulla eſt bona oratio quam ſpiritus Domini non præuenerit, in-
Tract. de diligen. Deo. quit Bern. & ob id non rectè dicitur aliqua oratio præuenire Deum. Cæterum quaſi hæc quæ Chriſtus hactenus Deo Patri obtulit & allegauit, ad impe-

impetrandum quod prætendit non sufficiant, (tam enim est ardua resuscitatio mortuorum & reuocatio eorũ quorum vita inferno appropinquauit) exclamat Christus:

Vt quid Domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me? 15.
Volens autem meritorum suorum complere mensuram, vt sciamus Christum ab infantia sua opus salutis nostræ, non quidem prædicando confecisse, sed bene agendo meruisse, addit:

Pauper sum ego, propter nos enim pauper factus est cùm esset diues. *Et* 16.
in laboribus à iuuentute mea. Victum enim sibi Christus comparauit labore manuum suarum, vt circa finem Psal. 77. ex Basilio diximus. *Exaltatus autem.* i. authoritatem & gloriam per prædicationem & miracula aliaque beneficia consecutus. *Humiliatus sum*, ad passionem & crucem vsque, *Et coturbatus.* i. publico tumultu in crucem actus.

In me transierunt iræ tuæ. i. omnia excelsa tua & fluctus tui super me 17.
transierunt. *Et terrores tui*, dæmones, *conturbauerunt me.* Ipsi enim populum Iudaicũ ad tumultum & seditionẽ contra Christum concitauerunt.
Circũdederũt me sicut aqua, tota die circũdederũt me simul. Insidiãtes mihi. 18.
Elongasti à me amicum & proximum. Omnes enim Christum deseruerunt: 19.
& notos meos à miseria. s. elongasti. Cùm enim Christus caperetur, dixit: Si me quæritis, sinite hos abire, sua captiuitate alios à captiuitate protegens. Completa ergo enarratione meritorum suorum, non hic exclamat: *Vt quid Domine repellis orationem meam*, vt aduertamus priorem exclamationem à Psalte esse introductam, vt haberet occasionem recensendi reliqua merita Christi. Oportebat enim omnia merita eius simul concurrere, vt valerent nostri redemptionem à Deo iusto & seuero obtinere.

PSALMVS LXXXVIII.

Intellectus Ethan Ezrahitæ.

ETHAN idem est quod robustus, inquit August. Describitur autem in hoc Psalmo, quod fundamentum salutis nostræ sit ex diuini beneplaciti proposito; ex eo scilicet, quod Deus prædestinauit nos secundum propositũ suum saluos facere: Qui propterea meritò inscribitur robustis. Huius enim rei fide & spe, in veritate robusti fiũt homines; nec eos de spe suæ salutis incertos, & quasi desperabũdos facere debet, quod dicere possent; Incerta est mihi de meipso, siue erga me, bona Dei volũtas. Quid enim, inquit August. Tuáne tibi voluntas de teipso certa est? Cùm igitur, *De prædes. Sanct. c. 11*
inquit, vtraque incerta est, cur non homo firmiori quam infirmiori, fidem, suam, spem, charitatemque committit? præsertim cùm huius diuini propositi fides & spes mereantur à Deo accipere, quod credunt & sperant de eo.

Ita vt liceat nobis, per fidem qua credimus ſecundum Dei propoſitũ omnes ſaluari quicunque ſaluantur, & per ſpem qua ſperamus etiam nos eſſe ex numero eorum qui ſaluabuntur, certam quodammodo noſtram vocationẽ & electionem facere. Loquitur autem Pſaltes in perſona iuſtorum, & dicit:

1. *Miſericordias Domini* quas generi humano à lapſu exhibet *in æternũ*, i. deuotione in æternum mecum perſeueratura *cantabo*. i. cum laude, exultatione, gratiarum actione celebrabo.

2. *In generatione & generationem annunciabo*. i. prædicabo, docebo *veritatem tuam*, quam de his miſericordijs tuis reuelaſti *in ore meo*. Perſeuerabit enim ſcientia & prædicatio veritatis quam Deus de prædeſtinatione & gratia ſua reuelauit, in ore Eccleſiæ, à generatione in generationẽ per modum cuiuſdam patrimonij tranſmiſſa. Quam veritatem quandoquidem D. Auguſt. veriſsimè intellexit, arbitror hinc conſequi, doctrinam eius de prædeſtinatione & gratia, quæ à Deo præparata eſt præuiſo lapſu generis humani, nunquam de ore & corde Eccleſiæ auferendam, ſed eam à poſteris tanquam hæreditatem Patrum ſuorũ conſtanti deuotione tenendam & cõſeruandam. Quæ verò eſt miſericordia & veritas, de qua loquitur Pſaltes?

3. *Quoniam dixiſti*. i. apud temetipſum, ô Deus propoſuiſti. Quid? *In æternum miſericordia ædificabitur in cælis*: Cùm ædificare ſit ſtructuram aliquam à fundamentis ad conſummationem ſubducere; Et cùm in Deo nullus ſit motus; dicitur Deus propoſuiſſe miſericordiã ædificare in cælis, quia in cæleſti ſua miſericordia præordinauit atque diſpoſuit diuiſiones, menſuras atque gradationes gratiarum, per quas genus humanum à lapſu ab initio fidei vſque ad æternam beatitudinem pertranſiret atque pertingeret. Quod ergo dicit: *In æternum miſericordia ædificabitur in cælis*, idem eſt ac ſi diceret: Diſpoſitio diuinarum miſerationum ab initio earum vſque ad conſummationem, quæ erit in participatione æternitatis, præordinabitur in cælis. Et ne aliquis ſuſpicaretur huius miſericordiæ vllam cauſam præuiam in hominibus fuiſſe, quaſi ipſi vllo ſuo præuio, quod vel de congruo ſit, merito hanc ſibi diuinæ miſericordiæ præordinationem præparaſſent, ſubdit Pſaltes, *Præparabitur veritas tua in eis*. i. Eadem miſericordiæ diſpoſitio, quæ ob id quod ad effectum infallibiliter deducenda eſt, per conformitatem effectus ad cogitationem, intellectum atque propoſitum diuinum, *veritas* dicitur, *præparabitur in cælis*. i. ſi quid præparationis ſiue præuiæ diſpoſitionis habere debere cogitetur, id totum deſumetur ex cæleſtibus, ſiue ex miſeratione cæleſti. Nihil enim poteſt conſiderari boni in hominibus dictarum Dei miſerationũ præuij, cuius intuitu Deus illis dictas ſuas miſerationes pręordinaret. Poteſt interim huius partis & hic eſſe ſenſus *Veritas tua*. i. effectus prædictarum miſerationum, per rationẽ mox dictam

Veritas

Veritas facta, *præparabitur*, non in terris ab hominibus, quasi illi se suis viribus earúmve meritis ad effectũ hunc suscipiendum disponant, sed *præparabitur in cælis*, quia in cælesti sapientia excogitabitur atque præordinabitur quicquid ad gratiam Dei suscipiendam dispositionis rationem habere potest, & ex Dei misericordia idipsum in corda hominum immittetur: sicut scriptum est: Et præparabitur in misericordia solium eius. A quo sensu D. Hieron. videtur non fuisse alienus, Hic enim per *misericordiam* intelligit non misericordiæ dispositionem vt nos, sed eius effectum, dicens *misericordiam in æternum ædificari in cælis*, quia nullum, inquit, est tempus in quo non ædificetur misericordia in singulis quibusque sanctorum, quia cum priori gratiæ eorum alia, imo plerumque potior & præstãtior adijcitur, misericordia Domini in effectibus suis, & numero & dignitate augetur.

1. con Pela gi. cap. 7.

Disposui testamentum, quasi dicat Deus, Non solum ea quæ dicta sunt apud me proposui, sed eadem me facturum promisi, Quibus autem? *Electis meis*. i. ijs, quos ad hanc misericordiam atque gratiam præ reliquis, ex quorum iusta desertione manifestari conueniebat dispositionem meã prædictam meræ gratiæ esse, delegi. Hic namque sermonem esse de ijs qui ad gratiam eliguntur, patet ex eo quod mox subijcitur. *Iuraui*. i. immobiliter promisi, *Dauid seruo meo*. i. Iesu Christo ex semine Dauid formam serui induto. Vel, *seruo meo*. i. meæ voluntati secundum humanam naturam deseruienti. De quo iuramento Apostolus, Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius, qui est Christus: Idque, quia conueniens atque æquum erat vt promissiones illi fierent, qui tanquam pater futuri sæculi, totius generis sui causam apud Patrem agebat, vt sciremus nos has promissiones in gratiam Christi, eoque mediante, accepisse. Quid autem est quod iurauit? *Vsque in æternum*. i. vsque dum deueniatur in æternitatem *præparabo*. i. præueniendo disponam *semen tuum*. i. filios promissionis qui æstimantur in semine. (Proinde, vt dicere cepimus, hoc testamentũ disponitur electis ad gratiam, quia in eo est promissio gratiæ præuenientis.) De quibus dicit Deus, *præparabo*, quia eos qui ex illis adhuc impij erunt, præueniet, vt ad iustificationem primam se disponant: Eos verò qui ex illis relapsi fuerint, præueniet vt resurgant; Eos, qui ex illis in accepta semel iustitia permansuri sunt, præparabit vt perseuerent; Eos qui in iustitia, siue semel, siue denuò accepta, progressuri sunt, præparabit vt crescant; Eos denique, qui in quocunque gratiæ gradu aut ordine benè operaturi sunt, ad singula opera præueniet, vt ea exerceant. Ad singula dico. Morem enim gero definitioni Celestini Pontificis, qui dicit; Ne dubitemus in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus Dei magis valere, siue (vt legit Petrus Diaconus confessionis suæ & orientalis Ecclesiæ cap. vlt.) præuenire auxilium. 4.

Celes. epist. sua cap. 8.

5. *Et ædificabo in generatione & generationem sedem tuam.* i. idem semen
tuum me præparante, in regnum tuum quod est Ecclesia collectum, *ædifi-*
cabo. i. per gratiam subsequentem in eo ad incrementum prosequar, quod
per gratiam præuenientem præparaui; Vtrumque autem horum faciam *in*
generatione & generationem. i. continuato hoc meo opere quamdiu conti-
nuantur generationes. Hæc intelligens Psaltes, per spiritum prophetiæ sic
dicit ad Deum.

6. *Confitebuntur cæli.* i. cælites, *mirabilia tua Domine.* i. admirandam mi-
serationum tuarum & gratiæ tuæ dispositionem. *Etenim veritatem tuam.*
i. eadem mirabilia dispositionis tuæ, quæ, vt diximus, veritas dicũtur cum
iam re ipsa impleta sunt; In quem sensum voce veritatis & Iacob vsus est
cum dixit, Minor sum cunctis miserationibus tuis, tuæ videlicet prædesti-
nationis, & veritate quam, secundum illa quæ proposueras, explesti seruo
tuo. Hanc ergo veritatem confitebuntur *in Ecclesia sanctorum.* i. in Ec-
clesia cælesti, quæ tantum est sanctorum, ibidem laudantium Deum, de
admiranda gratia bonæ suæ erga eos voluntatis, & effectuum eius. In Ec-
clesia inquam. i. vniuersa *Sanctorum* illorum societate.

7. *Quoniam quis in nubibus.* i. sanctis, inquit Cyrillus, Qui alibi per nubes
1. In Ioan. cap. 21. prophetas intelligens, satis insinuat per nubes sanctos summi ordinis intel-
ligendos esse, ita vt sub nubibus his sanctorum longè excellentissima B.
2. Thez c. 2 Ambros de inst. vitæ. Maria mater Dei etiam comprehendatur, nam & Ambros. illam intelligit
per nubem leuem, super quam Isaias dicit Dominum ascẽsurum & ingres-
surum Ægyptum. Vniuersa itaque Ecclesia Sanctorum à maximo vsque ad
minimum cõfitebitur Domino *mirabilia* & *veritatem* eius. *Quoniam quis*
in nubibus. i. Sanctorum summis *æquabitur Domino*, ita vt tanquam Deus
sibi sufficiens, gratiâ saluus factus non sit? Vel, quis *similis erit Deo in fi-*
lijs Dei. i. quis eorum qui in filijs Dei cum omnibus promiscuè sanctis cen-
setur, q.d. quis vel Sanctorum minimus, *similis erit Deo*, vt velut Deus si-
bi sufficiens, ope & gratiâ non eguerit, vt perueniret ad gloriam sancto-
rum? Itaque quod hic dicitur, *similis erit Deo*, siue, *æquabitur Domino* in
eundem sensum accipitur in quem dicebat primus inuentor superbię; Simi-
lis ero altissimo, quasi dixisset, non dependebo ab ope & auxilio alicuius
3. Thez. c. 1 sicut non dependet altissimus. Cyrillus tamẽ alibi illud paulo aliter inter-
pretatur in hũc modum. Quis *in filijs Dei* per gratiã, *similis erit aut æqua-*
bitur Deo per naturam? cum sit inter hos infinita distantia? In quibus ver-
bis in eum sensum acceptis, prætermittendum non est, quod dicitur nemi-
nem filiorum Dei. i. neminem eorum qui ea ratione, quæ potest pluribus
conuenire, filij Dei sunt, Deo similem esse, non autem negatur Vnigeni-
tum Dei, Deo similem esse aut æqualem.

Deus

Deus qui glorificabitur in cócilio, siue cœtu, *sanctorum suorum*. i. quem 8.
omnes sancti pusilli & magni glorificant tanquam Deum suum, cuius gratia salui facti sunt, & non ex semetipsis, Dei enim donum fuit. Ipse inquam Deus itidem est *Magnus*, quia magnitudinem suam reuelás, Magnus enim Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius: *Et terribilis*. i. per maiestatis suæ magnitudinem tremorem reuerentiæ incutiens. In quem sensum in Gen. etiam Iacob dicit: Quam terribilis est locus iste. Sensus enim est, Quam Reuerendus est locus iste. *Super omnes*. i. omnibus *qui in circuitu eius*. i. in circuitu throni eius, vt habet Apocal. in cælestibus *sunt*: Hæc autem per Spiritum sanctum sibi cognita, nunc in sua persona admiratur Psaltes & dicit:

Domine Deus virtutum quis similis tibi? Potens es tu Domine, Et ve- 9.
ritas tua in circuitu tuo. i. veritas tua quæ tu ipse es, conspicitur ab his qui sunt in circuitu tuo, vbi tu in medio eorũ. Vel, Cogitatio tua per adimpletionem eorum quæ cogitaras, veritas facta est in circuitu tuo, quia in illis quos ad conspectum tuum perduxisti, implesti omnia quę de illis cogitaras & prædestinaueras. Ibi proinde vno ore omnes dicent, illud Isa. Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles Amen. Sicut autem *potens es*, ita potentiam tuam etiam in ea quæ huius sæculi sunt, exerces, quia:

Tu dominaris potestati maris. i. potestatibus sæculi, (mare enim sæculũ 10.
est) eorum enim potentiam & sæuitiam in tuis martyribus, in Ecclesiæ primordijs superas. *Motum autem fluctuum eius*. i. vim & impetum tumultuũ & persecutionum eius, *tu mitigas*. paulatim enim Deo operante, flaccessere tandem cepit persecutio, & seditio gentilium, donec Deo gratiam suam in idipsum multiplicante, planè tandem cessaret. An non enim mitigati sunt fluctus maris, cum Impp. quidam Christianos noluerunt inquiri, sed in delatos aut depræhensos solummodo animaduerti? D. tamen Cyrillus hoc *Epist. 32.*
versiculo in sensu literali vsus est, cum scriberet in hæc verba: Gratia & benignitate nostri omnium seruatoris Christi amplum illud & magnum traiecimus æquor, leuibus ac placidissimis flatibus vsi, ita vt absque omni metu & periculo nauigationem hanc executi, ad Rhodiorum ciuitatem appulerimus, glorificantes Deum & Psalmistæ voce dicentes: Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. i. Sathanam principatu quo 11.
hominibus dominabatur deiecisti, & tanquam fortior fortem illum cohibendo alligasti. Idque, *tanquam vulneratum*, A tempore enim quo à te alligatus est, improperatur ei illud Isaiæ: Et tu vulneratus. i. debilitatus es (vulneribus enim debilitantur homines) sicut & nos, nostri similis effectus es. Au-

es. Augustinus tamen in confess. istud accommodat superbis hominibus, qui humiliantur sicut vulnerati, cum ostensis sibi animarum suarum vulneribus pristinos demittunt animos. *In brachio virtutis tuæ*.i.in filio tuo, siue cooperante tibi filio tuo, virtute tua. *Dispersisti inimicos tuos*.i.complures ex ijs ad te conuertendo conspirationem eorum dissoluisti.

12. *Tui sunt cæli, & tua est terra*.i.Tu fecisti cælum & terram, vel potius. Tu dominaris in cælo & in terra. *Orbem terræ*. i. Ecclesiam per vniuersum orbem terrarum diffusam. *Et plenitudinem eius*, Ecclesiæ scilicet.q.d. Ecclesiam quam latè per vniuersum orbem terrarum patet, & multitudinem bonorum, quâ ipsa oppleta est. *Tu* in proposito voluntatis tuæ *fundasti*. *Aquilonem, & mare tu creasti*.i.illos, qui erant latera aquilonis atque diabolo prius adhærebant, & vndis sæculi erant immersi, tu creasti in vnum nouum hominem. Vel, Diabolum qui sedere volebat in lateribus aquilonis, & homines huius sæculi tu creasti, vt sint id quod secundum naturam sunt, & ob id non possunt potestatem tuæ voluntatis vsquam euadere. Quidã tamen hic, sicut & Psal. 106. pro (*mare*) legunt (*Austrum*) qui in bonum ferè solet accipi. Secundum quam lectionem sensus erit. Malos qui per *Aquilonem* frigidum & infructuosum ventum vbiq; ferè significãtur, & Bonos qui per *Austrum*, tu in fide & fraternitatis amore, Bonos insuper in nouum hominem *creasti*. Quæ expositio non parum conducit ad propositum. Cùm enim paulò ante dictum sit, Ecclesiam per vniuersum orbem terrarum Domino fundante, diffusam esse, & illa, Domino tolerante, complectatur malos & bonos, per versiculum hoc modo expositum datur intelligi, vt bonos, ita & malos id per quod in Ecclesia sunt, à Deo habere.

13. *Thabor*.i.illi qui sublimem montem conscenderunt, in quo reuelata facie gloriam tuam speculantes transferuntur à claritate in claritatem tanquã à spiritu tuo: *Et Hermon*.i.qui ad modicam iustitiam pertigerunt: Hermonijm enim Psal. 41. mons modicus dictus est. *In nomine tuo exultabunt*, i.iustitiam suam quæ ipsis gaudio est, nomini tuo, in quo sanctificati sunt, asscribent. Et agnoscent simul. *Tuum brachium cum potentia*.i.Filium cum Spiritu sancto, qui nomine virtutis siue potentiæ Psal. 68. designatus est, tanquam qui hæc omnia simul tecum operati sint.

14. *Firmetur manus tua*. i.confirma hoc quod operatus eris in eis: *& exaltetur*.i.maiora indies in eis operetur, *dextera tua*. i.virtus tua quæ in eis operetur bona, quæ prosint eis in vitam æternam. *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ*, per iustitiam enim & iudicium quod vnusquisque exercet in semetipsum, paratur sedi tuę, vt in æterna beatitudine sedes siue templum tuum sit.

Miseri-

Misericordia & veritas præcedent faciem tuã. Prius enim quam ostendas nobis faciem tuam, exhibes nobis indulgendo & gratis auxiliando misericordiam promissis tuis consentaneam. Vel, priusquam ostendas nobis faciem tuam oportebit nos misericordię opera exercere (Iudicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam) & in veritate ambulare. Vel, *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam*, quia priusquam hic illumines vultum tuum super nos, pręuenit te tua misericordia Christo pro nobis promissa, Quocirca verissimè dico : *Beatus populus qui scit iubilationem.* i. felix ille populus cui contingit de hac bona Dei circa se voluntate & præueniente misericordia, (quod fieri non potest sine mentis iubilo, qui est lætitia inenarrabilis) gaudere . Hi enim, 15.

Domine in lumine vultus tui. i. in lumine diuinæ gratiæ tuæ, ad similitudinem luminis quod tu tibi es, expresso, *ambulabunt.* i. conuersabuntur, In hoc lumine considerantes quid sibi faciendum, dicendum, vel prætermittẽdum sit, cum contra, alij ambulent in vanitate sensus sui tenebris obscuratum habentes intellectum propter ignorantiam cordis eorum. *Et in nomine tuo.* i. ob ea quæ agnoscent te eis propter nomen tuum tuamque ipsius bonitatem indies deferre ac præueniendo donare. *exultabunt.* i. præ lætitia exilient *tota die*, quia gratia hæc, nulla diei parte, siue comedant, siue bibãt, siue negotia obeant, siue ad interiora se conuertant, eis deerit. Obtinuerũt enim, quod sibi proposuerat Sapiens, Sapientiam tuam sibi ad conuiuendum. Et felix est mens eorum, cui Verbum tuũ velut indiuiduus comes, vt Bernardi verbis vtar, se vbique præbet affabilem. *Et in iustitia tua.* i. à te ipsis donata, *exaltabuntur.* i. in honore & pretio erunt. 16. Sapient. 8. Serm 32. in Cant.

Quoniam. i. quapropter, quia scilicet tuum est id per quod exaltantur, *Gloria virtutis eorum.* i. gloria quæ defertur aut debetur virtuti eorum, *tu es.* i. tua est, tibi debetur ac tibi iure asscribitur. *Et in beneplacito tuo.* i. quia tibi placuit prius nobis benefacere *exaltabitur* in æterna gloria, *cornu nostrum.* Per exaltationem enim cornu sublimitatem æternæ gloriæ solere intelligi, manifestum est ex scripturis : Cornu eius exaltabitur in gloria. Et : Exaltabit cornu Christi sui. Vnde autem, vel, quo principio orta sunt hæc omnia ? 17.

Quia Domini est assumptio nostra. i. ad hæc à Domino sumus ex mortuis, siue è statu peccati & reatu ac præcipitio mortis secundæ assumpti, Quæ enim assumptio, inquit Apostolus, nisi vita ex mortuis ? *Et sancti Israel regis nostri*, scilicet, est assumptio nostra; A mortuis enim ad vitam, imo viuificationem suscepit nos vna cum Deo Christus eius, sanctus sanctorum, secundum vtramq; suam naturã verus Israel, semper videns Deum; Rex noster qui sibi regnum super nos multo labore & pretio magno com- 18.

 parauit.

parauit. De qua assumptione Dominus per Isaiam: Suscepit te dextera iusti mei.i.Christi. Et Apostolus: Suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Vel, *Sancti Israel regis nostri* assumptio, est Domini; Vt enim nos per gratiam à Domino ad vitã ex mortuis assumeremur, etiam ipse Rex noster Christus secundum humanam naturam à Domino in vnitatem diuinæ personæ sine præuijs suis meritis assumptus est. De quo sancto Israel Rege nostro Christo,

19. *Tunc*.i.diu ante aduentum eius in carnem *locutus es*, ô Deus, *in visione*, i.prophetiæ reuelatione siue manifestatione *Sanctis tuis*, quibus ob vitæ, quam eis dederas, vel qua tibi consecrati erant, sanctimoniam, non potuisti celare ea quæ facturus eras. *Et dixisti*: *Posui adiutorium*. i. authoritatem, virtutem, ac potestatem vobis auxiliandi, *in potente*. i.Christo, qui secundum diuinam naturam (teste, & ita hunc locum explicante Ambrosio) potens est & virtus Dei, *Adiutorium* inquam in eo *posui*, secũdum humanam naturam, faciendo eum secundum eandem diuinæ suæ potestatis consortẽ, vt in quo passus esset, ipse & tentatus, potens esset iis qui tentantur, auxiliari. *Et exaltaui*.i.in dexteræ meæ consortium secũdum humanam naturam sublimaui, Christum, *Electum* vnum ex millibus. *de plebe mea*, gente videlicet Iudaica. Vel, *de plebe mea*.i.ex parentibus plebeis. Tenues enim, inquit Basil. erant parentes Christi, neque necessariis ad viuendum copijs satis instructi, ita vt verisimile sit, inquit, eos solitos fuisse in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianũ sibi victum quæritare. Hæc Basilius. Prius tamen quam Christus quo dixi modo exaltaretur,

2. de fide cap. 3.

Constit. monast. cap. 5.

20. *Inueni Dauid*. i.eundem Christum, quem prius dixi electum esse de plebe mea, & nunc id propius explicando, declaro eum electum ex illa stirpe plebis meæ, quę est stirps Iesse per Dauid. Hunc, inquam, *inueni*. Non enim Christus secũdum humanam naturam vlla ratione præuenit Deum, vt Dei filius fieret, sed Deus eum non quærentem, imo ne existentem quidem *inuenit* vt homo & simul Dei filius fieret, ita vt de Christo secundum humanam naturam verè dicat Deus, Inuentus sum à non quærente me. Qua in re agnoscendus est Christus esse illustre exemplar, præsertim præuenientis, gratiæ Dei. *Oleo sancto meo*.i. Spiritu sancto, cui quia exuberans Dei amor & charitas est, diuinæ vnctiones attribuuntur; *vnxi eum* in ipsa sui inuentione siue conceptione. *vnxi*, inquam, *eum*.

21. *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum*. i. Ipsum verbum meum æternum, quod manus mea & brachium meum dicitur, quia per ipsum feci omnia: Hoc, inquam, verbum *confortabit eum* secundum humanam suam naturam, tanquam proprium suum sibique cohærens (vnde & Zacharias dicit eum virum cohærentem Deo) templum, vt ea dicat

dicat & faciat quæ nemo alius fecit. *Vnxi* ergo *eum*, non vulgari modo, vt solum dona ac charismata Spiritus sancti, & in illis Spiritum sanctum more aliorum reciperet, sed vt spiritu sancto reliquis sanctæ Trinitatis personis gratuita bonitate cooperante, ex Virgine homo in diuina persona subsisteret. Inter cætera autem brachium meum confortabit eum, vt sit potens in prælio: Ego enim (dicit Dominus, Hieremiæ figuram eius gerenti) dedi eum in ciuitatem munitam & in columnam ferream & in murum æreum super omnẽ terram regibus Iuda & principibus & sacerdotibus, & omni populo terræ, & bellabunt aduersus eum, sed

Nihil proficiet inimicus in eo, quia diabolus omnis iustitiæ inimicus, vt 22.
ex Euangelijs notum est, eum tentando nihil proficiet. *Et filius iniquitatis*, qui D. Cyrillo Iudæi sunt, tentantes, nũc mansuetudinem Christi, nunc *In cap. 32. Isaiæ.*
eius integritatem, nũc veracitatem, & reliqua; *Non apponet nocere ei*, quia sicut diabolus, ita nec isti tentãdo poterunt eum ad vllum peccatum inducere, Quod est nocere.

Et concidam à facie ipsius inimicos eius. i. ego per verbum meum in eo 23.
manens, & in eo faciens opera, dæmones passim eijciendo, regnum eorum, à facie siue à præsentia eius, quasi in frusta concidendo, dissoluam. *Et inimicos eius* eosdem dæmones, *in fugam conuertam*, vt audito nomine eius, siue adiurati per nomen eius, è suis possessionibus fugiant. Vel, *Nihil proficiet inimicus in eo*, quia primates populi Iudaici ab infantia eũ persequendo, & operibus eius contentiosissimè obnitendo, tanto studio nihil eorum quæ volent obtinebunt. Ita vt coacti tandem debeant veritatem fateri, & scripturæ huic perhibere testimonium & dicere; Videtis quia nihil proficimus, Ecce mundus totus post eum abit. *Et filius iniquitatis*. i. populus iniquitatem principum suorum imitatus, *non apponet nocere ei*. i. quia, vt principes, ita & hi nihil ei in veritate nocebunt; Ego enim liberator eius de inimicis eius iracundis, & ab insurgentibus in eum, eum exaltabo, vt Psal. 17. dictum est. Contrà verò, in die iudicij, ego in eo, vt in Psal. 9. dictum est, iustitiam iudicans, *Concidam*. i. internecioni mortis secũdæ tradam, *à facie eius*. i. coram oculis eius in solio maiestatis suæ corporaliter sedentis, *inimicos eius*, Tum enim implebo quod ipse dixit, Inimicos illos meos, qui noluerũt me regnare super se adducite huc, & interficite ante me. Hunc itaque versum de die iudicij rectius intelligimus, quia cõcidere, & *concisio* diei iudicij in scripturis sacris passim tribuitur. Dicitur enim in Psalmo; Dominus iustus concidet ceruices peccatorum. & Ioelis 3. Vallis Iosaphat in qua fiet iudicium dicitur vallis concisionis, & populi in ea ad iudicium congregati, dicuntur populi concisionis. i. filij mortis secundæ: Cuius internecio dicitur cõcisio, vt ex notorij supplicij acerbitate, de acerbitate illius extre-

mæ, & nunquam terminandæ, internecionis conijciamus. Quæ si non inferat dolorem qualis ex dissectione singulorum membrorũ in corporali concisione nascitur, infert saltem illum dolorem quo damnatus, sicut concisus, per omnia & singula sua membra torquetur. *Et odientes eum in fugam conuertam.* Illo enim die aduentante, implebitur quod scriptum est, Fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sed quid proderit eis fugere? Non enim, vt diximus, effugient.

24. *Et veritas mea & misericordia mea cum ipso.* Posset hoc etiam de die
iudicij intelligi, in quo Christus exercebit misericordiam & veritatem, sed quia id quod sequitur, in ascensione Christi impletum est, ideo conuenientius hoc accipitur impletum esse tempore mortalis vitæ Christi. De hoc enim tempore dicit Deus Pater; *Veritas mea & misericordia mea cum ipso. Veritas* quidem, quia in Christo mortalem vitam in carne agẽte, impleuit quod promiserat Deus per Prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo, qui iam tum factus erat ei ex semine Dauid secundum carnem. *Misericordia* verò, in ipso enim Christo pręsente ostẽdebat Deus populo misericordiam suam & salutare suum dabat eis. Et vna cum eo non modicam exhibebat populo misericordiã, Miserente Iesu super turbas quia erant vexati non habentes pastorem: Et super turbam quæ triduo sustinuerat eum, nec habebat quod manducaret: Et super viduam quæ flebat mortem vnici sui qui efferebatur: Et super seruum supplicem qui debebat Domino decem millia talenta: Et super cæcos clamantes, Domine miserere nostri fili Dauid; Et super illum quem inuaserat legio dæmonum: Quis autem intelliget misericordias quas Deus cum Christo suo exhibuit illi qui incidit in latrones? *Et in nomine meo exaltabitur cornu eius.* Cùm enim ad gloriã (quod per cornuum exaltationem significari diximus) sublimandus erit, tum accipiet
9. in Ioan c. 20. et 10 c 9. & lib. 11. c 22. Basi. 2 aduers. Euno. nomen quod est super omne nomẽ, quod D. Cyrillo & Basilio est nomen Dei. Tunc enim exacto iam tempore suæ exinanitionis atque humilitatis, non à natura, inquit Cyrill. qua se humiliauit, sed à dignitate & gloria qua secundum naturam Deus est, cognosci incipiet Christus. Cornu verò eius exaltato, cùm Apostoli incipient sulcare maria & flumina peragrare,

25. *Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.* i. faciam
virtutem gratiæ eius ad eos qui in inuijs habitant, ad quos nisi per mare & flumina non acceditur, peruenire: Imo in ipso mari & fluminibus erit manus eius, quia nauigantibus, in media nauigatione, aderit frequenter operatio gratiæ eius. An nõ id (quod sæpius alijs in rebus factum credimus) manifestè videmus in nauigatione Pauli, in qua sermonibus Pauli Christo cooperante, animæquiores facti sunt qui prius nimia imminentis interitus formidine erant consternati? Tempore interim mortalis vitæ suæ.

Ipse

Ipse, in orationibus suis vt mihi verus sacerdos, *Inuocabit me*, vt eum, & 26.
præcipuè semen suum saluum faciam à morte. In qua oratione sua dicet mihi. *Pater meus es tu*, mihi quidem tam humana quam diuina generatione, (ex humana enim generatione homo ille, qui hæc dicet, fuit filius Dei naturalis) fratribus verò siue mẽbris meis ob id *Pater es* adoptione. Nobis enim conceditur, appellare Deum Patrem, quia filius eius genuinus, inquit Athan. habitauit in nobis. *Deus meus*, secundum humanam naturam, Cùm enim Christus simpliciter Deus sit & Dominus, & nemo, authore Cyrillo, dicatur Deus suiipsius, oportet vt cum Christus Deum appellat Deum suum, id intelligamus dici secundum quid, videlicet, ratione humanæ naturæ. Ad hoc enim vt aliquis simpliciter sit Deus aut Dominus alicuius, requiritur pluralitas suppositorum; inquit D. Thom. *Et susceptor salutis meæ*. Qui me ad summam salutem per gratiam vnionis suscepisti; Et per resurrectionem, ad plenam corporis & animæ salutem, incolumitatem, & felicitatem suscepturus es.

Epist. pro Decre. Con. Nicen.
Cyr. epi. 10
3. p q. 20. a. 2 ad 1.

Et ego primogenitum ponam illum. i. eum, per gratiam siue gratuitã Dei 27.
bonitatem secundum humanam naturam in filium Dei naturalem generatũ, constituam exemplar atque fontem gratiæ, vt ad instar eius, atq; ex eo, per eandem gratiam complures in filios Dei à spiritu gratiæ adoptentur, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Qui fratres eius dicuntur, quia ipse cum illis secundum hominem ex eadem gratuita Dei voluntate ducit originem, Ea namque gratia (inquit August.) fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio factus est Christus. De ipso spiritu hic renatus, de quo ille natus. Eodem spiritu fit nobis remissio peccatorum, quo factum est, vt nullum haberet ille peccatum. *Excelsum præ regibus terræ*. Est enim Rex regum, & Dominus dominantiũ, Cuius hãc celsitudinem Isaias expressit in hæc verba: Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valde, & paulo post: Iste asperget gentes multas; super ipsum continebunt reges, (ecce quomodo excelsus præ regibus terræ) os suum, qui prius aduersus religionem Christianam leges sæuissimas, inquit August. promulgabant. Vel, quia in conspectu eius ne hiscere quidem de sua potestate audebunt.

De predest. Sanct. c. 15
Isaia 52.
1. De conf. Euãg c. 31

In æternum seruabo illi misericordiam meam: Illi enim pro suis fratri- 28.
bus vsque in diem æternitatis propitius & misericors ero; vbi iterum est animaduertere, quod Christus mediator noster sit, non solum in promerenda vel impetranda, verumetiam accipienda Dei gratia. *Et testamentum meum*, quod dispofui electis meis, & Iuraui illi, *fidele*. i. permanens, stabile erit atque immobile *ipsi*, Ipsi inquam, eramus enim indigni qui testamentum pacis à Deo immediatè acciperemus. Oportuit proinde illum qui gra-

tiam hanc emeruerat, etiam ipſum meriti ſui fructum, eiusque pollicitatio-
nem pro nobis à Domino accipere. Cuius miſericordiæ effectus eſt,

29. *Et ponam in ſæculum ſæculi*.i.quamdiu de ſæculo in ſæculum deuolue-
tur huius vitæ tempus, *ſemen eius*, Quia toto tempore huius ſæculi ſpiritus
eius generatione ſpiritali propagabitur in poſteros. *Et thronum eius*: Ex
quo ipſe impertiendo iuſtitiam, iudicabit, vt in pſal. 71. diximus, popu-
lum ſuum in iuſtitia: *Et thronum*, quem ipſe in Eccleſia poſsidet per vica-
rios ſuos eam regendo & iudicando, *ponam*, *ſicut dies cæli*. Si enim, inquit
Ierem 33. Dominus per Ieremiam, irritum fieri poteſt pactum meum cum die, & pa-
ctum meum cum nocte, vt non ſit dies & nox in tempore ſuo, & pactum
meum irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo, vt non ſit ex eo filius qui
regnet in throno eius, Et Leuitæ & Sacerdotes miniſtri mei. Per quæ po-
ſtrema verba ſatis manifeſtum euadit *thronum* Chriſti, non ſolum in cælo,
ſed inſuper in Eccleſia permanſurum. Et quod his amplius eſt,

30. *Si autem dereliquerint*. i. per apoſtaſiam abiecerint *filij eius*. i. illi filij
promiſsionis qui iam etiam vocatione & profeſsione filij eius ſunt, *legem
meam*, Derelinquere enim Dominum aut legem in ſcrip. ſacris idem ferè eſt
quod Apoſtatare: *& in iudicijs meis*. i. lege mea tempore veteris teſtamenti
præcepta iudicialia compræhendente, *non ambulauerint*. i. ſecundum leges
meas ſuam non inſtituerint conuerſationem.

31. *Si iuſtitias meas* quibus à me per ſpiritum ſanctificationis fuerint ſan-
ctificati, *profanauerint*. i. amiſſo per peccatũ ſpiritu ſanctificationis ſemet-
ipſos prophanos fecerint. *Et mandata mea* præuaricando *non cuſtodierint*.

32. *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.*
In virga, inquit *& in verberibus*. Peccata enim eorum qui à iuſtitia lapſi
ſunt, Deus dimittere non vult ſine caſtigatione & ſupplicio. Quæ caſti-
gatio à Deo illata valebit eis ad remiſsionem peccatorum, ſi piè vt docet
Seß.14.c.3 Concil. Trident. ab eis fuerit tolerata. Si autem lapſi de ſemetipſis vin-
Tert. De pœnit. cap. 9. dictam ſumendo, hanc Dei viſitationem præuenerint, vindicta quam de ſe-
Aug ep. 54 metipſis ſumunt, valebit eis, mihi crede, inquit Tertull. ad hoc vt vindi-
Bern. ſerm ctam Dei euadant.
55. in Cãt. *Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo*, quia lapſis in Chriſto
33. dabit Deus remiſsionem peccatorum, inquit Cypria. Dicitur autem, *ab eo*,
Cyp. epi. 52 quia datur Chriſto remiſsio peccatorũ in membris eius, vt docet Auguſt.
Aug. in hũc locum. & *Neque nocebo*. i. flagellando, verberando, caſtigando, non inferam illis
17. de Ciu. nocumentum, ſed exercebo diſciplinam quæ poſtea fructum pacatiſsimum
cap. 9. exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Id autem dico, *In veritate mea*; Aſ-
ſertio eſt, quali & Ieremias vſus eſt cum diceret: In veritate miſit me Do-
minus ad vos. Huius tamen loci aſſertio iuramentũ eſt, quia cum hic Deus
loqua-

loquatur, per veritatem non intelligit niſi veritatem increatam. Affirmare autem aliquid per veritatem increatam, iurare eſt. Cùm tamen homines aliquid aſſerunt *in veritate*, id intelligere poſſunt de veritate, quæ eſt in re de qua loquuntur, ſiue in aſſerentium mente; & eo caſu non proferunt iuramentum.

Neque profanabo. i. fallendo non violabo ſanctum *teſtamentum meum*. 34.
i. pactum meum ſiue promiſsiones meas. Nec id mirum, Quin etiam, *Quæ procedunt de labijs meis*. i. quæ abſque promiſsione aut iuramento ſimpliciter dico aut enuncio *non faciam irrita*. i. non ſinam illa euentu ſuo fraudari. Quin &

Semel iuraui in ſancto meo. i. per ſanctitatem meam. Quod idem eſt cum 35.
eo quod alibi dicitur: Per memetipſum iuraui dicit Dominus. Id autẽ non ſui cauſa fecit Deus, Ipſe enim, vt mox audiuimus, & cum loquitur fidelis eſt, cuius ſermo inquit Ambroſ. ſacramentum eſt. Non enim propter ſacramentum (i. iuramentum) fidelis Deus, ſed propter Deum etiam fidele eſt ſacramentum: non ergo ſui, ſed noſtri cauſa iurauit Deus. Quia enim illud verius ſolemus credere, inquit ibidem Ambroſ. quod iureiurando firmatur, ne noſtra claudicet fides, iurauit Deus, vt per duas res immobiles, aſſertionem videlicet ſuam & iuſiurandum, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, fortiſsimum ſolatium habeamus. Nobis proinde cum Tertull. exclamandum eſt. O felices nos pro quibus iurare vult Deus. Attamen hoc quod dicitur. *In ſancto meo* intelligi poteſt vt idem ſit quod, in filio meo, ſicut & apud Iſaiam cùm dicitur, Iurauit Dominus in dextera ſua, D. Cyril. per dexteram filium intelligit: Nec hic intellectus erit abs re: Sicut enim cùm Deus per ſemetipſum iurat, declarat, teſte Tertull. alium Deum omnino non eſſe, ſic cùm per Filium iurat, declarat Filium ſibi æqualem eſſe, *Iuraui* itaque *in ſancto meo. ſi Dauid mentiar*. i. Nequaquam mentiar Dauid. i. Chriſto, inquit Auguſt. Quid autem iurauit Dauid? *ſemen eius*. i. filij promiſsionis *in æternum manebit*. Non enim peribunt, inquit, oues meæ in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Vel, *Semen eius in æternum manebit*, quia vſque in diem æternitatis perſeuerabit continuata ſucceſsio Chriſtianorum in locum hinc decedentium, Et poſt hanc vitam,

[Margin: *1. de Cain & Abel, cap. 10.* — *De pœnit. cap. 3.* — *Cyrill. li. 6. in Gen.* — *Ter. 2. con. Marc. c. 26*]

Et thronus eius. i. ſedes, templum, regnum gloriæ eius, qui ſunt ſancti in 36.
futuro ſæculo, *ſicut ſol in conſpectu meo*, quia, per gloriam animæ, fulgebũt ſicut ſol in præſentia Dei, ſiue cum præſentes, vt Apoſt. loquitur, erunt ad Dominũ. Et per gloriam corporis fulgebũt, *ſicut luna perfecta in æternũ*, quia erũt ibi perfecta & immutabili corporis immortalitate, inquit Auguſt. veſtiti, cùm hic fuerint, ſecundum corpus præſertim, multis incrementis & decremẽtis ac mutabilitatibus obnoxij. Et quia in nulla re tantopere contradi-

[Margin: *Epiſt. 119. cap. 6.*]

Aug. in hūc locum. tradicitur fidei Christianæ, inquit August. quam in resurrectione carnis: Nam & quidam cùm audirent ex Paulo resurrectionem mortuorum, irridebant, putantes resurrectionem carnis contra naturam esse, inquit Dionys. quocirca etiam nemini falsorum deorum affinxit gentilitas, inquit Athanas. resuscitationem à mortuis; Ob id, inquam, voluit Deus nos ad fidem resurrectionis, non solum verbo firmare, verum etiam exemplo, Præsertim, cùm, teste August. in resurrectione, propria (mortuum enim Christum & gentiles, inquit, credunt) fides Christianorum sit. Sequitur proinde; *Et testis in cælo fidelis.* i. Fidelis in cælo qui est Christus, fidelis dictus, quia habet ibidem immortalitatem fidelem quæ nunquã amplius visura est corruptionem, *est testis* futuræ vestræ per resurrectionem immortalitatis: Ad hoc enim Christus, inter cætera, resurrexit, vt corporis sui restitutionem & immortalitatem sibi membra promitterēt, quæ in capite præfulsisset. Hanc autem huius loci explicationem requirunt aliæ scripturæ. Nam pro eo quod nos legimus, *testis in cælo fidelis*, Septuaginta, teste D. Hieronymo, legunt *Dabo vobis sancta Dauid fidelia.* Quæ autem sunt hęc sancta Dauid, nisi immortalitas Christi ex resurrectione eius à mortuis? Et quomodo illa sunt fidelia, nisi quia Deus, vt interpretatur Apostolus, suscitauit Christũ à mortuis, iam amplius non reuersurum in corruptionem? Et qua ratione hoc tempore dat nobis Deus illa sancta Dauid fidelia, nisi quia concedit nobis illa in testimonium nostræ resurrectionis? Cæterum ne quis putet promissiones premissas intelligendas esse de Salomone, regno ac templo eius, cõuertit Psaltes sermonem ad enarrandam euersionem eorum quæ sunt Salomonis & regni Iudaici, dicitque:

De diui. nomin. c. 6. Athana. de corp. adu. verb. circa finem. 16. cõt. Faustum c. 29. Hier. in ca. 55. Isaiæ. Act. 13.

37. *Tu vero repulisti* regnum Salomonis in successoribus suis, vsque ad euersionem ipsius ciuitatis Hierosolymitanæ, inquit August. *& despexisti*, Salomonem filium meum ob peccata sua, & proinde non est ipse ille filius, de quo hactenus sermo factus est. Quia fortè permissus est Salomon errare, inquit Ambros. ne in eo crederetur implenda prophetia de Christo. *Distulisti Christum tuum*, illum enim qui verè Christus est, & in cuius typũ Saul & alij reges Christi dicti sunt, non fecisti ex semine Dauid nasci ipso adhuc viuente, sed natiuitatem eius in longum tempus post mortē Dauidis distulisti. Sicut eidem promisisti, cùm per Nathan Prophetam diceres: Cùm impleti fuerint dies tui & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Vbi cum dicitur: suscitabo; promittitur ei in filium Christus. Hunc enim ex semine Dauid non vir aliquis, sed ipse Deus in spiritu suo sancto, ex Virgine suscitauit: De consuetis enim conceptionibus dicitur, quod frater debeat suscitare semen fratri suo.

3. in Lucã, cap. 1. 2. Reg. 7.

Euer-

Euertisti; Sic enim legendum esse testatur August. pro eo quod nos le- 38.
gimus, *Auertisti testamentum serui tui*, quod singulariter seruo tuo Da- 17. de ciui.
uid fecisti: de quo ipse Dauid loquens ad Salomonem: Obserua, inquit, vt cap. 10.
custodias mandata Domini, vt confirmet Dominus sermones suos quos 3. Reg. 2.
locutus est de me, dicens: Si custodierint filij tui vias meas, non auferetur
tibi vir de solio Israel. Sicut enim, teste Augustino, gens Hebræa mansis- 17 de ciu.
set in terra promisionis in felicitate temporali vsque ad terminum huius cap. 2.
sæculi, si diuinis legibus paruisset; ita & regnum Dauid per iugem successionem nepotũ eius perpetuum fuisset, si posteri eius diuinis maudatis permansissent morigeri. Quam conditionem quia non impleuerunt, ideo succesio regum illorum abrupta est, regnumq; eorum deletum: Et testamentum, conditione sua non impleta, iure est euersum. *Prophanasti in terra sanctuarium eius*. i. templum à Dauide præparatum, & à Salomone exstructum. Idq;, ne in Salomone crederetur impletum quod dictum erat ad Dauid: Ipse ædificabit domum nomini meo.

Destruxisti omnes sepes eius. Idem est cum eo quod Psal. 79. dictũ est, 39.
Destruxisti maceriam eius. *Posuisti firmamentum eius formidinem*, ita vt
nihil tam firmum sit aut munitum, quod eum formidine solutum aut securum facere posit. Implesti enim quod Israëli eras comminatus: Dabit tibi Deuter 28.
Dominus cor pauidum, Manè dices: Quis dabit mihi vesperum: & vesperi, Quis dabit mihi mane, propter formidinem cordis tui. Vel, *Firmamentum eius*, in quo de tua protectione securus solet habitare sub vinea & ficu sua, conuertisti in formidinem.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vici- 40.
nis suis. Id in Psal. 79. explicatum est.

Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius; 41.
quia hostibus eius varijs locis & temporibus victoriam de Israel in vindictam dedisti.

Auertisti adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello; Hoc 42.
coincidit cum illo versu Psal. 43. Nõ egredieris Deus in virtutibus nostris.

Destruxisti eum ab emundatione. i. permittendo destrui templum, & 43.
cultum religionis quo solet secundum legem purificari & expiari, exclusisti eum à solitis purificationibus, vt ob id plorans de eo dicat Ieremias: Sordes eius in pedibus eius. *Et sedem eius*. i. thronũ Salomonis, ad quem propter eius sublimitatem sex gradibus ascendebatur, *in terram collisisti*. i. de sublimitate sua ignobiliter deiectum ad terrã collidendo, cum confregisti.

Minorasti dies temporis eius. Quia secus quam prima facie futurum vi- 44.
debatur, paucis annis Israël permansit in terra sua, Vel, regnum Salomonis in pristina amplitudine & gloria. *Perfudisti eum confusione*. Dixit proinde

Psal 43. Confusio faciei meæ cooperuit me à voce exprobrantis & obloquentis. His enarratis subdit tandem Psaltes orationem pro populi sui conuersione, & dicit:

45. *Vsquequo Domine auertis* faciem tuã, inquit August. vel misericordiam
17. de Ciu. cap. 11. tuam à reliquijs Israël, *in finem*, sæculi, inquit idem. *Exardescet sicut ignis ira tua*, quæ vt ignis serpens penè totum illum populum consumit? Personam verò illius populi in se transfigurans, dicit:

46. *Memorare quæ mea substantia.* i. quod manibus tuis ad imaginem tuam conditus sim. Vel, vt exponit August. Memorare quod Christus ex nostra gente substantiam humanæ carnis assumserit. Vtraque expositio bona est, quia vtrumq; horum Dei misericordiam in populum illum prouocat. Pri-
4. cont. Iul. cap. 3. mum quidem, quia dicit D. Augustinus, quod humana natura meretur Dei gratiam, quia imago Dei est. Quæ tamen eius verba non sic intelligenda sunt, quasi Deus naturæ humanæ, præsertim lapsæ, gratiam deberet: Nulli e-
De bon. per seuer. ca 8. nim, inquit idem, gratuita liberatio daretur, si naturæ debita redderetur: sed dicitur ab eo natura humana gratiam mereri, quia ipsa præ creaturis irrationalibus tam præstans est, vt eius misereri, eique miserendo subuenire Deo dignum sit atque decorum. Alterum verò, quia quod Christus ex Iudaica gente carnem assumpserit, facit eandem miseratione quodammodo dignã: Nam & Apostolus ardentissimè illam dilexit, inter cætera ob id quod ex ea Christus esset secundum carnem. Prior tamen sensus est contextui magis conueniens. Sequitur enim; *Nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum*? i. Nunquid non visum fuit tibi indignum, si totum genus humanum eo quod à te conditum erat, à fine suo excideret, & in æternũ periret?
Comp theo. p. 1. ca. 15 Vanè enim constituisset Deus omnes filios hominum, inquit D. Thomas, si genus humanum in omnibus suis suppositis periret. Id autem non permisit
At. de corp. adu. Verbi. Deus, quia indecorum erat, inquit Athanasius, & indignum Dei bonitate, si quæ ab ipso creata essent in interitum abirent, eratque indecentissimum artem Dei in hominibus extingui. Si ergo ô Domine humanum genus perditioni obnoxium te ad misericordiam commouit ne in totum periret opus tuum; *Memorare quæ nostra substantia*; Nam & nos opus manuũ tuarum sumus: vel huius ergo rei intuitu misericordiam ante oculos tuos inueniamus. Hæc itaque oratio eandem vim & energiam habet cum ea quam pro
Isaiæ 64. Iudæorum salute fundebat Isaias cùm diceret: Et nunc Domine pater noster es, nos verò lutum; & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos; ne irascaris Domine satis.

47. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem*, corporis, inquit August.
Aug. con Felic. c. 18. Vel potius, peccati? Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei. *Eruet*, propria virtute, *animã suam de manu inferi*; cui se peccãdo fecit obnoxium?

Cùm

Cùm ergo neutrũ horum in potestate hominis sit, & auxilium tuum ad illa nobis sit necessarium, tu Domine erue animas nostras de morte, & de manu inferi, de necessitatibus nostris liberans nos Domine.

Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine. Antiquæ. i. patribus nostris ab antiquo siue sæculi principio exhibitæ? *Sicut*, siue quas prius exhibitas postmodum *iurasti*. i. iureiurando confirmasti Christo tuo *Dauid in veritate tua*, siue, vt diximus, per temetipsum? In quem sensum & Isaias orabat pro reliquijs populi sui, cùm diceret: Vbi est zelus tuus & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum? populo scilicet huic in patribus suis exhibitarum. 48.

Isaiæ 63.

Memor esto Domine opprobrij seruorum tuorum. i. crucis Christi, quæ fidelibus seruis tuis in opprobrium verti solet ab infidelibus. Huius, inquã, memor esto, quia in ea Christus pro suis crucifixoribus, quorum hîc causam in eorum posteris agimus, rogauit. Et quia fideles, quibus crux Christi exprobrata est, in gentibus ferè fuerunt, ideo subijcitur: *Quod continui in sinu meo multarum gentium*. Multitudo enim gentium hoc opprobrium sustinuit, idque continuit in sinu suo, siue tacitè, ne conuitiantibus respondendo eorum insaniam magis prouocaret. Opprobrium, inquam, 49.

Quod exprobrauerunt inimici tui Domine. i. infideles, fidei Christianæ contumaciter obluctantes, *Quod exprobrauerunt commutationem.* i. crucifixionem *Christi tui.* Recordare, inquam, Non tam huius exprobrationis, quàm nostræ & omnium redemptionis, quæ fidelibus tuis in opprobrium versa fuit. Psaltes denique pro his tantis Dei beneficijs gratias Deo debitas referens, & nobis gratias similiter agendi formulã suppeditans, subiungit, 50.

Benedictus Dominus in æternum. Et ea quæ hic prædicta sunt impleri vehementer desiderans, geminato Psalmum concludit optatiuo, dicitque: *fiat, fiat.* 51.

PSALMVS LXXXIX.

Oratio Moysis hominis Dei.

DIuus Hieronymus arbitratur hoc titulo doceri, Moysen sicut Pentateuchi, ita & huius & decem sequentium Psalmorum esse auctorem. Sed quia probabilius est omnes Psalmos à Dauide esse conscriptos, videtur titulus solummodo innuere, Moysen illa quæ hoc Psalmo descripta sunt, orare consueuisse; Dauidem verò sensum ac deuotionem Moysis in hanc verborum conscripsisse formulam. Tanti enim fecit Spiritus S. hanc orationem Moysi, vt eam inter cætera Dauidi reuelarit, & ab eo conscribi fecerit. Huic sententiæ non obscurè astipulatur Athanasius. Si, inquit, scire concupiscas quo modo Moyses orauerit, habes Psalmum 89.

Epist. 139.

Athan. ad Marcell.

Porrò huius orationis frequentandæ Moyſes peculiarem cauſam habuit & occaſionem. Cùm enim ipſe in populo terrenarum rerum ſtudioſo, illisque dedito, vt pius pædagogus verſaretur, deplorans amorum & ſtudiorum, quibus populus ille detinebatur, vanitatem, conſtanter orabat, vt populus quem tanquam paruulum portandum, & ad meliora prouehendum ſuſceperat, à ſua vanitate ad ſolidum rerum æternarũ amorem per Dei gratiam ſe conuerteret. Cùm verò ſe & complures eiuſdem ſecum ſtudij homines à prædicta vanitate, diuina ope conuerſum eſſe ſciret, id diuinæ gratiæ ante omnia acceptum ferens (præſertim quia oportet orationem à gratiarum actione exordium ſumere) pro ſe alijsque ſui ordinis à ſæculi vanitate ad ſtudium æternorum tranſlatis, ſic ad Deum pro ſecuturæ orationis initio, loquitur & dicit:

1. *Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem.* i. ab exordio generationum ad earum terminum vſque, ante legem, ſub lege, & ſub gratia, inquit Hieronymus, nos ab vtero à te auerſos, ad te conuerti atq; recurrere feciſti. Sicut enim Deus dicitur nobis factus eſſe iuſtitia & ſapiẽtia, quia nos iuſtos & ſapientes fecit; ita dicitur nobis factus refugium, quia nos ad ſe conuerti fecit. Hoc autem Domine refugium noſtrum ad te, ſine tui exiſtit mutatione, quia

Vbi ſupra.

2. *Priuſquam montes fierẽt, aut formaretur terra & orbis, à ſæculo & vſque in ſæculum,* ſiue, à ſempiterno vſque in ſempiternum, inquit Hieron. *tu es Deus*; quia ante tempora ſæcularia, ſiue priuſquam quidquam à te crearetur in terra, & ſimiliter toto noſtri ſæculi decurſu, tu ſemper idem ipſe es, & diuinitatis tuæ maieſtate immutabilis perſeueras. Proinde refugium nobis factus diceris, non à tui, ſed ab ea quam in nobis operatus es mutatione. Cùm ergo, ô Domine, nos hac in parte miſericordiam & virtutem tuam circa nos ſimus experti, aliorum quos ad te nondum conuertiſti, vt æquum eſt, memores, oramus,

3. *Ne auertas.* i. à te auerſum & diſtortum manere permittas, *hominem*, ſæculo adhuc deditum, *in humilitatem.* i. terrenorum amorem. Abiectum enim valde eſt & humile, hominem ad tuam imaginem & æternorum participationem conditũ, terrenis ac temporalibus rebus inſeruire ac immerſum eſſe. *Et*, hac oratione exoratus, *dixiſti*, per iuſtos quos in medio nationis prauæ velut quædam lumina prius effulgere feciſti; Per Prophetas, quos tempore legis miſiſti; Per Apoſtolos, quos tempore gratiæ, *Conuertimini filij hominum*, graui ſcilicet corde & amore, vt in Pſal. 4. diximus, in terrena pendulo. Et ne cõuerſio ad quam vos inuito, vobis impoſsibilis aut ardua nimis videatur, ſanabo, vt habet Ieremias, auerſiones veſtras. i. ipſos peruerſos amores veſtros, per quos à me ad terrena auerſi eſtis. Verè autem

Ierem. 3.

tem

tem dixi Domine,te ex nostri ad te conuersione nullam subire mutationé,

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præterijt. i. quoniam apud te non est temporum extensio, cùm mille anni, teste B. Petro, apud te sint sicut dies vnus, & dies vnus sicut mille anni. Nec est apud te temporum successio, cùm mille anni, aut futuri, aut in præsenti decurrentes, apud te sint, *sicut dies hesterna quæ præterijt*; eò quod futura, præsentia, & præterita, apud te æqualiter, teste Beda, constent. Tempora enim & quæ in illis transeunt, non mensuras tempore, sed mensurâ tuæ immutabilitatis, videlicet, Æternitate. Vnde & scriptum est: Domino Deo omnia antequam crearentur agnita sunt; sic. i. eodem modo illa, tanquam scilicet æternitati suæ pariter præsentia, post perfectum respicit. Ad declarandam autem quam dixerat rerum humanarum humilitatem siue vilitatem aut ignobilitatem, subdit Psaltes: 4. 2 Pet. 3. Eccles. 23.

Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. i. anni hominum in tam solicita custodia rerum terrenarum transiguntur, vt solicitudo hæc faciat eos noctes ducere insomnes. Quam tamen accuratam solicitudinē impendunt rebus quæ merito pro nihilo habēdæ sunt. Iam enim ante dictum est, Substātia mea quasi nihilum ante te. Quin & ipse homo secundum conditionem sui corporis, magnæ mutabilitati obnoxius est, quia 5.

Mane. i. in ortu præsentis huius vitæ, *sicut herba.* i. per modum tenellæ ac recenter emergentis herbę blandiens *transeat.* i. transit. *Mane*, inquam, *transeat*, siue transit: In quid? *& floreat.* i. teneritudo illa exorientis ætatis in florem quendam ætatis transeundo proficit. *Vespere* autem. i. imminente fine vitæ, *decidat.* Flos enim ille vernantis ætatis ingruente tempore senectutis decidit, inquit Iacobus, & pristinus decor vultus eius deperit. *Induret*; Rigescit enim teneritudo floridæ ætatis. *& arescat*, quia vitali succo & humido radicali homo tandem destitutus, velut flos qui arescit, in mortem decidit. Hic ergo versiculus coincidit cum eo quod dicebat Iob: Homo natus de muliere, quasi flos egreditur & cōteritur. Vnde autem hæc in hominibus mortalitas & vanitas? 6.

Quia defecimus, ab illa corporis incolumitate quam in creatione nacti sumus. *in ira tua*, temporalem hanc vindictam pro primo peccato nobis reddente. *Et in furore tuo.* i. iusta tua & magis formidabili ira, quâ infligis pœnas æterna mala concernentes, *turbati sumus.* Ob peccatum enim primum & reliqua quæ primo peccato adiecimus peccata, à tua gratia delapsi atque deserti, pacem & ordinem interioris hominis perdidimus, illoq; ordine perturbato, multa mala & inordinata in præsenti sæculo admittere cepimus. Tu autem, 7.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo; Mala enim quæ conturbati 8.

hîc admittimus, vides, Si enim occultatur homo in abſcondito, & ego non
Ierem. 23 videbo eum, dicit Dominus? Nec id ſolum, ſed inſuper *poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo*, quia videndo eas, non eas diſsimulas, ſed vigilanter tibi ob oculos ponis, de te enim ſcriptum eſt; Videns iniquitatem,
Iob 11. nónne conſiderat? Videre enim poteſt qui diſsimulat, Conſiderare verò nō poteſt, niſi qui id quod videt ſibi ob oculos ponit, illiq; diligēter attendit. *Sæculum noſtrum*. i. decurſum vitæ ac cōuerſationis noſtræ in hoc præſenti ſæculo nequam, poſuiſti *in illuminatione vultus tui*. De eo namque
Iob 22. non per caliginem, vt illi volebant, iudicas, ſed ſecundum ſapientiam æternæ lucis tuæ qua omnia exactiſsimè perſpicis; E qua tandem illuminabis in nobis abſcondita tenebrarum, & manifeſtabis conſilia cordium noſtrorum. Hoc autem diuinæ ſapientiæ de noſtro ſæculo iudicium nobis ſemper metuendum ac ſuſpiciendum eſt, ne arbitremur ſat nobis ſecurum eſſe, ſi peccata humanę tantum conſcientiæ ac ſapientiæ iudicio penſemus. Dixi, *Sæculum noſtrum*,

9. *Quoniam*, noſtrum eſt quod, *omnes dies noſtri defecerunt*. i. in defectu à virtute ac ſtudio iuſtitiæ tranſacti ſunt, ſicut ſcriptum eſt; Defecerūt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione. *Et*, vt mox diximus, *in ira tua defecimus*; à corporis incolumitate, eiuſque quadam quam acceperamus, immortalitate. Et quidem quod dies noſtri in vanitate deficiant, ſatis patet, quia, non obſtante, eo quod nobis occinis, Conuertimini filij hominum:

10. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur*. i. annos noſtros in rerum vanarum ac caducarum intentiſsimo ac accuratiſsimo ſtudio tranſigimus, talibuſque rebus componendis penè vires ipſas ac ingenia noſtra conſumimus. An autem aliquid eſt tam vanum? De illis enim qui telas ara-
Iſaia 59. neæ contexunt, dicit Iſaias: Telæ eorum non erunt in veſtimentum: neque operientur operibus ſuis, ne appareat nuditas eorum: opera enim eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Quod verò nos ipſi corpore ac ætate deficiamus, hinc apparet, quia *dies annorum noſtrorum in ipſis*, huius ſæculi ac vitæ temporibus, *ſeptuaginta anni*. Eo
Hier. epiſt. 35. cap. 4. enim ferè annorum numero definitur vita humana, ita vt non admodum frequenter vlterius extendatur, quia homo natus de muliere, breui viuit tempore.

11. *Si autem in potentatibus*. i. ſi aliquis ex nobis corpore fuerit valde incolumi & valetudine robuſta, *octoginta anni*. i. is in nōnullo vigore pertingit vſque ad octogeſimum annum ſuæ ætatis, *Et amplius eorum*. i. quidquid ætatis illi anno ſuperfuerit, *labor & dolor*. i. conſumitur in morbis, infirmitate ac multiplici dolore, inquit D. Hieronymus.

Quoniam

Quoniam superuenit mansuetudo. i. mors, ait idem, Quæ mansuetudo dicitur, quia auctore Ambrosio, pœna mortis nobis à Deo quadam consideratione mansueto inflicta est. Voluit enim Deus per mortem peccatis & miserijs huius vitæ terminum imponere, ne si vita, etiam peccatum & miseria perpetuaretur. *Et* statim à morte *corripiemur*. i. pro omnibus sæculi nostri vanitatibus & peccatis, supplicijs trademur: Ad quam correptionem auertendam Psal. 6. orabat pœnitens; Domine ne in ira tua corripias me. Et hoc quidem, ad corrigendam vanitatem, & euadendam vel auertendam huius vitæ iniquitatem perutile esset hominibus hîc nosse, sed vanitati prædictæ, prô dolor, & hoc accedit vt debeam exclamare: 12.

Ambr. c. 4 de bono mortis. & Iren. lib. 3. cap. 37.

Quis eorum qui vanitatem huius sæculi sectantur, *nouit potestatem*. i. 13.
vim ac magnitudinem, *iræ tuæ*? Iræ, inquam, vultus tui, quam vel videre reformidabunt, qui dicent montibus, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis in throno, & ab ira Agni: Iræ etiam oris tui; quo in furore tuo, (quod deprecabatur etiam Psalmus 6.) argues peccatores: Iræ denique vindictæ tuæ, cui pro operibus huius sæculi trades eos qui hîc sæculum fuerint sectati? Sed, vt diximus, vanitati huius sæculi & hoc accedit, quod auferantur iudicia tua (vt habet Psalmus 9.) à facie eorum qui illa quàm maximè nosse deberent, vel vanissima persuasione existimant, quod ibi eris, (vt habet Psalmus 47.) similis illis; sic de rebus eorum iudicando, quo modo illi hîc, ignorantia, errore, aut sui amore contenebrati, de suis. Imò, si hîc aliquis per fidem nouerit potestatem iræ tuæ; quis nouit, siue audet aut valet, *& præ timore tuo iram tuam dinumerare*? id est, discutere, considerare, magnoque sibi studio, cum D. Gregorio, ob oculos ponere? Cùm ferè præ metu & horrore quem incutit talis cogitatio, vani homines, quibus tamen dixit Isaias: Cor tuum meditabitur timorem; ab ea & eiusmodi soleant animos cito auertere, & timorem futurorum à se molliter amouere! Attamen, quia timor vtilis est ad iustificationem & sapientiam, Tu Domine præter adhortationem quâ extrinsecus solummodo dicis; Conuertimini filij hominum, hoc timore eorum qui fidem habent de tua futura ira, bene vtere, Et,

Dexteram tuam, id est, operationem gratiæ tuæ, *sic*. i. per timorem, 14.
notam. i. eos experiri, *fac*, atque timorem eorum sic excita atque exstimula vt eum non dissimulent, sed eius exercitio per operationem dexteræ siue gratiæ tuæ deueniant ad charitatem. *Et*, per eundem timorem, fac homines *eruditos corde in sapientia*, Vt sapiant & intelligant, & nouissima sua tam cauenda quàm optanda, prouideant, id est, ad vtraque hæc per tuam gratiam se, prout oportet, disponant. Id autem facito, *sic*, id est, per timorem, quia initium sapientiæ timor Domini.

Conuer-

15. *Conuertere Domine*.i.ſine te exorari,vt tandem per gratiam eiusque auxilium conuertas te ad eos qui non obſtante tua exhortatione quâ extrinſecus dicis: Conuertimini filij hominum, etiamnum ſectantur ſæculum, vt illi conuertantur ad te. *Vſquequo*,differs conuerti ad eos? *Et deprecabilis*, i.exorabilis, *eſto ſuper ſeruos tuos*. i.in,vel,ob preces ſeruorum tuorum fidelium, qui inuenerunt corda ſua,vt pro fratribus ſuis orarent te oratione hac. Sed quia paulò ante audiuimus nouiſsima eorum qui vanitatem ſæculi ſectantur,tempus eſt vt audiamus nouiſsima iuſtorum,qui à ſeculi vanitate ad Dominum conuertuntur,quæ ipſimet referunt in hæc verba:

16. *Repleti ſumus*,Nos ſcilicet quos à ſæculi vanitate cōuerſos, ad brauium ſupernæ vocationis accendiſti. *Mane*. i. primo diluculo alterius vitæ, *miſericordia tua Domine*. Ibi enim coronabis nos in miſericordia & miſerationibus. Qua proinde dicimur *repleti*, quia illa miſericordia & miſeratio coronis quædam eſt,ac ſumma omnium miſerationū tuarum nobis in præſenti ſæculo præſtitarum,replens in bonis deſiderium noſtrum. Qua miſericordia à te donati, *Et exultauimus & delectati ſumus omnibus diebus noſtris*. Toto enim tempore illius vitæ non erit Sathan, neque occurſus malus,nec vlla miſeria aut bonorum inopia,ita vt nihil ſit quod lætitiam illius vitæ interpolare vel interrumpere poſsit aut imminuere.

17. *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti,annis quibus vidimus mala*,quia miſeriam, aduerſitatem, laborem & ignobilitatem,per quæ in præſenti ſæculo nos ad virtutem exercuiſti, exultatione & pace illius vitæ abundè compenſaſti. Et quia cùm mundus gauderet, nos ob mala huius vitæ verſati fuimus in triſtitia; triſtitiam noſtram ibi in gaudium conuertiſti. Interim ergo dum tempore tranſitoriæ huius vitæ, vita futura à nobis exſpectatur,ne dies noſtri hic in vanitatibus tranſigantur,& anni noſtri meditentur ſicut aranea,

18. *Reſpice*.i.oculos tuæ miſericordiæ conuerte, *in ſeruos tuos,& in opera tua*; quos ſcilicet operatus es,vt homines & vt tui cultores eſſent. *Et*,in æternam ſalutem, *dirige filios eorum*.i.poſteros eorum,vt ipſi patribus ſuis, prætermiſſa aut relicta vanitate ſæculi, in ſtudium ac ſpem futurorum bonorum ſuccedant.

19. *Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos*. Splendor Dei eſt æternum eius Verbum,quod ab Apoſtolo dicitur,Splēdor gloriæ eius & figura ſubſtantiæ. Hic ergo ſplendor inuocatur à Moyſe ſuper nos,vt quatenus in hac vita fieri poteſt,ſplendoribus veritatis,ſapientiæ,prudentiæ,prouidentiæ
Iſaiæ 58. ſuæ impleat,iuxta Iſaiæ vaticiniū,animas noſtras,vt poſsint à nobis omnia
Ser. 14. in Pſal. 118. verſu 3. opera noſtra in eius luce diſponi & peragi. De qua re pulcherrimè Ambroſ. Petit,inquit, Pſaltes,vt ſecundum Verbum viuat,& omnia cum ratione faciat,non

ciat, non secundum carnis aut humanæ sapientiæ voluntatem. Vnde mysticum illud etiã moraliter accipi potest: Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et tu imitator esto Dei. Quomodo imitator Dei? Nunquid cælum poteris facere, terram aut mare? Non vtique, sed vt omnia per Verbum facias, nihil sine Verbo; Omnia cum ratione, nihil sine ratione. Hæc Ambrosius. Quod autem Verbum hoc per scripturas sacras nobis solidissimè loquatur, & ratio, de qua Ambrosius, in scripturis sacris rutilet atque coruscet, idem latè prosequitur eiusdem sermonis versu 1. Et quia præter splendorem Dei, qui per infusionem cælestis atque supernaturalis luminis per modum gratiæ habitualis nobis communicatur, vel, super nos efficitur, opus habemus auxilio Dei nos dirigentis, addit Moyses: *Et opera manuum nostrarum dirige super nos*; vt te prouidente obueniant nobis, in quibus tempore huius vanitatis vtiliter ac salubriter exerceamur. *Et opus manuũ nostrarum*. i. opus ipsum si quod prouidente te præ manibus habuerimus, *dirige*. i. prȩoperante, vt loquitur Prosper, auxilio tuo prosequere ne labascat, néve ad optatum suum terminum, vt interpretatur Hieron. non perueniat. Hîc iam satis liquet quam oportunè Ecclesia postremos hos versiculos nobis quotidie post Primã, ad Pretiosa, recitandos præscribat. Quid enim aliud sunt, quàm docta quædam ac pia oratio, vt residuum illius diei in operibus veritatis & sinceritatis traducamus?

Prosp. epist. ad August.

Hieron epistola 139.

PSALMVS XC.

Laus Cantici Dauid.

DEclarat Psalmus fidelibus à Deo non solum præstari adiutorium ad bona, verumetiam præsidium protectionemque ad superanda aduersa, & simul exponit, quæ, quot & quanta sint mala contra quæ à Deo fideles proteguntur, & quis sit finis eorum qui Deo protegente aduersis non succumbunt.

Qui habitat in adiutorio altißimi, in protectione Dei cæli commorabitur. i. qui Deum habet in bonis adiutorem, eundem etiam contra mala & aduersa protectorem habebit. Et ex animi gratitudine confitendo quam accepit gratiam, 1.

Dicet Domino susceptor meus es tu. i. tu rebus meis desperatis mei curam prior apprehendisti. *Et refugium meum Deus meus*. i. exinde temetipsum mihi proposuisti in refugium, vt in quauis inopia & necessitate ad te confugerem: Ego itaque, *sperabo in eum*, quod refugientem ad se non repellet. Sperabo autem, 2.

Quoniam, siue quod, *ipse liberabit me de laqueo venantium*, dæmonum 3.

videlicet, qui venantur animas, eisq; vndique, siue per diuitias, siue per fœminas, siue per sermones hæreticorum aliisque modis laqueos obtendunt, præsertim vbi perceperint passiones siue concupiscentias hominum in ho-
1.offic.c 4 rum aliquid vel simile quid commoueri, vt docet Ambr. *Et à verbo aspero.* Ne scilicet aliquando audiat verbũ illud asperum: Tollatur impius vt non videat gloriam Domini, inquit Bern. Vel, *à verbo aspero.* i. gentilium, hæreticorum, carnaliumque hominum, inquit August. improperijs, ab his, inquam, *liberabit me*, ne illa extimescẽs desistam ab illis quæ sunt diuini cultus. Vel, *liberabit me à verbo aspero.* i. dabit mihi vt ponam ori meo custodiam, Ne ego exasperatus, verbum asperum in aliquem torqueam. A quo me liberandum dico, quia tametsi verbum illud asperum alius excipiat, id tamen authorem suum, teste Ambrosio, proprio gladio vulnerat. Deus vero qui est refugium spei tuæ te in prælijs constituto,

4. *Scapulis suis obumbrabit tibi.* i. contra feruorem, qui ad tẽtationem tibi est, refrigerium præstabit tibi, vt non vrat siue lædat te sol aut feruor tentationis. Pro quo orabat quis, Domine Domine virtus salutis meæ obumbra super caput meum in die belli. *Et sub pennis eius.* i. tu constitutus sub protectione eius qui tecum est, *Sperabis* te omnia aduersa per tolerantiam superaturum, expertus quod Domino refrigerium præbente, nullus tentationis feruor intolerabilis sit, quin contrà non modica sit iucunditate respersus. Si vero infirmus ac imbecillis plagas pati non possis,

5. *Scuto circũdabit te veritas eius*, quia Deus fidelis siue verax in promissis tẽtationes tuis viribus maiores quasi suo scuto omni ex parte excipiens, illas à te prohibebit: Fidelis enim Deus non patietur te (quod electis dici, non solum docet, verum etiã ex verbis Domini, Propter electos breuiabũ-
Cyril.l.vlt. in Gen. tur dies illi, probat Cyrillus) tentari supra quam potes. Vel, *veritas eius*,
Bern ser.7 in hãc psal quæ eius munere in te est, vt interpretatur Bernardus: Si enim tam in verbis quam in factis veritatẽ tenueris, erit tibi veritas ipsa pro scuto, quia ipsa
Leo epi 30 expugnari non potest. Quod D. Leo non ignorans, multam, inquit, ab ipsa quam sequimur veritate concepimus fiduciam. De Domini itaque protectione confisus, *non timebis à timore nocturno.* i. terriculamentis quæ obscuro rumore ad te referuntur, siue obscure se tibi ostentant, quales videntur esse opiniones præliorum, de quibus Dominus in Euangelio. Sed nec

6. *A sagitta volante in die.* i. aduersis in te manifestè quidem, sed eminus, detrahendo, minitando & simili modo, immissis. Per sagittam enim quæ eminus emittitur significantur aduersa immissa ab illis qui non audent cominus congredi. *A negotio perambulante in tenebris.* i. conspiratione, qua tibi occultis machinationibus parantur, struuntur, atq; adeo conflantur mala; eo studio, vt etiam progressum habeat, (hoc enim significatur per *perambu-*

ambulans) conſpiratio. *Ab incurſu* aduerſariorum in te,cum ſcilicet auda-
cia aucti,non ſagittis tantum,ſed cominus ipſi per ſe in te incurrunt. *Et dæ-
monio meridiano.* i. nec timebis quidem ſi dæmonium viſibili quadam ac
luce meridiana clariore ſpecie in te,vt non raro D.Antonio accidit, incur-
rat. Quidam tamen per dæmonium meridianum angelum Sathanæ intelli-
gunt, transfigurantē ſe in Angelum lucis,ſicut & per negotium perambulās
in tenebris,domeſtica molimina occultæ concupiſcentiæ. Bern. vero qua- *Serm. 6. in hunc pſal.*
tuor dictas tentationum ſpecies Eccleſię Dei quodam modo obueniſſe ob-
ſeruat: Intelligens per timorem nocturnum perſecutiones primitiuæ Ec-
cleſiæ. Per ſagittam volantem in die, doctrinas hæreticorum,quas ſagittis
comparari in Pſal. 10.diximus. Per negotium perambulans in tenebris,cal-
lida & verſuta ſtudia carnalium,qui religionem mentientes, publica com-
moda priuatis poſtponunt, & in Eccleſia quærunt quæ ſua ſunt. Per incur-
ſum dæmonij meridiani perſecutionem Antichriſti.

Cadent à latere tuo mille ſagittæ. *Et decem millia* eorum qui in te in- 7.
currunt, cadent *à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit*, quia nihil
horum aliquam tibi adferet lęſionem. Vel, *Cadent à latere tuo mille, & de-
cem millia à dextris tuis*, quia vndique videbis multos ruere dictis tenta-
tionibus proſtratos, Et quidem multò plures per proſpera,quæ per dexterā
ſignificantur,quam per aduerſa quæ per ſiniſtram, quapropter hi mille eſſe
dicuntur, illi decem millia. *Ad te autem*, qui in protectione Domini com-
moraris, *non appropinquabit*, i. aduerſitas hæc in cor tuum ac animam non
penetrabit, ac proinde non proſternet te.

Veruntamen inter vicinorum ruinas immotus perſiſtens, *oculis tuis cō-* 8.
ſiderabis lapſus aliorum, *& retributionem peccatorum videbis* in hac vita,
Videbis enim quam tremēdum ſit hoc deſertionis ſupplicium, quod deme-
ritis eorum reddit Dominus, ſicut ſcriptum eſt, Væ diſſolutis corde, & qui *Eccl. 2.*
non credunt Deo & ideo non protegentur ab eo. Vel, conſiderando vide-
bis retributionē,quæ in futuro tempore manet tam eos qui aduerſa inferūt,
quam qui illis proſternuntur & cadunt. Et cū iuſtis lætaberis videndo hanc
vtramuis vindictam, lætaberis, inquam,quod tu eas euaſeris, vt in Pſal. 57.
diximus. Quid vero te qui has ruinas Dei protectione euaſiſti manet præ-
mij,quídve tu à Domino obtinere geſtis vel ſpectas?

Quoniam tu es Domine ſpes mea, ſiue,res mihi ſperata. Quid enim mihi 9.
eſt in cælo,aut à te quid volui ſuper terram? An non,ante omnia, te,& re-
liqua futuræ vitæ bona ſub te & de te? Hoc autem ex perſona eius quem ad
hoc dicendum paulo ante excitauimus & prouocauimus, audiens Pſaltes,
more ſibi etiam Pſal. 67.vſitato,ſic ex ſua perſona,ſpem illam caſtiſsimam
comprobans,eundem alloquitur: *Altiſsimum poſuiſti refugium tuum.* q.d.

Itáne vero? Dominus ipse est spes tua? profectò, *Altißimum posuisti refugium tuum.* Non enim bonum aliquod creatum, sed ipsum Dominum, qui omnia creata bona longissimo interuallo excedit, tibi in refugium, finem & asylum delegisti. Tametsi enim multi interpretes adiectiuũ *Altißimum* cũ *refugio* construant, vt sit sensus: Tu Domine qui es spes mea, posuisti refugiũ tuum altissimũ, siue in altissimis & inaccessis quasi mõtibus, quia nemo nocendo, te potest contingere: apud Hebræos tamen adiectiuum *altißimum* masculini generis est, iuxta sensum à nobis explicatũ, designans ipsum Dominum sperantium in se refugium esse. Hac autem Psaltis interpellatione interposita, is qui dixerat, *tu es Domine spes mea*, sermonem suum resumit, & dicit Deo spei suæ.

10. *Non accedet ad te*, siue non tanget te *malum*. Quæ verba contra Manichæos valent, qui dicebant, nescio quam malam naturam in Dei bonam naturam incurrisse, & quod amplius est, conflictu cum illa inito, multas ab ea partes captiuas cepisse, easque suæ malæ permiscuisse naturæ. *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* q.d. non solum tu immunis es ab omni incursu mali, verumetiam omnes qui habitant tecum in æterno tuo, quod nequaquam transferri poterit tabernaculo, tecum ab incursu malorum per omnia immunes erunt. Illud enim tabernaculum eodem Isaia teste, erit in
Isaia 4. vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & in absconsionem à turbine & à pluuia. Interim verò dum hæc expectantur, præter ea quæ explicata sunt, ad hominum protectionem magis familiarem, & magis suauem.

11. *Quoniam angelis suis mandauit de te*, quisquis es qui in protectione Domini commoraris. Dicit autem in numero singulari *de te*, Ex eo enim datur intelligi singulos hominum peculiarem sibi Angelum habere protecto-
Basil. lib. 3 rem & pædagogum. Quam rem D. Basilius probat ex eo quod Iacob dixit;
adu. Euno. Angelus qui eruit me. Qui similiter prouincias singulas peculiares Angelos sibi prępositos habere, probat ex eo quod apud Danielem dicitur: Princeps regni Persarum restitit mihi. *Vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* i. in ijs quæ tibi agenda sunt, non quæ à te curiosè & temere præsumuntur: Noluit enim Christus hac scriptura ad sui præcipitium prouocatus se præcipitem dare ne tentaret Deum.

12. *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Non est dubitandum quin hoc subinde ad literam circa fideles, præsertim paruulos, impleatur, Magis tamen id ad allegoriam referendum est. Portant enim nos Angeli in manibus suis ne ad lapides offensionis & petras scandali offendamus pedes nostros, siue, ne patiamur scandalum. Et hoc quidem faciunt dum ea quæ nobis futura erãt scandalo, & pręsertim angelum malum, à nobis auertunt, vel suggestiones eius, siue etiam carnis nostrę melioribus sugge-

ſuggeſtionibus elidunt: Inter quas Origines reponit quod Angeli ſugge- *Homil. 4.*
rant hominibus à Deo non eſſe quod caro aut hoſtis ſuggerit. Qua vnica *in Cant.*
ſuggeſtione licebit multas malas ſuggeſtiones compendio ſuperare & eli-
dere. Tollunt quoque Angeli hominem in manibus ſuis, cùm animam eius
è corpore exeuntem deferunt in ſinum Abrahæ, & contra diabolum prote-
gunt, qui iter illud intercludere conatur.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draco- 13.
nem. Per hæc animalia diabolus cum ſuis angelis fallacibus, inſidioſis, va-
fris, virulentis atq; crudelibus ſignificatur, ſicut & teſte Cypriano Lucę 10. *Epiſt. 76.*
cùm dicit Dominus: Ecce dedi vobis virtutem calcandi ſuper ſerpentes &
ſcorpiones. Super hos ambulamus, cum Dei gratia & angelico adminiculo
per totum decurſum vitæ noſtræ eorum tentationes vincimus. Eoſdem
vero conculcamus, cùm per perſeuerantiam ad mortem vſque, eos debella-
tos tanquam iam nihil amplius virium in nos exerere valentes oſtentui ha-
bemus atque contemnimus: Qui triumphus martyribus excellenter com-
petit, eo quod tentationes dæmonum efficaciſsimas ſuperauerint. Porro
in principio Pſalmi, is qui habitat in adiutorio altiſsimi, de Dei bonitate
præſumens, dixerat, Deus meus ſperabo in eum. Hoc autem quanti tum me-
riti fuerit, Dominus ipſe nunc declarare dignatur, & dicit:

Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, ſiue quod idem eſt, *protegam eum.* 14.
Idque, *quoniam cognouit nomen meum.* i. cognouit me ex nomine bonum
eſſe, ideoque etiam nondum habita à me promiſsione, de me ſibi ſperãdum
eſſe putauit. Et ex hac de me opinione,

Clamauit ad me & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, tan- 15.
quam bellator fortis. Expleto autem prælij tempore. *Eripiam eum,* vt non
ſit tentationibus & aduerſitatibus in poſterum obnoxius. *Et glorificabo*
eum, vt fortem in prælio atque athletam.

Longitudine dierum. i. æternitate *replebo eum.* In quem ſenſum etiã lon- 16.
gitudo dierum accipitur, cùm dicitur: vt ſis longæuus ſuper terram. Senſus
enim eſt; vt viuas in æternum ſuper terram viuentium. *Et oſtendam illi ſa-*
lutare meum. i. oſtendam illi memetipſum, vt ex me inueniat vitam & æter-
nam hauriat ſalutem.

PSALMVS XCI.

Pſalmus cantici in die Sabbathi.

Diuus Auguſt. materiam huius Pſalmi dicit eſſe, quod in præſenti *Aug in hunc*
ſæculo mali floreant & boni laborent. Cùm tamen in Pſalmo ex- *locum.*
clamet Propheta: *Quam magnificata ſunt opera tua Domine nimis*
profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ, videntur illa verba Auguſtini paulò

largius intelligenda esse, vt materia huius Psalmi non tam sit quod boni in præsenti sæculo laborent,quam quod per hosce labores ad magnificam iustitiam erudiantur, exerceantur atque perueniant: mali verò per præsentis sæculi felicitatem, iusto Dei iudicio ad æternam deueniant calamitatem & miseriam. Quod enim iusti hic laborent, id simpliciter non est diuinæ magnificentiæ, sed veræ magnificentiæ est quod iusti non in magnis, sed in rebus infirmis magnifici sint, virtutemque in infirmitate perficiant,
c. 2. de bap. & in aduersarijs (vt Tertull. verbis vtar) sapientiæ & potentiæ materiam suæ virtutis inueniant. Est id simul & occulti consilij, sicut & occultæ sunt cogitationes, quas Deus impiorum prosperitati reseruat. Proinde Psalmus iste rectè destinatur diei Sabbathi; Ad quid enim post dies quibus creauerat Deus cælum & terram Sabbathum, nisi vt in sabbatho considerandis prædicandisque Dei operibus, à constitutione mundi, tam quoad illa quæ naturas rerum, quàm quæ salutem hominum concernunt, perfectis, vacaremus? Psaltes itaque prædicta Dei magnalia apud semetipsum cum voluptate contemplatus, animaduertit bonum fore populum Dei, & præsertim Ecclesiam noui testamenti habere carmen quoddam per quod sibi hæc diuina opera ob oculos poneret, & cum gratiarum actione in die Sabbathi, siue diuini cultus, celebraret. Ad hoc itaque carmen conficiendum his prius verbis semetipsum excitabat, dicens apud semetipsum.

1. *Bonum est confiteri Domino* opera sua. *& psallere*. i. psalmum concinere *nomini tuo*. i. ad laudem nominis tui. *Altißime*, Idque simul

2. *Ad annunciandum*. i. prædicandum, (Psalmi enim & ad docendum, exhortandumque valent) *mane*. i. in prosperis, *misericordiam tuam*, *& veritatem tuam*. i. iustitiam tuam, *per noctem*. i. in aduersis, Vel, *mane*, & *per noctem*. i. quouis diei tempore, Vel, *mane* & *per noctem*. i. illis qui vt filij diei in luce versantur, aut vt filij tenebrarum in tenebris sunt & degunt.

3. *In decachordo, psalterio, cum cantico in cithara*. i. voce, siue adhibitis, vt in veteri testamento fieri solet, instrumentis musicis.

4. *Quia delectasti me*. In persona sua priuata loquitur Psaltes, *Domine in factura tua*. i. in arte tua, consilio tuo, adinuentione tua, in qua opera tua priusquam illa fierent, disposuisti: Quæ iure dicitur *factura* Dei, quia sciētia atque ars Dei rerum est causa. *Et in operibus manuum tuarum* quæ es huic facturæ tuæ in rebus ipsis conformia facturus, *exultabo* cum ea impleri videro atque cognouero. Quia itaque, *Delectasti me Domine in factura tua*, & nescio cuius spiritualis luxuriæ sit, delectationem hanc, non ad fructum boni operis, & præsertim non ad gratias tibi referendas, gloriam nominis tui, tuorumque operum prædicationem castissimo amore referre;
bonum

bonum est me *confiteri Domino*, & in idipsum *psallere*, siue psalmum conscribere, vt habeat populus Christianus, per quod quouis rerum statu & tempore posit annunciare ac prædicare *misericordiam & veritatẽ tuam*.
Postquam itaque Psaltes in hunc modum prius semetipsum exstimulauit ad conscribendum præsens canticum, rem ipsam aggreditur, quam orditur ab admiratione, exclamans in hæc verba:

Quam magnificata.i.magna effecta *sunt opera tua Domine*, per quæ virtutem in infirmitate perfecisti! Quam magna enim fidei, fortitudinis atque constantiæ opera per agones produxisti in martyribus, quorum alios induxisti in laqueum, alios traduxisti per aquam & ignem, alijs posuisti tribulationes in dorso, vt omnibus, quæ ad eos superandos excogitare poterat tyrannorum ingeniosa crudelitas, ipsi tua virtute euaderent superiores? Quam magna in confessoribus, qui persecutionibus exagitati, circuierunt in melotis, pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti & in omnibus inuicti! Quam magna in diuitibus, qui rapinas bonorum suorum cum gaudio sustinuerunt? Et quibus bona direpta non sunt, omnia pauperibus, illa deserendo, reliquerunt; vel sibi illa subtrahendo pauperibus erogauerunt? Quam magna in pauperibus, quorum altissima paupertas abundauit in diuitias simplicitatis eorum, ita vt diuitias ne quidem habere vellent? Quanta in ægrotis, quos per varios & diutinos dolores ad patientiæ, mansuetudinis & longanimitatis summam exercuisti, eorumque languores & putores abominabiles, bene valentibus in multimodæ circa eos virtutis exercendæ materiam conuertisti? *Nimis profundæ*. i. incomprehensibiles *factæ sunt cogitationes tuæ*, quibus instituisti filios tuos per aduersa & infirma erudire; malos verò in sæculi prosperitate suæ voluntati permittere. *Nimis* etiam *profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*, quas reseruas, tum ijs quos hic per aduersa perficis, tum eis quibus præsentis sæculi bonis inhiare, eisque ad multas iniquitates abuti permittis. D. August. tamen extendit hoc ad iudiciũ Dei quo scripturas ita fecit cõscribi, vt ex illis quam plurimi scãdalum accipiant. Et hæ quidẽ cogitationes profundæ sunt bonis, quia eas nõ possunt habere perspectas, multò verò magis malis, Quia

Vir insipiens, qui præsentibus solummodo intendit, existens de numero illius gentis, de qua Moyses, Gens absque consilio est, & sine prudentia: *Non cognoscet* has Dei cogitationes atque consilia, non enim (quod esset prudentiæ) aduertit præsentia esse caduca, & absque soliditate plausibilia, nec recogitat quod ei illa propter dolos, vt Psal. 72. diximus, posueris. *Et stultus*. Idem scilicet, *stultus* dictus, quia nescit prouidere in posterum, *non intelliget hæc*, quæ tu reposuisti, ac in mente reseruas amatoribus huius sæculi in finem. Quis enim, inquit Isaias, cogitauit hæc super Tyrũ quon-

5.
1. de cõsen. euang. c. 13
6.
Isaiæ 23.

quondam ordinatam? proprio ſiquidem ſtudio atque opere auferuntur iudicia tua à facie eius, vt proinde rectè ac propriè dicatur, quod eis nimis profundæ factæ ſint tuæ Deus cogitationes, quia quæ eis omnino incognitæ non erant, (non enim mali ignorant Deum futurum vindicem iniquitatum) has ipſi ab oculis ſuis auertendo, vel varijs modis eludendo, ſibi profundas fecerunt. Pergit autem Pſaltes prædictas Dei cogitationes planius enarrare; & incipiens à cogitationibus impios concernentibus ſic dicit:

7. *Cùm exorti fuerint.* i. in principio caduco flore vernare ceperint, *peccatores, ſicut fœnum.* i. ſicut vernat herba quæ paulò poſt demeſſa efficitur fœnum, Dicitur enim hic fœnum florere, ſicut in Euangelio dicitur Deus fœnum veſtire, nō quidem dum fœnum eſt, ſed dum fœnum adhuc in herba eſt. *Et apparuerint.* i. ſpecie quadam bonorum ſplendidi & glorioſi fuerint *omnes qui operantur iniquitatem.* i. omnes iniqui, quorum res in hoc ſæculo florentes fuerint,

8. *Vt intereant in ſæculum ſæculi.* i. vt in toto decurſu huius ſæculi ſinguli ſuo ſæculo in mortem tendant, & ad mortem deueniant: *Tu autem altiſſimus in æternum Domine.* q. d. ſecus quàm tu Domine qui ſolus ſublimitate tuæ maieſtatis omnem mutabilitatem longè excedens, ſæculo tranſeunte æternus permanes.

9. *Quoniam.* q. d. cùm, vt dixi, in mortem deuenerint. *Ecce,* O rem conſideratione dignisſimam, *inimici tui Domine, quoniam ecce.* q. d. idipſum repetens iterumque iterumq́; monebo: nam bonum mihi viſum fuit *pſallere,* ſiue pſalmum hūc conſcribere, *ad annunciandum veritatem tuam per noctē.* Itaque *inimici tui.* i. amatores huius ſæculi: Quicunque enim voluerit eſſe amicus huius ſæculi, inquit Iacobus, inimicus Dei conſtituitur: inter quos tamen illi hoc loco ſpecialiter conſiderandi ſunt, qui populum Dei afflixerunt: *Peribunt* in æternum. *Et diſpergentur.* i. varijs ſuppliciorum menſuris & plagarum modis ſeparatim pro demeritorum varietate (nam & paterfamilias iuſsit zizania colligi in faſciculos, & per faſciculos, ad deſignandum varias, teſte Gregor. damnatorum claſſes, in ignem mitti) mancipabuntur. Vel, *diſpergentur.* i. odio & liuore diſtrahentur. *Omnes qui operantur iniquitatem.* Dicit *omnes,* non quod id omnibus omnino eueniat, ſed quia omnes id merentur, & omnes iniqui per impœnitentiam ad id deueniant. Hæc ergo ſunt quæ Deus de peccatoribus, ipſis ignorantibus, cogitauit. Quæ vero de iuſtis, id conſequenter narrat iuſtorum pro omnibus vnus, ſeu potius iuſtorum vnitas, quæ dicit:

Matth 13. Gregor. 9. mora. c 47

10. *Et,* eo tempore quo impij æternis ſupplicijs mancipandi ſunt, *exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum.* i. exaltabor in æterna gloria (quod per exaltationem cornu ſignificari in Pſal. 88. diximus, & approbat D. Baſil.) ſicut

Baſil. in Pſal. 28.

ſicut exaltatur cornu *vnicornis*, quia ſicut cornu vnicornis vnicum eſt, ita futura gloria atque ſublimitas vnica erit iuſtis, illi enim non immiſcebitur extraneus. Hoc ergo dicitur ad diſtinctionem æternę gloriæ à gloria huius vitæ quæ in omni ſua ſpecie & gradu communis eſt bonis & malis. *Et ſenectus mea.* i. nouiſsima, inquit Auguſt. mea, exaltabitur *in miſericordia vberi*, quia coronabitur in miſericordia & miſerationibus, quæ omnium præcedentium miſericordiarum quædam ſumma erunt. Sed præter hæc quæ futura ſunt,

Et deſpexit, inquit iuſtus, *oculus meus inimicos meos*, quia videns in pręſenti ſæculo impiorum (qui dicuntur iuſtorum inimici, quia dum vel tacitis ſanctorum moribus repræhenduntur, aut arguuntur verbo, ſtatim in inimicitiam erumpunt) felicitatem, contempſi eam vt tranſitoriam. *Et inſurgentibus in me malignantibus.* i. dum illi maligno inſuper in me inſurgunt animo, *audiet auris mea* vocem Domini, ſibilo auræ tenuis mihi inſuſurrantis: Quid? 11.

Iuſtus vt palma florebit quotidie triumphans de aduerſarijs, inquit Hieron. & inſigne victoriæ præferens. q. d. Non mireris, ô homo Dei, neq; peregrinum ducas, aut à tua conditione alienum quod malignantes inſurgant in te, Tuum enim eſt victoriis florere, Victorijs autem potiri non poteris, niſi varijs inſultationibus impetitus. Dicebat proinde B. Agatha, in cuius feſtiuitate hæc ſcribimus, niſi diligenter feceris corpus meum à carnificibus attrectari, nō poterit anima mea in paradiſum cum palma intrare martyrij. *Sicut cedrus libani multiplicabitur.* i. per inſultationes has multiplicabit Deus incrementa iuſtitiæ eius, vſque in altiſsima magnalia, & ob id non auerſetur iuſtus aduerſa, ſi amauerit iuſtitiæ incrementa. Quia verò malignantes qui in iuſtum inſurgunt ſæpenumero de Eccleſia ſunt; & id in iuſto efficiunt, vt præ animi indignatione ſubinde tentetur ad deſerēdam Eccleſiam, ob id cōtra hanc peculiarem tentationem, falſis fratribus in iuſtum inſurgentibus; pręter prædicta, Domino inſuſurrante, etiā audiet auris eius. 12. *Hiero in c. 65. Iſaiæ.*

Plantati in domo Domini. i. in Eccleſia, inquit Hieron. confirmati, qui ſcilicet per multa aduerſa & ſcandala, quæ in Eccleſia à fratribus tolerant, adduci non poſſunt, vt deſerant collectionem ſuam, ſicut moris eſt quibuſdam; *In atrijs Domini Dei noſtri.* i. in futuro, inquit idem, vbi bonorum eſt certa & ſecura poſſeſsio, *florebunt*, quia in gloria & ſplendore erunt in æternum ante Dominum. Noli itaq; ô homo Dei vel ob inſultationes fratrum tuorum deſerere collectionem tuam. 13. *l. 2. aduer. Pelag c. 7.*

Adhuc. i. præterea, plantati in domo Domini *multiplicabuntur in ſenecta vberi*, quia vnà cum incremento temporis, quo in Eccleſia perſeuerant, multa accipient incremēta virtutis; Cùm enim eorum vita, inquit Gregor. 14. *Greg. l. 33. mora. c. 16*

in Eccleſiæ vnitate differtur, ſemper ad melius eorum fortitudo perduci-
tur, eiſque per augmentum temporum creſcunt & lucra meritorum. Hæc
autem conſiderãtes iuſti, *bene patientes erunt*, quia tanto, inquit idem, ro-
buſtius aduerſa tolerant, quanto & per tolerantiam ſuam animarum com-
moda locupletius reportant. Cuius patientiæ fructus erit, *vt annuncient*. i.
paſsim profiteantur & prædicent.

15. *Quoniam rectus Dominus Deus noſter*. Recto enim iudicio nobis ad-
uerſa immittit. *& non eſt iniquitas in eo*, quia ſi ob demerita noſtra nobis
aduerſa immittit, non eſt iniquitas in eo, quia exercet iuſtitiam: Si vero
2. de pecca mer. ca. 12 Baſi. hom. 9 nullo noſtro demerito, vt teſte Auguſt. accidit Iob, ſed ad exercitationem
probationemque, vt eidem Iob accidiſſe teſtatur Baſilius, non eſt iniquitas
in eo, quia exercet diſciplinam, faciens nos per aduerſa diſcere (diſciplinam
Tert. ſcorp. cap 5. enim à diſcendo dictã eſſe diximus) iuſtitiam. Licet enim Deo, inquit Ter-
tull. in vitam æternam per ignes & gladios & acerba quæque curare. Ergó-
ne, inquies, huius amaræ diſciplinæ æquitas ſiue iuſtitia ſolummodo ex bo-
ni inde prouenientis compenſatione penſanda eſt? Nequaquam, quia com-
penſatio, dictæ æquitatis fructus eſt ac prouentus, æquitatis ſiue iuſtitiæ
quæ in ea eſt, rationem augens, non autem inſtituens. Itaque iuſtitiæ
huius, fundamentum eſt, quod Chriſto excepto, ſanctorum quiuis ex pec-
cato originali calamitatibus & miſerijs huius vitæ manſerit obnoxius: quæ
Aug. 2 de pecca. mer. cap. 34. quidem calamitates, Auguſtino teſte, ante remiſsionem peccatorum pœnæ
habebant rationem, peccatis verò plenè dimiſsis, pœnarum quædam reli-
quiæ ſunt, quia pœnæ tranſactæ, vſque dum omnino curetur infirmitas, ſunt
reliquæ. Si ergo his malis homo ex ſua culpa obnoxius eſt, ita vt velit no-
lit, debeat eadem ex pœna ignobiliter tolerare, Nunquid iniquus eſt Deus
qui eum facit eadem ſalubriter & cum iuſtitiæ incremento ſubire? Rectè
Tertul. vbi ſupra. proinde Tertull. vnumquemque aduerſitatibus nulla ſua præſentanea cul-
pa ſubiectum alloquitur in hæc verba: Incidiſti in manus Dei, ſed feliciter
incidiſti. Incidit & ille in ægritudines tuas. Homo ſemper medico prior
negotium facit, denique ſibimet ipſe periculum mortis attraxit. Quid ergo
grauatur nunc pati homo ex remedio, quod non eſt grauatus pati ex vitio?
Diſplicet occidi in ſalutem, cui nõ diſplicuit occidi in perditionem? Nau-
ſeabit ad antidotum qui hiauit ad venenum? Multis verò in eandem ſenten-
tiam interiectis, huius diſciplinæ iuſtitiam, & ex dicta ſuſtinẽtis ad eam ob-
ligatione, & boni quod ex ea prouenit compenſatione, deſumens, ſic tãdem
concludit. Nulli, inquit, compenſatio inuidioſa eſt, in qua aut gratiæ aut
iniuriæ communis eſt ratio. Rectè ergo omnes omninò ſancti, ſiue pro ſuis
peccatis paſsi ſint, ſiue ſola cauſa exercitij, dicent de Deo. *Rectus Dominus
noſter, & non eſt iniquitas in eo*. Circa quæ tamen hoc notandum eſt, quod
nullo

nullo suo demerito aduersis cruciari, non quorumuis sanctorum sit, sed excellentissimorum, &, Basilio teste, Abrahæ similium. Reliqui enim patiendo sic erudiuntur ad iustitiam, vt tamen suorum peccatorum simul subeant vindictam. Nec his obstat, quod omnes penè sancti in aduersis constituti confessi sint se eadem pro peccatis suis pati. Id enim dixerunt non definientes, sed iustis de causis præsumentes rem ita se habere. Cùm enim nō ignorarent aduersa solis excellentissimis, vt ex Basil. mox audiuimus, sanctis sine propria culpa obuenire, & cum neque rei euidentia, neque reuelatio diuina eis persuaderet, semetipsos excellentissimis illis sanctis æquiparare, D. Bernardi, vel spiritus eius magisterio edocti, maluerunt humilibus consentire, & annumerare semetipsos eis qui patiēdo peccatorum suorum pœnas dant, quam alta sapere. Nec id contra leges humilitatis, quia vt humilitas in re euidenti stare debet in parte veritatis, quod contra Pelagium docuit Augustinus, ita eadem in re nō euidenti stare debet in parte probabilitatis, & id amplecti quod magis est simile aut vicinum vero: vt apprehendendo probabilia, possit veritati saltem propinquare, qui non valet euidenti cognitione eandem apprehendere. An non, autem, vnicuique sanctorum magis probabile est, quod inter conuiuas spiritualium nuptiarum se iure debeat inter nouissimos, quam primos collocare, vt præter suam expectationem dicat ei conuiuator, amice ascende superius? Itaque dicta sanctorum professio, nec eorum humilitati repugnat, nec tamen infallibile argumentum, quo probetur omnes sanctorum passiones peccatorum esse vltiones, suppeditat.

Basi. const. mon c. v. t. & hom 8.

Bern serm. 49. in Cāt.

PSALMVS XCII.

Laus cantici ipsi Dauid in die ante sabbathum, quando fundata est terra.

DEscribit Psalmus cum quadam gratulatione ea quæ gesta sunt cùm fundaretur Ecclesia per vniuersum orbē terrarum dilatanda. Ideo & additur ante sabbathum, non enim hic describitur regnum Ecclesiæ pacatum, sed laboriosum, quod præmittitur Sabbatho vitæ futuræ, cuius requies, quia nulla inquietudine interpolatur, vocatur ab Isaia sabbathum ex sabbatho.

Dominus regnauit. i. regnum suum quod est Ecclesia in vniuersam terram dilatanda, per semetipsum sibi acquisiuit, fundauit & auspicatus est. 1.
Quod vt faceret *decorem indutus est.* i. humanam naturam ornatissimam sibi ex Virgine assumpsit & copulauit, vt interpretatur Epiphan. *Indutus est Dominus fortitudinem,* exhibuit enim se virum potētem in opere & sermone coram Deo & omni populo. Vel, *Indutus est fortitudinem,* cùm à mortuis *in hær. 69.*

tuis depulſa omni infirmitate,reſurrexit, & ipſam mortem,inquit Epiphan. ſuperauit. *& præcinxit ſe.* i.ante omnia ſemetipſum labori accinxit, & ad laborandum expeditum reddidit; & deinde, accinxit ſe in ſuis Apoſtolis, quos ad prædicandum Euangelium expeditos & alacres præbuit.

2. *Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* i. Eccleſiam per orbem terrarum diffuſam inſuperabilem fecit, vt de orbe terrarum delenda non ſit. Portæ enim inferi non præualebunt aduerſus eam.

3. *Parata ſedes tua Deus ex tunc.* i. Eccleſia quæ tibi, ô Chriſte, ſedes eſt, per Synagogam iam tum multo tempore præparata erat. *à ſæculo tu es.* Non enim cùm ad Eccleſiam fundandam decorem indueres, tum primum eſſe cepiſti, ſed à ſæculi principio, imo & ante illud ab æterno tu es & immutabilis perſeueras. Ad regnum autem hoc perficiendum & propagandũ.

4. *Eleuauerunt flumina Domine.* Flumina hæc Apoſtoli ſunt, in quibus impletum eſt verbum Chriſti, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, quod dixit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum. Bona, inquit Ambr. flumina, quæ de fonte fluxerunt, eos enim Chriſtus per ſemetipſum catechiſauit & erudiuit, & in eos Spiritus ſanctus ad ædificationem totius Eccleſiæ viſibiliter deſcendit. *Flumina* ergo hæc *eleuauerunt vocem ſuam*, cùm iam accepto Spiritu ſancto, quæ prius audierant in tenebris, dicere ceperũt in lumine, & quæ in aure audierant in cubiculis, conſtanter & cum fiducia, vocem abſque trepidatione extollentes, prędicare ceperunt ſuper tecta: vnde & ſcriptum eſt, Stans Petrus cum vndecim leuauit vocem ſuam.

3 Hex. c. 1. in Pſal. 39.

5. *Eleuauerunt flumina fluctus ſuos.* Fluctus concitatis vento fluminibus intumeſcunt; Si ergo Apoſtoli dicti ſunt flumina ob abundantiam donorum Spirituſſancti, quæ in aliorum ſalutem redundaret, & quodammodo deflueret, quinam erunt horum fluminum fluctus, niſi motiones ſiue operationes gratię, afflatu Spirituſſancti excitatę, quas vna cum vocis eleuatione Apoſtoli extulerunt, & protulerunt in medium, vt ſermo eorum nõ nudis tinniret verbis, ſed adiunctam haberet manifeſtationem ſpiritus & virtutis? Itaque Apoſtolus Paulus declarabat ſe vna cum voce ſua eleuaſſe fluctus ſuos, cùm ſcriberet Theſſalonicenſibus: Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed in virtute & Spiritu ſancto, & in plenitudine multa. Eleuauerunt flumina fluctus ſuos *à vocibus.* i. obſtreperis clamoribus, interrogationibus & contradictionibus *aquarum multarum.* i. variorum hominum atque populorum. Petrus enim interrogatus à Concilio Iudæorum, in qua poteſtate feciſſet claudum illum ambulare, repletus, inquit Lucas, ſpirituſancto, dixit; In nomine Ieſu Chriſti iſte aſtat coram vobis ſanus. Similiter Paulus ab Elyma Mago contradictionem paſſus, repletus ſpirituſancto intuens in eum dixit: Quid non deſinis ſubuertere vias Domini

Domini rectas? Et idem Paulus à vocibus populi Iudaici, vt è medio tolleretur, postulatus populum tumultuantem ratione reddita sedare studuit. Hæc autem omnia quid erant, nisi fluctus suos siue operationes spiritussancti exerere à vocibus aquarum multarum? Cùm autem populi viderent se verbis ac contradictionibus non posse Apostolis præualere, ad persecutionem conuersi sunt, de qua sequitur:

Mirabiles elationes maris, Mirabili enim spiritu sæculi indignatio in præcones veritatis intumuit, suamque in eos sæuitiã despumauit. Sed quid, nunquid etiam vel sæuiendo præualuit? Nequaquam, quia *mirabilis in altis Dominus*. Præcones enim Euangelij non fuerunt inferiores in sufferenda, quam impij in persecutione inferenda. Ideo benè Cypr. Prosilierat aduersarius terrore violento Christi castra perturbare; sed quo impetu venerat, eodem impetu pulsus est, & quantum formidinis & terroris attulit, tantum fortitudinis inuenit & roboris, vt cum tanta in sæculo malitia & sæuitia grassetur, à malis & sæuis velocius recedatur. Quia autem hæc fortitudo altorum; Altorũ, inquam, qui quamuis corpore in terra multa sustineant, corde tamen in cælo fixi sunt, multum ad persuadendam Euangelij veritatem momenti attulit, vsque adeo vt qui pro veritatis professione passi sunt, Augustino teste, dicti sint martyres, siue veritatis testes, ideo nunc de hoc martyrij testimonio omnibus reliquis Euangelij testimonijs simul compræhensis cum admiratione ad Deum exclamat Psaltes: 6. Epist. 57. 10. de c. cap. 32.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. q.d. Tametsi veritas Euangelica prædicatione annunciata euidens non fuerit, imo fuerit humanæ sapientiæ incredibilis, ipsa tamen testimonia per quæ veritatem illam testificabaris, supra modum in omni eo quod ad testimonij rationem desiderari posset, per euidentem Dei, qui fallere non potest, præsentiam excelluerunt, vt ob id ab omnibus fidem, omni hæsitatione ac tergiuersatione seposita, vel primo aspectu mererentur. Inter quæ testimonia reponenda quidem sunt signa, prodigia variæque Spiritus sancti, vt ait Apostolus, distributiones; non infimum tamen inter ea locum habent sanctorum martyria. Dicit enim Cyprian. Ne esset probatio minus solida, & de Christo delicata confessio, per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur veritatis testes. Quis enim, inquit Tertull. martyriorum contemplatione, non concutitur ad requirendum quid intus sit in re, ob quam scilicet tam fidenter martyres moriantur? quis non vbi requisiuit, accedit? Obseruans itaque Psaltes quantis quantorumque impendijs regnum Christi siue Ecclesia Dei viui fundatum & propagatũ sit, & simul animaduertens quid huius rei contemplatione oporteat Ecclesiam perpetuò agere, exclamat ad Deum & dicit: *Domum tuam*.i. Ecclesiam tuam, quæ est domus tua in sanctis qui in ea 7. Cyp. in fine trac. de ido lor vanit. Tert. in fine Apolog.

templa Dei viui ſunt. Dicitur tamen tota domus tua, quia omnes etiam qui in ea ſancti non ſunt, cum ſanctis vnum corpus conſtituunt. *Decet ſanctitudo Domine.* Decet, inquã, vt tota Eccleſia memor ſit, quia Chriſti & Sanctorum eius labore, exemplo & ſanguine redempta, fundata, ædificata & ſtabilita eſt, & horum recordatione ſanctitati acquirendæ, exercendæ, & augendæ, cum religioſa erga maiores ſuos eorumque labores deuotione, incumbant. Quomodo enim non irreuerentiæ atque ingratitudinis crimen incurret, ſi tantam neglexerit ſalutem, quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab ijs qui audierunt in ipſos confirmata eſt, conteſtante Deo in ſignis & prodigijs, & varijs Spirituſſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem? An non oportet eam eſſe memorem præpoſitorum ſuorum, qui ei locuti ſunt verbum Dei, vt exitum conuerſationis eorum intuens, eorum, vt monuit B. Apoſtolus imitetur & fidem? Imo oportet, & id quidem *in longitudine dierum*. eſt enim id tantopere cordi eius imprimendum, vt nulla id vel longi temporis edacitas inde poſsit aut valeat abſumere.

PSALMVS XCIII.

Pſalmus ipſi Dauid quarta Sabbathi.

INſcribitur Pſalmus quartæ Sabbathi, eò quod eo die olim ſoleat decantari. Hoc tamen titulo Auguſt. docet admoneri Chriſtianos, vt dum in hoc mundo inter malos, quorũ maleficia hic prolixè referuntur, degũt, ſtudeant per bonã conuerſationem, & præſertim per manſuetudinem & patientiã, velut luminaria, quæ quarto die creata ſunt, in hoc mundo lucere. Optans ſimul, vt, quãdoquidem Scriptura ſacra dies hebdomadæ ferias appellet, eosq; ab inuicem diſtinguat per numeros ſingulis ex ordine ſuo competentes, v. g. ſecunda feria, tertia, & ſic de reliquis; Chriſtiani hebdomadæ dies nõ amplius appellent gentilium more diem Lunæ, Martis, Mercurij, ſed more ſcripturæ ſacræ. Orditur autem Pſaltes pſalmum ab iis quæ euentura ſunt in die iudicij, & dicit:

1. *Deus vltionum Dominus*, cuius videlicet eſt peccata, debito ſupplicio vlciſci; Idque non quia ſæuus eſt, crudelis aut truculentus, ſed quia Dominus, cui, inquit Auguſt. non ſinitur anima non reddere quod debet. Aut e- *3. de libero arbit. c. 15.*
nim reddit bene vtendo quod accepit, aut reddit amittendo quo bene vti noluit. Itaque ſi non reddit faciendo iuſtitiam, reddet patiendo miſeriam, quia in vtroque verbum illud [debiti] ſonat: hoc eſt, ſi non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. Nullo autem temporis puncto iſta diuiduntur, vt quaſi alio tempore homo non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis vniuerſalis pulchritudo turpetur,

petur,

petur, vt ſit in ea peccati dedecus ſine decore vindictæ, ſed in futurum iudicium ſeruatur ad manifeſtationem atq; acerrimum ſenſum miſeriæ, quidquid nunc occultiſsimè vindicatur. Hæc D. Auguſtinus. Dicitur itaque Deus vltionum Dominus liberè egiſſe, vt indicetur ad ſummi dominij eius decorem pertinere, ne malefici abeant impunè. *Deus vltionum libere egit*: quia in extremo iudicio (de quo tanquam præterito hîc eſt ſermo) non reuerebitur vultum alicuius: Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam, inquit Sapiens, nec reuerebitur magnitudinem eius. Sed nec *Sapien.6.* extimeſcet alicuius potentiam, quis eſt enim iſte paſtor, inquit, qui reſiſtat *Ierem 49.* vultui meo? Hoc autem iudicium aduenire deſiderans, inuocat Pſaltes *& 50.* Chriſtum, & dicit:

Exaltare. i. ſolemne illud tui iudicij ſolium, ad quod venies in maie- 2. ſtate cum omnibus angelis tuis, velociter conſcende, vt iuxta Iſaiæ va- *Iſaiæ 2.* ticinium, exalteris Domine in illa die ſolus, *qui iudicas terram*. i. qui nunc occulto iudicio iudicas omnem terram. Vel, cui datum eſt à Deo Patre in forma viſibili iudicare omnem terram. *Redde retributionem ſuperbis*. Cùm in ſcripturis mentio fit iudicij, ſingulariter id dicitur superuenturum ſuperbis, vt Iſaiæ 2. Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur. Et ſuper omnes cedros libani ſublimes & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan. Et ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles eleuatos. Et ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum. Id autem, vel, quia Deus retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. Vel, quia hi præ animi arrogantia minimè credunt & minimè patiuntur ſuper ſe eleuari iudicem, cui ſint ſubijciendi, vt ex violenta ſubiectione ſuperborum, de iudicis huius potentia & ſublimitate nobis detur coniecturam facere. Vt autem declaret Pſaltes, ſe aduentum iudicis huius implorare, non in vindictam impiorum, ſed vt finem accipiat peccatum, addit:

Vſquequo peccatores Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur? i. 3. quamdiu non ſufficiet eis ſimpliciter malè feciſſe, ſed inſuper iactabunt maleficia ſua, tanquam re bene geſta, & iis quos malè exceperint, inſultabunt?

Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur 4. *iniuſtitiam*. i. vſquequo in communi ſermone atque colloquio nil penè, niſi quam exercuerunt malitiam, crepabunt, & peccatum ſuum, vt deplorat Iſaias, quaſi Sodoma prædicabunt, nullo præditi pudore præ quo illud abſconderent? iam enim, inquit D. Cyprianus, nullus peccati pudor *cõt. Demet.* eſt, & ſic peccatur, quaſi magis per ipſa peccata placeatur. Peccata verò de quibus gloriantur, hæc ferè ſunt:

Populum

5. *Populum tuum Domine humiliauerunt*.i.iustos contempserunt, atque ab omni sublimitate & auctoritate deiectos, suæ tyrannidi ac libidini subiecerunt. *Et hæreditatem tuam*.i.eos quos morte tua tibi acquisiuisti, *vexauerunt*.i.suæ voluptatis gratia varijs molestijs affecerunt.

6. *Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.*

7. *Et dixerunt*. i. sibi persuaserunt, *Non videbit Dominus*, maleficia nostra, quæ manifesta committimus. Contra quam vanam persuasionem dicit scriptura sacra: In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. *Nec intelliget Deus Iacob*, ea scilicet quæ in occulto mente machinamur & intendimus. Quem quidem eorum errorem & vanam persuasionem ex varijs scripturæ locis refutat Ambrosius; Psaltes verò in consequentibus eum refutat & ratione, cui percipiendæ vt intellectum admoueant, prius eos excitat in hæc verba:

Amb. 1 offic cap. 14.

8. *Intelligite insipientes in populo*: *& stulti aliquando*. i. tandem *sapite*. q.d. Non ad credendum vos inuito, error enim vester & vana persuasio talis est, quæ ratione euidenti facilè possit elidi & confutari. Ea autẽ est hæc:

9. *Qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat*? i. Nónne absurdum est opinari quod is qui creauit homini auditum & visum & simul formauit audiendi & videndi instrumenta, ipse nec audiat nec videat? Id absurdum esse euidenti ratione ex Ambrosio desumpta demonstratur. Id enim quod audit, absque dubio præstantius est non audiente; quod videt, non vidente; Si ergo Deus ipse neque audiens, neque videns, audientem & videntem formauit, ergo præstantius quid fecit quam ipse habet vel est, quod certè pugnat cum ratione. Hic autem ex D. Hieronymo contra Anthropomorphitas, qui dicebant Deum corporeum esse obseruauit Augustinus, quod Psaltes non dicat: Qui finxit oculum, non habet oculum; sed, non considerat? quia Deus videt visione excellentiæ, Videt enim absque corporeis oculis, sicut & audit absque corporeis auribus, tanquam habens non audientiam, sed, vt dicit Sapiens, scientiam vocis, quia omnia singularia atque corporalia non sensu corporeo, sed intellectu percipit Et ne ijdem quos hîc ratione confutauit Psaltes, hac ratione conuicti ad aliam obiectionem transeant & dicant, quod Deus tametsi videat & intelligat: non tamen curet peccata, nec operæpretium putet ea reprehendere, occurrit Psaltes, quæ hic moueri posset, obiectioni & dicit:

Epist. 111. & Hieron. in hunc locum.

10. *Qui corripit gentes*, per legem naturæ à se ipsis inditam, ex qua multa reprehendunt & laudant in hominum moribus, inquit August. Ostendunt enim opus legis scriptũ in cordibus suis, testimonium ipsis perhibente conscientia, & cogitationum accusantium aut etiam defendentium, siue cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus; Hic ergo, *non arguet*? & cen-

Aug. 14. de Trinit. c 15

& censuram in semetipsam exhibebit, sconscientia eueritatem illam dissimulante aut negligente conscientiæ auctore, vt creatura à creatore suo melius quid acceperit, quam penes creatorem sit? Imò arguet, scriptum est enim: Existimasti iniquè quod ero tui similis; arguam te & statuam contra faciem tuam. *Qui docet hominem scientiam*; per legem scriptam sicut eum arguere diximus per legem naturæ inditam, hic non arguet? & doctrinam suam neglectam esse susque deque feret? eiusque fructum non requiret, vt exinde aut arguat contemptores, aut commendet proficientes? Quis id credat! His autem ratiocinationibus Psaltes subiungit definitiuam sententiam, vt qui ratiocinationum harum vim & collectionem minus fuerint assecuti, ob definitionem credant prædictos hominum sermones vanos esse, & dicit:

Dominus scit cogitationes hominum, quæ scilicet ex homine sunt, cuiusmodi sunt sermones supra confutati. Has, inquã, & ex iisdem aut eiusmodi principijs ortas cogitationes, nouit Dominus, *quoniã vanæ sunt*. i. veritatis inanes. Vani enim sunt sensus hominum, inquit Sapiens, quibus non subest scientia Dei. Quæ definitiuæ sententiæ verba videntur esse cum Emphasi intelligenda, vt quandoquidem cùm dicimus, Deus videt, Deus scit; censemur iuxta sententiam Augustini iurare; ita etiam Psaltes hoc loco cùm dicit: *Dominus scit cogitationes hominum*, intelligi potest definitiuã suam sententiam iureiurando, atque inuocato Dei nomine, vna & eâdem operâ confirmare. Cùm ergo hominum cogitationes, vt probatum & definitum est, vanæ sint: Contrà, 11. Sapien. 11. Epist. 84.

Beatus homo quem tu erudieris Domine. Dixisti enim; Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia. Quo autem doctrinæ genere? *Et de lege tua*, quæ est lex spiritus vitæ in Christo Iesu: Itaque *de lege tua*, i. de spiritu tuo, siue per vnctionem spiritus tui, *docueris eum*. Cùm enim tu Domine siue per sermonem tuorum nuntiorum, siue per scripturam Euangelistarum, siue per epistolas Apostolorũ etiam foris doceas, sola doctrina huius legis tuæ beatos facit. Vel, *de lege tua*, quæ est lex patientiæ, quam tibi ipsi in administrationem sæculi nostri præscripsisse videris, in patientia differens vindictam impiorum, eosque varijs beneficijs afficiens, si fortè vel serò tandem, teste Cypriano, conuertantur & viuant. Quæ lex etiam hac ratione lex tua dicitur, quia per eius obseruantiam Christus vicit hoc sæculum. Beatus ergo homo quem de hac lege tua, vel, conformiter ad hanc legem tuam, *docueris eum*, patientiam & animi mansuetudinem: 12. Isaia 48. Cypr. de bono patient.

Vt mitiges ei à diebus malis. i. vt per vnctionem spiritus & donum patientiæ atque mansuetudinis mitescere ei facias præsentis sæculi, cuius dies mali sunt, aspera & aduersa. Patientia enim, teste Tertulliano, sicut 13. De patient. ca 9 & 10

& vnctio tua lenit iniurias. Hac autem eruditione legis tuæ homini opus est, non ad horam tantum, sed *donec fodiatur peccatori fouea.* Per foueam, in Psalm. 7. infernum intelleximus: Quia autem illi qui plura aut grauiora peccata committunt, profundiorem in inferno locum habere dicuntur,
Isaiæ 14 Descendisti, inquit Isaias, in profundum laci; ideo qui peccata sibi accumulant, dicuntur foueam fodere, & profundum laci sibi aperire. Sensus ergo est, Mitiges ei toto tempore quo inter malos conuersatur, quo tempore mali iustos vexando, locum sibi profundiorem in inferno continuò effodiunt. Sicut ergo qui de hac lege à Domino erudiuntur, verè beati sunt, ita pronuntio quod tales sæculo nunquam deerunt,

14. *Quia* à gratia, auxilio, vnctione sua *non repellet Dominus plebem suam,* Quam præsciuit, ait Apostolus. i. ad salutem prædestinauit, E medio enim nationis prauæ omni tempore seruauit sibi Dominus quosdam quos præ reliquis saluos faciet. *Et hæreditatem suam.* i. Eosdem quos ad hæreditatem sibi præelegit, *non derelinquet.* i. auxilio ad perseuerandum necessario non destituet, quantalibet acerba & indigna ipsa humilis & infirma, inquit Augustinus, patiatur.

15. *Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium.* i. vsque dum per extremum iudicium manifestetur qui iusti fuerint, & ipsi iusti qui hic à malis fuerunt
Aug. 13 de Trinit. c. 13 vexati, ibi potestatem iudicandi acceperint, ait Augustinus. Voluit autem Deus gloriam iustorum & auctoritatem in illud tempus differre: Vt enim Christum suum, ita & iustos suos vult malitiam aduersariorum vincere ac superare, prius per iustitiam, cuius pars est mansuetudo & patientia, quam per potentiam. *Et qui iuxta illam?* iustitiam scilicet, siue vt alij legunt, qui iuxta illud, videlicet iudicium? q. d. qui sunt iustitiæ vel iudicio, vt in eo cum Domino iudicent, maximè propinqui? *Omnes qui recto sunt corde.* i. qui diuinæ voluntati ex animo conformes sunt & morigeri. Audiuimus autem mox cum Psaltes diceret; *Beatus homo quem tu erudieris Domine,* &c. diuinæ doctrinæ vtilitatem, supererat audire eiusdem doctrinæ siue diuini adiutorij necessitatem, ne quispiam cum Pelagio opinaretur gratiam Dei vtilem quidem, sed non necessariam esse. Hanc explicaturus, vt attentiores faciat, prius interrogat Psaltes & in persona iusti auxilium hoc iam experti quærit:

16. *Quis consurget mihi aduersus malignantes.* i. quis me vt aduersus malignantes armis patientiæ decertem excitabit in istud prælium. Quod enim dicit consurget mihi; id hoc loco idem est, quod excitabit me. *Aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem.* i. quis mihi illi prelio operam danti auxiliando astabit, siue me perseueranter iuuabit? Circa quæ verba notandũ est quod dicit, *consurget mihi,* &, *stabit mecum,* quia diuino adiutorio

torio liberum arbitrium naturali virtute ſua cooperatur. Cui interrogationi reſpondet:

Niſi quia Dominus adiuuit me: vtroque modo, ſuſcitando in prælium, 17.
& mihi in finem vſque auxiliando. *paulò minus habitaſſet in inferno anima mea*. i. Ego per impatientiam, ſtudium aut votum vindicandi, & ſimilia peccata, non multo minus obnoxius factus fuiſſem æternæ damnationi, quã illi qui mihi iniurias irrogauerunt. Quid enim, ait Tertull. refert aut intereſt inter prouocantem & prouocatum, (ad iniuriam aut vindictam) niſi quod ille prior in maleficio deprændatur at hic poſterior, tamen vterque læſi hominis Domino reus eſt, qui omne nequam & prohibet & damnat. Nulla in maleficijs ordinis ratio eſt, nec locus ſecernit, quod ſimilitudo coniungit: par factum par meritum habet. Hæc Tertull. Itaque quod hic dicit: *Paulò minus habitaſſet*, non ſic intelligendum eſt, quaſi ſine adiutorio Dei ipſum inhabitare in inferno parum abſuiſſet, cum Pſal. 88. ſimpliciter dictum ſit: Quis eſt homo qui eruet animam ſuam de manu inferi? ſed per hoc datur intelligi, quòd abſque auxilio diuinæ gratiæ, non minus, aut non multò minus æterni ſupplicij certiſsimè incurret excipiens quam inferens aduerſa. Sin verò contigerit hominem à Domino in prælium ſuſcitatum negotio feliciter cepto ſuccumbere, præſto eſt Chriſtiano adhuc aliud auxilium à Domino, de quo dicit:

Tert. de patient. c. 10.

Si dicebam, Motus eſt pes meus. i. confiteor, lapſus ſum, & in prælio 18.
non ſteti. *Miſericordia tua Domine adiuuabat me*, erigendo eliſum, & corroborando redintegrabas ad prælium. Doctrina autem diuini ſpiritus, qua Deus nobis mitigat dies malos, nunquid modica tantum conſolatione afflictorum animos demulcet? abſit. Sed,

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, cõſolationes tuæ 19.
lætificauerunt animam meam. Quantum enim cruciatus ac tædij adfert aduerſitas, tantum gaudij & ſolatij per conſcientiam virtutis & ſpem futurorum, adferet animi tranquillitas. De qua re Baſ. Si inquit, amanti virtutis nonnihil acerbi caſus obortum fuerit, eius tamen gaudium nulla poteſt interpolare triſtitiæ nubes, eo quod tribulatio patientiã operetur, patientia probationem, probatio ſpem. Spes ſanè eſt quæ gaudium contubernalem efficit cohabitantem animæ generoſæ, & ad excolendam virtutem ſollicitæ. Hæc Baſilius. Quin & alia ratione ſecundum multitudinem dolorum conſolationes Dei lætificant animam iuſti. Deus enim aduerſis miſcet proſpera, ne illa frangant; Proſperis aduerſa ne corrumpant, atque ita temperatur vtrumque ab altero, ait Auguſtinus, vt in Pſalmo illam vocẽ non aliundè agnoſcamus exortam, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Denique

Baſil. hom. 4. de grat. agend.

Aug. 18 de Ciuit. c. 51

lætificant consolationes Dei mœstam animam, dum per charitatem & patientiam supportantium corrigitur iniquitas insultantium, qui patientiæ fructus vberrimus est & præstantissimus, de qua subijcit Augustinus: Magnę consolationes fiunt in cordibus piorum de correctionibus aduersariorum, quæ piorum animas tanta iucunditate perfundunt, quantis doloribus de sua perditione cruciauerant. Itaque quod dicit Psaltes, secundũ multitudinem dolorũ meorum in corde meo, &c. in idem redit cum eo quod dixerat Apostolus: Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Quod non solum in hac quæ dicta est, sed in omni tribulatione, de Domini benignitate, locum habet. Nam tribulatio spiritus quam vocamus contritionem, consolationem accipit ex spę futuræ veniæ. Tribulatio humiliati, ex spe futuræ exaltationis, propter quod de ea dicit Iacobus. Glorietur frater humilis in exaltatione sua; quam scilicet in spe gerit. Quæ cum ita sint:

20. *Nunquid adhæret tibi*, O Deus, *sedes iniquitatis, qui fingis*, siue vt fingas *laborem in præcepto*. i. nunquid tu iustè censeri potes, condendo leges & præcepta, iniquum exercere iudicium, more illorum qui leges cudunt vt opprimant, affligant & prouocent transgressiones? Imò ex prædictis apparet manifestè quod non. Corripis enim gentes, multis modis adiuuas fideles, quæ profectò non sunt eius, qui studet iniquitati procurandæ sed auertendæ, nec eius qui studet hominibus onerandis, sed subleuãdis. Diuus Bernardus tamen intelligit hæc verba non in Deum, sed in hominẽ dirigi hoc sensu, Nunquid tu ô homo iniquè iudicas, cùm fingis siue comminisceris præcepta Dei, ex eius parte, esse grauia & laboriosa? cum vt mox audiuimus ipse nobiscum consurgat aduersus malignantes, adiuuet præliantes, elisos erigat, mœstos consoletur? Porrò quia Deus Pater etiam cum Christo suo consurrexit aduersus malignantes, & stetit cum eo aduersus operantes iniquitatem, quocirca & dicit Christus, Dominus mecum est tanquam bellator fortis; coronidis loco adiungit Psaltes quædam quæ ab alijs quibusdam aliò quidem referuntur, mihi autem referenda videntur ad passionem Christi, tum quia ea expositio verbis textus adæquatur; tum quia Ecclesia in officio feriæ sextæ parasceues hæc verba non obscurè de Christi passione intelligit, quæ sic habent:

In declam. Super, Ecce nos.

21. *Captabunt in animã iusti*, qui est Christus; quod in eo euidenter impletũ est: Cùm enim ministri ac satellites à principibus missi frequenter adirent Christum, vt interficiendum comprehenderent, sed frustra, quid aliud quàm captabant in animam eius? Et in exordio passionis, cum illi qui veniebant cum Iuda ad comprehendendum eum, in terram prostrati nihil efficerent, quid aliud quam in animam iusti captabant? *Et sanguinem innocen-*

nocentem condemnabunt, quod circa Christum impletum esse nimis notum est. Quid verò ad hæc Christus?

Et factus est mihi Dominus in refugium. Christus enim causam suam ad Dominum retulit, & Domino, vt ait Ieremias, caussam suam reuelauit. Nec id frustra, Factus est enim, inquit, *Deus meus in adiutorium spei meæ.* quia, prout speraui, mihi in memetipso & membris meis adiutorium præbuit. Et vt dicit Sapiens, partibus iudicans, siue, vtrique parti caussæ meæ ad eum relatæ quod iustum est adiudicans, 22. *Sapient.* 12.

Et reddet illis, qui me captarunt & condemnauerunt, *iniquitatem ipsorum*. i. id quod meretur iniquitas ipsorum. *Et in malitia eorum*. i. ob malitiam eorum, vel, ipsis in malitia eâdem perseuerantibus, *Disperdet eos*. i. varijs modis in mortem traditos in æternũ interitum præcipitabit *Disperdet*, inquam, *illos Dominus Deus noster*. 23.

PSALMVS XCIIII.
Laus cantici ipsi Dauid.

IN hoc Psalmo vox est Christianorum cohortantium inuicem ad conuentum religionis, ad communem orationem & vnanimem gratiarum actionem. Ideo & D. Athan. testatur eum suo tempore in exordio conuentuum Christianorum recitari solere, vt adhuc hodie recitatur ad Matutinum. Et quidem ibidem paulo aliter, quam hîc legitur; quia qui ad Matutinũ recitatur, desumptus est ex Psalterio Romano, cuius in Ecclesia frequens vsus est in missis, vt proinde Missarum Introitus, Gradualia, Offertoria, & similia quę ex Psalterio desumpta sunt, aliam ferè lectionem habeant, quam Psalteria vulgata, quia Psalterium quod Romanum appellatur, multum differt à Psalterio vulgato, quod D. Hieronymus appellat Gallicanum. Cohortatio autem Christianorum sic se habet: *Ser. de virgin. para, circa finem.*

Venite exultemus Domino. i. concordi lætitia ab intus gestiamus de diuina bonitate qua Deus ipse bonus est, siue, quæ Deus est. *iubilemus*. i. gaudium & lætitiam quam verbis explicare non possumus, affectibus expromamus *Deo salutari nostro*. i. Deo tãquam salutis nostræ authori. Vbi iterum obseruandus est ordo castæ & ordinatæ dilectionis, prius enim inuitant ad exultandum Domino propter semetipsum, aut quia ipse bonus est: deinde ad iubilandum ei quia nobis bonus est. *Præoccupemus faciem eius*, i. Præueniamus illuminationem vultus eius super nos. Præueniamus, inquam, Tametsi enim Deus, vt in Psalmum 87. diximus, à nobis simpliciter præueniri non possit, complura tamen eius beneficia ab ipso præuenti, orando, & ad ipsum nos conuertendo, eumque, vt in Psal. 76. diximus, manibus siue operibus nostris quærendo, præuenimus. *In confessione* laudis 1.

Il. 6. de sacra. c. 5. & Basi. const. monast. c. 2 & gratiarum actionis. In oratione enim, inquit Ambr. non debes quasi famelicus ad cibum de cibo incipere, sed ante à laudibus Dei. Vnde & oratores isti sapientes hanc habent disciplinam; vt iudicem sibi fautorem præstent, incipiunt à laudibus eius, vt beneuolum sibi faciant auditorem, *& in psalmis*. i. canticis spiritualibus, in laudes Dei diuinitus conscriptis, *iubilemus ei*. i. lætitiam affectus nostri verbis ipsis maiorem, nullisque verbis exæquandum, deferamus ei & exponamus. Est autem nobis in Domino exultandum,

3. *Quoniam Deus magnus Dominus*. Magnus, inquam, quia per essentiam Dominus, longissimo interuallo transcendens omnem excellentiam, à qua complures alij, dij dicuntur aut domini. Nec solum *magnus Dominus*, sed etiam dominator siue magnificè dominãs in cælo & in terra. Est enim *Rex magnus super omnes deos*,

4. *Quia in manu eius sunt oẽs fines terræ, & altitudines montiũ ipsius sunt*:

5. *Quoniam ipsius est mare & ipse fecit illud, & siccam manus eius formauerunt*. In quibus verbis, cùm dicitur Deus *Rex magnus super omnes deos*, à parte creaturæ insinuatur summus gubernator totius creaturæ: Cùm dicuntur, *in manu eius omnes fines terræ*, similiter à parte insinuatur totius creaturæ conseruator: Cùm dicuntur, *altitudines montium & mare ipsius esse*, consimili ratione insinuatur ipse esse legitimus totius creaturæ possessor: Cùm dicitur, *mare fecisse*, insinuatur totius creaturæ, præsertim quoad substantiam, creator: Cùm dicuntur *manus eius siccam*, siue terram *formasse* insinuatur quod omnis modus, forma & species vniuscuiusq; creaturę ab ipso sit. Singula enim quæ hic de Deo expressa sunt, sic sunt eorũ quibus illa tribuuntur, vt tamen sint omnium. Nomine autem deorum super quos Deus

9 de Ciuit Dei, ca, vlt. *Rex magnus* dictus est, D. Augustinus intelligit sanctos qui dij sunt diuini spiritus participatione. Tametsi enim & dæmones aliquãdo per abusionem dij appellentur, hic tamen nomine deorum compræhendi non possunt; Absit enim, inquit August. quod Deus dicatur Rex magnus super omnes dæmones. Illi enim super quos Deus rex magnus dicitur, videntur ad regnum eius pertinere debere, à quo dæmones omnimodis exterminati sunt. Voluit autem Psaltes describere dominatum Dei quem exercet tam in ter-

li. 3. ca. 11 ra quàm in cælo, vt sciamus, inquit Irenæus, Deum ad quem pietate colendum Christiani hic sese mutuo cohortantur, non esse aliũ ab eo qui creauit cęlum & terram. Cùm ergo Deus tam magnus Dominus sit & rex magnus,

6. *Venite*, inquiunt, *adoremus*. Dicunt ante omnia *Adoremus*, Adora-

Cyrill. 2 in Ioan. c. 92. tio enim, inquit Cyrill. seruitutis quædam professio est, atque adeo ianua quædam, inquit, & via ad reliqua seruitutis opera, Cùm ipsa initium seruitutis, qua Deo seruire profitemur, existat. Ideo Psalmista adhortatur omnes

dicens:

dicens: *Venite adoremus & procidamus ante Deum.* Vides, inquit, adorationem procidentiæ coniunctam esse, hac re nihil magis, si quis rectè conditiones rerum intelligit, quam seruitutis habitū significari puto. Hæc Cyrillus. Per habitum seruitutis, procidentiam siue corporum inclinationem designans, qua profitemur nos illi cui inclinamur esse subiectos & obnoxios. Quamquam in ea attendi etiam poßit professio qua profitemur nos ab ipso lapsos esse, quale quid genuum inclinatione significari testatur D. Basil. siue professio qua profitemur, nos sine eius ope tam quoad naturam quam quoad gratiam, ad nihilum redigendos esse: in cuius rei professionem videntur etiam Angeli coram illo in facies suas, vt habet Apocalypsis, procidere. Vtut est, hæc corporum inclinatio, de qua dicit Psalmus, *Procidamus ante Deum*, nostram erga Deum deuotionem non parum nutrit ac excitat, sic enim de ea scribit August. Orantes de membris sui corporis faciunt, quæ congruunt supplicantibus, cum se solo prosternunt, quamuis eorum inuisibilis voluntas Deo nota sit, quæ his magis se excitat ad orandum gemendumque humilius & feruentius, & nescio quo modo cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non poßint, iisdem rursus externis visibiliter factis ille interior inuisibilis qui eos fecit, augetur. Hæc Aug. *Ploremus ante Dominum*: qui procidendo lapsum suum confeßi sunt, rectè addunt, *ploremus ante Dominum.* Est enim nobis necessarius dolor de peccatis, inquit Bernardus: Qui etiam admodum oportunè inseritur prædictæ exultationi, quia oportet vt dolor & ploratus pro peccatis interpoletur, inquit, lætiore recordatione diuinæ benignitatis, ne fortè præ tristitia induretur cor, & desperatione plus pereat. Misceamus, inquit, absynthio mel, vt salubris amaritudo salutem dare tunc poßit, cùm immixto temperata dulcore, bibi poterit. Hæc D. Bernardus. *Qui fecit nos.* Non abs re hoc additur, est enim, inquit Ambr. quædam conuentionis authoritas seu fiducia, quod Deus nos fecerit, quia etiam in rebus humanis, ait idem, grandis prærogatiua est, vt aliquis operibus faueat suis, ne videatur abrogare quod ipse donauit. Hæc Ambrosius. *Quia ipse est Dominus Deus noster.* Deus eorum Deus dicitur, ait Augustinus, quos sibi familiarius adhibet tanquam suum, inquit, peculium.

Basi. de Spiritu s. c. 27.

de cura pro mort. ca. 5.

Ser. 11. super Cant.

Ser. 10 in Psal. 118.

1. de interpell. ca. 6.

In psal. 49.

Et nos populus pascuæ eius, quem, vt Psal. 23. dictum est, in loco pascuæ collocauit. *Et oues manus eius*; ab ipso electi vt simus oues eius, & ab ipso in vnam manum siue congregationem collecti. Et hactenus quidem audiuimus cohortationem ad opera religionis. Cæterum, quia Deus mauult vt obediatur voci eius, quam vt offeratur holocaustum cui annumerari debet & adoratio, ideo vt diuinis obsequijs diuinorum mandatorum obedientia prout oportet iungeretur, aptißimè iungit Psaltes: 7.

Hodie

8. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Vbi imprimis dicit: *Hodie*; quæ vox in solidum significat nostræ istius totius vitæ temporale curriculum ait Basil. In quo curriculo vox Dei tam instanter aut intus aut foris nobis insonat, vt maioris sit laboris aurem obturare, inquit Bernardus, quam vocem Domini non audire. Deinde dicit *hodie*; Hac enim voce, inquit Basilius, præstruit nos Psal. contra insidias dæmonis conuersionem nostram in crastinum semper differentis. Dicit autem: *nolite*; ob liberum hominum arbitrium, quod hoc verbo, inquit Augustinus, conuenitur. Et meritò, ad audiendam enim siue recipiendam vocem Domini, oportet vt & liberum arbitrium suas exerat vires, vt in Psalmum 71. diximus. Et quia liberum arbitrium ad fugiendum malum vel faciendum bonum, ferè non nisi adhibitis externis adminiculis à Deo adiuuatur; oportet enim, vt præclarè docuit Augustinus, vt homines aliquid audiant vel videāt vnde boni cognitionem & amorem, aut malorum abominationem concipiant: Hoc verò, Deo dirigente forinsecus ferè se offert, Quod autem ex ijs quæ foris apparent boni amoris vel odij intus concipitur, id Deus per auxilium gratię intus operatur, qui etiam sine externis adminiculis eadem intus operari potest, sicut & per mare traducere potest eum qui sine rate mare adit, inquit Sapientia, sed neutrum facit, vt non essent vacua diuinæ sapientiæ opera. Magno autē prouentu vacua essent bona exempla & doctrinæ ac exhortationum incitamenta, si sine illorum adminiculis, Deus id intus operaretur, quod ordinariè per illa operatur. Quia ergo in scripturis sacris quorundam peccata ob id ob oculos ponuntur, vt cognoscat, inquit Psal. 77. generatio altera, ne fiant sicut patres eorum, generatio praua & exasperans; etiam hoc loco subiungit Psaltes magnū & notorium inobedientiæ exēplum: vt Christianos ab inobedientia deterreat & dicit:

Bas. ad Chilonē in fine
Bern. ca. 2. de conuers. ad Clericos
Basil. hom. 13. de pœn.
De gra. & libe. arbit. ca. 2 & 7.
14 de bono perseuer.
Sapient 14

9. *Sicut in irritatione secundum diem, tentationis in deserto, Vbi tentauerunt me.* Exodi 14. cum ad populum reuersi essent exploratores quos miserat Moyses, *Patres vestri*; qui tamen multis modis, *probauerunt* boni experimento, *& viderunt* oculis suis, *opera mea. Probauerunt*, inquam, tanquam sibi commoda, non autem tanquam incitamenta reddendæ Deo obedientiæ, Sicut & tempore Christi quidam quærebant eum, quia manducauerant ex panibus eius. Vt autem non solum exemplum inobedientiæ, sed & pœna eius Christianos à peccando deterreret, addit Psaltes:

10. *Quadraginta annis offensus fui generationi illi.* tot enim annis merito suæ inobedientiæ oberrarunt in deserto.

11. *Et dixi semper hi errant corde: Et isti non cognouerunt vias meas.* Dilexerunt enim eum ore suo, cor autem eorum non erat rectum cum eo, & in lege eius noluerunt ambulare. Et quæ tandē huius inobedientiæ pœna?

Vt iu-

Vt iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. i.in Palæstinam. Sub quo iuramento, vt docet Apostolus, latenter continetur iuramentum, quo iurauit Deus Christianos non admittere in æternam suam requiem, si non audierint vocem eius. *Ad Hebr. 3 & 4.*

PSALMVS XCV.

Canticum ipsi Dauid quando domus ædificabatur post captiuitatem.

SEnsus est, quando gentes colligebantur in Ecclesiam seu domum Dei è captiuitate diaboli, cui vsque ad id tempus obnoxiæ fuerant. ait Aug. Cui tempori bene asscribitur Canticũ: Quid enim, inquit idem, nos oportet dicere, vel potius quid agere, nisi quãtas possumus gratias Domino Deo nostro, qui cultum dæmonum ex vniuersa terra abstulit, & omnem terram è seruitute dæmonum ad sui cultum traduxit? *Ser 20 de ver. apost. De ciuit. lib. 8 c. 24.*

1. *Cantate Domino canticum nouum.* i. ex ore vestro prius inauditum. Vel, *Canticum nouum.* i. hymnum laudis pro accepta gratia vestrę renouationis. Ad quod Canticum deferendum hortabatur Apostolus Ephesios, cùm diceret: Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum dilectionis filij sui. *Cantate Domino omnis terra.* Erat enim Ecclesia per omnem terram propaganda, & laudem Dei ibidem decantatura. Ideo bene dicit Optatus Mileuitanus, quod Donatistæ qui Ecclesiã ad partẽ Aphricæ contrahebant, fraudarent debitis suis vocibus aures Dei. *Lib. 2. con. Parm.*

2. *Cantate Domino & benedicite nomini eius.* De qua benedictione Ps. 71. Sit nomẽ eius benedictum in sæcula. Et: Et benedictum nomen Maiestatis eius in æternum. *Annũciate de die in diem salutare eius.* i. propagate de die in diem nomen Christi, qui est salutare Dei, dicẽtes in gentibus illud Apostoli Pauli: Per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur ab omnibus quibus non potuistis hactenus iustificari. Vel, *Annunciate de die in diem salutare eius*: vt audientes multos indies ad salutem adduci, & in statu salutis constitui, frequentetis inter vos illud Psalmi 67. Benedictus Dominus die quotidie, Prosperum iter fecit nobis Deus salutarium nostrorum: augens eos qui salui fiant quotidie in idipsum.

3. *Annunciate inter gentes gloriam eius.* i. salutaris siue Christi eius, dicẽtes in gentibus quod prius annunciatum est in Iudæis, Deus glorificauit filium suum Iesum. *In omnibus populis mirabilia eius*; vt his in omni populo cognitis, locus fiat Psalmo 8. dicantque omnes qui hæc obseruant, Do-

mine Dominus noſter, qnam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra,
& quæ ſequuntur in eum ſenſum, in quo illa à nobis ſupra explicata ſunt.
4. *Quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis.* i. maiore quam præſtare
valemus laude eſt dignus, vnde & Eccleſiaſticus dicit: Laudantes Domi-
num quātum poteſtis, ſuperualebit adhuc. *Terribilis eſt ſuper omnes deos.*
Hi autem qui ſunt?
5. *Quoniam omnes dij gentium dæmonia.* Quid enim ſit quod dixit: *Su-*
[Aug. 9. de] *per omnes deos*; deinceps oſtenditur, inquit Auguſt. cùm dicitur, Quoniam
[Ciui. c. vlt.] omnes dij gentium dæmonia. Tametſi enim gentilium permulti idola co-
lere viſi ſint, in euentu tamen dæmonia coluerunt; Cùm enim arbitraren-
tur homines ſimulachris occultum aliquod numen ineſſe, dæmones id non
[Aug. in pſ.] ignorantes ſimulachris ſeſe, inquit Auguſt. immiſcuerunt, vt numen quod
[85. & 113] homines in ſimulachris quærebant, ipſi hominibus fallendo exhiberent, &
viciſſim cultum quem homines idolis ob latens in illis, vt arbitrabantur,
numen, deferebant, dæmones ſibi hac fraude ſurriperēt. Propter quod Ter-
[Tert. de ido] tullianus: Dæmones ad ſe rapiebāt quidquid vanis deorum ſimulachris of-
[lola. ca. 15] ferebatur per conſecrationis obligamentum. Super hos ergo deos *terri-*
bilis eſt Dominus, quia poteſtate ipſis terribili eos per vniuerſam terram
ſolitis ſuis ſedibus ſine vlla cōmiſeratione eijcit. Quod cum eis valde mo-
leſtum ſit ac inuiſum, efficitur prædicta Domini terribilis poteſtas hac con-
ſideratione magis terribilis, quia effectum dæmonibus valde formidandum
atque terribilem circa ipſos operatur. Tam verò *terribilis ſuper hos deos*
eſt Dominus, vt Domini de cauſa, fides in Chriſtum, Chriſti vel Dei no-
men, ſignum crucis per quam Chriſtus eos iure deuicit, aliaq; Dei & Chri-
ſti ſacra ſigna dæmonibus terrorem adferant, eoſque in fugam compellant.
[Atha. tract.] De qua re pulchrè Athanaſius: Olim dæmonia inani ſpecie ludibriiſque re-
[de corp. ad-] rum intricabant homines, inſeſsis alibi fontibus, alibi fluuijs, lapidibus aut
[uen. Verbi.] lignis, atque iſtis præſtigijs fatuos in ſtuporem agebāt: Nunc vero cùm ap-
paruit Dei Verbum, ſpectra huiuſmodi & ludibria imaginum ceſſauerunt.
Solo enim crucis ſigno vtens homo dolos eorum à ſe propellit. Et quibuſ-
dam interiectis: Veniat qui iſtorum dictorum experimentum capere velit,
& in ipſis præſtigijs dæmonum, & impoſturis vaticiniorum, & miraculis
magiæ, vtatur ſigno crucis ab ipſis deriſo, nomenque Chriſti inuocet, & vi-
debit quomodo eius rei metu fugiant dæmones. Quis igitur & quantus eſt
hic Chriſtus qui ſolo ſui nominis vocabulo præſentia omnia obruit, & o-
tioſa reddit, omnibuſque maior, orbem terrarum ſua adimplet diſciplina?
Vbi enim nominatur vel Chriſtus vel fides eius, inde omnis idololatria
depellitur, & dæmonum inſidiæ patefiunt, & quotquot ſunt dæmones, ne
nomē quidem eius tolerant, ſed vbi vel ſolum id audierint, in fugam auer-
tuntur.

tuntur. Atque istud officium est non mortui sed viui, ac potissimum Dei. Hæc Athanasius. Quò pertinent & illa verba Cypriani: O si audire velles dæmones & videre quando à nobis adiurantur & torquentur, spiritualibus flagris & tormentis verborum de obsessis corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes, voce humana & potestate diuina flagella & verbera sentientes, venturum iudicium confitentur. Veni & cognosce vera esse quæ dicimus; Videbis nos rogari ab eis quos tu rogas; timeri ab eis quos tu adoras. Videbis sub manu nostra stare vinctos & tremere captiuos, quos tu suspicis & veneraris vt dominos. Hæc Cyprianus. Imò vsqueadeo *terribilis est Deus super omnes* hos *deos*, vt dicat Augustinus, quod nullo modo vlli spiritus audeant sacra signa nominis aut crucis Christi contemnere, contremiscunt enim hæc, inquit, vbicunque illa prospexerint: Cùm autem non cedunt his signis dæmonũ potestates, Deus ipse prohibet occultis modis cum id iustum atque vtile iudicat, vel ad confundendos malos, cum eos oportet confundi vt Scæuæ filios, de quibus in Actis Apostolorum, vel ad admonendos bonos vt proficiant in fide, atque ista non iactanter, sed vtiliter possint, vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ. nunquid enim omnes virtutes, nunquid omnes habent dona curationũ? Hæc Augustinus. *Dominus autem cælos fecit.* Hæc pars non sine ratione præcedenti immediatè iungitur, ob id enim quod Dominus cælos fecerit, *terribilis est super* omnes Deos, eos è sedibus suis solitis exterrẽs, & æternis carceribus mancipans, quia scriptum est; Dij qui cælum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub cælo sunt. Postquã verò Psaltes verum Deum eiusq; potestatem & gloriam descripsit, transit ad describendam diuini cultus & disciplinæ Christianæ dignitatem & puritatem, dicitque:

Cyp aduer. Demetria.

Li. 83. qu. quæst. 79.

Ierem. 10.

Confeßio & pulchritudo in conspectu eius: in cultu enim quem diuinis oculis deferimus primum locum habet confessio peccatorũ, deinde pietas: Quæ nomine pulchritudinis appellatur, quia in cultu Dei Christiani nihil adhibent pudendum aut indecorum. Cùm tamen dij gentium spectaculis placari volentes alijsque sacrificijs, cogebant suos cultores turpissima quæque, vt habet Augustinus, religionis nomine præstare & exhibere. Quapropter & S. Blandina apud Eusebiũ cum acerrimis & sæpè repetitis plagis ab ea extorquere gẽtiles vellent quænam nefanda Christiani in nocturnis suis conuenticulis exercerent, ad singula respondebat semper, Christiana sum, nihil apud nos inhonesti agitur. Est enim religio nostra eiusque disciplina pulchra, etiam in ijs quę nocte aguntur. Quam pulchritudinem Apost. nobis demãdans dicit ad Philip. De cętero, fratres quæcũq; pudica, quæcũq; honesta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hęc cogitate. Quæ verba Apostoli eo extendenda sunt, vt per ea non 6

Aug. in libris de Ciu. *Euseb li. 5. Eccl. histor.*

liceat alicui vel pœnitẽtiæ vel vllius mortificationis gratia quicquam quod cum honestate pugnet admittere. Et vt ambages hominum sacrilegorum, qui sub prætextu pietatis nefanda admittunt, euadamus, dicimus censuram honesti aut inhonesti, hic, penes sensum communem esse, ita vt quod sensus communis inhonestum fore iudicauerit, id omni ratiocinatione aut bono fine seposito, simpliciter inhonestũ & indecorum sit. *Sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.* i. sanctificationis eius, qua videlicet ipse sanctificat nos, Sicut scriptũ est; Ego Deus qui sanctifico vos; effectus sunt *sanctimonia.* i. rectitudo interioris hominis. *Et magnificentia.* i. grandium & heroicorum operum strennua exercitatio. Quid autem acceptis his beneficijs populo gentium Deo rependendum est?

7. *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem.* i. det quisque ante omnia apud semetipsum gloriam gratiæ eius. Non solum autem, Sed, *afferte Domino gloriam nomini eius.* i. sic agite, vt omnes passim bene & gloriose de Deo loquantur auditoque eius nomine, eum glorificent. Sicut Petrus ait, Ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. Sicut contrà, propter mala opera Christianorum nomen Dei blasphematur ab ethnicis.

8. *Tollite hostias.* De quibus scriptum est, Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem. Et, Talibus hostijs promeretur Deus. Et, Spiritus contribulatus hostia Deo, vt legit & huic loco applicat Tertull. *Et*, his hostijs instructi, *introite in atria eius.* Nobis enim spiritualiter implendum est quod dictum est Iudæis, non apparebis in conspectu Dei vacuus. *Adorate Dominum in atrio sancto suo.* i. in atrijs ad quæ cõuenitis ad glorificandũ Dominum. Quibus verbis prædicit Psaltes futuras synaxes populorum & loca sacra ad eas celebrandas. Quæ loca etiam Apostolus agnouit cùm diceret: Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? Nomine Ecclesiæ Dei locum sacrum in quem fideles conueniebant, probatorum authorum iudicio, intelligens.

Ter aduer Iud. cap. 5.

9. *Commoueatur à facie eius vniuersa terra.* i. commoueantur per vniuersam terram tandem omnes ad amplectendam religionem, *à facie.* i. à præsentia Dei qui in vobis præsens appareat. Quod quomodo fiat, Apostolus exemplo declarat his verbis: Si conueniat Ecclesia in vnum & omnes prophetent, intret autem quis infidelis aut idiota, cõuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod verè Deus in vobis sit. Multum enim momenti ad faciendam infidelibus fidem adferet, si in sermonibus & factis Christianorum ipse Deus, cui credendum est, inhabitans, quodammodo præsens appareat. Quocirca Basilius de Gregorio Thaumaturgo: Tantam, inquit, acceperat gratiam ad obedien-

1. Cor. 14.

Basi. de Spiritu S. c. 29

obediendum fidei in omnibus gentibus, vt aſſumptis non plus ſeptemdecim Chriſtianis vniuerſum populum tum vrbanũ tum ruſticanum per agnitionem adiunxerit Deo. In tantum in eo in omnibus tum dictis tum factis eorum quæ per gratiam peragebantur, veluti lumen refulſit ſupercæleſtis virtutis indicium, quæ ex occulto affectabatur illum. Hæc Baſilius. Vt autem efficacius ad Chriſti religionẽ moueatur vniuerſa terra. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.* Hic quidam arbitrantur addendum eſſe *à ligno*; Sic enim legit Tertull. Auguſtinus, Leo, Iuſtinus martyr, & alij. Putãt enim illi Iudæos hunc locum mutilaſſe, & illud *à ligno*, ex Hebræis codicibus expunxiſſe. Quod præter complures neotericos etiã vniuerſa Eccleſia fateri videtur: cantat enim in hymno, cuius author eſt Fortunatus: Impleta ſunt quæ cõcinit Dauid fidelis carmine, dicens in nationibus, Regnauit à ligno Deus. Fatetur ergo Eccleſia, non pium aliquem paraphraſten, vt quidam volunt, ſed ipſum Dauidem horum verborum eſſe authorem, eaque ſuo carmini ſeu pſalmo inſeruiſſe. Vt itaque ad religionem Chriſtianam commoueretur vniuerſa terra, prædicandum fuit inter gentes: *Dominus regnauit à ligno.* i. Per lignum crucis diabolum, peccatum, & inferni portas deuicit. Nam quia in ſapientia Dei non cognouit mũdus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Verbum autem crucis pereuntibus ſtultitia eſt: Ipſis autem vocatis Dei virtus eſt & Dei ſapientia. Dei inquam virtus, quia prædicationi crucis Chriſti cooperatur Dei virtus. Voces enim prædicantium & litteræ paginarum, quæ ad obediendum fidei Deo ſeruiunt, non carent virtute eius cui ſeruiunt, inquit Proſper, ob quam cooperantis Dei virtutem, dicit Apoſtolus ad Rom. quod Euangelium ſit virtus Dei in ſalutem omni credenti. Quis verò huius prædicationis effectus?

Tert. adu. Iud. ca. 10. & 13. Aug. in hũc locum, et cõ. Marcio. Leo ſerm. 4 de paßione. Iuſtinus cõ. Triphonem

Proſp. ad Demetria.

Etenim correxit orbem terræ, quia per fidem crucis correcti ſunt cor- 10.
ruptiſsimi mores infidelium per totum orbem terrarum, *Qui non commouebitur*: Quia Eccleſia quę ad omnia loca deuentura eſt, nunquam deficiet aut de ſtatu ſuo deijcietur. Et poſt hæc, in extremo iudicio, *iudicabit populos in æquitate*. Experientur enim populi fideles eum clementem & æquum iudicem.

Lætentur cæli. Gaudent enim Angeli cùm vident homines per Euange- 11.
liũ corrigi, & ad futurũ iudicium præparari. *Et exultet terra.* i. qui in terra priores ad fidẽ Chriſti conuerſi ſunt. *Commoueatur mare & plenitudo eius.* Ad inſulas enim eoſque qui mare nauigant perueniet prædicatio, ac commouebit maris incolas ad pœnitentiam & religionem. *Gaudebunt campi.* i. qui plana terrarum loca inhabitant, *& omnia quæ in eis ſunt.* Omnia enim quæ in mundo ſunt, ſolennitati Chriſtianorum, & publico eorum gaudio

deseruiunt. Vel, *Gaudent*, quia gaudium fidelium in ea redundare videtur.

12. *Tunc exultabunt omnia ligna siluarum à facie Domini, quia venit* in suis Apostolis, *quoniam venit iudicare terram.* Nam & in Apostolis venit in iudicium discretionis in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.

13. *Iudicabit orbem terræ in iustitia*, quosdam enim ex toto orbe conuertet ad iustitiam. *Et populos in veritate sua*, quia faciet quosdam ex ijs qui faciunt veritatem venire ad lucem, vt manifestetur opera eorum quia in Deo sunt facta.

PSALMVS XCVI.

Psalmus Dauid quando terra eius restituta est ei.

TItulus hic variam recipit interpretationem, sicut & ipse Psalmus. Quia tamen contextui Psalmi singulisque versibus eius magis quadrant ea quæ in alijs scripturis de die iudicij reuelata sunt, ob id cõuenientius nobis videtur Psalmum ipsum de die iudicij exponere, eiusque titulo tribuere sensum qui sequitur.

P*Salmus Dauid.* i. Psalmus Christo dedicatus, in id tempus, *quando terra eius restituta est ei.* i. quando terra & ea quæ in illa sunt opera, exusta, renouata fuerit, & talis reddita, vt in ea iustitia, quod futurum dixit S. Petrus, inhabitet, Tunc enim terra rectè dicitur Christo esse restituta, quia tempore prioris sæculi fuit ab alienis possessa, & in vsum Christo eiusque voluntati contrarium conuersa, quæ tunc, contritis, vt Isaias ait, de ea peccatoribus, iustitiæ & voluntati Christi restituetur.

1. *Dominus regnauit.* Psalmo 92. etiam dictus est Dominus regnasse; ibi quidem, quia regnum suum super Ecclesiam huius temporis suo labore sibi acquisitam, auspicatus est; hic verò, quia idem regnum, annunciato iam per vniuersum orbem Euangelio, & Ecclesia in singulis orbis partibus actu, vt loquimur, existente, regnum quod prius ceperat, compleuit. An non enim iustissimè dicetur Dominus regnasse, quando prædicato, vt prædixerat, Euangelio in vniuerso mundo, Ecclesia in singulis orbis partibus actu existet, vt ipso venturo ad iudicium, colligere possint Angeli electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum? i. è toto orbe? Si enim Angeli electos colligent de toto orbe, ergo in toto orbe terrarum tunc erit Ecclesia, vt colligit August. Vbi enim electi, ibi Ecclesia, permixta tamen illis qui non sunt electi. Sensus itaque est, *Dominus regnauit.* i. regnum suum quod est Ecclesia per vniuersum terrarum orbem propagauit. *Exultet terra lætentur insulæ multæ.* i. Ecclesiæ filij per vniuersam terram & insulas maris diffusi. His dicitur vt exultent,

In psal. 101 & 2. cont. Parme. c. 2

tent, Fundatur enim vt Psalm. 47. dictum est exultatione vniuersæ terræ mons Sion ciuitas regis magni. Prædicato autem per vniuersum mundum Euangelio, Veniet, inquit Dominus, consummatio, sæculi videlicet, de qua Isaias; Consummationem & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum super omnem terram. Hanc autem consummationem Dominus ad iudicium venturus ipse, vt dicunt Nahum & Sophonias, faciet. Ipso itaque ad iudicium veniente, *Isaiæ 28.*

Nubes & caligo in circuitu eius. Nubes quidem, quia sicut nubes suscepit ascendentem ab oculis intuentium, sic etiam. i. in nube, vt interpretatur Augustinus, veniet ad iudicandum. Videbunt enim, inquit, filium hominis venientem in nube. Non dicit super nubem, sed in nube; quia nubes hæc erit *in circuitu eius* ambiens eum. *Caligo* verò, quoniam stellæ cæli, inquit Isaias, & splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Propter quæ & Ioël diem iudicij appellat diem tenebrarum & caliginis, diem nubis & turbinis. Qua ergo ratione canit Ecclesia, quod erit in die illa lux magna? An quia in illa die Dominus virtute sua illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium? An verò, quia tunc, vt dixit Abacuc. splendor eius, subaudi Iudicis, vt lux erit: Et, quod Euthymio visum est, velut sol illuminabit mundum? Et similiter splendor gloriæ sanctorum eius, qui configurabuntur corpori claritatis eius, illuminabit eundem velut luna, vt in die illo implendum esse censeatur quod dixit Isaias: Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis. i. Christi, erit septempliciter. Quæ lux tametsi conspicua futura sit impijs, non tamen eos exhilarabit, & proinde manebit eis dies iudicij dies caliginis. *Iustitia & iudicium correctio sedis*, i. Ecclesiæ *eius*. In hoc enim die iudex exercendo iustitiam & iudiciũ corriget Ecclesiam suam, nam expurgabit aream suam, & iusto iudicio separabit paleas eius à tritico. Quoad iustos verò, erit quasi ignis conflans, & sicut herba fullonis, sedebit enim conflans & emundans argentum, & excoquet ad purum scoriam eius & purgabit filios Leui. Quicquid enim illis adhæserit correctione dignum, amouebit ab eis in illa die Dominus per ignem. 2. *Aug ep. 88* *Isaiæ 13.*

Ignis conflagrationis, *ante eum præcedet*, ante faciem enim eius ignis vorans, inquit Ioël, *Et inflammabit in circuitu inimicos eius*, quia lata à iudice sententia, ignis hic in mundum immissus, exuret terram & quæ in ea sunt opera, & simul inuoluet impios, eosque hoc igne in mundo succensos deportabit in infernum. Id enim probari videtur per verba Domini; Ignis succensus est in furore, siue die furoris mei, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Quomodo autem id verum erit si non ignis hic in mundo 3. *Deuter. 32*

inflam-

inflammauerit impios eisque in infernum vsque adhæserit? Hæc autem Dei per Moysen verba de igne conflagrationis intelligenda esse, probant illa quæ ibidem sequuntur quæ dicũt: Deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet, hoc enim per ignem conflagrationis futurũ esse notorium est. Ignem autem hunc quamuis prius velut clibanus exarserit, non tamen nisi post latã iudicis sententiam mũdum inflammaturum Ioël testari videtur, cùm verbis prius citatis subiungit: Post eum, iudicem videlicet, exurens flamma. vt proinde D. Augustinus non male opinatus sit, mundi conflagrationem futuram post iudicis sententiam. Paulò vero prius quam iudex ipse appareat,

De Ciu. Dei li. 20. c. 30

4. *Alluxerunt fulgura eius*, de quibus Sapient. 5. Ibunt directè emissiones fulgurum, & à benè curuato arcu nubium exterminabuntur. i. à nube, tanquam à termino à quo, emittẽtur, & ad certum locum insilient, vt etiam Zachar. testatur c. 9. Exibit, vt fulgur iaculum eius. *Orbi terræ*. Perstringent enim fulgura hæc totum orbem terrarum, quia sicut fulgur exit ab oriente & paret vsque in occidentem, sic erit aduentus filij hominis. *Vidit*, Non enim poterit aliquis terrorem horum fulgurum euadere, aut se ab illis abscondere. *Et* timore horribili *commota est terra*. i. omnes inhabitantes terram: idque à facie formidinis Domini, inquit Isaias, & à gloria maiestatis eius cùm surrexerit percutere terram. Supra quidem Psal. 76. huiusmodi Psalmi verba de miraculis Apostolorum exposuimus, hic verò ad literam, quia non oportet quæuis scripturarum loca metaphoricè exponere.

Isaia 2.

5. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini*, quia à præsentia iudicis vel aduentus eius, montes per terræmotus magnos quos Euangelium futuros esse dicit, per loca defluxerunt, vt æquaretur tota superficies terræ, sicut scriptum est Apocal. 16. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti. *A facie Domini omnis terra*. Quidam contendunt legendum esse, *à facie Domini omnis terræ*, sicut & alibi dicitur, Deus tuus Dominus vniuersæ terræ vocabitur. Potest tamen & vulgata lectio suum vsum habere vt cùm dicitur, A facie *Domini omnis terra*, per id idem insinuetur quod habet Apocal. c. 20. A cuius conspectu fugit terra secundum pristinam speciem. Nihil tamen vetat [*montes*] hoc loco metaphoricè accipi pro dæmonibus. Hi enim adueniente iudice siue *à facie* eius *sicut cera*. i. tanquam nihil virtutis habentes, è media regione aëris, in qua vsque ad id tempus versati fuerint, in infernum defluent, sicut dicit Isaias; Et omnis militia cælorum. i. spiritualia nequitiæ in cælestibus, contra quæ nobis hic est colluctatio, defluet sicut defluit folium de vinea aut de ficu. Quos enim Deus à lapsu rudentibus è cælo detraxit, tum in tartarum tradet cruciandos.

Isaia 24.

6. *Annunciauerunt cæli iustitiam eius*. i. sancti eius, cæli dicti, quia cõuersatio

ſatio eorum hic in cælis fuit, Vel, quia obuiam Chriſto in aëra rapti, in aëre iudicium videbunt & excipient; vt quia aër in ſcripturis ſacris non ſemel cælum dicitur, & hi à loco in quo tunc ſtabunt cæli dicantur, ſicut aues quæ in cælo ſiue aëre volant, dicuntur volucres cæli. Hi ergo *annunciauerunt iuſtitiam eius.* i. euidentia rei conuicti, prædicauerunt iuſtitiam iudicis, mutuum de iudicis iuſtitia iudicium iudicij ſui concordia confortando. *Et viderunt omnes populi*, ſiue vt Ioannes dicit, Omnis oculus, imo & qui illum pupugerũt *gloriam eius*, Videbunt enim eum venientem cum poteſtate magna, inquit Lucas, & maieſtate.

Confundantur. i. confundentur tunc *omnes qui adorant ſculptilia*. In illo enim die homo idololatra Chriſtum verum Deum præ oculis ſuis conſpicatus, & à veritatis manifeſtatione de priſtina ſua amẽtia confuſus, non odio iniquitatis, ſed publicę confuſionis & dedecoris quod incurrit, Proijciet, inquit Iſaias. i. deteſtabitur, idola argenti ſui & ſimulachra auri ſui quæ fecerat ſibi vt adoraret talpas & veſpertiliones. *Et qui gloriantur*. i. ſibi gratulantur *in ſimulachris ſuis*. q.d. qui ſe felices prædicare ſolent, quibus tales, tanti, & tam benefici dij obtigerint, quales videntur fuiſſe, qui apud Danielem de parta victoria à filijs Iſrael laudabant deos ſuos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneos & lapideos. 7. *Iſaiæ 2.*

Adorate eum omnes angeli eius. Apoſtolus interpretatur hoc præceptum locum habuiſſe, cùm Deus iterum, inquit, introduceret primogenitum in orbem terræ. Hoc autem de die iudicij intelligendum eſſe videtur, in hoc enim die Deus primogenitum, quem per natiuitatem ex beata Virgine ſemel introduxerat in orbem terrarum, iterum introduxit in orbem terrarum, in ſpecie viſibili & ſolemni, Quanquam dubitandum non ſit, quin Angeli eum iam à principio aſſumptæ ab eo humanæ naturæ cultu latriæ adorauerint, non quidem vt parem in pari corpore (non enim humanitas Chriſti per ſubſiſtentiam in diuina hypoſtaſi accepit æqualitatem & dignitatem diuinitatis, vt docet Cyrill.) ſed vt Deum, inquit Athanaſius, in ſeruili ſchemate; Nec mirandum eſt hoc ad diem iudicij referri, veniet enim filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo, qui eum vt creatorem ſuum, ob quod hic *angeli eius* dicuntur, coram toto mundo adorabunt. Sunt tamen quidam qui dictionem [iterum] qua vtitur Apoſtolus, nõ conſtruant cum verbo [introduxit] ſed cum coniunctiuo [Et] Ac ſi diceretur: Et iterum, cùm introducit primogenitũ in orbem terræ. Ego tamen arbitror conſtructionem quam nos fecimus probabiliorem eſſe, eo quod ordo verborum in ſcripturis ſacris, authore Hieron. myſterium ſit; & proinde locum hunc de die iudicij propriè intelligendum eſſe. *Audiuit* vocem illam iudicis, Venite benedicti, *&* *lætata eſt Sion*. i. 8. *Cyr. de inc. Vnig. c. 26* *Atha epiſt. ad Adelph.*

Ecclesia Sanctorum, lætitia inenarrabili & glorificata reportans finem fidei suæ salutem animarum.

9. *Et exultauerunt filiæ Iudæ*. i. filiæ confessionis, quæ in confessione diuinorum iudiciorum diuinæ gratiæ, propriæ culpæ, inopiæ, infirmitatis & similium, quasi educatæ sunt. *Exultauerunt*, inquam, *propter iudicia tua Domine*. Dicent enim Alleluia, laus & gloria & virtus Deo nostro est, quia vera & iusta iudicia eius sunt. *Exultauerunt* quoque,

10. *Quoniam tu Dominus altißimus super omnem terram*. i. quod tu Christe præualueris terræ siue terrenis hominibus ac peccatoribus omnibus, illis sub pedibus tuis, gloriæ, authoritatis ac potestatis tuæ manifestatione, subiectis. Et quod, *Nimis exaltatus es super omnes deos*, quia in hoc iudicio etiam sanctos, quibus tunc, vt in Psal. 81. exposuimus, dices, Ego dixi, dij estis & filij excelsi omnes, iudicabis, eisque filij Dei dignitate & suprema iudicandi authoritate incomparabiliter maior omnium oculis apparebis, ita vt præ celsitudinis tuæ excellentia dixerit de te Isaias: Exaltabitur Dominus in die illa solus. Hac ergo de causa etiam *exultauerunt filiæ Iudæ*: Cùm enim diligant te, qua ratione committere possent vt non de tuæ gloriæ & sublimitatis manifestatione inprimis gauderent? Psaltes verò sollicitus, vt iusti diem extremi iudicij sibi felicem, quod sine perseuerantia fieri non potest, experiantur, suggerit iis perseuerantiæ præsidia, & dicit:

11. *Qui diligitis Dominum, odite*. i. auersemini, exhorrescite *malum*, ne alioqui securis & otiosis, vt in Psal. 35. ex Ambros. diximus, affectibus, blanda quædam voluptatum conciliatrix obrepat illecebra. Quod enim iusti in peccata labantur, ex eo ferè originem habet, quod malum, iudicio quidem improbent, sed affectu nõ satis exhorreant nec detestentur. Cùm verò odiũ hoc ad perseuerantiam neutiquam sufficiat, addit Psaltes. Protectione gratiæ suæ *custodit Dominus animas sanctorum suorum*, vt quisquis id audit, ad Domini (qui hic dicitur custodire animas sanctorum suorum ad significandum quod ad id pronus sit) protectionem in suam perseuerantiam confugiat. In die verò iudicij *de manu*. i. potestate, importunitate, scandalis *peccatoris liberabit eos*. separando sanctos suos à permixtione malorũ. Qua separatione facta,

12. *Lux orta est iusto*, quia iustitia eorum quæ in hac vita occulta fuit, & latuit, vel saltem suum non habuit splendorem, ibi lucem & claritatem suam accepit, Ibi enim impletur quod Psal. 36. Psaltes expectandum esse dixit: Educet quasi lumen iustitiam tuam & iudicium tuum tanquam meridiem.
Isaiæ 58. De qua re & Isaias: Si effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris (quæ verisimiliter sunt illa caligo, de qua in principio Psalmi) lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies (quia fulgebit ibi

bit ibi ſanctorum iuſtitia vt meridies) & requiem dabit tibi Dominus ſemper & implebit ſplendoribus (qui ſunt ſplendores ſanctorum, de quibus Pſal. 109.) animam tuam. Ad quam ſanctorum, poſtquam à malis fuerint ſeparati, glorificationem, Dominus, authore Auguſt. reſpexit cum egreſſo proditore, & ſolis cum eo ſanctis remanentibus, exclamaret. Nunc clarificatus eſt filius hominis & Deus clarificatus eſt in eo. Separatione enim malorum à ſanctis facta, filius hominis in omnibus ſuis membris claritatem meridianam induet & accipiet, & ſuam claritatem pleniſsimè manifeſtabit. *Et rectis corde*, Quos Pſaltes iuſtos dixerat, nunc vocat rectos corde, vt ſciamus iuſtitiam in rectitudine cordis poſitam eſſe, & rectitudinem cordis veram eſſe iuſtitiam. His ergo *orta eſt lætitia*, illa, de qua Dominus: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Cùm ergo illud gaudium plenum, beatum, ſecurum vobis obortum fuerit,

Tract. 63. in Ioan.

Lætamini (exclamat Pſaltes ad beatos per apoſtrophen) *iuſti in Domino*, quaſi congratulando eis cũ admiratione dicat, Profectò verum eſt gaudium, veraque lætitia qua vos, ô iuſti, in conſpectu & præſentia Domini perfruimini. *Et confitemini memoriæ ſanctificationis eius.* i. in illa beatitudine ad memoriam reuocãtes totam per ſingulas partes ſanctificationem qua Deus vos è peccatis ad iuſtitiam, de virtute in virtutem huius vitę tempore per gratiam ſuam prouexit, perduxit, conſeruauit; eandem ſanctificationis eius gratiam confeſsione laudis & gratiarum actionis ibidem confitemini ei; Et dicitis Agno, Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu lingua & populo & natione. Et iterum; Regnauit Dominus Deus noſter omnipotens, Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi (tempore prioris ſæculi) vt cooperiat ſe byſsino ſplendenti & candido. Byſsinum autem iuſtificationes ſunt ſanctorum. His enim verbis confitentur ibidem iuſti memoriæ ſanctificationis, qua à Deo in hoc ſæculo ſanctificati ſunt. 13.

PSALMVS XCVII.
Pſalmus ipſi Dauid.

IN hoc Pſalmo canticum eſt ſiue gratiarum actio, quod Deus poſtquam plenitudo gentium intrauit, ad Iſraëlem reuerſus, eundem longo poſtliminio ad Eccleſiam veramq; ſalutem aggregauerit, & ſic omnis Iſraël Dei tam ex gentibus quàm ex Iudæis ſaluus factus ſit: Qui ſic habet.

Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Inter quæ primum eſt, 1.

2. *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* i. Christus qui secundum diuinitatem dextera & brachium Patris est, genus humanum sibi reconciliauit: Sicut scriptum est, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, quo significatur, Christum, in quo Deus erat, nos sibi ipsi totique simul SS. Trinitati reconciliasse. Mirabile enim est, & quod hominem, vt ex Athanasio in Psal. 67. in re simili citauimus, attonitum reddat quod idem sit mediator, & simul is ad quem placandum mediator ordinatur. Hoc tamen non pugnat cum ratione iustitiæ, tametsi enim hæc ad alterum sit, & inter duo consistere debeat, non tameu necesse est duo hæc supposito distingui, sufficit enim quod ordine, vt videlicet vnum sit superius, inferius alterum. Nam & Philosophus teste D. Thoma, fatetur quod hominis ad seipsum quædam sit iustitia, cum concupiscibilis & irascibilis obediunt rationi. Si ergo hominis; cur non magis Christi ad seipsum est iustitia, præsertim cum inferius quod in Christo consideratur, à superiore, non solius potētiæ, sed naturæ ordine longissimè distet. Porrò D. Athanasius notat hic dici, *saluauit sibi dextera eius*, non autem, Saluauit se dextera eius; quia Verbum, vtpotè increatum, nullum salutis suæ augmentum merito suæ passionis accepit.

3 p. quæst. 20 art 2. ad 3.

Atha circa finē epist. ad Epict.

3. *Notum fecit Dominus.* i. in notitiam hominū deuenire fecit Dominus, *Salutare suum.* i. Christum salutis auctorem. *In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.* i. vna cum reuelatione Christi sui, reuelauit etiam iustitiam suam ex fide Christi qua iustificat impium; hac ratione implens Isaiæ votū quo dixerat: Rorate cæli desuper & nubes pluant iustum, & iustitia oriatur simul. Id autem, *In conspectu gentium.* quia reuelatio harum rerum in gentibus prius agnita est, ac obtinuit. Circa quæ verba nobis obseruare datur Psaltem vnum fuisse ex illis Prophetis, quibus teste Apostolo reuelatum est in spiritu, gentes esse cohæredes, & cōcorporales, & comparticipes promissionum Dei in Christo. Vbi verò plenitudo gentium intrauit,

4. *Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel.* i. tum demum Iudæis promissam, sed diu dilatam, & intermedio tempore quasi obliuioni traditam misericordiam exhibuit. Consimili verbo B. Virgo in suo cantico misericordiam Iudæis postliminiò præstandam prophetās; Suscepit inquit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Recordatus, inquit, id est, quasi post longa obliuia, Iudæorum tandem memor factus. Ingressa autem plenitudine gentium, & Iudæis ad gentium plenitudinem adiunctis,

5. *Viderunt omnes termini terræ, salutare Dei nostri.* q. d. tunc verum erit dicere, quod Euangelium in vniuerso mundo prædicatum sit, & in singulis eius partibus aliqui salutis per Euangelium sint participes. Quod quia

quia magni gaudij argumentum atque materiam suppeditat;

Iubilate Domino omnis terra: cantate & exultate & psallite. 6.

Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi: in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ. In quibus verbis quod hæc quatuor verba gaudiũ significantia, *Iubilate, Cantate, Exultate & Psallite,* coaccruat; indicat quàm mirabiliter, inquit Gregorius, & ineffabiliter gaudendum sit. Celebritatem quoque gaudij insinuare gestiens, instrumenta eius enumerat, & dicit: *Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.* Hæc Gregorius. Ambrosius interim vocem tubæ corneæ metaphoricè interpretatur, dicens vocem tubæ corneæ esse sermonem virtutis mirabilis, quæ bonos milites Christi accendit in prælium vt de hoste diabolo manubias reportent. Et quandoquidem post cõuersionem totius orbis sequitur extremum iudicium, subiungit hîc iterum Psaltes quædam quæ eò pertinent, & dicit: 7.

Greg in 1. Reg. cap 2.

Amb. c. 11 de bened. pat.

Iubilate in conspectu Regis Domini. i. in præsentia Iudicis Christi & coram eo gaudium cordis vestri O Sancti expromite. *Moueatur mare & plenitudo eius*; eo motu cuius terminus sit, id quod dicit Apocalypsis, Mare iam non est. *Orbis terrarum*, moueatur terræ motu illo magno de quo Dominus: terræmotus erunt per loca. *Et qui habitant in eo*, moueantur; mali quidem metu & timore; Boni verò exsultatione ad proximum spei suæ fructum. 8.

Flumina plaudent manu, Necesse est hic esse metaphoram, aut in dictione, *Flumina*, aut in dictione, *Manu*, aut, quod nobis magis verisimile videtur, in vtrâque: Itaque *flumina*, de quibus Psalmo 92. dictum est, quod eleuarint vocem suam & fluctus suos, *plaudent manu*, Venientes & portantes manipulos suos, & offerentes Iudici complures, & quidam ex illis innumeros, quos Christo genuerunt & educauerunt. Hos autem in solenne illud iudicium in conspectum Iudicis & omnium sanctorum eius cum sublimi triumpho proferre, nunquid non verè erit manu plaudere? *Simul montes.* i. qui vita contemplatiua sublimes fuerunt, sed vt comparatione Liæ Rachel, filijs quos in Christo genuerint non admodum copiosi, *exsultabunt.* i. præ lætitia quasi extra semetipsos exsilient. *A conspectu Domini.* i. viso Domino, *Quoniam venit* in extremo iudicio, *Iudicare terram.* Qua iudicij lege! 9.

Iudicabit orbem terrarum in iustitia. Vniuersis enim retribuet quod iustum est; Et ne iustitia hæc erga Sanctos nimis præcisa videatur, aut erga impios nimis rigida, addit Psaltes, *Et populos in æquitate.* Æquitate enim sua temperabit iustitiæ rigorem, vt boni suprà, mali verò infra quàm merentur accipiant. 10.

PSALMVS XCVIII.

Psalmus ipsi Dauid.

DOcet Psalmus, Deum vt Patris bonitate amandum, ita iudicis seueritate metuendum esse; idque ab exemplo multiplicis vindictæ quam Deus in peccatores tempore veteris testamenti exercuit, vsqueadeò vt ne sanctissimos quidem sibiq; admodum familiares illius temporis sacerdotes, vbi id merebantur, abire permiserit impunè.

1. *Dominus regnauit.* i. thronum regni sui ad dexteram Patris conscendit. *Irascantur populi.* i. futurum est vt irascantur populi. Vel, esto, irascantur populi, id Domino regnante nobis magnoperè curandum non erit. *Qui sedes super Cherubin.* i. Tu Domine qui thronum tuũ eleuasti super omnem Angelicarum potestatum sublimitatem, Quod vt faceres Psal. 17. dictus es ascendisse super Cherubin & volasse; *Moueatur terra.* i. esto ad persecutionem moueatur terra, id enim magnoperè reformidandum non erit, quia spes eò introeundi, quò præcessisti & præcedendo viam & aditum nobis initiasti, ad tolerantiam persecutionum nos animabit facietque nos reportare de persecutore victoriam. Propter quod & Christus pro membris suis ad Patrẽ dicit in libro Iob: Libera me Domine, & pone me iuxta te. i. in throno dexteræ tuæ, & cuiúsvis manus pugnet cõtra me. i. oppugnet Ecclesiam meam. Postquam enim Christus ad dexteram Patris sui consedit, spe adipiscendi regni tui Ecclesia nullam pugnam detrectabit.

2. *Dominus in Sion.* i. Ecclesia *magnus*, quia postquam ascendit, magnitudo eius credita & cognita est in Ecclesia. *Et excelsus super omnes populos*, quia excelsam atque sublimem in omnes populos potestatem obtinuit, vt eos aut per correctionem aut per vindictam sibi subijciat. Cùm enim iuxta vaticinium Danielis in nubibus cæli, quasi filius hominis vsque ad antiquũ dierum in sua, Cyrillo teste, ascẽsione peruenisset; dedit ei antiquus dierum potestatẽ, honorem & regnũ, vt omnes populi, tribus & linguæ seruiant ei. *Cyr. epist. 1*

3. *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctũ est.* i. Confiteantur quod de te prædicatur, videlicet, quod tu terribilis sis ob seueritatem qua vlcisceris in peccatores, & sanctus, ob gratiam qua sanctificas impios. Vtrumque autem de Deo prædicandum eique confitendum esse vaticinatur Psaltes, hoc vaticinio occurrens errori eorum, de quibus scribit Irenæus, quod prædicantes quanta Deus fecisset eis qui eum venientem in mundum receperunt, tacuerunt de iudicio eius, & silentio presserunt quæcunque prouenient his qui audierunt sermones eius, & non fecerunt. Hi enim prædicabant & laudari faciebant nomen Domini, quoniam sanctum est, non autem quoniam terribile. *Et honor regis iudicium diligit.* *Li. 3. c. 46.*

diligit. i. requirit honor Dei, vt vindicentur peccata. Quod benè perſpectum habuit Tertull. quia dicit: Deus iuſtitiæ ſibi chariſsimæ exigendæ tuendæque præſidet; Et, Pœnitens exomologeſin (i. diſciplinam placandi Deũ cuius vna pars, ſui, quam vocat Apoſtolus, vindicta eſt) ſuſcipiens, de periculi ſui timore Deum honorat. Honoratur enim Deus, dum vt Patris pietate diligendus, ita iudicis ſeueritate metuendus creditur; Et præcipuè cum pro eius qui placandus eſt dignitate, magna vindicta ſuſcipitur. Ad perſuadendum autem hominibus noui teſtamenti quod Deus diligat iudicium, ſubdit Pſaltes: Tert. de pænitent ca 2. & 9.

Tu paraſti directiones, iudicium & iuſtitiam in Iacob tu feciſti. i. In 4.
gentem illam quæ ex Iacob ſecundum carnem deſcendit, ſæpè olim iuſtam exercuiſti vindictam, & tuæ ſeueritatis quædam exempla edidiſti, & in eo ſignum ſeueritatis quam tempore noui teſtamenti in præuaricatores exerceres præparaſti ſiue præordinaſti: Per id enim teſtificabaris, & populo noui teſtamenti conijciendum relinquebas, quam terribile iudicium & acerbum ſupplicium maneret illos qui in nouo teſtamento mandata tua præuaricarentur. Omnia enim illius temporis iudicia omníſque vindicta, vt manifeſtè docet Apoſtolus, in figura cõtingebant illis, quia vt docet Irenæus, illi puniebantur typicè, temporaliter, & mediocrius, in figuram quod nos puniremur verè, ſemper & auſterius ſi præuaricaremur. Quocirca etiam Apoſtolus: Irritam quis faciẽs legem Moyſi ſub duobus aut tribus teſtibus ſine vlla miſeratione moritur. Quanto putas deteriora mereri ſupplicia qui filium Dei cõculcarit, & ſanguinẽ teſtamenti pollutum duxerit in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit mihi vindictam & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Sic ergo ex iudicio & iuſtitia, quam exercuit Deus in Iacob, parauit nobis directiones, ſiue direxit nos ad colligendum, quod voluntariè peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, relinquitur terribilis quædam exſpectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ conſumptura eſt aduerſarios. 1. Cor. 10. Li. 4. c. 47. Ad Heb. 10

Exaltate Dominum Deum noſtrum. i. ad cognoſcendam & notifican- 5.
dam diuinitatem ſedentis in dextera Patris mentes veſtras meditando, & voces veſtras prædicando extollite. Ipſe enim exaltatur à nobis cum exaltatur in nobis. *Et adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt*. Apud Iſaiam terra dicitur ſcabellum pedum Domini: Hoc itaque loco ſcabelli nomine corpus Chriſti intelligendum eſſe eruditè deducit D. Ambroſius; tum quia corpus Chriſti in protoplaſto, ex cuius ſemine deſcendit, de terra ſumptum atque terrenum eſt, tum quia corpus Chriſti, atque adeo tota eius humanitas diuinitati etiam in cæleſti gloria ſubiectum eſt, Tunc enim 3. de Spiritu ſan. c. 12

& ipſe

& ipse filius subiectus erit ei qui sibi subiecit omnia, inquit beatus Apostolus. Idque quia humana Christi natura ibi non conuertetur in diuinitatem, sed permanebit in propria substantia, & per id Deo subiecta, inquit Augustinus. Imo tametsi scabellum pedum Domini præcisè corpus Christi, eò quod solum corpus hominis sit è terra formatum, significet; eo tamē nomine hoc loco tota Christi humanitas nobis intelligēda venit, ea intelligendi ratione qua subinde à parte intelligimus totū: quæ peculiari ratione dicitur scabellum pedū Domini, quia in ea velut vestigia quædam diuinitatis expressa, & vias quasdam verbi cælestis, inquit D. Ambrosius, aduertimus, sicut scriptum est: Ponet in via gressus suos. Hic enim admonemur scabellum pedum Domini adorare; Adoratio autem per se & absolutè non defertur, nisi substantiæ intellectuali. Cùm enim adorans vna cum exhibitione reuerentiæ, sui, erga eius quem adorat excellentiam, profiteatur subiectionem; adoratio simpliciter non potest nisi substantiæ intellectuali deferri, quia huic soli dominium super creaturam rationalem adorantem potest competere. Dico per se & absolutè, quia contingit res inanimas vt statuas, imagines, vestes, reliquias & similia, externorum rituum, v.g. osculorum, genuflexionum, amplexationum & similium, quibus vtuntur extrinsecus adorantes, vt doctissimè docet Tarasius Episcopus, participes fieri. Externorum dico rituum; Adoratio enim qua cuipiam excellenti cum recognitione subiectionis debita reuerentia defertur, non defertur nisi substantiæ intellectuali, quæ, vt dictum est, creaturis rationalibus sola præferri potest. His tamen non obstat, quo minus statuæ, imagines, reliquiæ & similia propter honorem qui per adorationem ad eorum principalia refertur, absolutè in pretio habeantur, & vt loquitur Concil. Constantinop. deriuatiuè honorentur, Deriuatiuè, inquit, quia non exhibetur his rebus omne id quod ad rationē honoris pertinet, sed aliquid ipsis congruū quod à ratione honoris deciditur & ipsis defertur. Ad plenam siquidem rationem honoris pertinet reuerentia cum eius qui reuerentiam defert subiectione, Qui autem res has inanimes veneratur, aliquid eis defert honoris & reuerentiæ ex eo quod eas in pretio habeat, osculetur, & id genus honorificentia afficiat; sui tamen subiectionem quæ in honorificatione primarium tenet locum, huiusmodi rebus neutiquam defert. Vt autem ad expositionem Psalmi redeamus, Psalmo 96. dictum est: Et adorent eum omnes angeli eius, quia vt ibi exposuimus oportet Angelos adorare Deum in carne, non vt parem in pari corpore sed vt Deum in seruili schemate; hic verò dicitur etiam ipsum scabellum pedum Domini, siue ipsum hominem adorandum esse, idque, vt insinuetur nobis id quod docuit Leo, & Verbum in homine & hominem in Verbo adorandum esse. Verbum quidem in homine adora-

Aug cont. ser. Arria. cap. 38.

Ambr loco præall.

Tar. Episc. ad Impp. ex Côc. 7. Nic.

Con. Const. 8 cap. 3.

Ser. 10. de Nat. Dom.

adoratione soli Deo debita quam vocamus latriæ; hominem verò in Verbo adoratione, quæ quadam consideratione siue materialiter sit duliæ. Dico quadam consideratione siue materialiter, eo quod simpliciter & absolutè duliæ nõ sit. Adoratio enim propriè fit supposito, Christus autem homo in supposito diuino subsistit. Præterea, Adoratio pro obiecto personæ excellentiam respicit, omnia autẽ quæ in Christo humanæ naturæ sunt, ex consortio diuini suppositi infinitam quandam excellentiam sortiuntur & induunt; Oportet itaque adorationem quæ Christo vt homini defertur materialiter esse adorationem duliæ, quia Christus secundum humanam naturam creatura est, quia tamen simul creator est, oportet eidem adorationi adorationem latriæ adiungere, & reuerentiam humanæ Christi naturæ debitam eidem vt Deo deferre. His modis Magi Christum adorauerunt & venerati sunt. Adoratione quidem quæ purè & simpliciter est latriæ in oblatione thuris, adoratione verò quæ saltem materialiter est duliæ per oblationem mirrhæ, quæ si simpliciter duliæ fuisset, non fuisset legitima adoratio, quia excellentiam illius hominis qui erat Deus, debita veneratione non affecisset. Quæ cùm ita sint, quod Concilium Ephesinum præfinit Christum vnica adoratione adorãdum esse, dupliciter, vt loquimur, verificatur. Vno modo, quia oportet nos Christum non seorsim vt Deum & seorsim vt hominem adorare, sed vno actu vt Deum & hominem, siue vt Leo paulò ante dixit, Deum in homine & hominem in Deo. Quæ verificatio intentioni Concilij accommodatissima est. Alio modo, quia adoratio quæ Christo debetur, vnius speciei est, latriæ scilicet. Ipsa enim duliæ adoratio, cum Christo secundum hominem, prout oportet, defertur, in latriæ debet transire consortium, eiusque sibi adiunctam habere perfectionem. Porro præsens Psaltis exhortatio nobis non eò solum referenda est, vt secundum humanam naturam adoremus sedentem in dextera Patris; sed etiam vt adoremus in sacramento Eucharistiæ præsentem sub specie panis. Dicit namque Ambrosius. Per scabellum terra intelligatur, per terram caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus. Cur enim adorandus erit Christus, sedens in throno, & non erit adorandus latens in sacramento? An quia externa sacramentorum species dignitati Christi non est satis consentanea? esto. Id autem est dignationis; Et ego arbitrabar dignationem studium adorandi prouocare debere & accendere, Tu verò causa dignationis non adorando, dignationi Christi rependes improbitatem? Cæterum, si contumelia præsepis & stabuli non deterruit Magos, quo minus adorarent Christum mortalem in infantilibus pannis, multò minus angustia sacrarij deterrere debet Christianos ne adorent Christum immortalem sub specie panis. Christum enim in quacunque demum specie semet-

Loco præallegato.

ipſum exhibuerit adorandum eſſe, probant exempla eorum qui cum eo in carne vixerunt. Nam Magi adorauerunt eum infantem, leproſus & homo ille qui à natiuitate fuerat cæcus, miraculis coruſcantem, latro in cruce pendentem, diſcipuli gaudentem immortalitate: In omni enim externæ ſpeciei varietate vnus eſt & idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus; Si Dominus, arbitrari ergo debemus illi nobis exhibendum eſſe quod ſcriptum eſt, Dominum Deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies. Sed hoc verſiculo interpoſito redit Pſaltes ad propoſitũ & per exempla declarat Deum vſque adeo amaſſe iudicium, vt nec ſanctiſsimis quibuſque, vbi res id poſtulabat, pepercerit; Idque ne quis præ confidentia quaſi eximiæ cuiuſdam ſanctitatis arbitretur impunè abire, ſi peccauerit, vel negligat vindicta de ſuis peccatis expetita, Dei flagella præuenire. Dicit itaque:

6. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius.* Hic Pſalmus, inquit Auguſt. nõ
Queſt 23 in Leuitic. finit nos dubitare quin Moyſes ſacerdos fuerit. Eo tamen non obſtante dicitur ſummum ſacerdotium ab Aaron cepiſſe, quia Aaron, inquit, ſummus ſacerdos fuit propter veſtem ſacerdotalem, Moyſes verò propter excellen-
Dion. Areo. eccl hierar. cap. 5 p. 3. tius miniſterium; Quod miniſterium Dionyſ. Areopagita in eo poſitum fuiſſe, dicit, quod Moyſes Aaron in ſummum ſacerdotem ordinarit. Conſecrationis, inquit, munus & ritum (in quo ritu etiã cuiuſdam ſacrificij oblatio comprehenditur) Moyſes circa Aaron vt Pontifex executus eſt. Cui
Epiſt. 82. conſonat etiam Ambroſius appellans Moyſen ſacerdotẽ ex eo quod Eleazarum Pontificem conſecrauerit; quo exemplo aſſerit nos doceri ſacerdotem à ſacerdote conſecrari debere. *Et Samuel inter eos qui inuocãt nomen*
Hier. aduerſus Iouin. cap 13. *eius.* D. Hieronymus arbitratur iſtud hîc de Samuele diſtinctionis gratia dici, quaſi per hæc inſinuetur Samuelem ſacerdotem non fuiſſe. Cùm ta-
Aug. 17. de Ciuit. Dei, ca. 4. & 5. men Samuel legatur ſacrificium obtuliſſe, & D. Auguſt. aſſerat eũdem Heli ſacerdoti ſucceſsiſſe, ſimulque functum fuiſſe officio ſacerdotis & iudicis, magis veriſimile apparet etiam Samuelem fuiſſe ſacerdotem. Cui ſententiæ non obſtat quod dicitur Samuel non fuiſſe de filijs Aaron, voluit namque Deus, ſacerdotem extra ſtirpem ordinariam conſtituendo præſagire quod ſacerdotium Aaronicum ad aliam aliquando ſtirpem, imo gentem transferendum eſſet. Proinde quod hic dicitur, *Samuel inter eos qui inuocant nomen eius*, videtur non diſtinctionis cauſa eſſe dictum, ſed commẽdationis, quaſi voluerit ſcriptura de Samuele hic in medium adferre id cuius nomine quam maxime commendandus, & in pretio habendus exiſteret. Tametſi
Act. 9. enim per eos qui inuocant nomen Domini, tum in Actis Apoſtolorum ab
1. Corin 1. Anania, tum etiam ab Apoſtolo Paulo omnes promiſcuè fideles circumſcribantur: Inuocare tamen nomen Domini Samueli hoc loco, vt etiam D.
Hieron. in cap. 2. Ioel. Hieronymo viſum eſt, eminenter tribuitur, ad ſignificandum quod Samuel oratio-

orationibus atque inuocationibus ſuis (quæ inter cætera ad officium ſacerdotum pertinent) apud Deum quam plurimum valuerit. Dicebat proinde ad eum populus; Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt nō moriamur. Et ille ad eos, Abſit à me hoc peccatum vt ceſſem orare pro vobis. Sicut autem Samuel, ita etiam Moyſes & Aaron, non tam à poteſtate ſacrificandi, quæ etiam malis communis eſt, quàm à virtute inuocādi, in qua vel in primis merita eorum & iuſtitia relucēt, in conſequentibus commendantur. De quibus dicitur: 1. Reg 12.

Inuocabant Dominum. Moyſes quidem Exodi 34. cùm deſcendiſſet Dominus in montem. Ibi enim ſtetit cum eo inuocans nomen Domini; & alibi ſæpius. Aaron verò, inter cætera, cùm in nomine Domini benediceret populo. Cùm enim Dominus præſcriberet Aaron & filijs eius formulam benedictionis qua benedicerent populo, Inuocabunt, inquit, nomen meum ſuper filios Iſrael. *Et ipſe exaudiebat eos.* Hoc circa Moyſen impletum eſſe manifeſtè cognoſcimus ex Exodo, vbi ad eundem dicit Dominus: Et verbum iſtud quod locutus es faciam, Inueniſti enim gratiam coram me & teipſum noui ex nomine. Circa Aaron verò, ex loco Numerorum mox citato, vbi poſtquam dixit Dominus, Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, addit, Et ego benedicam eis: Quāquam Dominum Moyſen & Aaron ſæpius exaudiuiſſe, præſertim cum Aaron accepto ex præcepto Moyſi thuribulo inter viuos & mortuos ſtans deprecaretur, ſatis manifeſtum ſit. *In columna nubis loquebatur ad eos.* Id de Moyſe quidem teſtatur Exod. c. 33. Ingreſſo, inquit, Moyſe tabernaculum fœderis deſcendebat columna nubis & ſtabat ad oſtium, loquebaturque cum Moyſe, cernentibus vniuerſis quod columna nubis ſtaret ad oſtium tabernaculi. De Aaron verò idem teſtatur liber Numerorum. Cùm fuiſſent, inquit, Moyſes, Aaron & Maria ingreſsi tabernaculum fœderis, deſcendit Dominus in columna nubis & ſtetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam, & de columna nubis arguens ac inſtruens eos. Hoc autem Dominus Moyſi & Aaron in teſtimonium excellentis iuſtitiæ, Auguſtino teſte, conceſsit & præſtitit. Quod quidam arbitrantur etiam Samueli præſtitum fuiſſe, tametſi ſcriptum non ſit; ſed abſque fundamento; quia nihil hic apparet quo vrgeamur etiam Samuelem ſub hoc membro comprehendere, cum potius textus ipſe Moyſen & Aaron à Samuele ſeorſim nominando, tacitè inſinuet Samuelem nobis cum Moyſe & Aaron in omnibus quæ hic referuntur, comprehendendum non eſſe. Suſpicantur id & improbabiliter, nam tempore Samuelis columna nubis iam amplius Domino non erat in vſu, ita vt rem eo tempore valdè inuſitatam feciſſet Dominus, ſi tempore Samuelis in columna nubis voluiſſet apparere, ipſamque columnā ad colloquendum cum Samuele peculiari opere

7. Numer. 6. Exodi 33. 2. de pecca. meri. c. 16.

August loco mox citato. conficere. Quocirca & Augustin. alloquium Domini per columnam nubis, Moysi & Aaron solis, prærogatiuæ nomine, tribuit.

8. *Custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis.*

9. *Domine Deus noster tu exaudiebas eos.* Duo membra hæc sibi inuicem aptè connectuntur. Obseruantia enim diuinorum mandatorum aures Dei aperit precibus hominum. Ob id Tertull. Oremus, inquit, cum memoria præceptorum, ne quãtum à præceptis, tantum ab auribus Dei longè simus; Memoria præceptorum, orationibus viam sternit ad cælum. Hæc ille. Suspicor tamen Psalten hic iteratò dicere. *Deus tu exaudiebas eos* vt insinuet, etiam Samuelem, qui inter eos, de quibus id paulo ante dictum est comprehensus non fuit, in inuocationibus suis exauditum fuisse, vt testatur primus liber Regum, cap. 7. & 12. vt relatiuum [eos] promiscuè hic referat omnes illos, quorum nomina paulo antè expressa sunt. *Deus tu propitius fuisti eis.* Deus non dicitur propitius nisi peccatis, inquit August. quando dat veniã, tunc, inquit, dicitur propitius. His itaque verbis insinuatur mox dictos sanctos viros sic *custodiuisse testimonia Dei, & præcepta quæ dedit illis*, vt tamen contra eadem præcepta quædam peccata admiserint, Et omnibus sanctis sint, authore Augustino, argumento, quo sibi persuadere debeant se sine peccatis saltem venialibus non viuere. Quibus tamen peccatis non obstantibus, veraciter dicti sunt sancti isti *custodiuisse testimonia Dei, & præcepta quæ dedit illis*, vt ex ipso loquendi, quo scriptura vtitur, modo, nobis testatum reddatur, verè dixisse August. quod is dicatur custodire vias siue præcepta Domini, qui non sic exorbitat, vt eas relinquat, sed qui in eis currendo proficit, etiamsi aliquando vt infirmus offendat & titubet; proficit autem minuendo peccata donec perueniat vbi sine peccato sit. Qua autem quæso ratione fuit eis Deus propitius, Nunquid eorum peccata dissimulando? *Et vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* q.d. propitius eras eis per aspera quædam & aduersa piè (docet namque Concil. Trident. flagella à Domino immissa nobis proficere ad remissionem peccatorum, si à nobis piè tolerentur) ab eis, atque cum compunctione cordis & diuinæ iustitiæ confessione, tolerata, expiando eorum peccata; quæ hic adinuentiones dicuntur, quia ab eis ipsis non secundum normam diuinæ legis fuerant excogitata & adinuenta. Non pugnant autem inter se Dei propitiatio & vltio, Deus enim, inquit August. in filios damnationis vindicat iratus, in filios autem gratiæ vindicat propitius, flagellans omnem filium quem recipit, & quos diligit arguens & castigans. Itaque quod hic dicitur, *Propitius fuisti eis, & vlciscens, &c.* dupliciter exponi potest, vt sit sensus, Adhibitis flagellis eorum peccata expiando reddebaris eis propitius: vt proinde ex hac scriptura intelligamus peccata etiam non mortifera, quæ, à facili & multimoda obtinen-

Tertull de orat ca. 10

Aug in hũc locum.

2. de pecca. mer ca. 16

Aug de perfect. iustit.

2. de pecca. mer ca. 16.

obtinendæ veniæ ratione Venialia dicuntur, non dolore sterili, inquit August. sed adhibitis operibus misericordiæ, & etiam quibusdam vltionibus nobis expianda esse. Dicit enim Dominus in Apocal. Ego quos amo, arguo & castigo: Æmulare ergo. q d. Tu meo edoctus exemplo, similem in expiandis peccatis seueritatem in temetipsum exerce. Vel, *Propitius fuisti vlciscens*.i. præuiæ tuæ misericordiæ erat quod vlcisceceris in adinuentiones eorum; Illa enim vltio ex bona tua erga eos procedebat voluntate, qua volebas eos etiam ad remissionem peccatorũ venialium præparare & perducere, vt in oculis tuæ Maiestatis omni ex parte fierent mundi; Nec hæreret in eis peccati venialis lubricum, per quod tandem in grauiora deciderent. In hanc sententiam D. Bernardus hæc Psalmi verba intellexit, cùm dixit: Volo irascaris mihi pater misericordiarum, sed illa ira qua corrigis deuium, non qua extrudis de via. Illud tua nobis benigna animaduersio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cùm nescio, sed cùm sentio te iratum tunc maximè confido propitium. Etenim cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Deus*, inquit, *tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum*: Moysen alloquitur & Aaron atque Samuelem quos modo præmiserat, & hoc vocat propitiationem, quod eorũ Deus non pepercerit excessibus. Hæc Bernardus. Cùm ergo præallegati doctores & complures alij *adinuentiones*, de quibus psalmus, esse velint peccata prænominatorum sanctorum, illumque sensum propositum Psaltis planè requirat; quid est quod alij quidam has adinuentiones intelligant esse machinationes quas populus contra Moysen, Aaron & Samuelem conflauit? An vt ex tali interpretatione concludant doctrinam à Psaltis proposito alienam, qua persuadeant Deum sanctos suos, ne temporalibus quidem flagellis pro peccatis eorum attingere, sed contra aduersarios eorum, quod eis solatio esse non deberet, strennuè dimicare? Sed ad rem. Quasdam adinuentiones Moysi & Aaron scriptura expressit; inter quas vna fuit vtrique communis, quod v.g. apud aquas contradictionis Domino non crediderint vt sanctificarent eum coram filijs Israel. Altera Aaron fuit non Moysi, qua scilicet contra Moysen cum Maria sorore sua murmurauit. Samuelis verò adinuentiones, tametsi scriptura nullas expressit, non tamen nullas fuisse arbitrandum est. Nouerat enim, inquit August. Deus in Samuele aliquid esse quod purgaret: quia & quod perfectum iam videtur hominibus, diuinæ perfectioni adhuc imperfectum est. Pleraque faciunt artifices & ostendunt imperitis, & cùm iam iudicauerint imperiti esse perfecta, expoliunt illa artifices qui nouerunt quid illis adhuc desit, vt mirentur homines tantam expolitionem rebus accidisse, quas iam perfectas pronunciauerant. Fit hoc in ædificijs, in picturis, in vestibus, & propè in omni genere artiũ. Sic & sancti

Epist. 54.

Bern. serm. 42. in Cãt.

Aug. in hũc locum.

versabantur ante oculos Dei tanquam sine culpa, tāquam perfecti, tanquam angeli, nouerat autem quid illis deesset qui vindicabat in omnes affectiones eorum. Hæc August. Sed quo vindictæ genere? Moyses quidem & Aaron castigati sunt in eo quod non potuerint introducere populum Israel in terram promissionis: præter hoc autem Moyses, Aaron & Samuel promiscuè, teste Augustino, castigati sunt, quia quotidiè patiebantur populos contradicentes, inique viuentes: & inter illos viuere cogebantur quorum vitam quotidie reprehendebant. Hæc erat vindicta. Nondum proficit cui parua est. Tantum te enim torquet iniustitia aliena quantum recesseris à tua. Hæc August. Quæ cùm ita sint, concludit Psaltes propositū suum in hæc verba:

August. in hunc locum

10. *Exaltate Dominum Deum nostrum.* Ex his quę dicta sunt intellectu perspicientes quam nimis exaltatus sit Deus supra omnes deos, vt suo loco explicuimus. Vel, *Exaltate*. i. iustum & æmulatorem eum suspicite & prædicate. *Et adorate*. i. reueremini dictam eius altitudinem & iustitiam, & nolite indignis modis aduersus hæc & eiusmodi eius iudicia murmurare. *In monte sancto eius*. i. Ecclesia Dei viui ad quam accessistis Sion montem, inquit Apostolus, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestē, & multorum millium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis. *Quoniam sanctus Dominus Deus noster.* Sanctus inquam, in omnibus operibus & iustitijs suis, ac proinde in omnibus illis adorandus.

PSALMVS XCIX.

Psalmus in Confeßione.

QVod dicit titulus *in confeßione*, accipiendum est ac si diceret, In confessionem, præsertim cum ita legat Euthymius, quia ad confitendum siue laudandum Dominum Psalmus hic nos instruit & exhortatur.

1. *Iubilate Deo*. i. spiritu ac mente psallite, siue, supra quam verbis explicare possitis in gaudio mentis Deo concinite, *omnis terra*. i. ô filij Ecclesiæ, per vniuersam terram diffusæ. *seruite*. i. obsequimini *Domino* ac mandatis eius, *in lætitia*. i. mentis hilaritate ac animi deuotione. Hilarem enim datorem diligit Deus. Quod benè & ad propositum Psalmo inseritur, quia Dei seruitus cum lætitia ac diuinorum mandatorum hilaris obseruātia, est spirituale psalterium decem chordarum; sicut enim arte concinentium fila chordarum, inquit Ambrosius, ita conuenientium resonant opera canora virtutum. Resonant, inquam, cum confitentur Domino, ipsa opera sua, iisque perceptis excitatur mens hominis in laudes Dei eorum authoris.

Amb. in ps. 40. in fine.

2. *Introite in conspectu eius in exultatione*. i. ad laudandum Deum accedite

dite exultante siue exiliente animo. Quod erit, si homo ante tempus quo soluat Deo laudes, in præcordijs suis spiritum religionis acceperit, vt spiritus eius in ipso sit quasi ignis exæstuans in laudes Dei. Cuiusmodi spiritus erat in Isaia, cùm diceret, Spiritu meo in præcordijs meis de mane euigilabo ad te. Animus enim tali spiritu turgidus quasi parturiens festinat erumpere in laudes Dei. De hac re in Psalmũ 38. ad versum, Concaluit cor meum intra me, ex D. Bernardo nonnihil diximus.

Scitote.i.per rationem cognoscite, Id enim ad laudandum Deum multum vobis adferet incitamenti, *Quoniam Dominus ipse est Deus*. i.quod is 3.
ad cuius obsequium vos adhortor, sit verus Deus. Et quo id scire poterimus argumento? *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*. i. fecit nos sine nobis; quod in idem redit cum illis verbis Augustini, Creauit te sine te. Hoc autem est argumentum veræ diuinitatis; Is enim absolutè dicitur nos fecisse, qui fecit illa omnia, ex quibus facti sumus: Si omnia, & non est procedere in infinitum, ergo oportet eum illorum, ex quibus fecit nos, aliquid ex nihilo produxisse, quod est infinitæ virtutis, igitur quod ipse fecit nos & non ipsi nos, argumentum est veræ diuinitatis. D. Augustinus autem quamuis probet sensum quem dedimus, mauult tamen verba *ipse fecit nos & non ipsi nos*, cum sequentibus construere in hunc sensum, *Ipse fecit nos & non ipsi nos*, vt essemus *Ser. 19 de ver. Apost.*

Populus eius, & oues pascuæ eius. i. vt essemus fideles & alumni spiritus 4.
ac verbi eius. De qua expositione Augustino concedendum est, quod dicit sensum hunc priore vtiliorem esse, quia expositio hæc proponit nobis id quod ad fidei spectat pietatem: prior verò proponit solummodo quod spectat ad creationem. Videtur nihilominus hæc Augustini expositio verbis textus non per omnia conuenire. Nam de sola iustificatione in baptismo prima ætate percepto in sensu spirituali dicere possumus, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*: Illa enim iustificatio dum adhuc paruuli sumus, per omnia infunditur nobis, sine nobis. De iustificatione verò qua adulti iustificamur, siue eius initium spectes siue incrementum, dicimus quidem, *ipse fecit nos*, Deus enim est qui iustificat, sed non dicimus, *ipse fecit nos, & non ipsi nos*, quia tametsi Deus nobis adultis, & quidem sine nobis quædam bona inspiret, lumen offundat, boniq́ue quandam inserat & excitet cupiditatem, nihil tamen eorum iustificationis accipit rationem, si non consentiendo illa receperimus, siue illis volendo fuerimus cooperati. Quapropter si verũ dicere volumus, vt essemus populus eius & oues pascuæ eius, ipse fecit nos, & nos ipsi nos: Bonum enim quo adulti boni sumus, & à quo boni esse dicimur, propter cooperationem liberi arbitrij dici potest aut debet aliquantum esse ex nobis, vt ex epist. 143. Augustini in Psalmũ 17. diximus. Conuenientior itaque

itaque ſenſus eſt, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*, vt homines eſſemus, vt hoc verſiculo admoneamur exultare Deo creatori noſtro. Attamen quod Auguſt. ex dicta verborum conſtructione nobis commendatum eſſe voluit, ſatis conuenienter ex ſequenti verſu per ſe poſito elicitur, quo Pſaltes fideles in hunc modum affatur, *Populus eius*, qui videlicet aliquando non populus, nunc autem auxilio gratiæ eius, populus eius; Populus acquiſitionis, quem ſibi acquiſiuit dextera ſeu filius eius, vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vocauit vos in admirabile lumen ſuum, ſiue, vt annuncietis vos eius virtute traductos eſſe de priſtinis tenebris errorũ & ignorantiæ veſtræ in admirabile lumen ac cognitionem veritatis: *Et oues paſcuæ eius*, qui in loco paſcuæ eius de quo Pſal. 23. paſcuiſque eius vberrimis ſacramentorũ, ſacrarum ſcripturarum ac præſertim gratiæ eius verſamini & ſaginamini: *Introite portas eius*. i. Beatæ domus eius, quas vobis aperuit cum nomine eius mandaretur Angelis, Attollite portas principes veſtras; Has, inquam, portas introite *in confeßione*. i. laude & gratiarum actione pro beneficijs in hac vita acceptis. Quibus verbis quid aliud inſinuat Pſaltes, quam quod de cæleſti ciuitate prædixit Iſaias: Redempti à Domino venient in Sion cum laude. Et alibi: Occupabit portas eius laudatio. Occupabit, inquit, quia ſpiritus gratitudinis & vox laudis iam in ipſo introitu & primo limine illius ciuitatis præcordia & ora eorum qui ad eam introducentur repentè opplebit. Quale quid in S. Laurentio obſeruare licet, qui paſsione ſua iam penè perfunctus & quaſi iam in porta cæli conſtitutus orabat, dicẽs; Gratias tibi ago Domine quia ianuas tuas ingredi merui. i. quia dediſti mihi vnde mererer ianuas cæleſtis vitæ ingredi: Hoc autem quid aliud erat quam introire portas Domini in confeſsione? Huc pertinet quod D. Bernardus deſcribẽs B. Mariæ aſſumptionem, dicit eandem ineffabilibus cum canticis ad thronum gloriæ eſſe deductam, ipſamque cum eò aſcenderet Epithalamium ceciniſſe, vt laudatio Dei non atria moraretur, ſed iam ipſas portas atriorum beatorum occuparet. *Atria eius in hymnis confitemini illi*. q.d. de portis tranſite in atria ſiue penetralia manſioneſque beati regni eius, de quibus hunc locum diuus etiam intelligit Gregorius. Ibi verò, *in hymnis*, beatæ illius ciuitatis; Inter quos Apocalypſis recenſet canticum Moyſi ſerui Dei, & cãticum Agni, quod fortaſsè eſt hymnus ille quem Dominus dixit, è cœnaculo grandi ſtrato cum ſuis diſcipulis in montem oliuarum egreſſurus. In his ergo & ſimilibus huius ciuitatis hymnis, ibidem non tam ad verbum quam in eundem ſenſum *confitemini illi*. Interim verò dum introitus in illas portas vobis differtur, tempore videlicet præſentis ſæculi,

[Margin notes: 1. Pet. 2. — Iſaiæ 35. & 60. — Serm. 1. de Aſſump. B. Mariæ. — Greg. hom. 16 in Eze. — Apocal. 15.]

5. *Laudate nomen eius*. i. cum laude & multimoda commendatione, prædicate eum, *Quoniam ſuauis eſt Dominus*, vt eum ſuauẽ prædicando reddatis etiam

etiam nomen eius suaue, vt omnes qui illud audiunt, Deum vt suauem apprehendant & de eo sentiant in bonitate. *In æternum.* i. ab æterno & vsque in æternum, vt in Psal. 102. sumus dicturi, *misericordia eius: & vsque in generatione & generationem veritas eius.* i. à generatione in generationem, eo illuminante, nota erat hominibus veritas eius, ita vt cognitio veritatis nulli vnquam generationi defutura sit, vt in Psalmũ 118. ad versum, In generatione & generationem veritas tua, sumus dicturi.

PSALMVS C.

Psalmus ipsi Dauid.

DEscribitur quo affectu, zelo, cautione atque delectu virum bonum inter domesticos, populum suum, & malos oporteat conuersari.

Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. i. Præsenti 1.
Psalmo exponam per modum cantici *Misericordiam & iudicium*, quæ nos circa peccatores cum quibus conuersamur, exercere voluisti. Prius autem nominat *misericordiam*, deinde *iudicium*, quia principale est virtutis, ait D. Ambros. inchoare à beneficijs & præseminare gratiam. Præcedit beneficij gratia, sequitur censura sobriæ disciplinæ. Vnde & prima dispensatio Christi, ait Augustinus, medicinalis fuit, non iudicialis. Nam si primo venisset iudicaturus, neminem inuenisset cui præmia iustitiæ redderet. Quia ergo vidit omnes peccatores, prius erat eius misericordia præroganda, & post exercendum iudicium, quia de illo cantauerat Psalmus, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*

Amb ca. 3. de N. e.

Tract. 36. in Ioan.

Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me. i. hæc quæ 2.
descripturus sum intelligere & decantare potero cum ipse ad me per spiritum tuum veneris, & hæc me docueris, quod futurum non est, nisi fuero *in via immaculata.* i. absque crimine aut culpa impœnitentiæ. Porro primum misericordiæ opus quod infirmis exhiberi debet, est, vt ab eis amoueatur omne scandalum. Ideo sequitur:

Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. i. inter do- 3.
mesticos meos, affectu innoxio omni ex parte (id enim importat perambulare) conuersabar, ita vt nihil iræ, cupiditati, inuidiæ, impatientiæ, superbiæ similibusque vitijs indulserim, per quod alicui offendiculo essem vel scandalo: sed sicut scriptum est, Sine offensione estote Iudæis & gentibus, & Ecclesiæ Dei, ita perambulaui. Addit verò: *In medio domus meæ*, quia oportet præpositum conuersationẽ suam ante omnia domesticis probatã & commodam facere, sicut & de Dauide legitur, quod erat acceptus in cõspectu omnis populi, & præcipuè famulorũ Saul. Vnde & Apost. monuit, eum qui ad Episcopatũ deligendus erit, esse debere domui suæ bene præpositũ.

4. *Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam.* i. Si occurrebat mihi occaſio vel tentatio malè faciendi, non proponebã mihi exempla aliorum, qui impunè & feliciter (ſi felicitati deputanda eſt proſperitas, quæ maleficium conſequitur) malè egerant, vt exemplis eorũ ædificarer ad faciendum mala; Quin potius, *facientes præuaricationes odiui.* i. iniquitatem maleficorum, non ſolum iudicio improbaui, ſed etiam affectu deteſtatus ſum & abominatus, quia ne patiaris ſcandalum, parum eſt iniquitatem iudicio im-

Ser. 13. in Pſal. 118. probare, ſed opus eſt eam affectu auerſari, ne, vt ex Ambroſ. ſubinde diximus, ſecuris & otioſis affectibus, blanda conciliatricula voluptatis irrepat illecebra. Facile enim capit oculos petulantis forma meretricis, niſi eos odia premant iuſta & impuritatem indignatus auertat affectus. Hæc Ambr.

5. *Non adhæſit mihi cor prauum.* Non dicit, non habui cor prauum: Pra-

Prouer. 20 uum eſt enim cor hominis & inſcrutabile, ait Ieremias. Et Sap. Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum? Sed dicit, *Non adhæſit mihi cor prauum*, quia quam in corde ſuo ſubinde commoueri ſentiebat prauitatem, ita cohibebat ac conſtringebat, vt illa nec ſermonibus nec conſilijs nec factis nec vultui eius adhæreret, illáve contaminaret. Ob quam diſciplinam & Iob de ſe dicit; Si in manibus meis adhæſit macula. Vnumquemque autem huiuſ-

Cyp. ſerm. de circunc. modi diſciplinam circa ſe exercere debere, docet Cypr. his verbis: Quãuis conſcientia teſtis ſemper nobis exponat ſcaturientes intus peccati inſidias, nec internum vitare poſsimus iudicium; viriliter tamen ſtandum eſt & rationis authoritate increpandi ſunt titillatorij ſenſus, & ſummopere aduigilandum ne ſequatur aſſenſus vel effectus. Res ſane maxima eſt, ſi non egrediatur foras huius contagio corruptelæ, & inſaniens beſtia corrupti anhelitus catenis ferreis in vltimis animæ receſsibus alligetur, intusq́; fractis dentibus ſemetipſam concupiſcentia captiua corrodat. *Declinantem à me malignum.* i. mali ſtudio à moribus meis aut amicitia mea deuiantẽ, *non cognoſcebam.* i. inter notos non habebam vel non approbabam.

6. *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar.* Auſteritate vultus (facies enim triſtis diſsipat linguam detrahentem) alijsq́ue modis non deſtiti moleſtus eſſe detractoribus donec à detractione deſiſterent. Cuiuſmodi perſecutio tametſi moleſta, eſt tamen miſericors & fructuoſa. Vnde & Auguſtinus ex hoc loco frequenter, & nominatim 2. contra literas Petil. cap. 79. colligit perſecutionem in ſcripturis ſacris in bonum ſumi.

7. *Superbo oculo.* i. qui ſemper ad magna & ſublimia, quia talia, ſiue quia magna & ſublimia ſunt, ſpectat. *& inſatiabili corde.* i. auaro, *cùm hoc non edebam.* Non quod conueſci cum talibus per ſe contaminet iuſtum, ſed abſtinet iuſtus à conuiuijs talium in eorum correptionem. Ob quam cauſam,

Aug. 3. cõ. Parm. c. 2. ſi D. Auguſtino credimus, propheta ille qui venerat de Iuda, iuſſus eſt per Domi-

Dominum à conuiuio Hieroboam abstinere: Ad cuiusmodi abstinentiam sicut & ad abstinentiam à familiaritate & benigno vultu, & similibus beneuolentiæ signis, omnes lege charitatis obligati sunt, cùm verisimile est peccatores per talia vel aliquid eorum emendandos esse. Dicit proinde Basilius, eos inquinari qui erga delinquentes ita se gerunt, ac si deliquisse nihil referret. Quam continctiam, Adriano sexto teste, præcipit Apostolus cùm ait, Denunciamus vobis fratres abstinere ab omni fratre ambulante inordinatè, &c. Cuius correptionis vtilitatẽ D. Basilius hanc esse dicit, vt fratres ambulantes inordinatè videntes probos viros à se auersos, resipiscant: Vel, si id noluerint, reliqui obseruãtes eos probis esse inuisos, eorum exemplo commoti in officio perseuerent.

Et lib. post collat. c. 10

Basi. inter. breuior. 53

Quodlib. 3.

Basi. const. monà. c. 34

Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum. i. In deligendis ijs qui mecum ad iudicandum vel regendum sedere vel præsidere debeant, oculi mei intenti sunt ad eos qui in officio futuri sunt fideles: Non solum autem, sed & ad fideles terræ. i. circumspicio ex quacunq; demum terræ totius natione eos qui fideles futuri sperantur, desumere. 8.

Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, quia per disciplinam domesticam aut erit corrigendus aut eijciendus. *Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.* i. per iniquos sermones aut machinationes seu callida cõsilia & astuta, nemo apud me negotium suum sic direxit, vt peruenerit ad intentum. Porro quæ hactenus dicta sunt, pertinent ad misericordiam, quæ præstatur infirmis ad eorum correptionem. Sequitur nunc iudicium: 9.

In matutino. i. Illo, videlicet notatu dignissimo, quod quia singulare est, matutini nomen sibi quasi absolute vendicat. Quod descripsit Propheta cùm dixit: Obtenebratus est sol in ortu suo; hoc est, matutinum diei iudicij. Iudicium enim mane fiet, vnde & Psalmo 5. dictum est; Mane astabo tibi, & ex increpatione iudicis, iudicijque seueritate, ac acerbitate retributionis, videbo, quoniam nõ Deus volens iniquitatem tu es. In quo comparebunt quidem, sed à iudice per verba, Discedite, amandati, non permanebunt iniusti ante oculos tuos. In hoc ergo matutino, *interficiebã.* i. in mortem secundam tradebam *omnes peccatores terræ*. Interficiebam, inquit Psaltes, loquens in persona eorum qui ad præscriptum huius Psalmi suam conuersationem in Domino instituerunt. Tunc enim, (vt in Psalmo 149. dicitur, & in eum dicturi sumus) gladij ancipites in manibus Sanctorũ cum Christo iudicãtium, Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, vt faciant in eis iudicium conscriptum. *Vt disperderem de ciuitate Domini.* i. per Ecclesiam eo vsque dispersos, in varias perditorum classes dispellerem, ne intrent in cæleste m ciuitatem Dei, *omnes qui operantur* 10.

iniquitatem. In illam enim ciuitatem, inquit Ioannes, non introibit coinquinatum quid, neque abominationem faciens. Foris enim canes, venefici, impudici, homicidæ, idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.

PSALMVS CI.

Oratio pauperis cum anxius fuerit, & coram Domino effuderit precem ſuam.

NOmine pauperis complures Chriſtum intelligunt, qui anxiè laborauit Deum nobis reddere propitium, precesq́ue pro nobis effudit coram Domino, enarrando quæ noſtra ſunt ac ſi ſua eſſent. ſuſcepit enim nos, inquit Apoſtolus, in honorem Dei. Permittunt tamen iidem vt nomine pauperis quemuis pœnitentem ſuæ ſibi inopiæ ac miſeriæ conſcium intelligamus, qui ex cõſideratione dedecoris, damni, periculi ac difficultatum in quæ peccando deuenit, anxius redditus, huiuſmodi precem effundit, vel fundere debet coram Domino, & dicere:

1. *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus:* Oratio apud Deum clamor efficitur, cum bonis orantis operibus, vt ex Cypriano in Pſal. 16. diximus, infarcitur: *ad te veniat*, Dicit, *veniat*, Bona enim opera preces noſtras apud Deum imponunt, ait alicubi Cyprianus.

2. *Non auertas faciem tuam à me.* Dicit, *ne auertas*, metuit enim ne ſibi eueniat quod de peccatoribus ad Ieremiam dixerat Dominus: Dorſum & nõ faciem oſtendam eis. Si verò quiſpiam non auerterit faciem ſuam ab vllo paupere, fiet, inquit Tobias, vt nec Deus faciẽ ſuam auertat ab illo. *In quacunque die tribulor.* i. in tribulatione ſpiritus quam vera adfert pœnitentia, verſor, *inclina ad me aurẽ tuã.* i. Demitte aures maieſtatis tuæ ad audiendas preces meas. Vbi obſeruandum, quod ſi is qui in tribulatione ex pœnitentia originem habente verſatur, obſecret Deũ aures ſuas precibus eius inclinare, quomodo audiet Deus preces eius, qui nullo pro peccatis ſuis animi dolore affligitur vel cruciatur?

3. *In quacunque die*, ſiue is fuerit extremus dies vitæ meæ, ſiue dies temporariæ aduerſitatis, ſiue alius quiſpiam, quicunque, inquam, is dies fuerit, in quo *inuocauero te.* i. tui deſiderio ad te preces meas effuderim: dico, tui deſiderio; Quia id demum eſt Dominum inuocare: *Velociter.* i. abſque dilatione aut mora *exaudi me.* Promiſit Dominus per Ezechielem ſe pœnitentem recepturum in gratiam in quacunq; die conuerſus fuerit: per Ieremiam quoque declarat Dominus ſe non ſolere moram interponere (quamuis id pœnitenti minus præparato ſubinde videatur) quo minus citò tribuat quod pro ſua parte retribuendum eſt; Dicit enim, Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli

Iſraeli.i.nunquid ego feci eum ſpiritu & gratia deſolatum? Dicitur namque Dominus id factus eſſe quod ipſe nos facere fecit, ſicut dicitur nobis factus refugium, quia fecit nos ad ſe refugere. Pergit Dominus, Aut terra ſerotina? q.d. nunquid ego quaſi terra ſerotina quæ tardè reddit fructum ſuum, fructum ac prouentum orationum ad me factarum tardè & cum mora reddidi? Nihilominus oratur hîc, *In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me*, in teſtimoniū quod dicta Dei per Ezechielem promiſsio & retribuendi promptitudo merè gratiæ ſint, debeatque pœnitens pro ijs à ſua parte humiliter ſupplicare. Poſt hanc inuocationem ſequitur pœnitentis confeſsio, quam in hæc verba orditur:

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei. i. dies mei hactenus tranſacti in vanitatibus conſumpti ſunt, & euanuerunt. *Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt*. i. Omnis vigor meus & fortitudo ſignificata per oſſa, vt torris exaruit, ita vt in me nihil ſit roboris ad benè agendum, 4.

Percuſſus ſum vt fœnum. i. pœnaliter mortalis, imo multis morbis obnoxius factus ſum. *& aruit cor meum*. i. Omni humore Spiritusſancti eſt exhauſtum, *quia oblitus ſum comedere panem meum*. i. deſij ac intermiſi mandere & ruminare pabulum verbi Dei, de quo ſcriptum eſt, Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. 5.

A voce gemitus mei. i. præ obliuione quam mox gemebunda voce expreſsi, *adhæſit os meum carni meæ*. i. omnem virtutem meam exerui in comparandis & fruendis ijs quæ carni meæ commoda erant & ſuauia. 6.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis, quia in terra (quam in Pſal. 62. 7.
explicuimus) deſerta, inuia & inaquoſa mea voluntate exulans, ſicut pelicanus ſolitudinis, cibis venenatis atque mortiferis paſtus ſum & ſaginatus. *Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio*. i. nigredine peccatorū totus ſum perfuſus, inquit Hieronymus, & horridus factus. Vel, quandoquidem nycticorax timidum eſt animal & meticuloſum, fugax & caducas latebras quæritans, *factus ſum ſicut nycticorax in domicilio*, ſiue in parietinis, quia plenus timore fugaci animo fugitaui cōſpectum Dei, iuſtorum à quibus timebam redargui, & ſi fieri potuiſſet, proprium cōſcientiæ meæ teſtimonium: Timida enim, inquit Sapiens, eſt nequitia dans teſtimonium ſuæ condemnationis.

Vigilaui. i. ad pœnitentiam euigilaui, *& factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*, quia ad pœnitentiam conuerſus, cepi ſtrepitum mundi deſerere, & me ad ſolitudinem, quæ D. Auguſtino ad negotiū flendi aptior eſt, me recipere & cæleſtia meditari. 8.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, hanc meam conuerſionem, *& qui laudabant me*. i. induſtriam & gratiam qua tempore iniquæ vitæ meæ 9.

sæculo ſeruieram, *aduerſum me iurabant.* i. coniurabant & conſpirabant vt
me à ceptis reuocarent; Vno ore improbantes,
10. *Quia cinerem tanquam panem manducabam.* i. quia manducabam panem
De ieiu c. 9 velut cinerem aridum & ſordidum, inquit Tertull. Oportet enim pœniten-
tes xerophagias obſeruare, id eſt inquit, ſiccare cibum ab omni carne &
omni iurulentia, & vuidioribus quibúſque pomis, ne quid vinoſitatis vel
edant vel potent. *Et potum meum cum fletu miſcebam.* i. inter bibendum de-
fluebant mihi lachrymæ.
11. *A facie iræ indignationis tuæ.* i. quia ira & indignatio tua quã iam noſſe
ceperam, iugiter mihi ob oculos verſabatur: Vnde colligitur veram pœni-
tentiam eſſe triſtitiam quæ concipitur ob offenſam Dei. *Quia eleuans al-
liſiſti me.* q. d. & quia ex altera parte conſiderabam, quod qui me prius,
ſpiritu, gratia, adoptione filiorum ſublimem feceras, permiſeris vt cadendo
me grauiter allidérem. Dicit autẽ *Alliſiſti*, non, contriuiſti me, Ille enim
conteri dicitur, cui reſurgendi ſpes non eſt, quales ſunt illi de quibus ſcri-
ptum eſt: Super quem (in die iudicij) ceciderit lapis iſte, conteret eum.
Hæc itaque alliſio, pœnitenti altera eſt triſtitiæ cauſa, de qua Ambroſius,
Ambr 2. de pœni c. vlt. Nihil eſt quod tam ſummo dolori ſit, quam videre vnde decideris.
12. *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt.* i. Tranſacti ſunt in occupatione eo-
rum bonorum, quæ ſolummodo habebant vmbram bonorum atque imagi-
nem. Vnde & Pſal. 38. dictum eſt: Veruntamen in imagine [bonorum] per-
tranſit homo. *Et ego ſicut fœnum arui.* i. totus exarui, poſtquam enim aruit
cor meum, exaruit ſimul atque omni vita deſtitutum fuit quicquid boni
operis exercere tentaui, Omne enim id ſine vitali ſpiritu perfunctoriè ſo-
lummodo peregi.
13. *Tu autem Domine in æternum permanes.* Prima facie videtur hic eſſe an-
titheſis, vt quia pœnitens dicit, dies ſuos ſicut vmbra declinaſſe, contrà,
aſſerat Deum eſſe æternum, eiuſque dies tranſire non poſſe: Arbitror ta-
men iſtud huc ad aliud propoſitum introduci in hunc modum, *Tu autem*
Baru. b 3. *Domine in æternum permanes*, & nos, vt, dicit Baruch, peribimus in æuũ?
& toto æuo noſtro non niſi in perditionem deueniemus? q. d. nequaquam.
In quem ſenſum & Ieremias orabat. Tu autem Domine in æternum per-
manes, ſolium tuum in generatione & generationem; Quare in perpetuum
obliuiſceris noſtri? q. d. Decet, vt quia tu in æternum permanes, nullo tem-
pore obliuiſcaris noſtri. Quod cum ita ſit, pergit Pſaltes declarare miſe-
ricordiam Domini ſalutiferam, nullo vnquã tempore aut æuo (quod apud
Baruch pro ſæculo ſumitur) defuiſſe nec defuturã eſſe. Et quandoquidem
ſalus hæc extra Eccleſiam nemini contingit, & quia quamdiu eſt Eccleſia
tamdiu futuri ſunt qui ſaluẽtur in ea, enarrat hac occaſione Pſaltes diuerſa
Eccle-

Ecclesiæ tempora, eamque in omnia sæcula perpetuam fore asserit, vt ex eo det intelligi, quod sicut Deus in æternum permanet, ita etiam ab æuo fuerit, & futura sit perpetua series eorum, qui per Deum à peccatis saluantur. Suum autem hoc propositum orditur in hæc verba, *& memoriale tuũ*, i. monumentum aliquod, quod memor esses generis nostri *in generatione & generationem*. i. in primo parente Adamo quem eduxisti à suo delicto, apparuit, & ab eo in generatione & generationem apparere non desijt. A principio enim in quauis generatione extiterunt aliqui, qui à te iustificati sunt à peccatis. Et hoc quidem illis generationibus quibus gentes permisisti ingredi vias suas, & procurandæ saluti generis humani (excepto hoc quod dixi memoriali tuo) visus es penè supersedisse: Verumenimuerò, generationibus istis quas Apostoli suo tẽpore præteritas dixerunt, transactis,

Tu exurgens Domine. i. Tu Domine à supersedendo, quod diximus, 14.
te erigens & operationem salutis in vniuersum genus nostrum arripiens, *misereberis Sion*. i. Ecclesiæ quæ prioribus sæculis propter suam sterilitatem atque filiorum paucitatem à te quasi derelicta dicebatur, sicut scriptũ est: Vt mulierem derelictam, & mœrentem spiritu vocauit te Dominus, vt *Isaiæ 54.* vxorem ab adolescentia sua abiectam, quam ob causam & dixit ipsa Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Itaque, *exurgẽs Domine misereberis Sion*, & consolaberis mulierem hanc, spiritu, siue dono *Isaiæ 49.* Spiritussancti mœrentem, ac suam sterilitatem in Spiritusancto deplorantem. Quid autem ei adferes misericordiæ aut solatij? Ad punctum, inquit Isaias, in modico dereliqui te, non gratia mea destitutam, sed sic vt præ sterilitate & filiorum tuorum paucitate non videreris habere virũ, Et in miserationibus magnis congregabo te. i. congregabo omnes quos promisi tibi filios tuos de vniuersis terris ad te. In momento indignationis meæ abscondi faciem meam parumper à te, (quia tempus indignationis diuinę quo Ecclesia à viro suo, vt diximus, derelicta fuit, ad tempus, quod quantumuis longum, æternitati tamẽ comparatum, modicum est) & in misericordia sempiterna, quæ à tempore noui testamenti incepit, & in perpetuum perseuerabit, misertus sum tui. Itaque *tu exurgens Domine*, his modis *misereberis Sion, quia tempus miserendi eius quia venit tempus*, q.d. misereberis Sion, quãdo aduenerit tempus illud acceptabile & dies salutis, ac temporis plenitudo in quo mittes filium tuum in terras.

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius, q.d. tum, inquam, erit tem- 15.
pus miserendi eius, quando simul erunt in ea lapides, qui iam ante diu placuerunt seruis tuis, Qui lapides sunt Apostoli, qui cum Petra Petro semetipsos Ecclesiæ, in miserationibus sempiternis vbertim colligendæ, fundamenta præbuerunt, Hi iam dudum placuerant seruis Dei Prophetis, quia

Prophe-

Prophetæ eorum dignitatem atque præstantiam magnificis verbis copiosè laudauerunt & prædicauerunt. An nō mirificè lapides isti placuerunt Isaiæ, cum in nomine Domini dixit ad hanc, de qua agimus, Sion multa prole donandam; Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos: Per ordinem, inquit, quia inter lapides istos qui ædificio Ecclesiæ, per similitudinē fundamenti materialis, substrati dicuntur, ordo fuit, quem recenset Apocal. cùm dicit: Fundamentum primum Iaspis, secundū Sapphyrus, tertium Calcedonius, & sic de reliquis: Qui ordo in primis fuit ordo dignitatis ac potestatis, eo quod Petrus super quē, teste Cypriano, fundata est Ecclesia, habuerit confirmare fratres suos, & pascere siue regere oues Christi, quæ sunt particularium plebium capita, inter quæ D. Gregorius annumerat Paulum, Iohannem, & Andream, quibus extra controuersiam pari iure annumerandi sunt & reliqui Apostoli eorumque successores. Est inter eosdem & ordo administrationis, sunt enim per vniuersum orbem terrarum suis quique locis distributi & dispositi. Pergit Isaias, Fundabo te in Sapphyris. i. faciam te inniti fundamentis tuis Sapphyris pretiosioribus. Ponam Iaspidem propugnacula tua. i. dabo tibi eos, qui se murum opponāt pro domo Dei, vt contra veritatis aduersarios stent in prælio in die Domini, Iaspide præstantiores. Et portas tuas. i. eos qui infideles ad te introducent, in lapides sculptos. i. omni genere virtutis & eruditionis expolitos & ornatos. Et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, quia quocunque pertinget Ecclesia, reperientur in ea Electi, & boni, de quibus scriptum est: Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo. Hæc autem de Ecclesia noui testamenti & præsertim pro eo tempore quo à Christo fundabatur intelligenda esse, probant quæ sequuntur, Vniuersos filios tuos doctos à Domino, quod de suo tempore prædictum esse ipse Dominus apud Ioannem tēstatur. Ex his ergo manifestum est quantopere placuerint Prophetis, Dei seruis, lapides Sion. Qui lapides, *Terræ eius* Sionis scilicet *miserebuntur*. i. terræ Israel in qua erat mons Sion, In qua & erat Ecclesia in fide futuri Christi visibiliter collecta. Lapides verò terræ huius miserti sunt, quia Apostoli charitate & commiseratione ducti, primò animos suos ad feces Israel conuertendas adiecerunt, quam commiserationem in eis excitabat Dominus cum diceret: Leuate oculos vestros & videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem. Non solum autem, miserantibus Apostolis, Iudæi ad Sion, cum venerit tempus miserendi eius, congregandi sunt; sed

(Marginal notes: Isaiæ 54. — Apocal. 20 — Epist. 55. — Greg. 4 Registi. ca. 82.)

16. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine*, Lapides enim isti se portas præbebunt gentibus, vt & ipsæ introeant in Sion, & Ecclesiæ aggregētur; Atque in ea timeant nomen Domini, siue cum metu & reuerentia seruiant ei. *Et omnes reges terræ*, qui, vt Psalmo 71. dictū est, etiam ad religionem conuer-

conuertendi ſunt, timebunt *gloriam tuam*. i. reuerebuntur maieſtatem tuam qua implebitur omnis terra.

Quoniam ædificabit Dominus Sion. q. d. cùm hæc impleta fuerint, tunc 17.
ædificauerit Dominus Sion, ſiue Eccleſiam ſuã, ſicut promiſerat per Iſaiam cùm diceret: Venerunt ſtructores tui, deſtruẽtes & diſsipantes à te exibũt. Et quod ipſa ex gentibus & regibus foret ædificanda, deſcribit in hæc verba: Deſerta tua & ſolitudines tuæ & terra rũinæ tuæ nunc, anguſta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur qui abſorbebant te. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & adferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Et erunt reges nutricij tui & reginæ nutrices tuæ. *Et videbitur in gloria ſua*, quia cacumen iſtius ædificationis, conſcendet, inquit Auguſt. vſque ad conſpectum Dei, à quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, quod eſt domus Dei æterna in cælis. Quocirca & Leo dicit Eccleſiæ ſublimitatem, vt in Pſalmum 71. diximus, cælo inſerendam eſſe.

Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum, impleuit 18.
enim deſideria eorum ex quibus dicebant; Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion vt ædificẽtur muri Hieruſalem, & ex quibus iuxta mandatum Apoſtoli orabant vt ſermo Dei curreret. Hæc ergo de Eccleſiæ apparatu & ædificatione. Pergit nunc Pſaltes ad enarrandum eius progreſſum, & perpetuitatem, dicitque:

Scribantur hæc, per quę diximus Sion in tam auguſtum, quod deſcripſi- 19.
mus, Domini templum ædificatam eſſe, *in generatione altera*, ſiue in generationem alteram. i. ad informationem generationis alterius, quæ generationem, in qua prædicta vſque ad regum conuerſionẽ primò impleta erunt, proximè ſequetur. *Et populus qui* in illa generatione *creabitur*, in nouum hominem, inquit, & hoc modo intelligendum eſſe conſtanter aſſerit B. Athan. *laudabit Dominum*, quia & ipſe per Dei gratiam, ſicut & progenitores eius in nouum hominem creatus erit. Laudabit etiam Dominum, *Ser. 3. cont. Arrianos.*

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo. Emphaſim hoc habet, quæ Dei mi- 20.
ſerationem hoc nomine extollit, quod cùm Deus tanto maieſtatis & ſanctitatis ſuæ interuallo à nobis diſtet, oculos nihilominus ſuæ miſericordiæ ad terram conuertat. *Dominus de cælo ad terram aſpexit*. Ad quid?

Vt audiret gemitus compeditorum. i. eorum quorũ affectus, concupiſcen- 21.
tia, & praui amor conſtringit & obtinet. *Gemitus*, inquam, quos de his vinculis aut ipſa miſeria exprimit, (nam & miſeria ſuum clamorem, vt in Pſalmum 9. diximus, ad Deum emittit.) Vel, *gemitus*, quos de iiſdem vinculis ab eis qui nonnihil correcti ſunt, exprimit amor Chriſtianæ libertatis. Proſpexit autem Dominus, *vt* ab his atque huiuſmodi vinculis *ſolueret filios*

interemptorum. i. martyrum, quorum filij hoc loco dicuntur illi qui in martyrum gratiam à vinculis suæ impietatis aut iniquitatis, per gratiam omne meritum, etiam congrui, præuenientem sunt educendi. Vel, qui cum iam fidem martyrum imitentur, eorumque merita implorent, in gratiam martyrum à peccatis traducendi sunt ad iustitiam. Quæ Psaltis sententia penè coincidit cum eo quod Psal. 78. orauerat. Posside filios mortificatorum, & planè conuincit homines peccatores in gratiam martyrum à Deo adiuuari. Sed quandoquidem dictus Dei prospectus & aspectus redundare debet in eius gloriam, addit Psaltes,

22. *Vt annuncient in Sion nomen Domini.* i. vt hæc Dei miseratio sit eis materiæ loco, de qua in Ecclesia annuncient, & celebre atq; in hominũ cognitione sanctum efficiant *nomen Domini. Et,* annuncient & prædicent simul *laudem eius in Hierusalem.* i. huius sæculi Ecclesia, quæ nunc Sion dicitur, nunc Hierusalem, quia in Sion siue Hierusalem in principio collecta est, & ex ea in omnes mundi partes egressa, sicut scriptum est; De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Præcipuè verò annuncient hæc,

23. *In conueniendo populos in vnũ & reges.* i. in cõuentibus Ecclesiasticis, ad quos cõuenient populi, & vnà cum eis reges ac principes eorum. De quibus cõuentibus scribit Apostolus; Conuenientibus vobis in vnũ. Et, cùm conuenitis, vnusquisque prophetiam habet, &c. *vt seruiant Domino.* Benè habet quod dicit, *vt seruiant Domino*, vt ex scripturis sacris manifestum fiat conuentus Ecclesiasticos, exercendæ propriè dictæ religionis, & nõ solum instructionis, siue faciendæ siue accipiendæ causa, fieri debere. Inter ea autem per quę exhibetur Deo seruitus, reponi debet psalmodia ex vera fide & & religione profecta, de qua Apostolus; Cùm conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet: Debent etiam inter ea reponi obsecrationes quibus Anna sine intermissione in templo seruiebat Domino: Velim autem scire quo iure ab eorum ordine excluderentur illa religionis obsequia, quibus, Luca teste, Antiochiæ prophetæ & doctores ministrabant Domino? Si verò illa ab hoc ordine excludi non possunt, illa autem, vt testatur Græcus textus, Liturgica erant, ergo prædicit hic Psaltes conuenturum populum in vnum & reges, vt seruiant atque adeo litent Domino. Hucusque itaque dictum est Ecclesiam cõtinuandam esse à generatione prima in alteram; Vt autem Psaltes cum quodam psalterij lepôre enarrare possit eandem perpetuandam esse in finem vsque sæculi, introducit nunc Ecclesiam, in altera, quam diximus, generatione positam, & suæ durationis ac deuolutionis quasi ignaram, super durationis suæ residuo interrogantem Dominum, de qua re sic dicit:

24. *Respondit ei in via virtutis suæ.* i. Sion, iam in altera generatione posita, & tem-

& temporis tractu ac religionis quodam vsu in ipsa sua fide ac religione nō parum virtutis seu roboris nacta, ad ea quæ à Domino in hoc acceperat, hāc intulit atque Domino vicissim proposuit interrogationem (vicissim autem interrogationē proponere est quoddam respondere) & dixit: *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi.* i. indica mihi quam paucis ab hoc tempore, in sæculo, diebus duratura sim. Cui interrogationi priusquam responderetur, Sion etiam pro sua perpetuitate orationem adiunxit, & dixit:

Ne reuoces me, ex hoc sæculo, *in dimidio dierum meorum*. i. eo tempore 25.
quo humanum genus, in quo ego nūc subsisto, ad procursus sui dimidium solummodo peruenerit. Quæ oratio non multum differt ab ea quam habet Psalmus 70. Ne proijcias me in tempore senectutis. Quam tamen orationem D. Athanasius & Cyrill. accōmodant vnicuique iusto in hac vita mortaliter viuenti, quem dicunt his verbis orare, ne immatura ætate abrumpantur dies vitæ eius. Deus namque, inquit Athanas. legittimis cultoribus suis numerum dierum ipsorum (quod tamē ab eo sine præiudicio eius qui consummatus in breui impleuit tēpora multa. Et, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, dictum est) implet; quod probat per Abraham & reliquos qui in scripturis sacris mortui dicuntur pleni dierum. Non enim indemne, inquit Cyrillus, religiosis est animis, antequam præcipua viuendi disciplina confirmentur, naturæ concedere. Verum secundum sensum contextui conuenientem orat hic Ecclesia, *ne reuoces me in dimidio dierū meorum*, Et pro ratione ob quam exaudiri petat, allegat quod sequitur, *in generatione & generationem anni tui.* q.d. anni tui in generatione & generationem perdurant, perduret ergo & Ecclesia cultrix tui in omnem generationem, quia decet te & solium tuum, vt tibi omni tempore seruiatur. Quæ oratio eiusdem est energiæ cum ea quam paulò ante pœnitens expressit, cùm diceret: *Dies mei sicut vmbra declinauerunt, tu autem in æternum permanes.* Et Ieremias; Tu autem in æternum permanes Domine, solium tuum in generatione & generationem. Quare in perpetuū obliuisceris nos? Ne autem anni qui Domino mox asscripti sunt, apprehendantur esse transitorij, néve putentur sicut dies hominis dies Dei, & anni eius sicut humana esse tēpora, in quibus sit præsens, præteritum & futurum, subnectit Psaltes quædam per quæ proponit nobis differentiam inter annos Dei & annos hominum, & dicit:

Atha apol. 1. fug. suæ. Cyril. 11. in Ioan. c 24

Initio temporis, *tu Domine terram fundasti.* i. velut in fundamentum to- 26.
tius huius visibilis machinæ, verbo tuo, vt in Psalmū 23. diximus, stabilem collocasti. *Et opera manuum tuarum sunt cæli*, à te enim facti sunt, Proinde non solum à suo initio tempora, sed etiam ipsa mundi visibilis machina secundum substantiam, motum, & statum suum à te facta est.

27. *Ipsi*, cæli, sub quibus & terra & omnia quæ in eis sunt opera intelligenda veniunt; *peribunt, tu autem permanes* ab omni mutabilitate alienus. Nè verò quod dixerat, *peribunt*, quis ad dictarum creaturarum substantiam referret, explicat Psaltes verba sua declarans secundum quid illos dixerit perituros, & dicit: *& omnes sicut vestimentum veterascent*, ac si diceret, *peribunt* inquam, quia secundum qualitatem qua cæli, cum reliqua mundi machina prius vestiti fuerunt, veterascent, & in interitum deuenient, sicut scriptum est; Præterit, non substantia, sed figura huius mundi, vt hunc locũ
Ire l.4 c 6 Epiphan in hære 64. interpretantur Irenæus & Epiphanius. Quod vbi euenerit, non manebunt cæli cum reliquis, omni specie, ornatu siue vestimento priuati, quia,

28. *Et sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur*. i. sicut opertorium siue indumentum salua rei quæ induitur substantia, exuitur, & eius loco assumitur indumentum aliud, sic tu salua substantia visibilis huius machinæ ablata qualitate eius prima, alia eam indues atq; adornabis: Ob quam dicit B. Petrus; Nouos cælos & nouam terram expectamus, in quibus iustitia habitat. *Tu autem idem ipse es*, quia non solum nõ substantia, sed nec qualitate mutaris; Imo in hoc illis, quæ inter creaturas secundum substantiam peritura aut mutanda non sunt, tu incomparabiliter maior (vt horum verborum sen-
Ath. orat. 2 con. Arria. Amb. 1. de spiritu s c 4 Cyrill li. 8. Thes c. 2. Aug. 11. cõfess. ca. 13. sum amplificant D. Atha. Ambros. & Cyrill.) quia illa perire possunt, tu autem per diuinam naturam tuam interire non potes. *& anni tui non deficiẽt*, quia nec eunt nec veniunt, inquit August. vbi enim aliquid it & præteritum transit, ibi aliquid deficit. Itaque non est hic sensus, *anni tui non deficient*. i. tempora tibi nũquam deerunt, sed *non deficient*, quia nihil est in annis tuis quod in præteritum transeundo abeat in nihilum: Sed omnia annorũ tuorum, si quæ cogitentur, spatia & tempora simul sunt. Non abs re verò Psaltes cùm docere vult annos diuinos esse stabiles, prius asserit Deum nullam mutationem admittere: Ex hoc enim efficaciter colligitur, Deum tempori subiectum non esse. Cùm enim tempus sit numerus motus per ipsum prius posteriúsve, profectò, circa eum, in quem nullus cadit motus, etiam nullum potest esse aut versari tempus. Tribuuntur tamen Deo anni, dies, & tẽpora,
Psalm. 76. Roman. 16 vt nouerimus immutabilem Deum, suæ stabilitatis non carere mensura, sed anni hi æterni dicuntur & tempora æterna, quia sicut tempus numerus est motus aut mutationis, ita & æternitas mensura est perpetuæ immutabilitatis. His vero ex occasione diuinorum annorum, quorum Psaltes fecerat mentionem interpositis, locus nunc est vt respondeatur interrogationi qua Sion paulò ante quæsierat. *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi*, quod faciendo, Psaltes non ad quęrentem, sed ad Deum votum quęrentis implentem conuertit sermonem, & dicit:

29. *Filij*. i. posteri *seruorum tuorum*, qui tibi in principio Ecclesiæ fideliter seruie-

seruierunt, *inhabitabunt* Ecclesiam, sicut scriptum est; Sicut lætãtium omnium habitatio est in te. *& semen*.i.filij *eorum*.i.horum quos dixi, filiorum, *in sæculum*.i.quamdiu durabit præsens sæculum *dirigetur*, vt in eandem fidem & religionem patribus absque intermissione succedat, scriptum est enim, Misericordia tua à progenie in progenies timētibus te. Quocirca paucitas dierum tuorum ô Ecclesia, non finietur breui, Nec reuocaberis in dimidio dierum tuorum, sed iugi successione in hoc sęculo vna & eadem permanebis, quamdiu ipsa sibi succedent sæcula. D.Irenæus tamen hunc versiculum refert ad probandam æternam beatitudinem sanctorum, vt secundum eum hic sit sensus: Vbi cælum & terra perierint, filij tui & semē sanctorum tuorum, non vna cum eis peribunt, sed in æterna beatitudine sine vlla intermissione permanebūt: sicut dixit Isaias: Leuate oculos vestros & videte sub terra deorsum, quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur & habitatores eius sicut hæc interibunt: Salus autē mea in sempiternū erit & iustitia mea non deficiet. Prior tamen expositio contextui Psalmi magis consentanea est.

Loco supra allegato. *Isaiæ 51.*

PSALMVS CII.
Ipsi Dauid.

SIcut Ambrosio teste nulla epistolarum Pauli tantum benedictionis increpuit quantum epistola ad Ephesios, ita nullus est Psalmorum qui à principio ad finem vsque tot concinat benedictiones, Dei laudes, & gratiarum actiones, quot præsens: Benedicit enim Deo sigillatim pro singulis penè beneficijs ab ipso humano generi concessis, & incipit in hunc modum: *Epist. 16.*

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto 1.
eius. Hoc Augustinus videtur fecisse cùm diceret: Taceat laudes tuas qui miserationes tuas non considerat, quæ nunc de medullis meis confitentur tibi. Quid enim sunt hæc quæ Psaltes compellat interiora sua, nisi intima animæ viscera gratitudinis spiritu medullata? *August. in Confess.*

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius; 2.
ita vt nulla sit pro qua peculiarem Deo hic non deferas benedictionem: quæ ei in primis deferenda est.

Qui, per remissionem quorumuis peccatorum, *propitiatur omnibus ini-* 3.
quitatibus tuis. Hoc autem inter retributiones annumerandum est, quia remissio peccatorum est quidem gratia & gratis datur, non est tamen, inquit Augustinus, sine aliquo merito si fides hanc impetret. Si nō est sine aliquo merito; ergo cùm datur, quædā, siue gratiosa, præbetur retributio. *Qui sanat omnes infirmitates tuas*. i. passiones peccatorum ac virium spiritalium *Epist. 105.*

 languo-

Aug. 6. cõt. Iulian c. 8. Eiusdem libri cap. 5.

languores remiſsioni peccatorum ſuperſtites. Hæc ſanantur, cùm de die in diem, inquit Auguſtinus, proficit Eccleſia, & paſsio, quotidiana renouatione minuitur. Inter infirmitates autem has enumerãtur ab Auguſtino, Ignorantia, quam dicit ſanari veritate magis ac magis lucente, & concupiſcentia, quæ, inquit, ſanatur charitate magis ac magis feruẽte. Cùm ergo incrementũ charitatis harum infirmitatum medela ſit, & charitatis incrementum præcedentibus eius initijs ex iuſtitia (quæ videtur eſſe mens Concilij Tridentini) reddatur, profectò hæc retributio potior eſt & alterius ordinis quàm prior, proficiſcens ex Dei iuſtitia: Quam tamen Chriſtianus pia gratiarum actione proſequitur, tum quia ad eam capeſſendam nõ niſi per gratiam præparatur, tum, quia omnis Dei pro perfectis meritis etiam pacta retributio, gratuitæ eius voluntati tanquã primariæ & originali cauſæ aſſcribenda eſt.

4. *Qui*, conſeruando & protegendo, *redimit de interitu vitam tuam*. i. quã viuis iuſtitiam tuam, ne ab ea denuo in peccatum, atque adeo interitum decidas. Hoc autem facit Deus per donationem perſeuerãtiæ, & proinde hæc retributio ſicut & illa cuius primo loco mentio facta eſt, eſt retributio gratiæ.

De bo. perſeuerãt. c. 6 7. & 13.

Perſeuerantiam enim, inquit Auguſtinus, Deus poſt caſum hominis nõ niſi ad gratiam ſuam pertinere voluit, ipſamque gratiam perſeuerandi non ſecundum merita noſtra dare, ſed ſecundum ipſius ſecretiſsimam eandemq; iuſtiſsimam, beneficentiſsimam, ſapientiſsimam voluntatem: Quæ tamen quia ſuppliciter, vt inquit idem, emereri poteſt, cùm datur quibuſdam meritis, imperfectam meriti dignitatem habentibus, non tam datur quàm retribuitur. Hæc ergo de retributionibus quas Deus cuiuſuis promiſcuè ordinis meritis hominum tribuit in præſenti vita: Ad hæc verò *Benedic anima mea Domino, qui*, in die iudicij, *coronat te*. i. reddit tibi coronam iuſtitiæ, *in miſericordia*. i. affectu, vt ita de Deo loquar, miſericordi: Qui tamen affectus in Deo non compaſsionem habet, aut vllam acerbam alienæ miſeriæ, vt docet Gregorius, perceptionem, ſed tribuitur Deo miſericordia, quia ad alienæ miſeriæ ſubueniendum benignè propenſus eſt.

Grego. 20. mora. c. 24

Et miſerationibus: Ibi enim Deus non ſolum, vt ſemper, miſericors eſt, ſed etiam miſericordiam præſtat & erogat. Hæc autem retributio eiuſdem ordinis eſt cum ea quæ ſecundo loco eſt recenſita: Eſt enim retributio iuſtitiæ, quia reddet mihi Deus, inquit Apoſtolus, in illa die coronam iuſtitiæ, iuſtus iudex: Non ſolum autem mihi, ſed & ijs qui diligunt aduentum eius. Habet tamen ſibi adiunctam miſericordiam & miſerationes, quæ coronę iuſtitiæ imponunt coronidem miſericordiæ: Miſericordia enim Dei & miſerationes eius quæ retributionem hanc concomitantur, omnium præcedentium miſerationum quædam clauſula ſunt, quia poſt acceptam coronam, nullus in coronatum erogandæ miſericordiæ ſupereſt locus. *Coronat* autẽ *te* ibi *in miſericor-*

dia &

dia & miserationibus. In primis quia mediante clementia siue de clementi eius iudicio coronam ô anima mea accipies. Ibi enim iusti, inquit Ambros. fragilitatis suæ æstimatione censendi sunt, vt veritas, inquit, iudicij, misericordia Domini temperetur. Iusti enim in illo iudicio censebimur ab illa charitate & diuinorum mandatorum obseruantia, quæ consentanea fuit fragilitati humanæ vitæ: Quæ quidem censura veritas erit, quia nos iustos & legis factores in veritate fuisse iudicabit: Vocatur tamen eadem censura misericordia, clementia, siue censura per clementiam temperata, quia summam atq; perfectam iustitiam necnon diuinæ legis obseruantiã, sicut Deus hic, nisi per modum finis, non præcepit, ita nec ibi aliter exquiret, quàm tamen, nisi in fragilitatem nostram clemens esse voluisset, & hic præcipere, & ibi potuisset exigere. Adhuc *coronat te*, ô anima mea, *in misericordia & miserationibus*, quia iudicium hoc diuinæ clementiæ, comitabitur simul & Dei indulgentia. Nunquid autem indulgentia, siue remissio peccatorum mortalium? Non arbitror: Dicit enim hic Psaltes animam illam coronandam in misericordia & miserationibus, de qua prius dixit: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; proinde indulgentia hæc seruatur solis iustis, qui vt in alios, ita prius in semetipsos, vt animas suas in hac vita à reatu æternæ damnationis expedirent, misericordiam exercuerunt. Quocirca & Ambrosius dicit peccata leuiora bonis iustorum operibus in die iudicij eleuari, grauiora verò continuo mergi, Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Cùm igitur D. Augustinus dicit se non posse peruenire ad indaginem eorum peccatorũ quorum in die iudicij per interuentionem Sanctorum speranda sit remissio, non conqueritur se illa ne in genere quidem, vt mox fecit Ambro. non posse describere, sed non posse se illa singulariter & particulariter definire, aut vniuersè per exempla demõstrare. Quæ cùm ita sint, oritur hic quæstio & quæritur; Quid, ergo, sit quod Augustinus non semel dicit: Quod si Deus absque misericordia iudicaret, inueniret in vnoquoque vnde eum damnaret? Id arbitror referendum esse ad iudicium clementiæ, non indulgentiæ. Si enim Deus ibi iustificationem qua à peccatis iustificamur censere vellet, non secundum leges clementiæ quas hic nostræ infirmitati indulsit, sed secundum exactam pœnitentiæ & iustificationis rationem quam nobis præfigere potuisset, inuenirentur in multis, qui hic iusti habentur, peccata damnatione digna: Nisi enim Deus per summam clementiam proposuisset hic nobis legem, per quam iustificari possemus ab illis peccatis mortiferis, quorum nos hic ignorantia occupat, vel obrepit obliuio, nónne si aliàs quàm secundum eandem legem etiã eos qui hic iusti habẽtur iudicare vellet, inueniret facile in eis peccata quædam obliterata, ob quæ eos merito in interitum per damnationem præcipitaret?

Ser. 20. v. 4. in ps. 118 Et Hieron. epist. 139.

Ambros. in Psalm 43.

Aug. 21. de Ciui. c. vlt.

Aug 21. de ciu c. 13 et vlt. & ps. 147 ad verba Quoniã cõfortauit.

Itaque

Itaque quod D. Augustinus locis allegatis dicit, verum est, si Deus non secundum indultam hominibus pœnitentiæ legem eos censere & discutere vellet. Ad quam legem etiam respiciebat August. cùm exclamaret: Væ etiam laudabili vitæ hominũ, si remota misericordia discutias eam. In quem sensum Augustinum sua, quæ allegauimus, verba voluisse accipi, facile ex similibus eius interpretationibus apparet: Quod enim dicit Psalmus: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens; interpretatur Augustinus id dici comparatione iustitiæ, qua æquabimur angelis & gloriæ quæ reuelabitur in nobis. Si enim in illo iudicio tanta iustitia, tanquam nobis prius demandata, à nobis exigeretur, nemo nostrum diuinum posset iudicium sustinere, vel damnationem euadere. Sed qua ratione Dei indulgentia in die iudicij misericorditer tribuenda, pertinet ad Dei retributiones, cum iustorum, si quæ ibi futura est, pœnitentia, propter expletum huius vitæ cursum, eis ibi futura sit infructuosa? Hanc declarat Augustinus: Iustis enim, inquit, pro bonorum operum meritis, iusto Dei iudicio etiam ipsa misericordia in die iudicij tribuetur. Itaque meritum cui dicta misericordia tribuenda est, non in extremo iudicio comparatur, sed ex thesauro per opera misericordiæ in diem necessitatis, vt dicebat Tobiæ Angelus, in hac vita reposito, ad Dei iudicium educitur atque defertur. His ergo modis coronat te, ô anima mea, Deus, in misericordia & miserationibus. Gestis autem scire quæ sit corona quam ibi tuis retribuet meritis? Benedic igitur Domino,

Aug. conf. ca. 13. — Psal. 142. — Aug. l. 4. de Trinit. c. 3. — De corr. & grat c. 13. — De spir. & lite. c. 32.

4. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Ibi enim repleberis in bonis domus Dei, plena lumine gloriæ per quod videas voluptatem Domini, plena iustitia atque securitate. Et ne arbitreris, vt notat Augustinus, quod mors aut mortalitas tui corporis te à dicta bonorũ satietate excludere, aut quouis modo auertere posit, *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua,* quia reformabit Christus corpus humilitatis tuæ, cõfiguratum corpori claritatis suæ. Si enim verba hæc diligentius excutiamus, inquit Ambrosius, vnius aquilæ non aquilarum, asserit in nobis renouandam iuuentutem. Quam vnam & solam aquilam rectè Christum dixerim, cuius iuuentus tunc vt aquilæ renouata est, cùm à mortuis resurrexit. Hæc Ambrosius. Sed præter prædictam, est & alia retributio in die iudicij futura, de qua sequitur:

De spir. & lit ca 32. — Ambr. ser. 54.

5. *Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.* q.d. Dominus qui in die iudicij prædictas misericordias in eos qui ijs digni habebuntur, erogat, simul & eodem tempore faciet *iudicium omnibus iniuriam patientibus,* tum enim faciet vindictam electorum suorum ad se clamantium die ac nocte, Quod hic & alibi frequenter cõmemoratur propter infirmos, vt qui vindicari vult, à Domino in extremo iudicio expectet vindictam. Vindicta enim vltima iustè poscitur, quando nullus iam restat

correctionis locus extremo scilicet summoque iudicio, inquit Augustinus. *Epist. 5.*
Nunc verò cauendum est ne vindicandi cupiditate, amittatur, vt nihil aliud dicam, ipsa patientia. Hæc August. Circa cuius tamen doctrinam obseruandum est, quod vindictam à Domino in die iudicij expetere, infirmorũ, teste Cyrillo, Christianorum sit, Fortiores enim, inquit, iniurijs reddunt charitatem: Ex quibus erat Bernardus scribens in hæc verba. Extat quidem tribunal Christi, sed absit vt ad illud appellem vos, qui illic, si vobis necessarium, & mihi possibile esset, vellem magis totis viribus stare, & respondere pro vobis. Hæc Bernardus. Sed ab his conuertit se Psaltes ad enarrandam gratiam à Deo hominibus præstitam per nouum testamentum, quam vt efficacius illustraret, præmittit mentionem instituti veteris. Rigor enim veteris testamenti mirificè extollit & illustrat benignitatem ac suauitatem quam exhibuit Deus tempore testamenti noui. Dicit itaque: *Cyril 10 in Ioan c 30. Et Ambr 2 de Abr c 6 Bern epist. 213.*

Notas fecit vias suas Moysi. Per Moysen enim, inquit Paulinus, lucernam legis accēdit, Et per eum notas fecit, *filijs Israel voluntates suas*, His enim per Moysen præcepta viuendi & Deum colendi dedit, idque adhibitis minis & terriculis, vt incusso timore redderet eos suæ voluntati morigeros: Cæterum 7. *Paulin ep. 58 inter epistol. Aug.*

Miserator. i. misericordiam faciens *& misericors.* i. misericordia ipsa *Dominus, longanimis*, qui quadraginta annis mores veteris populi in deserto, vt refert Apostolus Paulus in Actis 13. & pòst multis annis in Palæstina sustinuit: Nec minoris longanimitatis indicia dedit erga gentes quas in impietate & cultu dæmonum perseuerantes in Christi vsque tempora longanimiter sustinuit, sed suæ longanimitatis recordatus, dixerat: Nequaquam maledicam terræ propter homines, sensus enim & cogitatio cordis eorum ad malum prona sunt omni tempore. *Et multum misericors.* Hic ergo, 8.

Non in perpetuum irascetur. i. in ira sua non in perpetuum continebit misericordias suas erga gentilitatem quam prioribus sæculis permisit ingredi vias suas; Sed cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur. *Neque in æternum comminabitur.* i. Pædagogia eius qua interminatis supplicijs populum Israëliticum ad obseruantias legis impulit & instigauit, non in æternitatem vsque locum habebit aut perdurabit. Quin potius, 9.

Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secũdum iniquitates nostras retribuit nobis, qui siue ex Gentibus, siue ex Iudęis gratiam eius consecuti sumus. Quid enim vita nostra ante perceptam eius gratiam exacta, aliud quam iram merebatur, & Dei prouocabat indignationem? Ipse verò non contentus non inferre nobis iram quam merebamur, 10.

Quoniam secundum altitudinẽ cæli à terra, corroborauit misericordiam 11.

ſuam ſuper timentes ſe.q.d.Cùm peccata noſtra contra eum contenderent, eique obluctaremur, vt gratiã eius auerteremus à nobis, ipſe miſericordiam ſuã *corroborauit*. i.in modum eius qui obſtaculũ aliquod perſringere parat vires eius quaſi in vnum collegit, vt virtute miſericordiæ ſuæ murum quem peccata noſtra tam demerito quam voluntaria auerſatione gratiæ eius opponebãt, quadam velut vi (per quam ex inuitis volentes faceret) illata perrumperet. Cuiuſmodi miſericordiam per ſimilitudinem nobis pulchrè deſcribit Bernardus in hæc verba; Intuere vtrumnam aliquid hunc dilectum auertere potuerit à dilecta, quo minus ei & peccanti & auerſę perſeueraret. Glomeratæ nubes radios ſolis offendere contendebant vt iniquitates noſtræ ſepararent, inter Deum & nos, ſed incaluit ſol & vniuerſa diſſoluit. De hac miſericordia, recenſitis prius compluribus humani generis & præſertim, Iudaicæ Gentis peccatis, etiam Iſaias loquitur in hunc modum. Vidit Dominus & malum apparuit in oculis eius, quia non eſt iudicium. Et vidit quia non eſt vir, & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat. Et ſaluauit ſibi brachium ſuum, & iuſtitia eius (qua ſcilicet voluit iuſtificare impium) ipſa confirmauit eum. Indutus eſt iuſtitia vt lorica & galea ſalutis in capite eius: indutus eſt veſtimentis vltionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli. Sicut ad vindictam, quaſi ad retributionem indignationis hoſtibus ſuis.q.d.ſi hanc Dei armaturam videres, diceres eum ſe his armis accinxiſſe vt inimicis ſuis vltionem inferret; cùm tamen hanc armaturã induerit, vt in inimicis ſuis ipſam inimicitiæ cauſam debellaret, & cum eis pacem ſempiternam conſtitueret. Cuius armaturæ effectum mox ſubijcit Iſaias & dicit: Timebunt qui ab occidente, nomen Domini; & qui ab ortu ſolis, gloriam eius, cùm venerit quaſi fluuius violentus (propter quod nos paulò ante diximus Deum quaſi vi illata miſericordiam ſuã hominibus per gratiam, pręſertim in principio præueniẽtem, obtrudere) quẽ ſpiritus Domini cogit, & venerit Sion redẽptor, & his qui redeũt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Dicit autẽ, *ſuper timentibus ſe*, non quod hæc miſericordia adornetur erga eos qui iam ante timent Deum, ſed adornatur erga eos qui non timent Deum, vt timeant Deum, & in timentibus Deum huius miſericordiæ effectus apparet, atq; adeo in ſuo hoc effectu ipſa relucet miſericordia. Quam etiam ſuper eoſdem corroborauit, *ſecundum altitudinem cœli à terra*. i. habita contemplatione ad ſublimitatem ſuam, qua, ſicut cælum terram, ita ipſe omnes terrigenas miſericordia, virtute, longanimitate, & reliquis bonis maximo interuallo excedit. Conuenire enim putauit vt ſecundum altitudinem ſuam. i.proportione facta ad altitudinem ſuam, miſericordiam ſuam, multiplicaret atque corroboraret ſuper filios hominum. Quale quid petebat ille qui Pſal.78. orabat, ſecundum magnitudinem brachij tui poſ-

ſide fi-

Ber ſer de nat.B.Mariæ.

Iſaiæ 59.

fide filios mortificatorum vt ibidem explicuimus: Vbi verò per prædictam suam misericordiam omnia mala merita & prima salutis nostræ obstacula superauit, & nos per gratiam præparantem ad iustificationem disposuit, priorem gratiam posteriore accumulans,

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates no- 12.
stras. i. per sacramenta regenerationis & reconciliationis peccata nostra eo interuallo à nobis distare fecit, quod comparari potest cũ interuallo inter orientem & occidentem interiacẽte. Non solum enim peccata nostra velut in occasu demersit, sed ex aduerso traduxit nos ad orientem. Remissis enim per aspersionem sanguinis Christi peccatis (peccata enim è nobis non mera condonatione, sed pretij applicatione, quam vocat Petrus aspersionem sanguinis Christi, expunguntur) simul iustitiam in nobis oriri fecit. Valet itaque hic versiculus ad probandum, impijs non dari remissionem peccatorum nisi infusa quoque ex aduersò iustitia: Quod ipsum & Apostolus insinuabat cùm diceret, Qui mortuus, siue Christo commortuus est, iustificatus (iustificatus, inquit, non expeditus) est à peccato, quia à peccato absolutus etiam iustus effectus est. Nunquid autem hæc tanta Dei miseratio in homine causam habuit? Habuit, non quidem meritoriam, sed hactenus, quia vt in Psalmum 88. versu 46. explicuimus, operæpretium erat atque adeo decebat Deum, vt miseria humani generis ad eius imaginem ab ipso conditi, eum ad subueniendum suo operi commoueret. De qua re subiungit Psaltes:

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. 13.
i. sicut pater iure quodam naturæ misericordia mouetur in filium calamitate quapiam deformatum, quia filius germen patris est, ita Deus cùm sit natura bonus, à se alienum duxit in suum opus suæque gratiæ munus non intendere, sed velut ex corde, vt ait Ieremias, abijcere omnes filios homi- *Thren.* 3.
num, quos ipse creauerat: Proinde misertus est Dominus timentibus se. i. misericordiam præstitit hominibus vt timerent eum. *Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* i. benignè recognouit nos secundum naturam, non quidem vt filius à patre, genitos esse, sed ipsius esse figmentum, & hac de causa ad eius benignitatem atque misericordiam pertinere. Ipse enim fecit nos & non ipsi nos.

Recordatus est. i. Cùm deformitas peccati decorem diuini operis in 14.
nobis multum obliterasset, eiq; quasi lituram induxisset, quo minus videremur opus Dei esse, ipse tamen Deus recordatus est *quoniam puluis.* i. de puluere ipsius opere facti & plasmati *sumus*. Nostro interim opere atque peccato, *homo sicut fœnum dies eius*, quia secundum animam absque Spiritusancto, qui est animæ vita, animaliter viuens, vt fœnum emortuus est.

Secundum corpus verò, *ſicut flos agri ſic efflorebit*. Petis id tibi demonſtrari?

15. *Quoniam ſpiritus* vitalis, qui eſt effectus ſpiraculi quod Deus plaſmato de terra hominis corpore inſpirauit in faciem eius, & factus eſt homo in animam viuentem: de quo ſpiritu & alibi, Non permanebit ſpiritus meus in æternum in homine, quia caro eſt. Hic ergo ſpiritus *in illo tranſibit*, quia à quo tempore corpori eius infuſus fuerit, continuo in receſſum à corpore feſtinabit. Corpus enim, quod ſpiritum hunc pertranſire facit, ſemper fluxum, inquit Baſil. atque deciduum redditur ex cõtinua mutatione. Corpus inquam, quod ſpiritũ tranſire facit. Quod enim morimur atque mortificamur, huius rei cauſa tota in corpore, & ex corpore eſt, inquit Tertul. Nam quiſquis ille eſt exitus mortis, ſine dubio, aut materiarum, aut regionum, aut viarum vitalium euerſio eſt: Materiarum vt fellis, vt ſanguinis: Regionum, vt cordis, vt iecoris: Viarum, vt venarum, vt arteriarum. Dum igitur ex propria quaque iniuriæ cauſa vaſtantur in corpore, aduſque vltimam euerſionem & receſsionem vitalium .i. naturalium finium, ſituũ, officiorum, neceſſariò & anima, dilabentibus paulatim inſtrumentis, & domicilijs, & ſpacijs ſuis; paulatim & ipſa migrare compellitur. Pertranſibit ergo ſpiritus in illo, Et vbi à corpore tranſierit, *nõ cognoſcet amplius locum ſuum* .i. corpus ſuum, quod eius naturalis locus eſt, Corpus enim emiſſo vel exſpirato ſpiritu ſic diſſoluitur, vt in eo nulla priſtini domicilij appareat forma vel compago. Itaque *homo ſicut fœnum dies eius*, quia in diebus vitæ huius per ſe ſpiritu Domini eſt deſtitutus. *& ſicut flos agri ſic efflorebit*, quia homo natus de muliere breui viuens tempore, ſicut flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et hæc quidem ex parte hominis circa Dei opus ita ſe habent,

Baſil in Pſal. 44. Tertull de anima c. 53

16. *Miſericordia autem Domini* in viſceribus eius ſuper figmentum ſuum aliena inuidia deformatum commota; *Ab æterno* prædeſtinationis, inquit Bernardus, *& vſque in æternum* glorificationis, inquit idem, *ſuper timentes eum*. i. apparet in hominibus Deum timentibus ſicut cauſa relucet in ſuo effectu, Alioqui in rei veritate *miſericordia Domini ab æterno* etiam ſuper timentes ſe, vt eos faceret timentes ſe. Cuius diuinæ miſericordiæ ordo & ratio fuit: Nam quia, vt Leonis verbis vtar, gloriabatur diabolus hominem ſua fraude deceptum diuinis caruiſſe muneribus, & immortalitatis dote nudatum duram mortis ſubijſſe ſententiam, incommutabilis Deus, cuius voluntas non potuit ſua benignitate fraudari, & cuius paterna viſcera non potuerunt ſuper figmentum ſuum contineri, primam ſuæ erga hominem pietatis diſpoſitionem, quæ erat, vt homo ſufficienter inſtructus ſaluus fieret ſi vellet, propoſito potiore compleuit; in æterna ſua miſericordia præordinans ho-

In Pſal. 90 ſerm 7. & epiſt. 107.

Leo epi. 10 c. 3 & ſer. 2. de Nati. Domini.

nans homini, præuisis multis demeritis, secundum suum propositum, gratiam, qua non tantum adiuuaretur si credere & operari vellet, sed vt eadem vellet, & per quam ipsum velle in homine infallibiliter proueniret. Præordinans simul vt gratia hæc efficax non aliquo solum tempore cum homine permaneret, sed *vsque in æternum*, siue vsque dum perduxerit eum in æternam beatitudinem, in qua sic confirmaretur, vt ab ea excidere absolutè non posset. His itaque verbis explicuit, atque adeo commendauit nobis Psaltes Dei paterna viscera quæ super hominem lapsum ac mortalem effectũ commota fuerunt, atque Deo ex parte figmenti sui causam dederunt, vt hominem lapsum, quod in Psalmũ 88. latius explicuimus, repararet. Quam Dei misericordiam implorabat Psaltes cùm ibidem in persona Iudæorum diceret, memorare quæ mea substantia: & Isaias; Tu fictor noster, nos verò lutum, & implorat passim scriptura sacra, cùm dicit; Opus manuum tuarum nos sumus, & similia in eandem sententiam. Quin & prædicta Dei misericordia, multò magis in plures abundauit, quia,

Et iustitia illius, qua ab ipso iustificatur impius, *in filios filiorum*, siue 17.
vt dicebat B. Maria idipsum prophetans, A progenie in progenies, *his qui seruant testamentum eius*,

Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea. Facit enim Deus 18.
misericordiam in millia his qui diligunt eum, ita vt in eorum gratiam, filij eorum secundum carnem, vel potius, filij quos per prophetiam vel Euangelium Christo acquirere satagunt, iustitiam à Deo accipiant, siue à Deo iustificentur, sicut de eis scriptum est; Hi sunt viri misericordiæ, quorum iustitiæ obliuionem non acceperunt. Cùm semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter eos in æternum manẽt: Cuius promissionis exemplum adhuc hodie extare arbitror in Religionibus à sanctis Patribus institutis, in quibus existimo pietatem & timorem Domini & sanctam disciplinam etiamnum hodie in gratiam, ac ob merita fundatorum perseuerare. Vt autem prædicta Dei ab æterno misericordia, ob accessum etiam alterius causæ locupletius constans ac infallibilis esset,

Dominus, Christus scilicet, *in cælo parauit sedem suam*. i. per suam œco- 19.
nomiam, qua ob salutem hominum perfunctus est in carne sua mortali, *parauit*, siue comparauit sibi sedem in dextera Patris, vbi etiam interpellat pro nobis. Quis ergo est qui condemnet? Hunc esse huius versiculi sensum vsus Ecclesiæ confirmat, qui eodem in hunc sensum contextui probè consentientem in officio Dominicæ ascensionis vtitur. Porrò in hac sede sua *Dominus* non tantum sacerdotem agit, sed etiam diuinæ authoritatis consors regiam suam exercet potestatẽ, de qua sequitur; *& regnũ ipsius omnibus*

dominabitur. Sedes enim tua, ô Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui, regens gentes in virga ferrea, & Ecclesię tuæ auspicia atque negocia victoriosissimè sic dirigens ac promouens, vt ipsa tandem omni-
Isaia 60. bus dominetur, & suo tempore in ea impleatur quod scriptũ est: Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Denique, quandoquidem regnum hoc non nisi per prædicationem Euangelij congregatur; & Euangelium non prædicent nisi qui mittuntur; Qui autem mittuntur, angeli Domini sunt: Vnde & Isaias prædicatores Euangelij alloquens: Ite, ait, angeli veloces: quia angelus officij nomen est, non naturæ; Hinc est quod Psaltes ad benedicendum Domino nunc angelos istos inuitet, tum quia eorum opera & eorum magna cum gloria Ecclesia prædictas Dei benedictiones experiri cepit, tum etiam quia ipsorum ministerium inter Dei beneficia est annumerandum. Hos ergo ad hæc inuitat his verbis:

20. *Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute*, tali virtute, de qua scriptum est; Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Et Psalmo 28. Vox Domini in virtute. *Facientes*. i. aptè & conuenienter concipientes *verbum illius*. *Illius*, inquit, Verbum enim quod prædicant, verbum Dei est & non verbum hominum, *ad audiendum vocem sermonũ eius*. i. vt vox sermonum eius ab omni genere hominum possit pro captu eorum audiri. Sic autem facitis siue componitis verbum eius, tam quoad internum sensum atque conceptum, quàm quoad verba quibus est enunciandum. Scitis enim sapientiã loqui inter perfectos; Lactare eos qui imbecilles facti sunt ad audiendum: Scitis & mutare, vt dicebat Apostolus, vocem vestram, prout pro captu & dispositione auditorum, in varias formas, salua tamen per omnia veritate, mutanda est. Et quidem huiusmodi prædicatoribus laus Deo dicenda est, siue fructũ adferant, siue non. Quia vero peculiaris Deo laus debetur cum verbum angelorum istorum in auditoribus fructificat, subdit Psaltes:

21. *Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius*, id est, qui in eo impletis voluntatem Dei, quod vestrâ operâ facitis homines facere voluntatem Dei, quos nempe fœcundissima, vt loqui-
Aug de S. Virg. ca. 5. tur D. Augustinus, fœcunditate parturitis. Isti dicuntur *virtutes*, opus est enim magna virtute spiritus vt facias alios diuinæ voluntati morigeros: vs-
Hier. in c. 4 ad Galat. que adeo vt D. Hieronymus eos qui hoc præstant, dicat transire in Apostolos. Possunt tamen hi duo versiculi æque probabiliter intelligi de angelicis spiritibus: Nam & illi faciunt *verbum* Dei *ad audiendam vocẽ sermonum eius*, quia prophetiam ac aliam veritatis manifestationem, quàm in æterno

Dei

Dei verbo vident, ita temperatè concipere norunt, talibusque ænigmatibus inumbrare, vt valeat ab hominibus, quibus eam reuelãt, commodè & prout oportet percipi. Quis enim hominũ qui nondum accepit lumen gloriæ, valeret ipſam veritatem prout in Verbo eſt, aut Verbum eſt, intelligere? Vt itaque poſſent homines vocem ſermonum Dei audire, angeli ſiue ſpiritus angelici *verbum faciunt*. i. in ea forma quæ hominum captui apta ſit, concipiunt. Qui angeli etiam Dei virtutes atq; miniſtri ſunt facientes Dei voluntatem, quia cum ſint adminiſtratorij ſpiritus, potenter exequuntur ea ad quę mittuntur. Porro concludendo pſalmum dicit Pſaltes:

Benedicite Domino omnia opera eius. Quo verbo nos hortatur, vt ex 22.
omnibus Dei operibus occaſionẽ & materiam deſumamus ad benedicendũ Domino, omniaque eius opera ad laudem eius conuertamus. Et addit: *In omni loco dominationis eius*. i. vbicunque demum terrarum Deus per gratiam ſuam dominatur; *Benedic anima mea Domino*, id eſt, Tu, ô anima mea ob id Deum benedicito, tametſi id ad te primariò non pertineat. Eſt enim, ait Bernardus, iugis quædam bonitas mentis & bene compoſiti animi, & ad patrem Deum in filijs Dei, bonitatis eius quædam ſimilitudo, orare pro omnibus ſemper, & gratias agere in omnibus. Et tot modis in oratione vel gratiarum actione in Deum ſe iugiter refundere, quot tam in proximi quàm in ſuis neceſsitatibus vel conſolationibus cauſales in hoc materias inuenit pius affectus. Hæc D. Bernardus.

Ad fratres de mõte Dei circa finem

PSALMVS CIII.
Ipſi Dauid.

SVperiore Pſalmo exhortatus eſt nos Pſaltes vt referamus Deo gratiarum actionem pro beneficijs eius ſpiritualibus; Hoc vero Pſalmo exhortatur ad id ipſum, ob ea quæ Deus hominibus in vſum ac ſolatium præſentis tantum ſæculi creauit: Sic tamen, vt ea quæ hic ad literam deſcribuntur, etiam allegoricè ſubinde intelligenda ſint; Et quæ ſic intellecta ſunt, etiam ad laudem Dei referantur.

Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus, magnificatus es. i. ex o- 1.
peribus tuis magnificus agnitus es *vehemẽter*. Dico, agnitus es; ex operibus namque Dei non eius gloria, inquit Proſper, ſed noſtra admiratio proficit.

Confeßionem & decorem induiſti. i. decentiſsimas, quæ te laudarent vel 2.
laudibus tuis materiam ſuppeditarent, creaturas, in circuitu tuo (in medio enim totius creaturæ tu es) condidiſti, ita vt ijs quaſi quodam veſtitu circumpoſitus eſſe videaris. Et in primis, Ipſe es *amictus lumine ſicut veſtimento*. Ipſe enim latente ſubſtantia tua, aliquando lumine, v.g. nube lucida, vel rubo ardente, vel ſimilibus modis amictus apparuiſti. In hunc

ſenſum

ſenſum hæc verba accipere videtur Athanaſius, tractatu de ſynodis Ariminiæ & Seleuciæ.

3. *Extendens cælum ſicut pellem.* Ex pellibus conficiuntur tabernacula. Cælum ergo extenditur ſicut pellis, quia per modum tabernaculi, inquit Ambroſius, reliqua elementa, & quæ in illis verſantur protegit, & vndique complectitur. *Qui tegis aquis ſuperiora eius.* Sunt enim aquæ ſupra cælos, quia firmamentum factum eſt in medio aquarum, diuidens aquas ab aquis. De qua re latius in Pſal. 148.

Ambr. 1. hexa. c. 6.

4. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum,* Pſaltes dum docet laudandum eſſe Deum ab eo quod ſub cælis creauit nubes, varia commoda humano generi afferentes; (præbent enim pluuias & refrigerium ab æſtu) Hic tamẽ vnicum ſolum vſum nubium recenſet, eo quod is præſtantiſsimus & digniſsimus fuerit, eſtque is, quod Chriſtus cælum conſcendens, poſuerit nubem aſcenſum ſuum: nube enim ſubnixus cælorum ardua conſcendit. Vnde & Daniel vidit filium hominis venientem cum nubibus, & peruenientem vſque ad antiquum dierum. Sub hoc tamen vſu nubium Pſaltes reliqua earum commoda intelligenda relinquit. *Qui ambulas ſuper pennas ventorũ:* Vel quia aſcendendo ſupergreſſus es omnes choros angelorum, Vel, quia venti qui ob pernicitatem pennati dicuntur, poteſtati tuæ ſunt ſubiecti. Ob id autem Deus rectè dicitur ſuper eos ambulare, quia & Chriſtus ſe maris poteſtatem habere ſignificauit per hoc, quod ſupra illud ambulauit.

5. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus.* i. eos qui natura ſpiritus ſunt, quò & ad quæ vis mittẽdo, facis eſſe Angelos tuos, inquit Auguſtinus. *Et miniſtros tuos ignem vrentem.* i. Angelos qui ob ardentiſsimum impulſum quem habent ad imitandum te, & ad diuinam tuam ſimilitudinem in ſemetipſis quantum fieri poteſt exprimendam, ignis vrens, teſte Dionyſio, dicuntur; Hos, inquam, facis tuos miniſtros, mittens eos in miniſterium propter eos qui hæreditatem capient ſalutis.

Aug. 15 de Ciuit c. 23

Dion de cæleſt. hierarr. c. 13. et 15

6. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Secundum noſtram lectionem relatiuum, *ſuam,* terram refert, diciturque terra fũdata ſuper ſtabilitatem ſuam, quia per naturalem appetitũ medium in toto vniuerſo locum ſtabiliter appetit, & intrinſeca ac propria ſtabilitate eo in loco requieſcit. D. tamẽ Ambroſ. hunc verſum legit in tertia perſona, hoc modo: Qui fundauit terram ſuper firmamento eius; refertque relatiuum, eius, ad Deum fundantem, docens vna cum Baſilio, ſtabilitatem terræ principaliter prouenire ex voluntate Dei: Sicut & diuina voluntas præcipua cauſa eſt ſtabilitatis Eccleſiæ per vniuerſam terram diffuſæ. Cuius ſtabilitas hic per allegoriam innuitur. *Non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* i. loco ſuo nunquam mouebitur.

Ambroſ. 1. hexa. ca. 6.

Baſil. hom. 1. opificij.

Abyſſus

Abyssus.i.aquarum cōgeries ad cuius fundum haud facile penetrare possis deorsum versus, inquit Basil. *velut vestimentum amictus eius*, quia terra mari vndique cingitur, mediisque abyssis innatat, & tamen nec in hanc, nec in illam partem impellitur. Per quod significatur Ecclesiam in medio malorum positam, inter eos tamē immobilem perseuerare. *Super montes stabunt aquæ*.i. Sic subinde intumescit mare, vt mōtium sibi circumpositorum altitudinem superet & supra sua littora eleuetur. 7. *Basil. hom. 2. opificij.*

8. *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt*. Metaphoricus est sermo, quia sicut mare, cum, eo quo dictum est modo, intumescit, figurato sermonis genere dicitur insolescere, sic è diuerso, Deus insolētiam eius virtute sua cohibens, competenter & eodem sermonis genere dicitur insolentiam hāc increpare, & sonitu terrifico (sic enim cohiberi solent homines) compescere. Quamquam hoc ad literam de Christo intelligi posit, qui, teste Luca, increpauit mare & fecit tranquillitatem. Per hanc vero maris insolentiam persecutionis tumor conuenienter intelligitur, qui similiter Domino iubente postmodum sedatur.

9. *Ascendunt montes & descendunt campi, in locum quem fundasti eis*. i. montes illam altitudinem, & campi tam decliuem sortiuntur planiciem, quam tu præordinando eis fundasti. Ad quem modum etiam hominum aliqui sublimitatem, aliqui mediocritatem in Ecclesia obtinent, prout Dominus in eis præparauit: de quo dicit Sapiens: Omnes homines de solo, & *Eccles. 33.* ex terra vnde creatus est Adam, & Deus ex illis exaltauit & humiliauit.

10. *Terminum posuisti quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram*. Nec enim poterunt montes in altiora quàm eis constitutum est consurgere, nec valebunt corruēdo valles implere: Sicut nec hominū aliqui ad maiora vtiliter peruenire poterunt quam eis à Domino constitutum est, qui etiam sublimes conseruat ne è sublimi in perniciem corruant.

11. *Qui emittis fontes in conuallibus*. Ad quem modum etiam fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam scaturire facit in humilibus. Vt exponit Bern. *Inter medium montium pertransibunt aquæ*. *Bern. ser. 4. in vig. nat. Greg. hom. 19. in Eze.*

12. *Potabunt omnes bestiæ agri, expectabūt onagri in siti sua*. Flumina enim fere inter montes perfluunt, hac Dei prouidentia, vt animalia quæ in montibus pascuntur potum in promptu habeāt. Ad quem modum etiam doctrina veritatis inter medium montium transit, quia nemo, quantumuis sublimis sit in Ecclesia, doctrinam veritatis suam esse dicit, & proinde, tanquam rem alterius, & omnium saluti destinatā, per medium omnibus expositam pertransire sinit. Quæ veritatis doctrina, quia teste D. Prospero, habet vnde & *Prosp. sent. 8* paruuli & magni pro sua capacitate alantur, dicitur hic, quod de aquis inter medium montium transeuntibus potent omnes bestię agri, quia vulgus ho-

minum doctrina veritatis promiscuè reficitur: Onagri verò, per quos spirituales intelliguntur, has expectant in siti sua, quia veritate nūquam saturi, eius vberius percipiendæ semper auidi sunt.

13. *Super ea*, siue, Super eos, montes videlicet *volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces*. Ad quem modum etiam spirituales in sublimibus versantur, ac sermones suos scripturis sacris confirmantes, de meditullio scripturarum, quasi de medio petrarum, (Sunt enim scripturæ in modū petrarum solidæ) voces dare videntur. Quapropter reprehēdit Au-
Aug in hūc locum. gustinus eos qui neglectis vocibus petrarum, in sermonibus, quos de rebus ecclesiasticis habent, Platonem, Ciceronem, & similes crepant.

14. *Rigans montes de superioribus suis*: Non enim humectari possunt montes nisi pluuijs. Ad quem modum sunt quidam in Ecclesia, qui non homine aliquo docente, sed Spiritusancto desuper sapientiam infundente, docti euadunt. Qualis erat Paulus; cui illi qui videbantur aliquid esse, nihil eruditionis contulerunt. Inter quos fuit & Antonius, qui absque doctore sacras
Aug. prol. de doct Ch. literas prudenter meditādo intellexit, inquit D. Augustinus. Quales etiam
Idem epist. sunt permulti qui sunt humiles corde. Hi enim, teste eodem, plus cogitādo
112 in princip & 120 in fine. & orando proficiunt quam legēdo & audiendo. Qui rectè montibus comparantur, quia vt cælo maximè propinqui, ita reliquis qui per homines eru-
Greg 1. moral. cap. 1. diuntur sunt præferēdi; quia reliqui, etiam doctores, eis cedant necesse est, quos testimoniorū meditatione cælestium, doctrina Dei docentis imbue-
Amb. ser. 13 in psal. 118 versu 3. rit, inquit Ambros. *De fructu*.i. vbere prouentu *operum tuorum* quibus das industriam & semen seminanti, & seminibus siue in terram per agricolas missa fuerint, siue in ipsis terræ visceribus recondita, ac per eam passim respersa, dans proprium corpus, primò herbam, deinde spicam, postmodum plenum frumentum in spica: De his inquam operibus tuis *satiabitur*. i. ad satietatem vsque omni genere frugum replebitur *terra*; Per hæc

15. *Producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum*. i. animalibus, in hominum seruitutem varijs in rebus à te creatis. Ad quē modum de fructu eruditionis & pietatis quam Dominus in eis quos desuper rigauit operatus est, satiatur terra. i. terreni homines, quia eorum ministerio & ipsi veritate ac pietate imbuuntur. Quæ terra vicissim producit fœnum iumentis, & herbam seruituti hominū, quia ministrantibus sibi spiritualia ad sufficientiam temporalia rependit: Quin & de fructu operum tuorum satiatur terra,

16. *Vt educas panem de terra* serunt namque homines frumenta in panē sibi. *Et vinum lætificet cor hominis*, quia vinum in iucunditatem creatum est, non in ebrietatem ab initio: Et,

17. *Vt* homo *exhilaret faciem in oleo*. Vnctione enim olei quo capita sua veteres vngebant, procurabant sibi ac demonstrabant lætitiam mentis:

Quo-

Quocirca etiam Dominus ieiunantes ad mentis hilaritatem, teste Ambrosio, inuitans, vnge, inquit, caput tuum oleo. *Et panis cor hominis cōfirmet.* Panis enim solidissimum præstat nutrimentum quo confortetur corpus, & per id cor hominis, quod alioqui languente corpore etiam languet. Quocirca etiam alibi panis firmamentum vocatur. Cæterum, de fructu operum Domini etiam satiatur terra, vt Dominus educat præstantiorem panem, panem inquam, sacræ Eucharistiæ, de terra. Hæc enim conficitur de terrena substantia. Qui panis cor hominis per spiritum Christi confortat: Eo enim sumpto Paulus recēter baptizatus, cōfortatus est. De ea producit Dominus & vinum calicis Christi, quod lætificat cor hominis, eo enim epoto, mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgētiæ, inquit Cyprianus, lætitia resoluitur. Producit de ea & oleum, quod faciem exhilarat, eo enim Christiani ab Episcopis in facie secundum frontem vncti, mentis suæ, quam per Spiritum sanctum inuisibili vnctione simul acceptum gerunt, hilaritatem in facie ostentant.

Ambros. de Elia & ieiu. cap. 10.

Cyp. epi. 63

Saturabuntur ligna campi. i. homines qui plana inhabitant, seu nulla sublimitate eminent, *Et cedri Libani quas plantauit.* i. potentes sæculi, quibus ipse prouidentiâ suâ potentiam tribuit & sublimitatem. Vtrique enim pro deuotione sua sacramento Eucharistiæ nutriuntur. *Illic.* i. in cedris libani *passeres nidificabunt*, quia qui spirituales sunt in Ecclesia, passerum nomine significati, illis qui in sæculo potentes sunt, multum sunt addicti, eisque quamplurimum adhærent: & dum eorum gratiæ ac beneuolentiæ se magis ac magis insinuant, quid aliud quam quasi passeres in illis nidificant, vt eorum protectione defendi, humanitate recreari, sublimitate à cōtemptu vindicari, opibus quasi in quodam nido foueri contingat? Vt autem hæc absq; periculo suæ salutis transigant, faciant in se locum habere quod sequitur: 18.

Erodij domus dux est eorum. Erodius seu fulica nidificat in petra: Petra autem Christus: Isti ergo passeres Christum omnium actionum suarum ducem accipiant, & ante omnia præ oculis habeant quid Christo placeat, quid Christum sapiat, quídve sibi secundum Christū agendum sit. Monendi enim sunt istiusmodi, inquit Cyrillus, ne vnicuique morem gerere studentes, libertatem amittant. Quapropter nec Apostoli, inquit Irenæus, colloquebantur cum ijs ad quos missi erant secundum præsentem opinionem (in qua scilicet homines inueniebant) sed secundum manifestationem veritatis. Nec enim quilibet homines rectè facient si cæcos iamiamque per præcipitiū ferri incipientes adhortentur insistere illi periculosissimæ viæ quasi viæ rectæ, & quasi tandem peruenturi sint; Quis autem medicus volens sanare ægrotum, faciet secundū concupiscentias ægrotantis, & non secundum quod aptum est medicinæ? Hæc Irenæus. *Montes excelsi ceruis*, quia qui ala- 19.

Cyril 16 in Ioan c 26. Ireu li. 3. c. 5. & 12.

critate ſpiritus prædi ti more ceruorum venena deuorare abſque nocumẽto potuerunt, ad diuinarum rerum conſiderationem mentes ſuas ſublimium rerum participatione reficiendas attollunt. *Petra.* i. Chriſtus ſecũdum humanitatem *refugium herinaceis*: Herinaceus paruum eſt animal fugax & ſpinarum ſentibus prægrauatum, inquit Hieron. Per quod ſignificantur homines mente paruuli, peccatis onerati, atque damnationis metu timidi. Qui vt metu atque onere ſuo ſoluantur, ad humanitatem & paſsionem Chriſti confugiunt. Hæc eſt enim quæ paruulos & peccatores ſuo ſinu principiò excipit, & poſtmodũm corroboratos & expiatos ad ſuæ diuinitatis contemplationem attollit.

Hier. epiſt. 8. cap. 5.

20. *Fecit Lunam in tempora.* i. vt ſecundum incrementum & defectum mutaretur per tempora: Vel, vt per curſum Lunæ computarentur tempora. Quod nunc quidem extra vſum eſt, olim autem Hebræi menſes ſuos ſecundum Lunæ curſum computauerunt. Vnde & tertio quoquo anno habuerunt annum tredecim menſium. *Sol cognouit occaſum ſuum*: Sol enim non mutatur, ſed occumbendo aſpectibus humanis ſubducitur. Quo ſubducto,

21. *Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt oẽs beſtiæ ſiluæ,*

22. *Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.* Dicuntur à Deo quærere, quia tametſi Deum præ oculis non habeant, eſcam tamen niſi prouidente Deo non poſſunt accipere. Per noctem D. Auguſtino ſignificatur poteſtas tenebrarum diabolo facta, vt tentationibus pulſet vel exagitet nos: Ipſe autem accepta hac poteſtate, quęrit à Deo eſcam ſibi, quia neminem poteſt ſuperare, niſi qui à Deo dignus iudicetur qui tradatur, inquit Auguſtinus, deuorandus in fauces tam crudelis inimici. D. Hieronymus verò per huius loci noctem illud tempus intelligit, in quo dormiunt paſtores eccleſiarum (qui enim dormiunt, nocte dormiunt) Ipſis enim dormientibus, omne genus vitioſorum hominum, per beſtias ſiluæ ſignificatum ad malefaciendum exurgit. Qui non incõmodè dicuntur hunc cibum à Deo quærere, quia nõ poſſunt plus mali exercere, quam Deus ipſis permittit. Præter hoc tamen ſignificatur hic & alia nox, quæ obuenit menti humanæ cum lumen & feruor diuinæ gratiæ incipit in ea Deo permittente occumbere & flacceſcere: Qua nocte poſita, ſtatim inſanientes beſtiæ malarum cupiditatum, (vt eas Cyprianus in Pſal. 100. allegatus appellauit) incipiunt velut ex latebris quibuſdam prodire, & in congrua ſibi efferueſcere opera.

Serm. 157. de tempore

Hiero in c. 34. Ezech.

23. *Ortus eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Feræ enim exoriente ſole antra ſua repetunt. Dæmones Chriſto, manifeſto aliquo iudicio, vt D. Antonio contigit, vel in ſignó ſanctæ crucis, Imò in inuocatione ſui nominis apparente, fugiunt. Diſciplina euigilante, malefici

malitiam

malitiam suam cohibentes eam intro in corda sua recipiunt, sicut scriptum est; Ponens in thesauris abyssos, quia Deo Ecclesiæ disciplinã resuscitante, mali, profundi sui cordis malignitatem intra semetipsos concludunt. Denique, gratia Christi reflorescente, cupiditates à motibus suis requiescentes se in intimas animæ latebras denuo abdunt.

Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. i. 24.
Exoriente sole resumuntur ab agricolis intermissa opera, Resurgente disciplina, officium legitimum repetit aut resumit Respublica; Resurgente gratia, reuiuiscũt virtutum opera. Hæc omnia tam quoad literam quàm quoad mysterium perspecta habens Psaltes præ admiratione exclamat

Quam magnificata sunt opera tua Domine, Quia ita magnus es in ope- 25.
ribus magnis, vt minor non sis in minimis. Ars enim diuina in suo quæque
genere perficiendo vbique perfecta est, inquit Augustinus. *Omnia in sapiẽ-* *Aug. 21. cõ.*
tia fecisti. i. In coæterna tibi sapientia omnia non nisi sapienter disposuisti *Faust. c. 5.* *Tertul. de*
& congruentissimè. Vbi notat Ambr. hic non dici sapientiã fecisti, sed *om-* *anima c. 10*
nia in Sapientia fecisti. Si enim, inquit, cum omnia in Sapientia facta sunt, *Ambros. 3.* *de fide c. 3.*
etiam ipsa Sapientia facta est; iam Sapientia deterioris conditionis esset quam reliqua, quia reliqua in Sapientia facta sunt, & proinde sapienter; Ipsa autem Sapientia fieri non potuit in Sapientia, quia nihil potest fieri in seipso. *Impleta est terra possessione tua*. i. Reples tu præsentiã essentiæ tuæ omnem terram, & sic quasi possides eam Vel, Repleta est terra rebus, quæ ratione creationis possessio tua sunt.

Hoc mare magnum & spatiosum manibus. Multi enim sunt sinus & ve- 26.
lut brachia maris. *Illic reptilia*. i. pisces per mare quasi repentes, *quorum non est numerus.*

Animalia pusilla cum magnis illic naues pertransibunt. Hoc etiam ad 27.
Dei magnificentiam atque adeò laudes eius refertur, Naues enim artifex
sapientia fabricauit sua, tua autem, inquit Sapiens, pater gubernat prouiden- *Sapien 14.*
tia, quoniam dedisti & in mari viam & inter fluctus semitam firmissimam, ostendens quoniam potens es ex omnibus sanare, etiamsi sine rate aliquis adeat mare, sed vt nõ essent vacua sapientiæ tuæ opera, propter hoc exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.

Draco iste quem formasti ad illudendum ei, Leuiathan est cetus maximus 28.
cui à piscibus illuditur, quia dum eius ingluuiem fugientes ad littus se recipiunt, ipse eos eousque insequendo impingit in littus, & à piscatoribus capitur. *Omnia à te exspectant, vt des illis escam in tempore.* Nihil enim horum escam accipit nisi te donante.

Dante te illis colligent: Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur 29.

bonitate, quia te eis escam conuenientem donante nutriuntur, refocillantur & conseruantur in bono suæ naturæ. Porro sicut *mare* sæculum significat, ita draco iste vel Leuiathan significat diabolum & angelos eius, iuxta
Isaiæ 27. Isaiam, & Augustinum. Quem cùm Deus bonum creauerit, & ordinaue-
Aug. 11. de Ciuit. c. 17 rit ad vitam æternam, dicitur tamen eum formasse ad illudendum ei, quia cum eum ad vitam æternam conderet, futurę eius malignitatis, inquit Aug. non ignarus, per suam præscientiam simul præparabat Deus, quomodo eo vteretur & malo: Neque enim Deus, ait cap. sequenti, vllum, non dico angelorum, sed nec hominum crearet, quem futurum malum esse præscisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum vsibus accommodaret: atque ita ordinem sæculi tanquam carmen pulcherrimum ex quibusdam quasi antithetis, quæ Latinè dicuntur opposita, honestaret. Hæc Augustinus. Illuditur autem huic draconi, cùm tentationes eius prosunt Sanctis, quos per
Aug. 11. de Gen. ad lit. cap. 22. eas deprauare conabatur, inquit idem: *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore.* Quia nec diabolus (qui ob id quod tentationibus pascitur, ab Apostolo Paulo is qui tentat vocatur) aliquem tentare posset, nisi à
D. Thomas opusc. cont. retrah. c. 10 Deo acciperet facultatem. Quod Augustinus frequentissimè demonstrat ex eo quod sibi petiuerit Iob concedi ad affligendum. Tametsi autem hoc quod dicitur: *omnia à te expectant*: & quod sequitur, *dante te illis colligent*; tam literæ quàm mysterio competat, id tamen quod sequitur, *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*, rei figuratæ non cõpetit: Non enim bonitate repletur draco per id quod ei ad libitũ tentare permittitur, & quos superauerit, deuorare. Nihilominus, Deo manũ aperiente ad naturam draconis huius conseruandam, & ipse à Deo impletur bonitate, quia vt natura diaboli bona est, ita & bona naturę diabolicę cõseruatio.

30. *Auertente autem te faciem.* i. te prouidentiam tuam circa ea quæ creata sunt contrahente, *turbabuntur.* i. pacem appetituum suorum naturalium habere non poterunt, quia necessario sibi nutrimento destituentur. *Auferes spiritum eorum.* i. non conseruando, spiritum eorum vitalem marcescere facies atque intermori, *& deficient.* i. in mortem deuenient. Ne autem putarentur in nihilum redigendi, subijcitur: *Et in puluerem suum reuertentur*; quia materia ex qua sunt, redibit ad id vnde formata erat; non enim decet Deum aliquid in nihilum redigere. Permittit autẽ Deus ea quæ crea-
Aug. ca. 41 cont. epist. fundam. uit emori, pro rerum gradibus, ait Augustinus, aut meritis animarum. Irrationalia itaque moriuntur, quia naturæ eorum non sunt tam præstantes vt conueniat eas esse immortales: Homines verò quibus ob animæ rationalis præstantiam conuenit totius compositi immortalitas, permittit Deus mori in vindictam peccati. Sed quia creaturis decedentibus aliæ eiusdem speciei succedunt, quamdiu stabit hoc sæculum, subiungitur:

Emitte

Emitte spiritum tuum & creabuntur, in sui similibus siue alijs eiusdem 31.
speciei indiuiduis. *Et renouabis faciem terræ*.i.mundi pulchritudinem per interitum multarum rerum collabentem, consimilium rerum iugi creatione instaurabis. Vbi notandum est, quod cùm spiritus nomine intelligatur Angelus, Anima, tam brutorum quàm hominum, (quis enim scit si spiritus filiorum horum ascendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum?) & etiam Ventus, hoc loco spiritus nomine, teste diuo Ambrosio, non sit intelligendus nisi Spiritus sanctus. Idque, non tam quia dicitur *spiritum tuum*; cùm etiam creati spiritus suo modo spiritus Domini sint, sed quia additur: *& creabuntur*: Creatio enim non nisi per Spiritum sanctum fieri potest. Voluit autem Psaltes Spiritus sancti mentionem hoc loco adducere, vt ex eo quod à principio Psalmi Deum est allocutus; Deinde, fecit mentionem filij; Nunc demũ Spiritus sancti: doceret omnia hæc opera in quibus Deum prædicat esse vehementer magnificatum, vno opere S. Trinitatis perfecta esse, & etiamnum perfici ac restaurari. Ob quam causam & teste Augustino, postquam in Genesi dictum est, In principio.i.filio suo, creauit Deus cælum & terrã; paulò post additur, Vidit Deus; Quibus verbis indicatur diuinæ operationis cõsors esse Spiritus sanctus. Porro D. Basilius ex hoc versu probat resurrectionem mortuorũ fieri per Spiritum S. Videtur enim id quod dictum est, *Auferes spiritum eorum & deficient*, de hominum morte intellexisse. D. verò Augustinus hunc versum cum præcedentibus putat melius intelligi spiritualiter. In quem sensum etiam Ecclesia eo vtitur, idque hoc modo: *Auferes*, per gratiam tuam, *spiritum* superborum, qui tum *in puluerem suum reuertentur*, quia ablata superbia agnoscent quod sint puluis & cinis, & semetipsos arguendo dicent; Quid superbit terra & cinis? Accepto verò Dei spiritu *creabuntur* in nouum hominem & dicent; Viuo iam non ego, viuit vero in me Christus. Sic, inquit, innouatur facies terræ per noui testamenti gratiam numerositate, & noua, inquit, ac insolita conuersatione sanctorum.

[Margin: Ambr c.16 de Noe & arca. — Aug. 11. de Ciui. c. 32. — Bas ep. 141 — Aug. 10 de Gen ad lit. cap. 8.]

Sit gloria Domini in sæculum.i.glorificetur Deus in suis operibus in sæ- 32.
culum. *Lætabitur Dominus in operibus suis*.i.videbit Deus opera sua quod sint bona, & approbabit ea. Deus enim de operibus suis alia ratione non lætatur. Quapropter August. referens Platonẽ dixisse, quod Deus post rerum omnium creationem gaudio elatus fuerit, dicit eundem non vsque adeo desipuisse, vt putauerit Deum sui operis nouitate factum beatiorem: Sed illis verbis, inquit, ostendere voluit Plato, artifici suo placuisse iam factũ, quod ante placuerat in arte faciendum. Quanquã D. Atha. Deo gaudium de creaturis suis tribuere videatur, scilicet hactenus, quia gaudet suam in eis voluntatem esse impletam, vt in Psalmum 59. ex D. Thoma diximus.

[Margin: Aug. 11 de Ciuit. c. 21.]

Qui re-

33. *Qui respicit terram & facit eam tremere.* i. solo nutu suo ciere potest terræ motum. *Qui tangit montes & fumigant.* Impletum est hoc in Sina, qui fumabat totus cum Dominus in eum descenderet. Psaltes verò postquam optauit Deum in suis operibus in sæculum glorificari, nũc suam erga Deum deuotionem exponit, & de semetipso dicit:

34. *Cantabo Domino in vita mea.* Et in laude ac gratiarum actione, *psallam Deo meo quamdiu sum.*

35. *Iucundum sit ei eloquium meum.* Sed quia Deus sua beatitudine plenissimus, nostra laude oblata sibi delectari propriè nõ potest, Psaltes quasi corrigens id quod dixerat, Iucundum sit ei eloquium meum; addit: *Ego verò delectabor in Domino.* q.d. quid ego dico, Iucundum sit ei eloquiũ meum; cum ipse semetipso plenus sit, Itaque si eloquium meum aliquid, quod delectabile sit in medium adferre potest, id delectabit & facit me cum mei similibus delectari in Domino. Quia verò opera Dei hactenus ad literam enarrata, etiam peccatorum vsibus deseruiunt, ne vsus ille putaretur fore perpetuus, addit Psaltes:

36. *Deficient peccatores à terra & iniqui,* quia terra à suis, quas ab ijs patitur, contumelijs aliquando vindicabitur & purgabitur. *ita vt non sint.* i. vt nihil terrenæ fœlicitatis eis tum adhæreat. Quod quia Deus iusto suo exequitur iudicio, pro hoc Dei iudicio, *Benedic anima mea Domino.*

PSALMVS CIIII.

Alleluia.

PSalmus conscriptus est in laudem Dei, quem præcipuè laudat à fide, qua tantopere implet promissa, vt ea de causa ingentia & mirabilia portenta varijs in locis præstiterit. Laudat eum simul à dilectione qua Patres Abraham, Isaac & Iacob, tam ardenter complexus & tanto studio prosecutus est, vt in eis locũ habere videatur illud Prophetæ, Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Hic enim declaratur quod Deus eos circumducendo, custodierit vt pupillam oculi sui: Quodq́ue eos in eo habuerit pretio, vt eorum causa putauerit sibi ne regibus quidem esse parcendum. Quem quidem Psalmum conscriptum esse putamus, primariò, vt populus Israel iam terra promissionis potitus, per eum informaretur ad laudem Dei, Præter eum verò omnes etiam Christiani, tum, quia ex ijs quæ hic Patribus exhibita referuntur, manifestatur fides qua Deus tempore noui testamenti electis suis implet promissa; & simul dilectio qua in eos propendet quantoq́ue eos habeat in pretio: Tum etiam quia per ea quæ hic narrantur, iam ab illis temporibus præparabatur Ecclesia, cuius vnitate & gloria nos in præsenti tempore fruimur & lætamur.

Confi-

Confitemini Domino & inuocate nomen eius, annunciate inter gentes o- 1.
pera eius. Fecerat enim Deus Patribus quæ hic referuntur magnalia, vt fa-
ceret sibi nomen, & his stupendis operibus per Gentilitatem peruulgatis,
gentes (quas ne illis quidem temporibus sine sui testimonio reliquit) ex il-
lis Dei veri nonnullam notitiam conciperent, & erga eum reuerentiam.

Cantate ei & psallite ei, narrate omnia mirabilia eius. Hoc cum versu 2.
præcedenti eodem pertinet.

Laudamini in nomine sancto eius. i. laudi vobis est quod appellemini po- 3.
pulus Dei & Deus verus in medio vestrum sit. Hoc enim nomine glorifi-
camini (vt futurum augurabatur Moyses) ab omnibus gẽtibus. Populorum
siquidem alij in curribus, alij in equis, vos autem in nomine Dei vestri ma-
gnificamini. Vos itaque gloriam hanc vestram in Dei laudem & glorifica-
tionem conuertite. *Lætetur cor quærentium Dominum.* Quærentium di-
cit, non inuenientium, inquit August. Cùm enim certum sit Deum se præ- *Aug. 15. de*
bere inueniendum quærentibus se, (non enim dixi Iacob, inquit Isaias, fru- *Trinit. c. 2.*
stra quærite me) quicunque Deum quærit, is in spe inueniendi iam debet
gaudere.

Quærite Dominum & confirmamini. i. nolite quærendo fatigari aut de- 4.
ficere, sed in quærendo fortiter persistite. Vel, *Confirmamini.* i. quærendo
Deum ab ipso roboramini. Ipsum enim quærere Deum, quoddam à Deo
inditum robur mentis est, quanto magis inuenire! *Quærite faciem eius.* i.
præsentiam eius, qua per illuminationem vultus sui super vos, vobis pręsens
& in vobis sit *semper.* Dicit *semper*, quia Deus, vt inueniendus quæratur
occultus est, inquit Aug. & vt inuentus quæratur est immensus. Non ergo *Aug. tract.*
dictum est, quærite faciem eius semper, quemadmodum de quibusdam di- *65. in Ioā.*
citur, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, sed
potius sicut ille ait, Cùm consummauerit homo, tunc incipiet; Quia quan-
tumcũque multa repererit homo, semper inueniet sibi superesse quod quæ-
rat, vel in quo proficiat. Deus enim, vt docet Irenæus, semper habet & plu- *D. Irea. l. 4.*
ra metiri domesticis, & proficiente eorum erga eum dilectione, plura & *cap 32.*
maiora donare. Et alibi. Quemadmodum Deus semper idem est, sic homo *Iren. eiusdē*
in Deum intentus semper proficiet ad Deum. Neque enim Deus cessat ali- *lib. cap 24*
quando in benefaciendo & locupletando semper quærentem.

Mementote. i. ad memoriam reuocate *mirabilia eius quæ fecit.* Patri- 5.
bus, Moysi, & populo eius, *Prodigia eius*, in exitu Israel de Ægypto facta,
& iudicia oris eius, quæ ipse vel per se dixit corripiendo, arguendo, incre-
pando, Laban, Abimelech regem Geraræ, & regem Ægypti. Vel, quæ per
Moysen in Pharaonem exerceri ore suo ipse mandauit. Hęc inquam ad me-
moriam reuocate ô vos qui estis

6. *Semen*.i.posteri fide & carne *Abraham*, & vt Abraham, estis *serui eius filij Iacob electi eius*. i. qui, vt Iacob, estis electi Domino in populum peculiarem, vel, qui ad electionem quæ in Iacob manifestari cepit, pertinetis.

7. *Ipse Dominus Deus noster*.i.ipse idem Deus Abraham, Isaac & Iacob etiam Deus noster est, & qualis erga illos fuit, talem quoque se nobis exhibet. *In vniuersa terra iudicia eius*. q. d. tametsi non sit Deus omnium, per misericordiam, est tamẽ Deus vniuersæ terræ exercendo in ea iudicium & iustitiã. Vel, *in vniuersa terra iudicia eius*, quia iudicia quæ exercuit in eos qui Abrahã, Isaac, Iacob, & electo populo eius aduersati sunt, fama peruulgante, ad vniuersæ terræ notitiã peruenerunt. Confitemini verò ei, quoniã

8. *Memor fuit in sæculum testamenti sui*. q. d. quantumuis inter promissionem ad patres nostros factam & eius effectum, multa intercesserint tempora multæque difficultates quæ effectui videbantur obstaculum obijcere, nunquam tamen eum promissi sui vllo vnquam tempore cepit obliuio. Et, quod idem est, memor fuit *verbi quod mandauit in mille*.i.omnes omninò, inquit Augustinus, *generationes*. Mandauit enim, vt dicta sua promissio, tanquam per quam fidem suam aliquãdo testatam facere vellet, ad omnium generationum deueniret cognitionem, vt ex eo omnes discerent quod ipse quam beneuolus est in promittendo, tam potens & fidelis sit in præstando. Sed quibus dictum testamentum aut promissio facta est?

Aug. 20. de Ciuit. c. 7.

9. *Quod disposuit ad Abraham*. Disposuit, inquit, quia promissionem, de qua hic sermo, Deus Abrahæ primo detulit. *& iuramenti sui ad Isaac*. Iuramentum enim ad Abraham factum etiam coram Isaac Deus repetiuit.

10. *Et statuit illud Iacob in præceptum*.i.confirmauit idipsum iuramentum Iacob in promissionẽ inuiolabilem. Dicitur enim alicui quid statui in præceptum quod ei sic præfinitur, vt non liceat ei idipsum præuaricari. *Et Israel*.i.eidem Iacob qui & Israel dictus est, *in testamentũ æternum*.i.in promissionem effectu suo nunquam fraudandam. Quocirca etiã Dominus per scripturas sacras frequẽter declarat se populum Israel in terram promissionis introduxisse, vt compleret pactum quod pepigit cum Abraham, Isaac & Iacob. Verba autem dicti testamenti quod disposuit ad Abraham, hæc erãt:

11. *Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ*.i sorte in successores vestros diuidendam ac distribuendam: Quæ promissio patribus istis facta est,

12. *Cùm essent numero breui*. Nondum enim excreuerant in gentẽ aliquam, & qui de illis erant geniti, pauci erant numero, *paucissimi & incolæ eius*. i.peregrini terræ Chanaan. Noluit autem Dominus terram promissam ipsis concedere, sed voluit eos multis laboribus varijsque peregrinationum casibus exerceri, vt peculiarem suam circa fideles suos curam, protectionem

atque

atque prouidentiam, illis per quas transibant, atque apud quas diuersabātur gentibus manifestaret, laboremque peregrinationis ipsorum prouentu diuinæ suæ protectionis eis abundè compensaret.

Et pertransierunt de gente in gentem. Cùm enim perambularent peregrini vniuersam terram Chanaan quam septē diuersæ gentes inhabitabant, 13.
necesse erat eos nunc Iebusæorum nunc Pheresæorum, nunc aliarum nationum feros mores & inhospitalitatem experiri. *Et de regno ad populum alterum.* Quia peregrinati sunt vsque in Ægyptum, Geraram & similia regna à regnis Chanaan distincta. Inter has autem peregrinationes varijs periculis & casibus obnoxias,

Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges, Ægypti & Geraræ, qui malum meditabātur vxoribus eorum. Hoc ergo cum Emphasi legendum est, vt aduertatur eos Deo tantopere curæ fuisse, vt propter eos ne regibus quidem pepercerit. Correptionis autem verbum erat hoc, 14.

Nolite tangere. i. lædere, inquit August. *Christos meos.* i. electos istos meos, spiritu meo vnctos. Ex quo loco colligit D. Cyr. Christi appellationem Emmanueli non soli cōpetere. De electis namque, inquit, & per spiritū sanctificatis alicubi dicit Deus, Ne tangite Christos meos, & cōtra prophetas meos ne agatis malitiosè. Præterea & diuinus Dauid Saulem in regem à Deo per manum Samuelis vnctum, Christum Domini vocauit. Et post pauca. Itaque cognomē hoc Christus Emmanueli, vt dixi, nec soli nec propriè competit, sed & alijs omnibus quotquot Spiritus sancti gratia sunt inuncti. Ab ipsa namq; re deducta est hæc vox, & ab vngendo dicti sunt Christi. Hæc Cyrillus. Ex quibus docet licere quidem, sed ad veritatis plenam notionem atque confessionem nō sufficere si appellaueris B. Mariam semper virginem Christiparam, quia non aberrauerit, inquit, à vero quisquam, si reliquorū, qui Spiritu sancto in vtero repleti sunt, v. g. Ioānis Baptistæ & Ieremię matres Christiparas vocauerit: nihil enim erit, inquit, absurdi etiā si quamuis vnctorum matrem Christotocon appellare volueris. Si ergo B. virgo Maria Christipara solummodo appelletur, quid amplius ei quam Elizabeth cognatæ eius, & matri Ieremiæ prophetæ tribuitur? Cùm tamen ipsa non nudum, inquit Cyrill. hominem, more aliorum Spiritus sancti gratia vnctum, sed in Deum vnctum, atque adeo Deum Verbum quod ex Patre processit incarnatū pepererit, profectò ad plenā, claram & integram veritatis notionem & nostrę fidei confessionē oportet, inquit, eam Christiparā simul & Deiparam esse intelligas & dicas. Nec huic luculentissimæ doctrinæ D. Cyrill. repugnat Canon Cōc. Constantinopol. Non enim Cōcilium simpliciter vetat B. Mariā appellare Christi genitricē, sed prohibet illā nomenclaturā si tribuatur B. Mariæ cū exclusione & in fraudē nomenclaturæ

15. Aug 17 de ciuit ca 9. Cyr. epist. 1.

Conc. Constā. 5. can. 6

potioris, v.g. Deiparæ, si quis, inquit, B. Mariam appellauerit Christi genitricem, vtpote Christo non existente Deo, Anathema sit. Quod Anathema certissimè euadit qui cum D. Cyrillo eam appellauerit Christiparam simul & Deiparam. D. tamen Augustinus putat veteres Christos dictos esse, quia iam ante Dominicam incarnationem per fidem Christi venturi Christiani
Optat. li. 1. erant; vt hic sit quædam imperfecta origo nominis Christiani. Optatus autem Mileu. per Christos hoc loco intelligit vnctos chrismate vel oleo sacramenti ordinis, quos ex hoc loco, quamuis non satis efficaciter, colligit non esse tangendos. i. potestate Ordinis (quod frustra conabantur Donatistæ) spoliandos. *Et in prophetis meis.* i. in ijs qui gerunt figuram futurorum, eamq; factis præ se ferunt, *Nolite malignari.* i. mala machinari. Quæ diuinæ correptionis verba frequentius non per Dei aut prophetæ alicuius vocem, sed per tacitam Dei operationem audita sunt. Agebat enim Deus
D. Prosp. in hunc locum in cordibus alienigenarum, inquit Prosper, vt electi manerent illæsi. Proinde *nolite tãgere Christos meos,* Deus subinde eo sermonis genere dixit, quo præcepit pisci vt deglutiret Ionam.

16. *Et vocauit famem super terram.* i. disposuit vt sterilescerent agri, & penuria frugum hominibus famem induceret. Hoc pœnæ est, & ob id à Deo. *Et omne firmamentum panis contriuit.* i. omnem cibum qui cor hominis confirmare posset, deesse fecit. Sed huic malo diuina prouidentia ex alia parte non defuit, quia,

17. *Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph,* Deus enim malo fratrũ Ioseph bene vtendo, præmisit eum in Ægyptum, vt futuræ fami occurreret. Sicut & ipse dicit, Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, vt seruemini super terram. Qui vt aduersitatibus plus exerceretur, & Deus prouidentiæ suæ dispositionem in re penè desperata erga eum
Eccles. 4. præter expectationem magnificaret, impleretque in eo quod scriptum est, quod de carcere catenisque quis egrediatur ad regnum; ideo permisit Deus fieri quod sequitur:

18. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius.* i. in subterraneo carcere eum compedibus strinxerunt. Quod ne Ioseph absque animi sui dolore passus esse videatur, subijcitur, *Ferrum* compedum *pertransiit animam eius.* i. acerrimum dolorem animo eius intimè inflixit. Quod etiam B. Mariæ euenturum fuisse per similia verba prophetauit Simeon. Id autem, *donec veniret verbum eius.* i. donec reipsa impleretur, imò iam aliquamdiu impletum esset quod de restituendo pincerna prædixerat. Ne autem Ioseph putetur nudam solummodo prophetiæ cognitionem habuisse, vt Balaam, qui de semetipso dicit: Dixit auditor sermonum Dei, non enim erat eorundem factor: Ideo subijcitur:

Eloquium

Eloquium Domini inflammauit eum, quia verbum Domini fecit eum spi- 19.
ritu feruentem, quales nos omnes esse voluit Apostolus: Qualis & erat A- Roman. 12.
pollo qui feruens spiritu loquebatur ea quæ erant Domini Iesu. *Misit rex* Actuū 18.
& soluit eum, princeps populorum & dimisit eum.

Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. 20.

Vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam do- 21.
ceret. Quod tametsi Pharao in intentione non habuit, id tamen reipsa euenit. Qui enim fieri posset, ait Augustinus, vt vir tantus vnius Dei cultor solis terrenis rebus prospiciendis esset intentus, non autem curaret vt eorum quos habebat subditos etiam animos erudiret? Rebus itaque per præuiam Dei prouidentiam hoc modo præparatis,

Et intrauit Israel in Ægyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham. i. 22.
Ægypti: Ægyptij enim ex Cham filio Noë prognati sunt.

Et auxit populum suum vehementer, Deus dicitur populum auxisse, quia 23.
fœcunditas nuptiarum Dei munus est. *& firmauit eum super inimicos eius.* i. Ægyptijs, qui pristinorum beneficiorum obliti maleuolum animum in Israëlem induere ceperant, fortiorem fecit. Vnde & Pharao dicebat: Ecce populus filiorum Israël multus est & fortior nobis. Et quæ huius maleuolentiæ causa?

Conuertit Deus, *cor eorum vt odirent populum eius.* Quod Deus fecisse 24.
dicitur, nō corda eorum deprauando, sed populo suo benefaciendo. Deus enim, inquit Augustinus, cor Ægyptiorum sponte malum, conuertit in odium: Non enim Deus cor rectum peruertit, sed sponte peruersum in odiū populi, vbi eo malo bene vteretur, conuertit; non illos malos faciendo, sed istis bona quibus mali facillimè possent inuidere, largiendo. Hæc August. *Et dolum facerent in seruos eius.* Dixerūt enim Ægyptij, Sapienter opprimamus Israelem, dolum & astutiam suam sapientiæ nomine palliantes. Populo autem in hac necessitatē constituto, iterum per magnificam prouidentiam subuenit Dominus, quia

Misit Moysen seruum suum, Aaron quem elegit ipsum. 25.

Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham. 26.

Misit tenebras & obscurauit, & non exacerbauit sermones suos. 27.

Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum. 28.

Edidit terra eorum ranas, (rana autem est loquacissima vanitas, in- 29.
quit Augustinus) *in penetralibus regum ipsorum.*

Dixit & venit cenomyia, & cinifes in omnibus finibus eorum. 30.

Posuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum. 31.

Et percussit vineas eorū & ficulneas eorū, & contriuit lignū finiū eorū. 32.

Dixit & venit locusta & bruchus, cuius non erat numerus. 33.

34. *Et comedit omne fœnũ in terra eorũ, & comedit omnẽ fructũ terræ eorũ.*
35. *Et percußit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis labo-*
ris eorum. De quibus omnibus plagis dicitur quod Deus in Moyse & Aa-
ron posuerit verba signorum suorum & prodigiorum, quia omnia verba, quibus se plagas magnis signis ac prodigijs immissuros, aut etiam ablaturos prædicebant, ipsi non sua præsumptione, sed diuina iussione prompserunt. Quapropter etiam minæ, & promissiones eorum non fuerunt inanes: Deus enim deesse potest humanæ temeritati aut præsumptioni, suæ autẽ iussioni non potest. Propter quod etiam Elias cælestis incendij miraculosum illapsum efflagitans, Iuxta præceptũ tuum, ait, feci hæc omnia; quia iuxta præceptum Dei publicum vel priuatum quidpiam cepisse, non permittit institutum debito effectu fraudari. Itaque Christiano & præsertim ijs qui præsunt curandum est, vt omnis eorum operatio Deo inspirante prius incipiat, vt quod per eum ceptum fuerit, per eum & feliciter finiatur. D. tamen Augustinus per verba signorum ipsa signa intelligit, addens signa verba appellari, quia præter res gestas, aliquid spiritualis rei significabãt tanquam quædam visibilia verba.
36. *Et eduxit eos cum argento & auro.* Hæc populo concessit in mercedem
præstitæ seruitutis, vt ex traditione maiorũ suorum se sentire ostendit Irenæus: Cui etiam consentiunt doctores alij. Subdolum autem illum postulandi & accipiendi modum infirmitati populi Israelitici indulsit Deus. Populus enim desperasset se alia ratione potuisse obtinere ea quæ iubebatur à populo petere. Non itaq; deceptor Deus, inquit August. quod credere nefarium atque impium esse, quis non intelligat? sed est meritorum & personarum iustissimus distributor, faciẽs quædam per seipsum quæ illo solo digna sunt, alia per seruientem sibi creaturam, integerrimis legibus pro meritis ordinatam; quædam eorum iubens, quædam permittens. Et quibusdam interiectis: Non ergo mirum, si hostem decipi dignum decipere iussi, aut permissi sunt, qui erant adhuc digni hostem decipere. Hæc Augustinus. *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* Ex quo animaduertere datur promissionem Exodi 15. Si custodieris omnia præcepta illius, languorem quem posui in Ægypto, non inducam super te; à Domino impletam esse ex sua in populum misericordia, eo quod ipsi conditionem, sub qua promissio facta est, non impleuerint.

Iren. lib. 4. cap. 49.

Aug. 83. q. quæst. 53.

37. *Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum*
super eos. Dixerunt enim, Omnes moriemur.
38. *Expandit nubem in protectionẽ eorum, & ignem vt luceret eis per noctẽ.*
39. *Petierunt* pij qui erant in populo, vt Deus daret carnes, in hunc finem vt
cõpesceret murmur carnaliũ; *& venit coturnix, & pane cæli saturauit eos.*

Dirupit

Dirupit petram & fluxerunt aquæ, abierunt in ſicco flumina. 40.
Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui, quod habuit ad Abraham puerum 41.
ſuum. Dixerat enim Abrahæ, Generatione quarta reuertentur filij tui huc.
Et ad Iacob, Suſcipiam te huc reuertẽtem. Fecit itaque hæc Deus vt imple-
ret verbum ſuum, & non ob populi merita.
Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia. Gau- 42.
debant enim carnales illius populi ſe liberatos eſſe à ſeruitute Ægyptiaca,
ſpirituales verò ſe egreſſos eſſe de hoc ſæculo.
Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt. i. re- 43.
giones quas populi inde expulſi magnis laboribus cultiſsimas fecerant. Id-
que non vt Iſrael otio torperet, & luxu diſſolueretur; ſed,
Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant. i. temporali- 44.
bus beneficijs à Deo deliniti, eidem obedientiam rependant, & procura-
tione rerum temporalium non implicati, legi Dei cuſtodiendæ & opero-
ſius exquirendæ feruentius incumbant.

PSALMVS CV.

Alleluia.

IN præcedẽti Pſalmo audiuimus quot modis Deus electis ſuis cum omni prouidentia occurrat, in omni loco, vt inquit Sapiens, aſsiſtens eis: Simul etiam audiuimus quanto eos in pretio habeat, & quam admiranda faciat in gratiam eorũ. In hoc verò Pſalmo enarratur Dei miſericordia exhibita illis qui in populo Iſrael præuaricatores extiterunt; Miſericordia inquam per quam quoſdam eorum ad veram pœnitentiam conuertit, & conuerſos in gratiam recepit, Sed & illam quam exhibere non deſtitit reliquis qui in illo populo Deum ad iracũdiam prouocare non deſtiterunt: Et proinde etiam iſte Pſalmus in titulum habet Alleluia, pertinet enim ſicut prior ad laudes Dei: Qui, ſicut præcedens, ab Eccleſia frequentandus eſt, tũ quia per illa quæ in populo veteri geſta ſunt, Eccleſia ex tunc præparabatur, ſicut ſcriptum eſt, Parata eſt ſedes tua Deus ex tunc, tum etiam, quia Dei miſericordia, quæ populo veteri hic exhibita eſſe declaratur, etiam nunc, peccatoribus qui in Eccleſia ſunt, ſiue illis qui à peccatis conuertuntur, ſiue qui in iiſdem, proh dolor, perſeuerant, à diuina benignitate exhibetur.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia 1.
eius. i. nullo vnquam ſæculo deeſt miſericordia eius.
Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Bo- 2.
na enim, inquit Bernardus, quæ largiri mortalibus non ceſſat miſericors & Bern ſer. 11
miſerator Dominus recolere & recolligere omnia, omni homini impoſsi- i. Cantica.
bile eſt.

bile est. Vt autem Psaltes diuinorum operum quędam saltem quæ eius proposito conueniant, conuenienter enarret, introducit nunc, loquentes illos qui in veteri populo à peccatis ad Deum per pœnitentiam veraciter conuertuntur, qui eos quibus à primæua ætate (vt Isaac, Iacob, Ioseph & similes) in finem vsque in iustitia perstitisse contigit, sibi præ oculis proponentes, illosque præ se felices prædicantes, de illis exclamant in hunc modum:

3. *Beati qui custodiunt iudicium.* i. de veritate quam eos tenere oporteat vel exercere, perseueranter benè iudicant, nec circa hanc vllo errore, commodo vel beneuolentia in transuersa acti, sententias mutant. *Et faciunt iustitiam.* i. per bona opera exercent inditam sibi à Deo iustitiam, *in omni tēpore*, ita vt nullo vnquam vitæ suę tempore ab aliquo horum deficiant. Hoc autem pœnitentes isti suæ orationi atque secuturæ confessioni principiò præmittunt, In primis causa excitandi sibi doloris ac compunctionis; Necesse enim est vt pœnitētes semetipsos eo maiore dolore deplorandos esse sentiant, quò censent stantes plus esse prædicādos. Deinde causa exercendæ humilitatis: Cùm enim, teste Cypriano, primum iustitiæ gradum occupet Innocentia, secundum verò Pœnitentia, cùm isti qui iustitię statū postliminio ambiunt, stantes præ se prædicant esse felices, hoc ipso ad nuptias regis magni vocati semetipsos in nouissimo loco constituunt, agnoscentes se ad innocentiæ quam alij conseruauerunt, gloriam nulla pœnitentia nullisve eius operibus pertingere posse, quia scriptum est: Æmulator Dominus mundans non faciet innocētem: Qui enim à peccatis mundatur, innocentiæ illius quæ Stantium est, integritatem nunquam consequetur. Isti itaque de quibus loquimur Stantium prædicatione ad pœnitētiam acrius extimulati, & simul ad humilitatem eruditi, iustificationis gratiam etiam sibi à Deo efflagitantes, precantur eum in hunc modum:

Cypr de lapsis. *Nahum 1.*

4. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.* i. in gratuitæ voluntatis tuæ beneplacito, quo omnem populum tuum iustificas, & in eadem conseruas, etiā nostri recordationē admitte, vt nos in eodem beneplacito tuo ad iustitiam præparari, eamque adipisci valeamus. *Visita nos.* i. ipse venito ad iustificandum nos; quod meritò implorant, nemo enim iustificatur nisi Deus ipse ad eum inhabitandum venerit, sicut scriptum est: Ad eum veniemus & mā sionem apud eum faciemus. *In salutari tuo.* i. illius intuitu, quem in salutem humani generis in mundum mittere constituisti. Hoc ergo quod dicunt, *in salutari tuo*, idem est ac si dicerēt in Christo tuo. Hanc tamen expositionem primo loco nō dedimus, quia explicabamus orationem illorum qui priore tempore salutaris sui claram & per singula expressam notitiam non habebant.

5. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum.* i. vt per bonitatem quam electis

electis tuis exhibes,etiã nos te videre poſsimus, hîc per fidem, poſtmodum reuelata facie per ſpeciem. *Ad lætandum in lætitia gentis tuæ*:i.vt conſortes eſſe poſsimus lætitiæ qua exultat gens à te iuſtificata; hic quidem exultans in nomine tuo tota die,vt in Pſal.88.explicatum eſt, poſt hãc vitam verò lætitia illa inenarrabili & glorificata quãdo ſinguli referent finẽ fidei ſuæ ſalutem animarum ſuarum. Quia verò ne quidem hæc ſpiritualia bona noſtri ſolummodo boni cauſa expetenda ſunt,ſed multo magis ob laudem & gloriam Dei,quam caſtus amor in primis ſpectat & appetit, ob id etiam iſti pœnitentes idipſum tanquam vltimum ſuę reconciliationis finem expetentes,ſubijciunt, *Vt lauderis cum hæreditate tua.* q.d. Memento noſtri & viſita nos quidem ad videndum in bonitate electorũ tuorum,ad lætandum in lætitia gentis tuæ: Magis verò, *Vt lauderis cum hæreditate tua.* i.vt tu hæreditate tua,ſiue,eis,quos in æternę beatitudinis hæredes tibi adoptaſti, ad te cõgregatis,ab illis & ſimul à nobis ſuper omnibus bonis eouſque nobis pręſtitis in æternum lauderis. Veruntamen ſicut iuſtificationem oratio, ita eandem præcedere debet & admiſſorum peccatorum confeſsio, hanc proinde pœnitentes ſuperiori orationi adijciunt,& dicunt:

Peccauimus cum patribus noſtris. i.peccauimus ipſi,& iniquitatum quas 6.
patres noſtri admiſerunt,ipſi,cooperatione,conſenſu, imitatione,iniquitatis amore, alijſque modis participes ac rei facti ſumus, vt ob id nobis vſurpandum ſit illud Tobiæ, Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra vel parentum noſtrorum. Vt autem,quod ſupra diximus,hîc iterũ appareat quam fuerit pœnitentibus ſemper in vſu, clara, diſtincta & ſpecifica peccatorum confeſsio,enumerant nunc pœnitentes conſequenter peccata patrũ ſuorum quorum ipſi ſe reos agnoſcebant, & interea ſimul enarrantes beneficia iiſdem patribus à Deo tempore quo peccata illa committebant, præſtita,vna & eadem opera peccata,quorum ſe reos agnoſcũt per ſuam ingratitudinem & pertinaciam aggrauant,& Dei,etiam in peccatores benefici,laudes commemorant. Dicunt itaque,

Patres noſtri in Ægypto. i.in finibus Ægypti cum eam iam egrederen- 7.
tur conſtituti, *Non intellexerũt mirabilia tua*,quæ prius in Ægypto præſtiteras, plagis eam ad morem tibi gerendum extimulans. Non intellexerunt, inquam,te hæc mirabilia coram ipſis hoc conſilio feciſſe,vt ipſi poſtmodum in omnibus periculis,tuæ virtutis ac potentiæ fidem ac memoriam conſtanter retinerẽt. *Non fuerũt memores multitudinis miſericordiæ tuæ*, qua eos à tot plagis præ omnibus Ægyptijs ſolos immunes ſeruaueras. Proinde cùm exercitus Ægyptiorum eos iamiam Ægyptũ egreſſos pene cõſequeretur,nec crediderũt te Ægyptijs eſſe potentiorẽ, nec ſperauerũt te ſibi fore propugnatorẽ: ob id ingrato murmure ſuo & rei minimè pœnitendæ

pœnitentiā (deplorabāt enim ſe Ægypto eſſe egreſſos) quantū in ipſis erat.
8. *Et irritauerunt*. i. ad iracundiam prouocauerunt te, *aſcendentes*. i. cùm iamiam aſcenſuri eſſent *mare, mare rubrum*. Ipſe nihilominus longanimis & multum miſericors,
9. *Et ſaluauit eos*, de manu Ægyptiorum perſequentium, *propter nomen ſuum*. i. vt in gratiam & vtilitatem hominum faceret ſibi nomen, ſuamq; bonitatem atque clementiam faceret inter homines prædicari; Et *vt* reipſa atque adeo ad oculum *notam faceret* ſiue demōſtraret ſtultis & tardis corde ad crędendum *potentiam ſuam*. Quæris quo opere?
10. *Et* immiſſo cum fragore vento vehemēti *increpuit mare rubrum & vadum eius exiccatum eſt, & deduxit eos in abyßis*. i. per vada rubri maris *ſicut in deſerto*. Aruerant enim & dura facta erant per ventum vrentem tota nocte vada Iordanis, vt eſſent ſicut auia deſerti.
11. *Et* hac ratione *ſaluauit eos de manu odientium*. i. Ægyptiorū odioſè perſequentium, *& redemit eos de manu inimici*: Dicit *redemit*, cauſa inſinuādi latentis myſterij. Dominus enim non liberauit Iſraëlem de regione Ægypti pretij commutatione; ſed de ſæculo, quod ſpiritualiter eſt Ægyptus, electos ſuos pretio ſanguinis ſui redemit, atque de manu Ægyptiorum, ſiue de poteſtate tenebrarum, per baptiſmum tanquam per mare rubrum traducendo, eos liberauit.
12. *Et* Domino imperante & Moyſe manum extendente, *operuit aqua tribulantes eos*. i. Ægyptios, qui vel ſola terrifica ſua perſecutione non modicam tribulationem animis populi illius inferebant. *Vnus ex eis non remanſit*. i. ne vnus quidem cladi ſuperfuit, qui factum poſteris nunciaret.
13. *Et*, experientia conuicti, ea fide quæ ne tantillum quidem pietatis habet, quantum vera fides Chriſtianorum malæ vitæ, ſed quę planè eiuſdem rationis eſt cum fide dæmonū, *crediderunt verbis eius*, quibus dixerat per Moyſen, Ægyptios quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis in ſempiternum. Cùm enim viderent Ægyptios mortuos ſuper mare, crediderunt, inquit Exodus, Domino & Moyſi ſeruo eius. *Et laudauerunt laudem eius*, canentes cum Moyſe (cecinit enim Moyſes, inquit Exodus, & populus) Cantemus Domino glorioſè enim magnificatus eſt, ſed id ea laude de qua ſcriptum eſt, Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.
14. *Citò*. i. ob recentis beneficij præſentaneam experientiam repentino aliquo animi motu abſque permanente pietatis affectu, ea quæ mox dicta ſunt *fecerunt*; Sed quid? Mox vbi beneficium recens eſſe deſijt, *obliti ſunt operum eius*, quia vna cum experientia tranſiit ſimul accepti beneficij memoria. *Et non ſuſtinuerunt conſilium eius*. Conſilij namque diuini erat, vt ex eo quod in ſupradicta rerum difficultate & anguſtia, auxilium Domini
ſupra

ſupra quam credere poterant aut ſperare præter omne meritum ſuum, cum oportunum eſſet, accepiſſent, ipſi, tãquam nolentes ſua incredulitate & puſillanimitate Domino in poſterum (vt in Pſal. 6. ex Tertulliano diximus) eſſe moleſti, in quauis ſuperuẽtura difficultate rerum aut periculorum cum fide & ſpe diuinũ auxilium, dum in promptu nondum adeſſe videretur, per patientiam expectarent, agerentque in poſterum cum Deo pijs orationibus non incõditis clamoribus, querelis, vel murmurationibus obſtreperis, more illorum qui ad humanitatem duri atque ad humilitatem nimis rigidi, inuidia ac improbitate à Deo quaſi extorquere volunt quæ cupiunt. Hoc autem Domini conſilium ipſi non ſuſtinuerunt. Omne namque conſilium de vera virtute, importabile eſt illis quibus, ſi quod eſt onus Domini, per ſpiritum Chriſti nondum leue factum eſt. In his ergo ac ſimilibus peccauerũt in Ægypto patres noſtri. Poſt quæ nihilo meliores facti,

Et concupierunt concupiſcentiam. i. grandi concupiſcẽtia in carnes exarſerunt, *in deſerto, & tentauerunt.* i. quantum ex ipſis erat, ad iracundiam prouocauerunt *Deum in inaquoſo*, enormi cupiditate carniũ, faſtidio panis de cælo, & murmure perquam ingrato. Deus nihilominus 15.

Dedit eis petitionem eorum, & miſit ſaturitatem in animas eorum. dando eis carnes ad ſatietatem, vt hoc beneficio compeſceret murmura eorum. 16.

Et, præter hæc, Core cum ducentis proceribus Synagogæ, populo conſentiente, *irritauerunt Moyſen in caſtris*, vſque adeo vt dicat ſcriptura, Moyſes (audita calumnia hac) iratus eſt valdè. *Aaron ſanctum Domini.* i. cultui Dei per ſacram vnctionem dedicatum. Hos enim tyrannidis accuſare volebant, eosque in ordinem redigere, & vt nunc hæretici eodem ſeditionis ſpiritu imbuti, nullam ſuperiorem poteſtatem in populo illo agnoſcere: Proinde dicebant, Sufficiat vobis quod omnis multitudo ſanctorum eſt, quaſi diceret, Sufficiat vobis in eodem gradu eſſe cum reliquo populo ſancto Dei, Cur eleuamini ſuper eos? Deo autem ob Moyſi preces, populo (qua eſt erga peccatores clementia) parcente, 17.

Aperta eſt terra & deglutiuit Dathan, & operuit ſuper congregationẽ Abyron, Deſcenderunt enim iſti cum ſuis viui in infernum damnatorum, inquit Baſilius, operti humo. 18. *Baſ. hom. 9.*

Et exarſit ignis in ſynagoga eorum, flamma combuſſit peccatores, Ducentos quinquaginta viros qui offerebant ſacrificium. 19.

Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt, Adorauerunt, inquit, tanquam omnem religionis ordinem circa vitulum obſeruantes, Prius enim quam vitulo immolarent, adorauerunt eum, quia adoratio, vt ex Cyrill. in Pſal. 94. diximus, ianua eſt & via ad reliqua ſeruitutis officia, *Sculptile*, Vitulus ille tametſi fuſilis, appellatur *ſculptile*, quia fuit è ſculptili expreſſus, 20.

ideo dicit Exodus, quod Aaron formauerit opere fuſorio & fecerit vitulũ, Oportuit namque ipſum fuſilis materiæ exceptorium forma vituli prius inaratum fuiſſe.

21. *Et mutauerunt gloriam ſuam.* i. Deum qui per hoc quod eorum Deus eſſet, ſummam eis viciſsim apud omnes gentes, vt ſupra diximus, gloriam adferebat, *in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*, ita vt ſuæ gloriæ loco ne vitulum quidem, ſed vituli ſimilitudinem, in ſummam ſuam ignominiam, in Deum ſibi adoptarint.

22. *Obliti ſunt Deum qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro*, quia obliti ſunt hæc ſibi à Deo præſtita fuiſſe, Illa namque ſimilitudini vituli aſcripſerunt, cùm dicerent, Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

23. *Et*, dicendo ad Moyſen, Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos & deleam eos, Deus *dixit vt diſperderet eos*: Idque feciſſet, *ſi non Moyſes electus eius*, quem elegit, inquit Eccleſiaſticus, ex omni carne, ita vt nõ ſurrexerit Propheta ſimilis eius quem noſſet Deus facie ad faciem, qui & ipſo Domino coram declarante, inuenit gratiam coram oculis Domini: Diſperſiſſet itaque eos, ſi non iſte *ſtetiſſet in confractione.* i. plaga, quæ Iſraelem planè confringeret, iamiam imminente. Vel, *in confractione* vituli. Moyſes namque confracto vitulo aſcendit ad Dominum pro populo oraturus, Pertinuit autem ad pſaltem hic commemorare quod Moyſes in confractione vituli, ſiue confracto vitulo pro populo orauerit. Euerſio namq; ſacrilegij poterat preces eius Deo magis dignas facere & magis efficaces. Quod verò ſcriptura dicit, Deum precibus Moyſi placatũ fuiſſe priuſquam ipſe tabulas ferens de monte deſcẽderet, id per anticipationem dictum eſt, *In conſpectu eius*, deprecaturus enim pro populo aſcendit ad Deum locuturus ei facie ad faciem;

24. *Vt auerteret iram.* i. vindictam *eius, ne diſperderet eos.* Et quod his amplius eſt, *& pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*, quia perſuaſi ab exploratoribus, qui non ſolum pauefecerunt cor populi exaggerando vires indigenarum terræ illius, ſed etiam terræ detraxerunt apud populum, dicẽtes: Terra quam circuiuimus deuorat habitatores ſuos; ipſam terrã promiſſionis tot nominibus præſtantiſsimã, nullius pretij eſſe duxerũt, Quantum terræ, tantum ex conſequenti detrahentes Domino qui eam magnificè prædicauerat, eamque tanquam ſua magnificentia & in populum dilectione (ſi temporalia ſpectes) dignam, eis dare promiſerat. Quocirca etiam expoſtulat cum eis Dominus & dicit, Vſquequo multitudo hæc peſsima detrahet mihi? & Caleph atque Ioſue hoc animaduertentes; ex aduerſo, non ſolum Domini virtutem, ſed etiam terræ præſtantiam prædicare ceperunt.

Non

Non crediderunt verbo eius, quo promiserat se introducturum eos in terram manantem lacte & melle, sed vana terricula per exploratores mendaciter proposita, fidem, quam oportuisset promissis diuinis deferre, in eis labefactarunt. *Et murmurauerunt in tabernaculis suis*, Tota enim nocte vociferantes & flentes contra Moysen & Aaron, inquit liber Numerorum, murmurati sunt. *Non exaudierunt vocem Domini*, per Caleph & Iosue vera narrantis, eosque exhortantis ad fidem Deo diuinisque promissis deferendam. 25.

Et eleuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto. Cùm enim diceret, Feriam eos pestilentia atque consumam, quid aliud præ se ferebat quam similitudinem eorũ qui manum altius erigũt vt fortius feriant? 26.

Et vt deijceret. i. de sublimi loco, in quo populus omnis erat, deiectum, in seruitutem traderet *semen eorum.* i. filios eorum huius murmuris atque infidelitatis per ætatem exortes; *in nationibus* gentium, *Et dispergeret eos*, i. eorum filios *in regionibus*, i. per circumiacentes regiones distribueret, vt non essent amplius vnus populus: ideo & dicebat Dominus ad Moysen, Te autem, partim extincta, partim dispersa gente hac, ita vt non sit amplius vnus populus, faciam in gentem magnam. Quod ergo Moyses dicit, Vt audiant Ægyptij quod occideris tãtam multitudinem quasi vnum hominem, id intelligendum est de multitudine adultorum, qui murmure & sua infidelitate, Dominum ad iracundiam prouocauerãt, de quibus paulò post dicit, Vestra cadauera iacebũt in solitudine & filij vestri ingredientur in terram quæ vobis displicuit. Nam cùm Dominus eleuaret manũ suam vt prosterneret eos in deserto, intendebat filios eorum cladi exemptos, in captiuitatem tradere. Attamẽ Deus, quoniam in æternum misericordia eius, passus est se etiam hac vice à Moyse exorari. 27.

Et, cum morarentur in Sethim, *initiati sunt.* i. semetipsos dedicauerunt vel consecrauerunt *Beelphegor* idolo Moabitarum, *& comederunt sacrificia mortuorum.* i. immolata hominibus iam mortuis quos Moabitæ pro dijs colebant, Vel, Dæmonum qui spiritu mortui sunt. 28.

Et irritauerunt. i. ad iracundiam prouocauerunt, *eum in adinuentionibus suis.* i. ijs operibus quæ ex semetipsis & non per Spiritũ Domini commenti sunt, & conflauerunt: *Et multiplicata est in eis ruina.* Ceciderunt enim de populo vigintiquatuor millia. Cùm verò post tot funera vnus filiorum Israel in conspectu Moysis & multitudinis irreuerenter & impiè intraret ad Madianitidem vt fornicaretur cum ea, 29.

Et stetit Phinees. i. constanter se & fortiter sceleri ne vlterius serperet, opposuit, Virũ namq; & fœminã in genitalibus locis trãsfodit, & eo facto, inquit August. illum populũ, cuius futurus erat maior interitus, quasi virga 30.

percußit, vt animam eius saluaret à morte. *Et* zelando Dei legem irã eius *placauit, & cessauit quassatio.* i. internecio quæ in populo grassabatur. De qua internecione & clade, tam quæ hoc loco quàm alibi frequenter populo Israelitico obuenit, cum D. Augustino sentiendum est, eam populo obuenisse, atq; inflictam esse causa disciplinæ, vt populus malo ad pœnitentiam cõmotus, & in interitum carnis traditus, spiritu saluus fieret in die Domini.

Aug 22 cõ Faust. c. 79 Docet namque August. Moysen cum admisso sacrilegio in aureũ vitulum, iuberet quãplurimos occidi & è medio tolli, animo simul & spiritu pro æterna eorum qui occidebantur salute, Dominũ fuisse deprecatum; Putabat namque August. non minus tribuendum esse Moysi populum suum flagrantißima charitate diligenti, quam Manichæi tribuebant D. Thomæ Apostolo, quem fabulabantur Deum exorasse, vt in æternum parceretur illi cui sibi maledicenti in interitum carnis maledixerat. Huc pertinet illud Cyrilli

Orig. in Leuit. lib. 14. seu verius Origenis. Mors quæ (veteris testamenti tempore) pœnæ causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius pro quo iubetur inferri. Absoluitur ergo peccatum pro pœna mortis, nec superest aliquid quod pro hoc crimine, iudicij dies, pœna æterni ignis dignum inueniat. Hæc ille. Itaque ne quis arbitretur omnia illa hominum milia, quæ tempore veteris testamenti frequenter simul occisa dicuntur, de morte prima ad secundam transijsse, persuasum sibi habeat, illam illius tẽporis, vt prima facie apparet, Dei seueritatem, disciplinam fuisse, non solum ad deterrendum, sed etiã ad expiandum: Eamq; delinquentes, cooperante, & ordinariè cõcurrente Dei gratia, primò quidem extimulasse ad pœnitentiam; deinde, vna cum pœnitentia, in necesßitate constitutis, expiasse culpam. Hoc factum cognoscimus imminente diluuio, nam qui prius increduli fuerant in diebus Noë cùm fabricaretur Arca, aduentante diluuio pœnitere ceperunt, cepitque ingentis illius gurgitis voragine, & vita & iniquitas eorum iusto supplicio simul absorberi. Quocirca & Christus in inferiores partes terræ veniens eis prædicauit, seu, vt Irenæus legit, euangelizauit, quod est, bonum nuncium futuræ eorum liberationis eis adduxit. Quæ cùm ita sint, non leui coniectura vtitur schola Theol. cùm dicit eos qui in lib. Machab. occisi dicũtur, ante mortem de mortifero peccato, (in quo repertis penes eos idolorum denarijs, paulo ante fuisse comperti sunt) pœnituisse, & mediante pœnitentia dormitionem cum pietate accepisse, Occasione enim imminẽtis mortis ad pœnitentiam confugere, crimenque morte temporali (præsertim quæ violenta & pœnalis sit) abolere, illo tempore obuium Dei donum erat.

31. *Et* opus illud heroicum ex charitate erga Deum & proximũ profectum *reputatum est ei in iustitiam.* i. recognouit illud Deus iusto præmio dignũ, cumque ob id, tali præmio esse afficiendum quod perseueraret *in generationem*

tionem & generationem vsque in sempiternum. Hoc præmium summũ fuit sacerdotium, quod concessum est Phynees & posteris eius *vsque in sempiternum*: Sempiternum, inquam, quia æternum siue sempiternum in sacris literis, Augustino teste, dicitur tempus diuturnum, cui tamen, tametsi finiendum sit, finis non præfinitur aut asscribitur. Nec id dixit D. Augustinus absque fundamento, Melchisedech namque non aliam ob causam speciem quandam æternitatis in scripturis sacris sortitus est, (Assimilatus enim filio Dei manet sacerdos in æternum) nisi quia dierum eius initium aut finẽ scriptura non exprimit. Quod autem verba illa, *Reputatum est ei ad iustitiã*, de retributione quę ei facta est, simus interpretati, ad id nos adegit quædam necessitas: si enim quod dicitur, *Reputatum est ei in iustitiam* interpretemur, vt sit sensus, Phynees ex hoc opere coram Deo iustificatus. i. iustitia auctus, iustitia exercitatus, vel iustitiæ meritis ditatus est; quomodo id declarabitur commodè locum habere *in generatione & generationem*, cùm ex hoc eius opere posteri eius nullo horum modorũ coram Deo sint iustificati? quia tamen dici potest quod ipse Phynees ex hoc opere coram Deo iustificatus sit, & huius operis quoddam præmium, summum nimirum sacerdotium, in posteros eius transierit; expositioni nostræ & hanc adijcimus probationem, quod reputare seu imputare in scripturis sacris ferè accipiatur, vt idem sit quod retributione dignum censere vel retribuere. Nam fides credentis in eum qui iustificat impium, dicitur ei reputari ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei, quia fides qua quis credit se, non nisi Dei dono ex impio fieri posse iustum, adiuncta sibi fidei deuotione siue Dei iustificantis inuocatione, & obtinendæ iustitiæ spe, censetur à Deo digna, cui tribuatur ipsa iustitia; non quidem per æquiualentiam, sed secundum propositum gratiæ Dei, quia nimirum gratuitò proposuit Deus gratiam iustificationis gratis infundere deprecanti, intuitu præuiæ fidei eius, spei ac deuotionis. Similiter reputare siue imputare significat retribuere, cùm dicit Apostolus, Ei qui operatur, merces imputatur secundum debitum, sensus enim est, Merces ei ex debito (quod inter Deum & hominem per conuentionem consummatur) redditur ac retribuitur.

Aug. q. 31 in Genes. & 124. in Exod.

Vide D. Tho. 3. p. qu. 6. ar 3 ad 3. & in expo. ep. ad Rom.

Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, Ibi enim, inquit Exodus, iurgati sunt contra Deum. *Et vexatus est Moyses propter eos*. i. inquietudinem & molestiã intus in animo suo passus est Moyses ob frequentes eorum seditiones & murmura; *Quia exacerbauerunt spiritum eius*. i. quia fecerunt eum nonnihil offensionis ac acerbitatis intus in animo contra malignitates eorum experiri. 32.

Et distinxit in labijs suis. i. de educenda aqua de petra, Moyses aliter locutus est ad populum quam Dominus ad eum. Dominus namque absolutè 33.

dixerat,

dixerat, Loquimini ad populum coram petra & illa dabit aquas, Moyses verò ob peccata populi quadã diffidentia trepidus, dixit ad populum; Num de petra hac poterimus vobis aquam eijcere? quasi verendum esset ne peccata populi effectum propositi diuini possent impedire, vel, ne Deus quod absolutè promiserat ob peccata populi denegaret. Cùm potius ad Dei virtutem ac gloriam pertineat nullis hominum peccatis à benefaciendo prohiberi, & hominum peccata benefaciendo superare & cohibere. Peccauit itaque Moyses quod hanc Dei virtutem ac fidem siue sanctitatem populo, minus quam oportebat confidẽter, proposuit ac prædicauit. Et hæc quidem omnia à populo admissa sunt & eidem retributa, dum ascenderet ex Ægypto in terram promissionis. Hanc verò ingressus, nihilo melior effectus est; tum enim, *Non disperdiderũt gentes quas dixit Dominus illis*, vt satis clarè & copiosè refertur Iudicum cap. 1.

34. *Et commisti sunt inter gentes.* i. permiserunt gentes regiones ipsorum vna cum illis promiscue inhabitare & colere, *Et didicerunt opera eorum.* i. exemplis eorum edocti sunt ambulare sicut gentes quæ ignorant Deũ, illaque peccata admittere quæ in populo suo nõ viderant: *Et seruierunt sculptilibus eorum.* i. insuper ab eis seducti sunt ad idololatriam. *Et factum est illis in scandalum.* Benè dicit *in scandalum*, quia adinuentio idolorum cor-

Sapien. 14. ruptio vitæ est, inquit Sapiens, quam corruptionem Psaltes mox per exempla declarat, cùm dicit;

35. *Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs.*

36. *Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.*

37. *Et interfecta* seu potius *infecta est terra in sanguinibus.* i. varijs homicidijs, sicut scriptum est, Terra vestra insontium cruore maculatur. *Et contaminata est in operibus eorum: & fornicati sunt in adinuentionibus suis.* Quæ omnia Sapiens tam expresè declarat, vt verba eius nobis hic luculẽti commentarij loco futura sint, cùm verbis paulò ante allegatis, subiungit: Non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viuẽtes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacẽ appellant. Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat: & omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & periurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ. Hæc inquam sunt opera in quibus terra eorum infecta est. Quod autem cultus idolorum illis in scandalum fuerit, siue ad hæc & huiusmodi

mala eis aperuerit fenestram, testatur Sapiens consequenter, Infandorum, inquit, idolorum cultura omnis mali causa est & initium & finis. Cui consentit & Tertull. qui postquam multis verbis ac disertè explicuit quantum mali vnica idololatria in sua ratione includat, hæc subiungit; Post talia, inquit, crimina, tam exitiosa, tam deuoratoria salutis, cætera quoque ad aliquem modum & seorsim proinde disposita, in idololatria conditionem suam repræsentant. In illa & concupiscentiæ sæculi. Quæ enim idololatriæ solennitas sine ambitione cultus & ornatus? In illa lasciuiæ & ebrietates, cum plurimum victus & ventris & lasciuiæ causa frequentantur. In illa etiã vanitas, cùm tota eius ratio vana sit. In illa mendacium, cùm tota substantia eius mendax sit. Ita fit vt omnia in idololatria, & in omnibus idololatria deprehendatur. Ex quibus clarum euadit quomodo adoratio sculptilium facta sit populo in scandalum. *Tertull de idolo. c. 1.*

Et iratus est furore Dominus in populum suum, quia scelera hæc eorum qui populus eius erant, æterno supplicio digna & vindicanda esse censuit. Censura namque æternæ vindictæ, furor Domini dicitur. *Et abominatus est hæreditatem suam.* i. populum à progenitoribus suis ei seruientem, siue eius cultui dedicatum, auersatus est tanquam à spiritu, decore, & sanctitate eius nimis alienum. Hoc proinde versiculo nobis insinuatur, quod Deus in peccatores duobus modis (vt ita de eo loquamur) cõcitetur; Abominatione, qua peccatum eorum, tanquam à natura suę artis, suique similitudine nimis alienum auersatur, quæ abominatio ex diametro opponitur complacẽtiæ, qua Deus in filijs suis sibi, vt loquitur Apostolus, complacet, Et vindicatione, qua ab eis ob eorum transgresiones iustas exigit pœnas, quæ vindicatio, similiter ex diametro opponitur illi paternæ Dei munificentiæ, qua filios, præter hoc quod in eis sibi complacet, afficit præmio. Sed Deus in furore quem diximus suo, suæ misericordiæ (quoniam in æternum misericordia eius) recordatus, conceptam iram in disciplinam conuertit: Quia 38.

Et tradidit eos in manus gentium, vt patet in libro Iudicum. *Et dominati sunt eorum, qui oderunt eos*, odientium enim se seruituti eos subiecit. 39.

Et tribulauerunt eos inimici eorum, & tribulationibus stimulati, *humiliati sunt sub manibus eorum*. i. ad humilitatem ac nonnullam pœnitentiam per duram seruitutem hanc deuenerunt. Cùm autem essent humiliati, Dominus *sæpè liberauit eos*, vt manifestum est in libro Iudicum. 40.

Ipsi autem molestia & afflictione liberati, iterum *exacerbauerunt eum in* consilio suo, quia praua ac peruersa consilia secuti, Deum iterum ad iracundiam prouocauerunt. *Et humiliati sunt in iniquitatibus suis*. i. merito suarum iniquitatum iterum in manus hostium traditi sunt ac deuenerunt. Dominus verò, cuius misericordiæ non est numerus, 41.

42. *Et vidit* oculis misericordiæ. Ipsi namque Psalmo 9. dictum est: Vides, quoniam tu laborem & dolorem consideras, *cum tribularentur*. i. in tribulatione ob afflictionem ab inimicis irrogatam versarentur. *Et audiuit orationem eorum*, qua tribulationibus pressi meliora proponentes eum vt liberarentur inuocabant.

43. *Et memor fuit testamenti sui*, quod Deuteronomij 30. cum eis pepigit in hæc verba: Cùm venerint super te omnes sermones isti, benedictio siue maledictio quam proposui in conspectu tuo, & ductus pœnitudine cordis tui in vniuersis gentibus in quas dispersit te Dominus Deus tuus, & reuersus fueris ad eum & obedieris eius imperijs, sicut ego hodie præcipio tibi cum filijs tuis in toto corde tuo & in tota anima tua: reducet te Dominus Deus tuus de captiuitate tua ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis in quos te ante dispersit. *Et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ*. Pœnitentia Dei, authore Augustino, est rerum in eius potestate cõstitutarum hominibus inopinata mutatio. In qua definitione D. August. magis propriè locutus est quam Tertull. qui dicit: Pœnitentiam Dei esse simplicem prioris sententiæ conuersionem, Non enim pœnitentia Dei vnquam circa suam sententiam, sed circa rem, vt ita loquar, sententiatam versatur. Dicit proinde August. Non sicut hominem ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius de omnibus omninò rebus tam fixa est sententia, quam certa præscientia. Et quamuis Tertull. dicat pœnitẽtiam Dei esse simplicem rerum conuersionem; August. tamen determinat, pœnitentiam Deo non ob quamuis rerum mutationem asscribi, (non enim arbitror Christum debere dici pœnituisse cùm aquam conuertit in vinum,) sed tum demum, cùm non vult aliquid esse sicut fecerat, inquit, vt esset. Fecerat autem Deus omnia vt illis bene esset, vel de bono in melius proficerent, igitur propriè pœnitere dicitur ratione alicuius pœnæ aut supplicij quod infert creaturæ, quam non fecerat, vt pœnis & supplicijs subiaceret: Nec absque ratione. Mutatio enim cui pœnitentiæ nomen conueniat, debet circa malum versari. Dei itaque & hominum pœnitentia in hoc conueniunt quod vtraque (nisi tamen pœnitentia Deo magis abusiuè tribuatur) circa malum versetur, sed differenter: hominis, circa malum tanquam à se malè & perperam admissum, Dei verò circa malum à se, rectè tamen & iustè inflictum vel permissum. Sensus itaque est, *Pœnituit eum*. i. abstulit ab eis plagam atque afflictionem, ad quam eos ex primæua institutione non ordinauit.

1. cont. aduers. leg. et proph. c. 20

Tert. 2. ad uers. Marcion. c. 24.

Aug. in sententijs, sent. 158.

2. ad Simpli. quæst. 2

44. *Et dedit eos in misericordias*. i. multiplicem eis exhibuit misericordiam *in conspectu omnium qui ceperant eos*, ita vt omnes animaduerterent captiuis his libertatem Deo miserante redditam ac restitutam esse, quocirca dicunt Iu-

cunt Iudæi: In conſpectu gentium ſanctificatus es in nobis. His verò ita e- Ecclici. 36.
narratis Pſaltes præuiſa illa Iudęorum captiuitate in qua per vniuerſam terram ob occiſum Chriſtum etiamnum verſantur, implorat in eorundem perſona extremam Dei circa illos miſericordiam, & dicit:

Saluos nos fac Domine Deus noſter. Dicunt *Deus noſter*, ob id fortaſſe 45.
quod toto tempore captiuitatis huius Iudæi à fide vnius veri Dei non receſſerint iuxta quod ſcriptum eſt: Dies multos expectabis me, non fornicaberis & non eris viro.i.ad cultum alienorum deorum interim non deficies. *Et congrega nos* in vnitatem fidei & Eccleſiæ, de qua congregatione ſcriptum eſt: Cùm ſanctificatus fuero in vobis congregabo vos de vniuerſis terris. *De nationibus*, in quibus ob perfidiam hactenus diſperſi ſumus.

Vt confiteamur nomini ſancto tuo. Gloria enim & laus diuini nominis 46.
primaria & principalis debet eſſe huius rei petendæ cauſa, ita vt ipſa ſalus hominum ob Dei gloriam magis & prius petenda & amanda ſit, quam propter ſemetipſam. *Et* agnita Chriſti tui qua impium iuſtificas gratiâ, & per legem fidei excluſa, vt loquitur Apoſtolus, gloriatione noſtra qua prius de factis & viribus proprijs in laude noſtra extollebamur, *gloriemur in laude tua*.i.gratulemur nobis, & nobis gloriæ ducamus, quod obſtructo omniũ noſtrum ore in laude propria, creſcat apud omnes laus tua. Qua oratione in perſona populi ſui finita, Pſaltes more ſuo in perſona propria benedicit Deo in hæc verba:

Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo & vſque in ſæculum, ob gra- 47.
tiam quę per omnia ſæcula in homines effuſa eſt: Conuerſis verò ex diſperſione Iudæis, & gentibus in priſtina fide perſeuerantibus, *Et dicet omnis populus* ex Iudæis & gentibus aggregatus, *fiat*, *fiat*. q.d. confirmabunt & conſentient vno ore omnes in hanc quam dixi, ſententiam, *Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo & vſque in ſæculum.*

PSALMVS CVI.

Alleluia.

IN precedentibus Pſalmis deſcripta eſt Dei miſericordia, quam varijs modis, menſuris atque temporibus impertiuit Iſraeli ſecũdum carnem: Præſenti verò Pſalmo exponit Pſaltes miſericordiam quam Deus à principio conuerſionis, imo vocationis, varijs modis præſtat gentilibus.

Confitemini Domino quoniã bonus, quoniam in ſæculũ miſericordia eius 1.
Dicant qui ex gẽtibus *redempti ſunt à Domino* Chriſto, *quos* pretio ſan- 2.
guinis ſui *redemit*.i.eruit *de manu inimici*.i.à poteſtate diaboli cuſtodientis atrium ſuum, ſiue omne veræ ſalutis initium ab eis, quos ſibi obſtrictos

habebat, studiosissimè & violentissimè auertentis ac prohibentis. *& de regionibus*.i.totius orbis partibus *congregauit*. i.ad vnitatem corporis Christi quod est Ecclesia, per fidei & dilectionis communionem *eos* compegit, reipsa implens quod dixerat Ioannes, Iesus moriturus erat non solum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Congregauit inquam eos

3. *A solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari*. D. August. dicit in scripturis sacris per mare occidentalem plagam intelligi solere, hic tamen ratio exigit vt per mare meridiem cum multis alijs intelligamus, præsertim quia occidentalis plaga hic proprio vocabulo expressa est, & meridiei, si nõ sub maris nomine, nulla fieret mentio, cuius tamẽ mentionem fieri oportet, eo quod Abrahæ cum ei gentium vocatio promitteretur, dictum sit: Dilataberis ad orientem, occidentem & meridiem. Quo autem loco erant gentiles priusquam à Christo in vnum congregarentur?

Aug.4 cõt Cresco.c 61

4. *Errauerunt*. i. per varios errores volutati sunt *in solitudine*, quia inter eos non erat homo à quo viã salutis in veritate discerent *in inaquoso*, priusquam enim congregarentur, in deserto gentium non erant scissæ aquæ nec torrẽtes in solitudine, vt quæ erat arida fieret in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. Erat enim gentilitas fonte Spiritussancti destituta. *Viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt*. Ciuitas habitaculi finis est, ad cuius perpetuam mansionem atq; beatam pacem, omnes in huius vitę, vt experimur, curriculo, naturæ quodã instinctu tendimus & properamus. Huius ciuitatis viam gentiles non inuenerunt. Præsertim cum Magistri eorum tenebris ac erroribus obscuratum habentes intellectum, rationem aut authoritatẽ non repererunt, qua certò & infallibiliter cognoscerent quid sibi & populo pro fine habendum & amplectendum esset. De finibus enim bonorum & malorum, inquit August. multa & multipliciter inter se Philosophi disputarunt, quam quæstionem maxima intentione versantes, inuenire conati sunt, quid faciat hominem beatum. Præter hoc autem,

Aug 19.de Ciuit c.1.

5. *Esurientes*, semper enim famem sui patitur, inquit Ambrosius, qui alimẽtis perpetuis nescit impleri. *Et sitientes*, ea siti de qua Isaias, Egeni & pauperes quærunt aquas & non sunt, lingua eorum siti aruit, anhelauerunt enim ad doctrinam veritatis & eam non acceperunt. *Anima eorum in ipsis defecit*.i. Anima eorum ad præbendum eis cibum & potum quibus famem explerent & sitim restinguerent, non suffecit. Vel, præ cruciatu famis huius & sitis, anima eorum ad mortem vsque, siue, sic vt sustineri diutius nõ posset, fatigata est & exagitata: Ad quem modum Ieremias commemorato igne qui in visceribus eius & ossibus exæstuauerat, defeci, inquit, ferre non sustinens. D. Cyrillus tamen intelligit animam eorum in ipsis defecisse, quia

Amb. lib.7 in Lucam.

Cyrill. in c. 40. Isaiæ.

quia præ inopia, inquit, diuinorum sermonum omnibus viribus spiritualibus destituta est, ita vt nihil boni præclarè ac fortiter posset peragere.

Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur. i. cùm ignorantia finis, fame & siti in semetipsis cruciarentur. Qua autem voce? Ipsius miseriæ atque afflictionis, quæ, sicut effusus sanguis, vocem suam propriam emittit ad Dominum, vt in Psal. 9. ex D. Cyrillo diximus. Quam esurientium vocem Iob pulchrè insinuasse videtur cùm dixit; Nunquid rugiet onager, cùm ante præsepe plenum steterit, aut mugiet bos cùm fuerit ante herbam? Illis namque verbis significat quod clamor esurientium, ac, quos diximus, egenorum magis in quodam gemitu de interna afflictione tacitè expresso positus sit, quàm in oratione quapiam aut inuocatione ex fidei pietate profecta. Hoc ipsum etiam Isaias testari videtur, qui postquam dixit, Egeni & pauperes quærunt aquas & non sunt, lingua eorum siti aruit, subiungit in persona Domini, Ego Dominus exaudiam eos. Qua quæso lingua clamantes cùm lingua eorum siti aruerit? si enim lingua eorum orationem piam proferre nouit, non debet censeri exaruisse. Exaudiet ergo eos Dominus ipsa sua afflictione quasi quadam misericordiæ prouocatione, sine vllo tamen merito, ad eum clamantes; qua voce clamabat puer Ismaël præ siti animam penè agens, cùm Dominus misericors, laborem & dolorem considerans, vocem pueri dicitur exaudiuisse. Qua voce etiam D. August. nondum catechumenus ignorantia finis ac fame & siti in semetipso penè deficiens, cum Nebridio & Alipio clamabat ad Dominum, vt ipse testatur, his verbis; Erant ora trium egentium & inopiam suam sibimet inuicem anhelantium, & à te expectantium vt dares eis escam in tempore opportuno, & dicebamus. Quamdiu hæc? Et hoc crebrò dicebamus, & dicentes non relinquebamus ea quæ sunt huius sæculi, quia nōdum elucebat certum aliquid quod illis relictis apprehenderemus. Si quis tamen hoc quod dicitur, *Clamauerunt ad Dominum*, de clamore ex pietate profecto potius intelligendum esse putauerit vel intelligere maluerit, is fateri debebit gentiles in dicta ignorantia fame & siti cōstitutos, per præuenientem Dei gratiam, à Spiritu sancto gratia orandi donatos esse, vt piè possent Dei misericordiam inuocare: Quod aliquibus in gentilitate constitutis accidisse negandum non est, cùm Cornelius Centurio nulla adhuc Christi cognitione imbutus, per gratiam Spiritussancti, teste Cōcilio Arausicano, Deum inuocauerit. Quia tamen non videtur verisimile vniuersam gentilitatem priusquam viam ciuitatis habitaculi cognosceret, prędicta Spiritussancti gratia præuentam esse, ideo existimo per clamorem hunc, vocem miseriæ intelligendam esse potius quàm pietatis.

6.

Aug. 6 Confess. cap. 10

Cōc. Arausi. 2. cap. vlt.

7. *Et deduxit eos in viam rectam*. i. eos deuenire, vel potius eis obuenire

fecit prædicationem Euangelij, per quam tanquam viam infallibilis authoritatis, in certam ac securam veri finis cognitionem deuenirent. Nec id solum, sed &, *vt irent in ciuitatem habitationis*. Deduxit enim eos, principio quidem (vt circa gentiles faciendum esse docet Ambros. in 3. cap. Cantici Canticorum à nobis citatus) vt vnum Deum, omnium rerũ principium & finem nossent, & quia id ad consequendum finem parum est, reuelauit eis simul Christum, per quem ad habitaculum huius ciuitatis peruenirent. Quid enim eis prodesset ciuitatem habitaculi nosse, & viam quę ad eam ducit, ignorare? Id enim esset absque vllo boni prouentu scire quo eundum sit, vt inquit August. & non scire quà: Et quasi de syluestri cacumine videre patriam pacis, & iter ad eam non inuenire, sed ad eam frustra conari per inuia circumobsidentibus & insidiantibus fugitiuis desertoribus cum principe suo leone & dracone; At verò, vna cum ciuitate habitaculi Christum nosse, est tenere viam illò ducentem cura cælestis imperatoris munitam, vbi non latrocinantur qui cælestem militiam deseruerunt, quia vitant eam vt supplicium. Hæc diuus Augustinus. Itaque hoc modo Deus *de necessitatibus eorum liberauit eos*. Pro quo tanto diuinæ misericordiæ beneficio

Aug. 7 Confess. ca. vlt. et 10 de Ciuit. ca. 29.

8. *Confiteantur Domino misericordiæ eius*. i. laus Deo deferatur & gratiarum actio pro misericordijs eius. *Et* prædicentur hæc *mirabilia eius filijs hominum* ad diuini nominis gloriam.

9. *Quia satiauit animam inanem & animam esurientem satiauit bonis*. Cùm enim viam ciuitatis habitaculi eis reuelauit, tum per doctrinam Euangelij vnà cibauit eos pane vitæ & intellectus, ex quo qui manducauerit, non morietur sed viuet in æternum, & aqua sapientiæ salutaris potauit eos, ex qua qui bibit non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Pro quo beneficio etiam B. Maria in suo cantico gratias egit, cùm dixit: Esurientes impleuit bonis. Post quæ transit Psaltes ad declarandam misericordiam quam exhibet Deus fidelibus quidẽ, sed illis qui per semetipsos tenentur compediti ne impleant mandata Dei, nam quod hic dicitur: *Quia exacerbauerunt eloquia Dei*, manifestè testatur hic esse sermonem de illis qui verba Dei siue prædicationem Euangelij audierunt. De his itaque sic loquitur Psaltes:

10. *Sedentes in tenebris & vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro*. sub quibus accusatiuis quasi absolutè positis, subaudiendum est Verbum aliquod quasi dicatur: Præter eos quos diximus, inuenit Deus quosdam, *sedentes in tenebris & vmbra mortis*. Tenebræ & vmbra mortis in scripturis sacris non raro iunguntur: Et quidem per vmbram mortis etiam tenebrę designantur, sed tales, quæ, vt benè obseruauit D. Gregorius, deducuntur à morte

4. Moral. c. 20 & 11. cap. 11.

morte ſicut vmbra à corpore. Mortis verò nomine, intelligit D. Greg. diabolum cum angelis ſuis, ita vt ſecundum Gregorium, Vmbra mortis opera ſint tenebrarum, quibus opera diaboli inſtar formæ ſunt & exemplaris. Nihilominus quandoquidem & peccatum mors eſt, eadem conſideratione vmbra mortis dicuntur tenebræ, quas menti humanæ inducit admiſſum ab homine peccatum, ita vt illi quos dicit B. Apoſtolus non probaſſe Deum habere in notitia, eorumque inſipiens cor ob id obſcuratum eſſe, propriè ſederint in vmbra mortis, ſiue obſcuritate à domeſtica morte in ipſos dimanata: Cuius ſortis etiamnum hodie ſunt, quibus ſua peccata iam in conſuetudinem verſa, nec horrore nec compunctione digna cenſentur. His annumerandi ſunt, quibus à ſuo peccato proprium iudicium inumbratur, ne de proprijs erratis ea ſeueritate, imo veritate, cenſeant, qua cenſerent de iiſdem ſi eſſent ab alijs admiſſa: Quanquam illam animæ deformitatem ſiue obſcuritatem quam Theologi maculam vocant, à peccato, in peccantis animam, ſicut vmbra à corpore dimanatam, exiſtimem per vmbram mortis inter cætera etiam poſſe deſignari. Itaque inter eos quibus credita ſunt eloquia Dei, inuenit Deus quoſdam ſedentes, ſiue, vt D. Bernardus interpretatur, deſidentes in tenebris & vmbra mortis, quia accepta cognitione ciuitatis habitaculi, & viæ quæ ad eam ducit, ipſi ſe à peccatis priſtinis non expediuerunt. Quos Deus ſimul vidit. *Vinctos*. i. quadam violentia detentos *in mendicitate*. i. extrema rerum ſpiritualium inopia, *& ferro*. i. duriſsimo & ſibimetipſis indiſſolubili vinculo, de quo ſcriptum eſt, Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. Idque, *Serm. 49. in Cantica.*

Quia exacerbauerunt eloquia Dei. i. cum quadam proteruia noluerunt implere verba ſiue præcepta Dei. *Et conſilium altißimi*. i. eadem eloquia Dei, multa, v.g. non iurare omnino, non reſiſtere malo, conſilij & ſecuritatis cauſa (per ea enim quis longiſsimè efficitur à periurio, & iniqua ſui vindicatione) præſcribentia, *irritauerunt*. i. indignabundi contempſerunt. 11.

Et humiliatum eſt in laboribus cor eorũ. i. in difficili via iniquitatis multis laboribus deſudando, nihil ſibi niſi cõfuſionem & ignominiam pepererunt. *Et infirmati ſunt*. i. laſſati ſunt in via iniquitatis, *nec fuit*, inter homines *qui adiuuaret*. i. eos onere quo premebantur ſubleuatos, à labore reficeret ac recrearet. 12.

Et, hiſce vinculis conſtricti, quodam gemitu miſerabiliter emiſſo, Vel, immiſſo eis ab eo qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, per gratiam præuenientem, pio orationis affectu; Vel potius vtroque modo, *Clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur*. i. cùm inſenſibilitatis ſtupore, quo tot & tanta mala prius non percipiebãt, imo vt ait Sapiens; Pacem eſſe prædicabant, liberati, interno de ſua miſeria dolore 13. *Sapien. 14.*

dolore afflictari & exagitari ceperunt, *& de necessitatibus eorum.* i. his eorum miserijs à quibus nec ipsi se per semetipsos, nec vllus hominum eos per se poterat liberare, *liberauit eos.* Quid verò eis præstitit?
14. *Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis.* i. ignorantia & caligine peccatorum quam diximus: *Et vincula eorum*, quibus voluntati carnis atque peccati, pristinæ consuetudini, & reatui æternæ damnationis obstricti erãt, per pœnitentiam & peccatorum remissionem *dirupit*. Pro tanto itaque Dei beneficio
15. *Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum.* Et præsertim,
16. *Quia*, vt eis hæc quæ dicta sunt præstaret, *contriuit portas æreas.* i. cordis duritiem æris rigori comparandam, *& vectes ferreos.* i. pusillanimitatem, pertinaciam, de qua scriptum est, Neruus ferreus ceruix tua, & similia quæ dictam cordis duritiem confirmabant & tuebantur, *confregit.* i. emolliendo & sanando è medio abstulit. Præter quæ
17. *Suscepit eos*, in gratiam, protectionem alarum suarum, &, vt inquit Apostolus, in honorem Dei, vt essent de numero filiorum Dei: Ad hæc, inquam, suscepit eos *de via iniquitatis eorum.* i. de lacu miseriæ & luto fecis, quo prius in via iniquitatis varijs sordibus contaminati fuerant & conspurcati. *Propter iniustitias enim suas humiliati sunt.* q.d. Dico inquam quod susceperit eos in honorem Dei: valde enim abiecti facti sunt & viles per iniustitias suas, vt ob id diuinæ dignationis sit, gratiæ atque summæ clemẽtiæ è tali statu eos ad se assumpsisse. Non est autẽ hic prætermittendus D. Aug. in hunc locum cõmentarius qui est huiusmodi; *Sedentes in tenebris & vmbra mortis vinctos in mendicitate & ferro, quia exacerbauerunt.* i. acerba, ardua & grauia sibi fecerunt *eloquia Dei.* In quem sensum Psal. 104. dixit Psaltes, quod Deus non exacerbauit sermones suos, cuius sensus est, quod Deus aspera & acerba in Ægyptios comminãdo, sermones suos solummodo asperos non fecerit & acerbos, sed quod etiam misit tenebras & obscurauit. i. etiam aspera & acerba prout minatus erat, eis immisit. Ad quẽ modum Apostolus graues epistolas conscribendo, & exhibendo se in facto talem qualis absens in verbo apparuerat, dici potest nõ exacerbasse sermones suos, sed sermonem suum opere cõpleuisse; si autem alius apparuisset præsens in facto, quàm absens in verbo, tum de eo dici potuisset quod exacerbasset sermones suos. Qua autem ratione isti hic dicuntur eloquia Dei exacerbasse? *Et consilium eius.* i. consilium petendæ à Deo gratiæ, per quam eloquia Dei eis facilia redderentur; Consilium, inquam, quo Deus benè cõsulendo dixerat, Suadeo tibi emere à me aurum ignitum. i. charitatem meo munere donandam tibi suppliciter emereri: De quo dixerat & Apostolus;
Optimum

Optimum est gratia stabilire cor non escis quæ non profuerunt ambulantibus in eis: Hoc ergo Dei consilium, *irritauerunt*. i.tanquam non necessarium ac superuacaneum aspernati sunt. *Et humiliatū est in laboribus cor eorum*. i. Hoc Dei consilio spreto, necesse eis fuit in obseruanda vel forinsecus, siue secundum exteriorem hominem Dei lege, experiri difficultatem & subire laborem: Quam experti, *humiliatum est cor eorum*.i.de arrogantia priore ac præsumptione multum remisit cor eorum. *Et infirmati sunt*, i.se infirmos esse & legi seruandæ non sufficere cognoscere ceperunt. *Nec fuit qui adiuuaret*. i.qui in pristina præsumptione permanentibus vllo modo auxilium sufficeret. Sic itaque humiliati, *clamauerunt ad Dominum cum tribularentur*. i. de transgressionibus pristinis & inopia in tribulatione versarentur. *Et de necessitatibus eorum* ex quibus se eximere non sufficiebant *liberauit eos*. Hæc de hac parte Psalmi D. Augustini est expositio, quæ in reliquis præmissæ à nobis expositioni consentit. Cæterum, fideles ab omnibus malis prædictis per Dei gratiam eruti & expediti, in aliam denuò incidunt tentationem, de qua sequitur:

Omnem escam abominata est anima eorum. Esca hominis est verbum Dei, 18.
Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Hac esca nutritur & saginatur homo, cùm verbum Dei per gratiam se in animas sanctas, vt Sapientis verbis vtar, transfert, easque deriuatæ à se veritatis pabulo implet & clarificat. Hanc escam siue frumenti adipem nemo facilè abominatur, Non enim habet amaritudinem conuersatio Verbi siue Sapientiæ, nec tædium conuictus eius, imo, est allocutio cogitationis & humani tædij, quia cōsuetudine & colloquio illius omne animæ tædium pellitur. Dicuntur nihilominus fideles abominari omnem escam, quia abominantur illa per quæ verbi Dei pabulum, siue ipsa animæ esca hominibus participanda proponitur & exhibetur; Nauseabundi enim subinde sunt erga scripturam sacram, cuius sermo, inquit Ambros. animum confirmat, & quodam spiritualis gratiæ colorat vapore; Erga sacram prædicationem, per quam D. Ambrosius teste Augustino, populo strennuè suppeditabat adipem frumenti & sobriam vini ebrietatem; Erga sacramentum corporis & sanguinis Christi, quo Ecclesia, vt ipsamet in quadam oratione secreta profitetur, mirabiliter pascitur & nutritur; Abominantur denique illum panem de quo Apostolus, Vnus panis & vnum corpus multi sumus, quia fastidiunt vel auersantur bona exempla, pietatis officia, exhortationes, instructiones, consolationes & similia fraternæ charitatis officia, per quæ fideles sibi mutuò panis sunt, ac inuicem refocillare, recreare, & corroborare contendunt. Rursus, ex altera parte abominātur illa sua munia, per quæ ipsis ad verbi Dei, escæ seu pabuli sui participationem, contendendum esset.

Amb. 2. de Cain & Abel. cap. 6.

Pigreſcunt enim ad ſacrarum litterarum lectionem, per quam D. Ambroſ. Auguſtino teſte, feriatis horis ſolet reficere animum: Exhorrent medita-
2. de Cain & Abel c. 6 tionem, quam commendabat Ambroſius cum diceret: Hunc cibum menti noſtræ deferamus, qui multa meditatione politus & attritus, cor hominis ſicut illud cæleſte manna confirmet. Quod non ocioſè tritum ac politum accipimus, eo quod cæleſtium ſcripturarũ alloquia diu terere ac polire debeamus, toto animo & corde verſantes, vt ſuccus ille ſpiritalis cibi in omnes ſe venas animæ diffundat. Hæc Ambroſius. Omnem ergo hanc eſcam, ſiue potius, omnia hæc per quæ eſca ſuppeditatur & acquiritur, *abominata eſt anima eorum*, Quia omnia hæc quæ diximus, inſipida videntur & inſulſa,
Ser. 33. in Cantica. ſi non de primitijs ſpiritus, Bernardi verbis vtor, quantulumcumque accipiant condimentum. Dicit proinde de illis nauſeabundus homo, & primitiarum ſpiritus expers, Nunquid comedi poteſt quod inſulſum eſt quod non eſt ſale conditum? Et ad hanc quidem abominationẽ deueniunt etiam illi qui omnem hanc eſcam prius aliquando cum voluptate perceperant:
Iob 33. Verè namque de homine ſpirituali dixit Eliu: Abominabilis ei fit in vita ſua panis & animæ eius cibus deſiderabilis. Id verò, non mutatione panis, ſed ſumentis, qui priorem eſcæ huius appetentiam per negligentiam, aut etiam per tacitam aliquam animi elationem amiſit. Non enim ſine cauſa,
Ber. ſer. 54 in Cantica inquit Bernardus, ab heri & nudiuſtertius inuaſit me languor animi, mentis hebetudo, inſolita quædam inertia ſpiritus: Superbia inuenta eſt in me, & Dominus declinauit in ira à ſeruo ſuo. *Et appropinquauerunt vſque ad portas mortis*, Anima enim à Verbo ſeparata incipit mox peccatis patere
Amb. de fuga ſæc. c. 2. voluntarijs, inquit Ambroſ. & per ea propinquare damnationi.
19. *Et*, vt ſupra expoſuimus, *clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos*. Qua autem ratione? Per gratiam ſuam,
20. *Miſit verbum ſuum & ſanauit eos* à faſtidio, languore & prædicta inertia ſpiritus, *Et eripuit eos de interitionibus eorum*. i. compluribus peccatis mortiferis per quæ æternæ perditioni multimodis erant obnoxij. Itaque
21. *Confiteãtur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominũ.*
22. *Et*, vt idem alijs verbis dicam, *ſacrificent ſacrificium laudis, & annuncient opera eius in exultatione.* Hic namque verſiculus expoſitionis gratia ſubiunctus eſt priori: quomodo enim *confitebũtur Domino mirabilia eius* niſi per ſacrificium (ſiue illud ſpirituale tantum ſit, ſiue etiam externũ) laudis? Et quomodo *mirabilia eius* confitebuntur *filijs hominum*, niſi quando annunciantur *opera Dei in exultatione*, vt & alij in diuini nominis confeſſionem excitentur? Poſt hæc verò tranſit Pſaltes ad declarandam Dei miſericordiam atque virtutem, qua rebus Reipublicæ Chriſtianæ & præcipuè

cipuè Ecclesiæ turbatis & penè desperatis, mirabiliter succurrit Rerumpublicarum & Ecclesiarum præpositis, & dicit:

Qui descendunt mare.i.sæculum, Dicit namq; Hieronymus: Quod mare appelletur sæculum, vt multa prætercam, vno testimonio Psalmi contentus sum, *Qui descendunt mare in nauibus*. In quibus verbis nauium nomine particulares Ecclesias vel Prouincias intelligimus. Naues siquidem illæ binæ, quarum apud Lucam mentio est, particulares & singulares Ecclesias designant, quia qui erant in vna naui, in altera naui constitutis tanquam socijs annuerunt. Itaque per duas illas naues particulares Ecclesiæ intelligendæ sunt, non autem per vnam Ecclesia & per alteram congregatio hæretica aut schismatica, quia inter Ecclesiam & schismata nulla est societas; Cui intellectui nihil obstat, quod Dominus in alteram earum quæ erat Simonis Petri conscendit, & docuit de illa nauicula turbas, Petrus namque tametsi vniuersalis Ecclesiæ pastor & Episcopus sit, Ecclesiam vnam quæ est Romana sibi particulariter & peculiariter regendam suscepit, de qua, quasi de nauicula Petri Christus docet turbas, faciẽs Ecclesiam Romanam esse magistram omnium reliquarum Ecclesiarum. Ad has igitur naues quidam descendunt, *Facientes*, siue vt faciant *operationem in aquis multis*.i. gubernent Rempublicam siue populi Christiani multitudinem; quidam quidem vt teneant clauum, nauemq; ipsam primaria authoritate gubernent, alij verò vt teneant (Augustini verbis vtor) remum, ijsque qui clauum dirigunt opitulentur. Qui omnes sua singuli munia apprehensuri, dicuntur ad mare descendere, quia ab ijs quæ sunt vitæ contemplatiuæ, ad inferiora, sed necessariora (quibus præstantiora in necessitate, vt docet Bernardus, posthabenda sunt) munia se demittunt, Vel, quia in pericula & molestiarum quendam gurgitem se conijciunt, ita vt eis competat illud Deboræ, Qui spontè obtulistis vos discrimini, Et, Barach quasi in præceps & barathrum se discrimini dedit.

23. Hiero. in c. 21. Isaiæ.

Basil in c. 2 Isaiæ.

Epist. 148.

Ber. ser 50 in Cantica.

Ipsi ergo *viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo*. i. mari, 24.
siue sæculi medio; præpositorum namque opera Deus varia, & subinde mirabilia in populo suo operatur. Quorum mirabilium voluit Psaltes vnum aliquod in medium adferre, de quo loquitur in hæc verba,

Dixit. i. intuitu boni inde prouenturi permisit Deus: Intuitu boni in- 25.
quam, scriptum est enim, Contra malum bonum est, & contra mortem vita, quia, vt ex eo loco docet August. nõ permittit Deus mala, nisi contemplatione boni ex illis cum fœnore prouenturi. *Et stetit*, q.d. non statim ab initio & primo ortu suo extinctus est, sed pertinaciter & audacter coeptis institit & paulatim increuit *spiritus procellæ*.i. susurrium, & mala suggestio, odio, inuidiâ, indignatione, ambitione malignantium conflata, &

Eccli 33. Aug. 11 de Ciuit. c. 18.

in populum immiſſa, qualis v.g. ferè erat ille ſpiritus peſsimus, quem ſcriptura dicit Dominum immiſiſſe inter populum Zichimorum. *Et exaltati ſunt fluctus eius*.i.motus animorum,qui huiuſmodi ſuggeſtiones & ſuſurria conſequi nati ſunt, valdè magni effecti ſunt & ſeſe mirificè erexerunt, quia

26. *Aſcẽdunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos*.i.motus animorum tanti effecti ſunt,vt poſsint comparari fluctibus maris vẽto procelloſo concitati, Hi enim vſque adeo ſeſe extollunt, vt vectores nauium videantur modo nubes contingere, modo in ima demergi. *Anima eorum* quos diximus in mare deſcendiſſe *in malis tabeſcebat*.i.mœrore cõficiebatur ob turbatam quam diligebant Rempublicam.

27. *Turbati ſunt*. i. ipſi homines ſimiles nobis paſsibiles, conſternati ſunt, Vel,animi indignatione,puſillanimitate ſimilibuſque animi ægritudinibus exagitari ceperunt. *Et moti ſunt ſicut ebrius*. i. in omnem partem animos ſuos verſantes, nihil certi conſilij quo commotam tempeſtatem ſedarent inuenire potuerunt, Vel, in quibuſdam ſuis inſtitutis atque conſilijs, nonnihil titubauerunt. Quod in quam partem ab ijs qui in tranquillitate poſiti, eorum qui in tempeſtate verſantur gubernacula obſeruant, accipiendũ

Epiſt 42. ſit, docet D. Bernardus ad Henricum Archiepiſcopum Zenonenſem ſcribens in hæc verba. Ex quo regni cælorum claues Deo authore traditas vobis ſuſcepiſtis, ac iuxta ritum fortis illius mulieris manum mittere cepiſtis ad fortia, ſi quæ vos aut egiſſe quæ non deberetis, aut pertuliſſe quæ nolletis,audiuimus: & illa agentem doluimus,& condoluimus hæc patienti. Inter hæc autem ego recordabar illorum verſiculorum. Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis,aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat: turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Et ideo non iudicabam vt aſſolet: magis quippè ad compaſsionem prouocabat huiuſcemodi cogitatio. Si,inquam, tentatio eſt cuiuſcunque vita hominis ſuper terram, quantis putatis periculis patet vita Pontificis, cui omnium neceſſe eſt ferre tentationes? Quibus moleſtijs angitur,quibus laceſſitur iniurijs, cui etiamſi propria ceſſent, nunquam tamen de alienis deſunt foris pugnæ, intus timores. Hæc Bernardus. *Et omnis ſapientia eorum deuorata eſt*. i. rationem ſedandæ tempeſtatis inuenire non potuerunt. Vel, quicquid ad ſedandam tempeſtatem ſapienter inſtituerunt, vi turbinis ac voragine commotę tempeſtatis abſorptum fuit & diſsipatum,remanſitque expectato prouentu vacuum. Quid ergo eis reliquum erat?

28. *Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur*, Cùm enim ignoramus quid agere debeamus,hoc ſolum, dicebat Ioſaphat in tempeſtate conſtitutus, habemus reſidui, vt oculos noſtros conuertamus ad te. Nec id

fruſtra,

frustra, Nam, *& de necessitatibus eorum liberauit eos,*

Et statuit. i. transtulit *procellam eius in auram*, quia tranquilla & me- 29.
liora consilia in populo peruulgari fecit, pro quibus in necessitate positi o-
rabant Ecclesiarum præpositi, dicentes illud Cantici Canticorum, Surge. i.
fuge Aquilo, & veni Auster, qui est placida Spiritussancti suggestio, perfla
hortum meum. *Et siluerunt fluctus eius.* i. sedati sunt motus tempestatis:
Sicut enim cùm defecerint ligna, extinguitur ignis, ita susurrone subtra-
cto iurgia, inquit Sapiens, conquiescent. Id, inquam, fecit ille, qui post tem- *Prouer. 26*
pestatem, vt dicebat Sara, tranquillum facit.

Et lætati sunt quia siluerunt, transacta enim tempestas auxit de subse- 30.
cuta tranquillitate gaudium. *Et deduxit eos in portum voluntatis eorum.* i.
causis transactæ seditionis è medio sublatis, Rempublicam quasi in portu
ac in tuto constituit atque firmauit. Quid ergo pro hac misericordia atque
virtute debetur Domino?

Confiteãtur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominũ. 31.

Et exaltent eum. i. extollant Dominum, virtutem ac miserationes eius, 32.
in ecclesia plebis. i. congregatione populi. *Et in cathedra seniorum.* i. in me-
dio eorum qui authoritate pollent ac præsident, Seniores enim in scriptu-
ris sacris non à capitis, imo ne mentis quidem canitie dici, vnus Petrus sa-
tis persuadet cùm dicit Senioribus, Pascite. i. regite, vt supra interpretati su-
mus, qui in vobis est gregem. Si enim seniores illi sunt quorum est pascere
siue regere, & nemo regit absque potestate, ergo seniores in scripturis sacris
dicuntur, qui potestate pollent. In horum ergo seniorum vna cum Ecclesia
plebis conuenientium medio *laudent eum.* i. laudes Dei celebrent. Hoc
ergo modo succurrit Deus Ecclesiæ principibus & magistratibus populi, si
quando in populo orta fuerit seditio. Reliquum est, vt audiamus qua ra-
tione Deus subueniat populo, si quando principes & Ecclesiarum rectores
suis defuerint muneribus. Qua de re Psaltes sermonẽ instituit in hæc verba:

Posuit flumina. i. gentem Iudæorum propheticis & Apostolicis prædi- 33.
cationibus prius copiosissimè irrigatam, Deus, vt prædixerat Isaias, posuit
desertam & salubri hoc irriguo destitutam. *Et exitus aquarum*, per quos
idem quod mox dictum est, significatur: Non malè tamen ijs appropriatur
hic sensus: *Posuit exitus aquarum.* i. Iudæam de qua exiuerat lex & verbũ
Domini de Hierusalem *in sitim*, ita vt postea in ea impletum sit quod dixe-
rat Isaias, Ecce serui mei bibent & vos sitietis. *Isaia 65.*

Terram fructiferam in salsuginem, ita vt in sterilitatem versa sit; Idque, 34.
non pro spontaneo suæ voluntatis beneplacito, sed, *à malitia inhabitantiũ
in ea*; hanc enim desertionem peccata populi terram inhabitantis mereban-
tur. Gratiam autem qua Iudæa se indignam reddiderat, noluit Deus orbi

terrarum deesse, sed Iudæis eam repellentibus placuit eandem ad gentes transferre, sequitur proinde:

35. *Posuit desertum.* i. aridam gentium *in stagna aquarum*, vt copia doctrinæ salutaris & gratiæ spiritualis abundarit. *Et terram sine aqua.* i. eandem gentium aridam *in exitus aquarum*, vt scilicet aqua salutari non solum abundet, sed eandem etiam copiosè emittat. Ex Ecclesia enim in gentibus plantata egrediuntur prædicatores ad conuertendum infideles; & circa finem sæculi ex eadem venient qui auferant impietatem ab Israel, conuertendo populum Iudæorum ad Dominum Deum suum, vt circa finem Psalmi 13. diximus.

36. *Et collocauit illic.* i. in deserto in stagna conuerso *esurientes* quos ipse munere gratiæ præuenientis prius fecerat esurire & sitire iustitiam. *Et constituerunt ciuitatem habitationis*, quia Iudæis per orbem terrarum vagantibus, gentiles in sedibus suis fixi, in ijsdem Ecclesiam ædificauerunt, exercueruntque religionem cum gentilitate perpetuò permansuram, vt impleretur quod scriptum est: In loco vbi dictum est eis, Non populus meus vos, ibi vocabuntur filij excelsi.

37. *Et seminauerunt agros.* i. populum per regiones suas diffusum, Seminauerunt, inquam, semine hominum, vt inquit Propheta, & iumentorum, vt ex semente verbi Dei homines succrescerent Dei cultores. *Et plantauerunt vineas.* i. congregationes hominum spiritualium, quæ propter dulcedinem spiritus vineæ nomen sibi peculiariter vendicant. *Et fecerunt fructum natiuitatis.* i. genuinum iacti seminis fructum in fide & bonis operibus protulerunt. In hac namque gente sunt illi agricolæ, quibus Dominus dixerat se locaturum vineam suam, vt redderent illi fructum temporibus suis. Quin & vinea in gēte hac siue in gentilibus plantata, longè abest à vinea illa degenere, de qua per Isaiam dixerat Dominus: Expectaui vt faceret vuas & fecit labruscas: & per Psaltem; Retribuebant mihi mala pro bonis sterilitatem animæ meæ.

38. *Et benedixit eis.* i. per misericordiam subsequētem benedictionibus cumulauit, quos prius in benedictionibus dulcedinis suę præuenerat. *Et multiplicatæ sunt nimis.* i. super numerum, vt habet Psalmus 39. *Et iumenta eorum non minorauit.* i. fecit vt illi qui inter fideles, vt iumenta inter animalia, maiores esse debent, nihil decrescerent, sed spiritu & virtute maioribus suis æquarentur, ita vt posteriores eodem spiritu ambularent, & ijsdem vestigijs quo maiores. Id autem ad tempus, quia, refrigescente charitate multorum,

39. *Et pauci facti sunt.* i. pauci eam quæ apud eorum maiores vsitata fuit vitæ synceritatē & integritatē colere voluerunt, & ex verbi, quod apud eos integrum

integrum permanſit, ſemine, fructum natiuitatis, ſiue genuinũ fructum proferre, ſicut ſcriptum eſt; Remanſerunt viri pauci in ſanctis. *Et* pauci iſti *vexati ſunt à tribulatione malorum & dolore*. i. multis moleſtijs & doloribus ob diſsimilitudinem morum & ſtudiorum à malis affecti ſunt. Implebatur namque quod dixit Apoſtolus, Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Ex eo autem quod plurimi à priſtina pietate & charitate defecerint, aliud malum conſecutum eſt, quia,

Effuſa eſt contemptio ſuper principes, nam magno totius Reipublicæ 40.
malo, principes populi huius, populo ſuo contemptui eſſe ceperunt, ſicut ſcriptum eſt, Qui effundit deſpectionem ſuper principes. Et quidem popu- *Iob 12.*
lus vitio ſuo principes ſiue Eccleſiaſtici illi ſint ſiue ſæculares deſpicit atque contemnit; ſcriptura tamen ſacra dicendo; Qui effundit deſpectionem ſuper principes, idipſum Deo tribuit; In primis quia Deus propter peccata populi, permittendo vel non impediendo regnare facit hominem hypocritam, conſtituens reges aptos, vt Irenæi verbis vtar, his qui regnantur: ſiue, *Iren lib. 5. con hæreſ.*
vt ait Auguſt. facit Deus hypocritas regnare, quando iudicat res humanas *Auguſ. 5. de*
talibus principibus dignas eſſe. Deinde contemptio principum tribuitur *Ciuit. c. 19*
Deo, quia Deus regibus virtutes, quibus populi vtilitatibus prouideant, & per quas apud populum in pretio ſint, pro eorum demeritis non tribuit, & inde conſequitur, vt reges à populis deſpiciantur. *Et errare fecit eos in inuio, & non in via*, quia non tribuendo eis ſapientiam & prudentiam quibus Rempublicam prout oportet adminiſtrent, fecit vt præpoſteris conſilijs Rempublicam procurarent, & in Republica adminiſtranda per deuia incederent, quale quid vidimus in Roboam: De qua re & Iob; Immutat Deus cor principum populi terrę, vt fruſtra incedant per inuium, Palpabunt quaſi in tenebris & non in luce, & errare eos faciet quaſi ebrios. Huiuſmodi ergo principibus ſiue Eccleſiam Dei ſiue Rempublicam Chriſtianam procurantibus, quid aget Deus? Nunquid cùm grex deſtitutus fuerit cura & gubernatione ſuorum principum, ſimul etiam Deus ſua prouidentia deſtituet omnem populum? Abſit, ſequitur enim:

Et adiuuit pauperem de inopia. i. ipſe per ſe aut ſuos quos in medio Rei- 41.
publicæ Chriſtianæ ſemper reliquos habet & vniuerſalis ruinæ ſuperſtites, pauperes populi quos elegit in hoc mundo diuites fieri in operibus bonis, *adiuuit de inopia*, ſiue in media totius Reipublicæ inopia. *Et poſuit ſicut oues familias*. i. fecit eos nihilominus ijs virtutibus & bonis affluere, quibus affluit familia aut Reſpublica per bonos rectores optimè conſtituta ac gubernata. De qua Dei ſubuentione Dominus per Ezechielem: Ecce ego *Ezech. 34.*
ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum,
in die

in die qua fuerit in medio ouium ſuarum diſsipatarum, ſic viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus fuerant diſperſæ in die nubis & caliginis. In quem locum ſcribit Auguſtinus in hæc verba: Quid facimus? Cùm Petro commendantur oues, non dixit Dominus, Ego paſcam oues meas, non tu; ſed, Petre amas me, paſce oues meas. An fortè quia modo non inuenitur Petrus, non eſt cui ſecurus dicat Dominus ouium, Paſce oues meas? & quodammodo quaſi neceſsitate deſcendit ad officium paſcendi oues ſuas, non habens quibus commendet, non tamen deſerens? Hoc enim videtur ſequi cùm dicit Dominus, Ecce ego ipſe requiram oues meas. Planè facit, & faciet, ait enim; Ecce ego ipſe & inquiram oues meas, &c. Hæc Auguſtinus. In quibus verbis quod dicit Auguſtinus, An quia modo non inuenitur Petrus, non eſt cui ſecurè commendet Dominus oues ſuas? non eſt arbitrandum Auguſtinum fauere hæreticis qui dicunt Pontificem non habere Petri poteſtatem, ſi eius non habuerit ſanctitatem. Non enim dicit Auguſtinus, Dominum eo caſu ſeruaſſe ſibi poteſtatem paſcendarum ouium, ſed dicit Dominum eo tempore deſſcendere vt per ſe ſuppleat neglectum à ſuis vicarijs officium; ſiue, vt loquimur, defectus prælatorum. Hoc itaque Pſalmi loco docemur prouidentiam Domini mirabiliter ſubuenire ſuis ouibus, etiam eo tempore quo à ſuis negliguntur imo diſsipantur paſtoribus vel principibus. Quod ad oculum videmus in illis Eccleſijs, quæ aut nullos aut malos habent paſtores, in quibus videmus quoſdam, & præſertim pauperes populi, in timore Domini, cum Tobia, immobiles permanere. Quid verò fiet in bonorum & malorum extremis ſiue nouiſsimis?

Aug. ſer. 79 in ſermon. per Vlimm editis. c. 11.

42. *Videbunt recti & lætabuntur.* Iuſti enim vt Pſalmo 67. dictum eſt, epulabuntur & exultabunt in conſpectu Dei. *Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum,* quia eo tempore iniquitas nec negari poterit, nec defendi, nec excuſari. Vnde & iniquus aliquis interrogatus quomodo ad nuptias intraſſet non habens veſtem nuptialem, obmutuit.

43. *Quis ſapiens & cuſtodiet hæc?* vt in neceſsitatibus ſuis prædictis ad Dominum confugiat, *& intelliget miſericordias Domini,* quas impartitur in quauis neceſsitate confugientibus ad ſe? Quod autem Pſaltes interrogat, Quis, deſignat talem rarum eſſe.

Pſalmus 107. explicatus eſt partim Pſalmo 56. partim Pſalmo 59. proinde eius explicatio hic prætermittitur.

PSALMVS CVIII.

In finem Psalmus Dauid.

PSaltes in hoc Psalmo, teste Ambrosio, loquitur in persona Christi. Et quæ hic dicuntur in numero plurali, authore eodem, referenda sunt ad Iudæos, quæ verò in singulari, magna ex parte referenda sunt ad Iudam proditorem. Orat autem Christus, quia id nobis expediebat, ne Deus Pater patiatur nomen eius opprimi, gloriamque obnubilari per calumnias & criminationes, quas Iudæi in eum, præsertim tempore pasionis euomerent, & dicit: *Amb. in ps. 40. & 43.*

Deus laudem meam ne tacueris. i. ne desieris miraculis alijsque testificationibus asserere atque tueri gloriam meam, v.g. quod Deus sim & absque culpa propria patiar quæ patior, *Quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est.* i. tempus iam adest quo maleuoli & fraudulenti, criminando, aduersum me effundere audent quicquid eis in buccam venit. Hi enim 1.

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa. i. testificationibus & accusationibus in speciem veris, conati sunt Herodem & Pilatum circũuenire, & in iniquam sententiam aduersum me pronunciandam pertrahere. *Et sermonibus odij circumdederunt me*, cùm me coram stante & aspectibus eorum exposito, vndique circumstreperent clamantes, Tolle, tolle, crucifige, crucifige. Illi enim clamores nil nisi odium & indignationem sonabant. *Et expugnauerunt me.* i. Pilatum repugnantem, his vocibus, præsertim cum simul dicerent, Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris, expugnauerunt vt traderet me. Idque, *gratis.* i. absque iusta causa, quia non debebat Pilatus timere ne per Christum vlla in parte diminueretur authoritas aut census Cæsaris, docuerat namque Christus Cæsari esse danda quæ Cæsaris sunt, vt ostendit D. Leo. 2. *Ser 10. de paßione.*

Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, cùm dicerent; Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluum facere, Ex eo enim quod alios saluos fecerat, oportebat eos desumere argumẽtum ad Christum ardentius diligendum, non autẽ ad derogandum ei, Tametsi enim Christus non potuisset seipsum saluum facere, nõ fuisset tamen illa eius impotentia ex eo quod alios saluos fecerat digna improperio, sed potius commiseratione. *Ego autem orabam*, Pater ignosce illis, quod enim faciunt, nesciunt. 3.

Et posuerunt aduersum me mala pro bonis, quia audita oratione hac, non desierunt fixuris clauorum adijcere tela linguarum. *Et odium pro dilectione mea.* i. pro dilectione, qua declarabam me eos, non obstante eo quod in me crudeles existerent, dilectione prosequi, ipsi in odium mei acerbius exasperati sunt. Post quæ conuertit Christus sermonem & incipit speciatim 4.

enarrare ea quæ euentura erant Iudæ proditori, verbis quidem optatiuis, ſed ſenſu enunciatiuo, & dicit:

5. *Conſtitue ſuper eum peccatorem.* i. futurum eſt vt te deſerente peccatum Iudæ dominetur, & ipſe peccator ſibi ſecundum legem peccati præſit & imperet; *Et* poſt multa peccata *diabolus ſtet à dextris eius.* i. introibit in eum Sathanas, vt eum tanquam proprium ſuum mancipium ſecũdum ſuam voluntatem dirigat. In quem ſenſum Chriſtus qui ſecundum hominem in omnibus ſequebatur Dei directionem, dicit: Dominus à dextris eſt mihi ne commouear.

6. *Cùm iudicatur* à propria conſcientia cùm referet denarios, & dicet, Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. *exeat condemnatus.* euentus enim illius remorſus erit condemnatio & interemptio ſui. *& oratio eius fiat in peccatum.* D. Hieron. putat id dici, quia ne pœnitentia quidem Iudæ fructuoſa fuit: Imò, vt addit in c. 27. Matth. quia pœnitentia hæc interemptionis ſui flagitium ei adduxit: Qui ſenſus huic loco videtur proprius. Nam & Leo dicit, quod admiſſo ſcelere, tam peruerſa fuerit Iudę cõuerſio, vt etiam pœnitendo peccarit. D. tamen Ambr. accommodat hæc verba ijs, qui orando nouum ſibi acquirunt peccatum, ſiue per errorem, quando oratio non eſt ex fide, ſiue per præſumptionẽ, ſiue per negligentiam, ſiue alio quouis modo.

Hierony. in c. 20. Iſaiæ.

Serm. 5. de paßi. Dom.

Ambro lib. 2. de Cain & Abel c. 9

7. *Fiant dies eius pauci.* i. per violentam mortem ſibi illatam abbreuiabit tempus vitæ ſibi à natura deputatum. *Et epiſcopatum.* i. Apoſtolatum *eius accipiat alter*, Mathias ſcilicet, vt notum eſt. Vox. n. epiſcopatus hoc loco non accipitur in ea ſignificatione, in qua nunc ferè ea vtimur vt deſignet ordinariam iuriſdictionem in agnos Chriſti cum ſummi Sacerdotij honore coniunctam. Si enim ab hac poteſtate tribuitur Iudæ hoc loco Epiſcopatus; Ergo oportebit fateri iuriſdictionem epiſcopalem in Eccleſia fuiſſe priuſquam Chriſtus diceret Petro, Paſce agnos meos; & ſummum ſacerdotium, priuſquam in Apoſtolos viſibiliter in linguis diſpartitis deſcenderet Spiritus S. Quorum id quod prius dixi, ſatis manifeſtè abſurdum eſt. Proinde Epiſcopatus hoc loco nihil aliud quàm Apoſtolatum ſignificat. Nam Apoſtoli ex hac ſcriptura aliud non conſtituerunt quàm numerum Apoſtolorum per mortem Iudæ imminutum, alterius cuiuſpiam acceſsione complendum eſſe. Apoſtolatum autem qui à poteſtate annunciandi primitus euangelij nomen habet, ſine poteſtate epiſcopali conſiſtere poſſe, ex euangelio notum eſt. Ibi enim clarum eſt Chriſtum à principio delegiſſe Apoſtolos: poſt reſurrectionem verò ſuam in Petro Epiſcopatum inſtituiſſe, reliquis etiam Apoſtolis per Petrum, ſi Leoni credimus, communicandum. Nec mirum videri debet, vocem Epiſcopatus hoc loco alterius rei ſignificationem non importare, cùm ex Apoſtolo ad Philipp. conſtet

Leo ſerm. 3. de anni. die aſſump.

etiam

etiam presbyteros non à iuriſdictione epiſcopali, nec à ſummo ſacerdo-
tio, ſed à demandata eis in dominicum gregem quadam obſeruatione,ſiue
vt loquimur, ſuperintendentia, Epiſcopos dictos eſſe: Et ex Auguſtini e- *Epiſt. 19.*
piſtola ſimul notum ſit, ſummos ſacerdotes poſtea in Eccleſia Epiſcopos
ſingulariter dici cepiſſe. Dicit namque; Secundum honorũ vocabula, qui-
bus nunc vtitur Eccleſia, Epiſcopus presbytero maior eſt. Vbi Auguſtinus
non obſcurè indicat, Epiſcopatus vocabulum non ſemper in ea, qua nunc
ſignificatione acceptum fuiſſe. Sed his de Iuda prophetatis,ſubiungit Pſal-
tes ea quæ genti Iudæorum erant obuentura ob deicidium Chriſti, in nu-
mero ſingulari totam gentem deſignans, & dicit:

Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. i. futurum eſt vt illi paterna: 8.
Hæc verò maritali Dei cura deſtituatur, vt impleatur quod in perſona eo-
rum planxit Hieremias: Pupilli facti ſumus abſque patre, matres noſtræ
quaſi viduæ.

Nutantes transferantur filij eius. i. traijciantur de loco in locum con- 9.
ſilij incerti & ad omnem euentum penduli: vt impleatur in illis quod præ-
dixit Moyſes; Erit vita tua quaſi pendens ante te, & timebis die ac nocte, *Deuter 38.*
& non credes vitæ tuæ. Quod tametſi ab Auguſtino & Leone, alijſque de *Aug 17. cõ.*
Chriſto intelligatur, qui cum vera vita ſit,pendebat è cruce ante oculos Iu- *Fauſt c. 22*
dæorum, ipſis in ſua infidelitate permanentibus: Nihilominus ſecundum *Leo ſerm. 8 de paßione*
eundem D. Auguſtinum intelligitur id etiam ad literam, vt vita Iudæorum
fuerit quaſi pendens ante oculos eorum, quia inter minas,ait, & dolos ho-
ſtium ſuorum, vitam ſuam videbant ex incerto pendere. *Et* præ egeſtate
mendicent: & eijciantur de habitationibus ſuis. i. proprijs ædibus violenter
exturbentur, ita vt ne in illis quidem tuti ſint aut ſecuri.

Scrutetur fœnerator omnẽ ſubſtantiam eius. i. quiſquis ſiue ratione mu- 10.
tui,ſiue qua alia ratione, iniuſta lucra ab eo exigit. (Nam pro fœneratore,
alij exactorem legunt) is id facturus eſt tãta importunitate & improbitate,
vt cum Deut. 24. lex,humanitatis cauſa, præcipiat ei qui rem aliquam repe-
tit, non ingredi domum eius à quo eam repetit, ſed ſtare foris,vt profera-
tur quod petitur: iſte cõtrà in domum irrupturus ſit & ſcrutaturus omnem
ſubſtantiam,vt ex ea ad placitum ſuum & ſecundum æſtimationem,vel ta-
xationem ſuam ſibi deligat,quod ad ſatisfactionem placuerit. *Et diripiant
alieni labores eius.* i. alienis quibus ea minimè fauet, imò quibus ea inui-
det, cedent omnia illa quæ maximo ſudore comparauerat ſenectuti ſuæ, &
vſibus ſuorum.

Non ſit illi adiutor. i. nullum habebit aut inueniet patronũ. *Nec ſit qui* 11.
miſereatur pupillis eius. In quo extremam experientur omnium hominum
erga ſe inclementiam.

Fff ij *Fiant*

12. *Fiant nati eius in interitum*.i.habeantur tanquam homines morti desti-
nati,ita vt quicunque eis mortem aut calamitatem infert,laudetur,tanquam
qui eis id quo digni sunt, irrogauerit. *In generatione vna deleatur nomen
eius*. Erunt enim ignaui & inertes, qui nihil acturi sint dignum memoria
posteritatis.

13. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini,& pec-
catum matris eius non deleatur*. i.vindicabit Deus peccata parentum in fi-
lios, & præsertim illud peccatum quo parentes dixerunt; Sanguis eius su-
per nos, & super filios nostros.

14. *Fiant contra Dominum semper*.i.inimici Dei effecti,aduersabuntur sem-
per Deo, & omnibus qui in Dei nomine operantur: Dicit proinde de ijs
Apostolus: Qui & Dominum occiderunt Iesum & prophetas,& Deo non
placent,& omnibus hominibus aduersantur.*Et dispereat de terra memoria
eorum*. i.viles erunt, nec quid gerent memoria dignum. Horum malorum
causa est,*Pro eo quod non est recordatus facere misericordiã*.i.pro eo quod
cùm Pilatus eorum humanitatem compellando diceret,Ecce homo: vt er-
ga Christum tot plagis & ludibrijs affectum humana saltem miseratione
commoti mitescerent, Israel quauis tygride durior ad commiserationem
flecti noluit: quin potius cepta prosequendo:

15. *Et persecutus est hominem inopem & mendicũ, & compũctum corde mor-
tificare*. i. perrexit vlterius Christum ad mortem depostulare. Cuius feri-
tas hoc nomine erat immanior, quod eam exercebat erga hominem ino-
pem: Paupertas enim,cuius cultor fuit Christus,misericordiæ illex est, *Et
mendicum*. Mendicauit enim Christus satis manifestè, sed modestè, cùm
Marci 11. circumspiceret omnes,ipso visu prouocans,vt aliquis eum vellet
sub tectum recipere,& nemine inuitãte, egressus est vespere in Bethaniam.
Nutu autem oculorum mendicationem fieri,Iob satis insinuat, cùm dicit:
Si oculos viduæ, ipso scilicet oculorum aspectu opem implorantis, expe-
ctare feci. *Et compunctum corde*, Non quidem peccati, sed plagarum acu-
leo,& tristitiæ,qua de eorum peccato compungebatur.Nihil tamen horum
potuit insanam Iudæorum crudelitatem ad misericordiam inflectere.

16. *Et dilexit maledictionẽ*,cùm dixit, Sanguis eius super nos, *& veniet ei,
& noluit benedictionem*, à Christo ei oblatam, cùm vellet filios eius con-
gregare quemadmodum gallina. *& elongabitur ab eo*,quia huius proteruiæ
merito dictum est, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta,&c.

17. *Et induit maledictionẽ sicut vestimentum*; quia maledictio ei foris sem-
per adhæsit, tam in rebus ad vsum vitæ nostræ necessarijs, quàm in malis
eius moribus. *Et intrauit sicut aqua in interiora eius*. i. præter ea quæ ex-
trinsecus sunt,omnia interiora eius plena sunt malitia, maledictionẽ, quam
dilexit,

dilexit, consecuta. *Et sicut oleum in oßibus eius*.i.malitia eius abundans, & quasi adeps pinguis facta est, Vt de eo verum sit quod Psal. 72. dictum est, Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Et illud Iob, Et ceruice pingui armatus est.

Fiat ei sicut vestimentum quo operitur. Hoc quid aliud est quam quod 18.
dicit idem Psalmus, Operti sunt iniquitate & impietate sua? *Et sicut zona quæ semper præcingitur*, vt nimirum semper sit promptus & expeditus ad malefaciendum. Hoc enim significat præcinctum esse.

Hoc opus eorum.i.hæc merces eorum, *qui detrahunt mihi apud Dominũ*, 19.
i.qui etiam in oculis Dei me per calumniam, sicut diabolus Sanctos, denigrare conantur. Opus enim hoc loco secundum quosdam pro mercede ponitur, sicut & cùm dicitur; Opus mercenarij non remanebit apud te. Est tamen optimus sensus, si opus hic propriè sumatur. Cùm enim dictũ sit, quod maledictio intrauerit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius, ne malignitas illa putetur Dei opus esse aut Deus eam esse operatus, rectè subiungitur: *Hoc opus eorum.* q.d. Malignitas hæc opus eorum est, quia ipsi sibi eam fecerunt & auxerunt. Deum enim repellentes & ab eo iustè deserti, ipsi semetipsos ad omnia mala conuerterunt, & semetipsos ad mala conuertẽdo, malitiam tantam imbiberunt. In omnibus enim qui mali efficiuntur locum habet, quod de primis parentibus dicit Athan. Vbi, inquit defecerunt à desiderio intelligentiaque vnius & veri numinis, animũ suum (eo quod liberum arb. quiescere non posit) ad contraria transtulerunt. In varias deinde corporis alias atque alias cupiditates præcipites ierunt. Postremò vt fieri assolet, frequenti vsurpatione vetitarum cupidinum, in habitum tandem occalluerunt. Hæc Athanasius. Sed post interiectam prophetiam hanc, redit Psaltes ad institutum, resumens orationẽ in principio Psalmi in persona Christi ceptam, sic tamen vt illa & pro membris Christi fusa esse intelligatur, & dicit:

Atha initio cont. Idola.

Et tu Domine Domine fac mecum propter nomen tuum. i.vt in adiutorio 20.
mihi exhibito sanctificetur, & celebretur nomen tuum. Pium enim est ac præcipuum, hac de causa auxilium Dei exposcere. *Quia suauis est misericordia tua.* Ei enim proprium est rebus exasperatis superuenire, easque sua vnctione lenire.

Libera me, quia egenus & pauper ego sum. Dicit, *quia pauper sum*, indicãs 21.
auxilium Dei in pauperes magis pronum esse & propensum. *Et cor meum conturbatum est intra me*; præ horrore imminẽtis & dolore præsentis passionis. Ideo dicebat, Nunc anima mea turbata est. Vel, quia secundum hominem cor meum non habet in se fiduciam, imò diffidit suis viribus se tanta mala posse euadere. Cuiusmodi affectus idoneũ præbet locũ diuinæ gratiæ.

22. *Sicut vmbra cùm declinat ablatus ſum.* i. mortuus ſum viribus corporis mei paulatim magis ac magis diminutis, & quaſi in occaſum atque mortem tendentibus. *Et excuſſus ſum ſicut locuſtæ.* i. fugere debui & quaſi inſtabilis de loco in locum tranſilire.

23. *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio.* i. ieiunio 40. dierum & noctium, & alijs ieiunijs (operui enim in ieiunio animam meam) ita exhauſi vires mei corporis, vt pedibus trepidus conſiſterem. Hic ergo verſus explicat quanta fuerit illa Chriſti eſuries, de qua dicit Matthæus, poſtea eſurijt. *Et caro mea immutata eſt propter oleum.* i. olei defectum vel abſtinentiam. Olei verò nomine ſignificatur hoc loco quoduis cibi delicatioris nutrimentum aut condimentum: ita vt hinc appareat Chriſtum non ſolum ieiunaſſe, quòd ſecundum Leonem ad diminutionem ciborum propriè pertinet, ſed inſuper in ieiuniis ſuis à certo ciborum genere abſtinuiſſe. Et vt loquitur Tertull. xerophagias obſeruaſſe: Quas obſeruare, eſt, ait, ſiccare cibum ab omni carne, & omni iurulentia: & vuidioribus quibuſque cibis, ne quid vinoſitatis aut edatur aut bibatur. De qua & in Apolog. loquitur in perſona Chriſtianorum: Nos ieiunijs aridi, & omni continentia vitæ expreſsi, ab omni fruge vitæ dilati, inuidia cælum tundimus, &c. Ex quo animaduertere licet non ſolum ieiunium, ſed etiam xerophagias, ſiue abſtinentiam à cibis quibuſdam delicatioribus, & abundantioris nutrimenti à Chriſti exemplo ad Eccleſiam eſſe introductam. Quam tamen quidam aſtutè nouerunt eludere: De quibus Auguſt. Sunt quidam obſeruatores Quadrageſimæ delicioſi potius quam religioſi, exquirentes magis nouas ſuauitates quã veteres concupiſcentias caſtigantes, qui pretioſis & copioſis apparatibus fructuum diuerſorũ, quorumlibet ciborum varietates & ſapores ſuperare contẽdunt. Vaſa in quibus coctæ ſunt carnes tanquam immunda formidant, & in carne ſua ventris & gutturis luxuriam non formidant. Ieiunant non vt ſolitam temperando minuant edacitatem, ſed vt immoderatam differendo augeant auiditatem. Nam vbi tempus reficiendi aduenerit, optimis menſis tanquam pecora præſepibus irruunt, ventreſque diſtendunt, artificioſis & peregrinis condimentorum diuerſitatibus tantum capiunt manducando, quantum digerere non ſufficiunt ieiunando. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, vt aliorum expreſsionem pomorum, alioſque ſibi liquores non ſalutis cauſa, ſed iucunditatis exquirant, tanquam non ſit Quadrageſima piæ humiliationis obſeruatio, ſed nouæ voluptatis occaſio.

Tert. initio de ieiun.

Aug. ſerm 157 de tẽp.

24. *Et ego factus ſum opprobriũ illis: viderunt me & mouerunt capita ſua,* i. irriſerunt hæc, Operui enim in ieiunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi, & poſui veſtimentũ meum cilicium, & factus ſum illis in parabolã. Per motionem enim capitis irriſionẽ ſignificari auctor eſt Ambroſ.

In Pſal. 43

Adiuua

Adiuua me Domine Deus meus, ſaluum me fac propter miſericordiã tuã. 25.

Et ſciant quia manus tua hæc & tu Domine feciſti eam. i. Appareat manifeſtè quod tu Domine adiutor meus ſis, & non humana aliqua poteſtas aut humanus fauor. 26.

Maledicent illi; affigentes eum ligno. De quo ſcriptum eſt; Maledictus omnis qui pẽdet in ligno, Et adhuc hodie maledicũt Chriſto & Chriſtianis ter in die in ſuis Synagogis, teſte Hieronymo. Quam maledictionẽ S. Epiphanius ab eis referri putat ad ſectam Nazaræorum. i. quorundam hæreticorum vna cum diſciplina Chriſti iudaizantium, qui ſe Nazaræos vocabant. Sed malè, Nomine enim Nazaræorum Chriſtianos intelligunt, quos à Chriſto qui Nazaræus dictus eſt, Nazaræos appellatos eſſe ab infidelibus ante exortam hæreſin Nazaræorum quam diximus, notũ eſt ex Actis Apoſtolorum, Vbi Paulus dicitur auctor ſectæ Nazaræorum. Epiphanius ergo nominis communione falſus videtur. *Et tu*, ex aduerſo, *benedices. Qui inſurgunt in me confundantur*; eo quod ſuis votis contraria eueniant. *Seruus autem tuus lætabitur*, in vbere tot aduerſitatum prouentu. 27. Hier in ca. 49 & 52. Iſaiæ. Epiph. har. 29.

Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua. Hic & in futuro, inquit Gregorius. 28. Grego. 10. mora c. 33

Confitebor Domino nimis in ore meo. Dicit *nimis*, Tot enim formulæ diuinarum laudum & benedictionum à Chriſti ſpiritu per Pſalten & alios prophetas editæ ſunt, vt humanæ menti nimiæ ſint, quippe quæ omnes illas ſimul comprehendere non poſsit. *Et in medio multorum laudabo eum.* Hæ enim diuinæ laudes in congregatione Chriſtianorum decantantur. 29.

Quia aſtitit à dextris pauperis. i. præſenti ſemper præſidio mihi ſpiritu pauperi adfuit, per opem dexteræ ſuæ mihi perſonaliter iunctæ. *Vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.* i. ne animam meam vt volebant ad æternam damnationem perducerent, aut calumnijs obrutam debita gloria apud omnes priuarent. Et notanter dicit, *animam meam*, quia corpus Chriſti eorum voluntati fuit permiſſum. 30.

PSALMVS CIX.

Pſalmus Dauid.

PRæſens Pſalmus, vt ex Euangelio notum eſt, intelligi debet de Chriſto, atque adeo deſcribit Chriſti glorificationem, pro qua orauerat; Clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mũdus fieret apud te; Et exaltationem de qua Apoſtolus; Propter quod & Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomẽ. Nec enim poteſt Ezechiæ cõuenire, vt, teſte Tertulliano, voluerunt Iudæi: Quod enim Apoſtolus interrogat, Ad quem Angelorum dixit Ioan. 17. 5. cõ. Marc. cap 9.

dixit aliquando; Sede à dextris meis, quoadvſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum; id nos ad homines extendere poſſumus & interrogare, quando id aliquando dixerit Deus Ezechiæ vel alicui hominum præterquam Chriſto? Itaque notorium eſt Pſalmum de Chriſto intelligẽdum eſſe, qui ſic habet:

1. *Dixit Dominus*, Deus Pater, *Domino meo*. i. Chriſto, quem Pſaltes in primis ſuum appellat, quia Chriſtus ſecundum carnem ex ſemine Dauid ortus eſt, Cùm autem ſibi exprimendum foret in qua, vt ita dicam, qualitate eum ſuum diceret, maluit reuerẽtiæ & honoris cauſa eum Dominum ſuum quam filium dicere, eo quod Chriſtus, tametſi ſecũdum humanam naturam filius, ſecundum diuinam tamen naturam ſit Dominus Dauid. Et quidem ſingulariter Dominus eius, quia ex ſemine eius ſecundum carnem natus. Dixit autem Dominus Domino Dauid, *Sede à dextris meis*; Non quod in Deo Patre vlla ſit differentia poſitionum, ſed nomine dexteræ per ſimilitudinem ab humanis cõſeſsibus deductam nobis datur intelligi conſortium diuini honoris & gloriæ. Quod conſortium Deus Pater introducitur Filio, dicendo *Sede à dextris meis*; tradidiſſe, vt inſinuetur id Filio conceſſum fuiſſe voluntate Dei Patris à naturali neceſsitate libera; Si libera, ergo dixit id Pater Filio ſuo ſecundam humanam naturam. Qui quidem ſecundum diuinam naturam, diuinæ dignitatis diuinæq; gloriæ per naturæ identitatem conſors eſt, non tamen legitur Deus Pater illi ſecundum eam naturam dixiſſe, *Sede à dextris meis*; quia filius conſortium illud non libera, de qua dixi, Dei Patris voluntate, ſed naturali Patris fœcunditate vt genuinus eius fœtus conſecutus & adeptus eſt. Imò quamuis ſedere à dextris Patris Filio ſecundum humanam naturam, ob diuinam hypoſtaſin, iure debeatur, idque Filius ſibi ſuo iure vendicare poſsit, introducitur tamen hic Pater Filio dixiſſe, *Sede à dextris meis*; vt detur intelligi, Filium confeſſum dexteræ adeptum eſſe Patre conſentiente & adiudicante; Conſentiente quidem, ne alioqui Filius, cui conſeſſum diuinæ dexteræ natiuo iure cõpetere diximus, honorem ſibi debitum videretur Patre nolente, vt inquit Cyrillus, rapuiſſe; Adiudicante verò, vt intelligatur, Filium, locum illum etiã pro meritis iuſto Dei iudicio accepiſſe. Non tamẽ videri debet Filius Patri in honore eſſe præpoſitus, cùm dictũ eſt ei, *Sede à dextris meis*; Tametſi enim dextera honoratiorem ferè locum deſignet, hîc tamen conſeſſus dexteræ Filio tribuitur, non cauſa potioris honoris, ſed quia, vt inquit Cyrillus, nullius imminutionis ſuſpectum locum tribui Filio oportebat. Quocirca etiam alibi ſcriptura ſacra, teſte D. Ambroſio, Filio plus tribuere videtur quam Deo Patri, Non quod plus habeat, inquit Ambroſius, ſed ne minus habere credatur. Itaque, ſedere à dextris Dei hoc loco non honoris præſe-

Cyr. 10 in Ioann ca. 9

Loco citato

Amb. 2. de Spiritu S cap. 12.

præferentiam, vt apud homines, ſed ſtatus & honoris æqualitatem inter Patrem & Filium, honorificis verbis & præſidentiam declarãtibus, inquit Baſilius, deſignat. *Baſi. de Spiritu S. c. 6.* Nihilominus, dexteræ nomine in ſcripturis ſacris nõ ſemper locus honoris metaphoricè, ſed ipſe Filius frequẽter appellatur. Cùm enim in Cantico Moyſis dicitur; Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine, dexteræ nomine, teſte Leone, Dei Filius denotatur, Et ſimiliter cum *Leo ſerm 8 de natiuit.* Iſaias dicit, Iurauit Dominus in dextera ſua; dexteræ nomine Dei Filius, teſte Cyrillo, intelligendus eſt. Et ſi quidem Deus Pater Filium dexteræ *Cyr. li. 6. in Geneſ.* nomine appellando, nihil aliud inſinuare vellet, quàm quod per Filium fecerit omnia, & ſine ipſo factum ſit nihil, ſufficeret eum appellare manum, vel brachium Domini: Cùm autem eum dexteram appellat, inſinuat eum talem eſſe, per quem tanquam nihil ſiniſtri habentem, Pater non niſi bona operari poſsit. Et proinde omnia quæ Deus operatus eſt, bona eſſe. Si quæ verò in rebus humanis bona non ſunt, per dexteram hanc, & ob id à Deo facta non eſſe; quamquam nomine dexteræ ſimul deſignetur eum qui ſic appellatur æternorum ac veriſsimorum bonorum eſſe conſortem. Itaque ſecundum hanc dexteræ acceptionem ſenſus eſt, *Sede à dextris meis*. i. Tu ô homo accipe nomen (his enim verbis dedit Deus Pater Chriſto nomen quod eſt ſuper omne nomen, quod nomen Dei eſſe, in Pſalmum 88. diximus.) Et ſecundum humanam naturam conſors eſto & particeps auctoritatis, gloriæ, throni, ſceptri, ac tribunalis, quod dexteræ ſiue Filio Dei naturaliter competit, vt gloria & auctoritas filij Dei cui ab origine hypoſtatico vinculo cohæres, in humanitatem tuam, (quod hactenus certæ diſpenſationis gratia dilatum eſt) quãtum per eam fieri poteſt, tranſeat ac deriuetur. Porrò prædicta verba dixit Dominus Chriſto ſuo, cũ iam ad ſuæ aſcenſionis terminum perueniſſet. Cùm enim filius hominis in aſcenſione ſua vt ex Cyrillo ſupra diximus, perueniſſet ad Antiquum dierum, inquit Daniel, Angeli & Sancti qui eum comitabantur in conſpectu Antiqui dierum obtulerunt eum, dicentes, vt arbitror, illud Apocalypſis, Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere diuinitatem gloriam & honorem, & quæ ſequuntur; qua oblatione facta, Antiquus dierum adiudicando ei quo omnium iudicio dignus eſſe prædicabatur dixit ei: *Sede à dextris meis*, & per illa verba, eo quo Deo dignũ eſt modo prolata, dedit ei poteſtatẽ & honorem & regnum, vt omnes populi, tribus, & linguæ ſeruiant ei, ſitque poteſtas eius poteſtas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Itaque Dominus Chriſto Domino Dauid iudicandi, imperandique poteſtatẽ tribuens, dixit ei; *Sede à dextris meis*; Quæ poteſtatis & authoritatis traditio, quandoquidẽ ad Dei opera ordinabatur, redundat ex illis verbis hic ſenſus; Diſponendo, dirigendo, perficiendo cooperare mihi;

2. *Donec*.i.vſque dum *ponam inimicos tuos ſcabellum*, ſiue vt legit D. Hilarius ſcamnellum *pedum tuorum*.i.inimicos tuos ſubiecero pedibus tuis, vt humilitati ſiue humanitati tuę, quam pedum nomine, inquit Auguſtinus, ſignificari arbitror, cedat atque ſubdatur omnis ſuperbia ſæcularis. Nec tamen ea re perfecta atque cōſummata, à dextris Patris, priſtino honore exutus deſinet eſſe Chriſtus; Non enim præſentium promiſsio, futurorum, inquit Baſilius, eſt exceptio: Nec, qui dicendo, *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, illi operi indicit terminum, (donec, enim pro eo poſitum eſt, inquit Auguſtinus, vt, non amplius, intelligas) is, dicendo, *Sede à dextris meis donec &c*, Honori Chriſti eundem finem inducit; Aduerbium namque [donec] requirit, id quod ad demonſtratæ actionis ſpatium, reique propoſitæ curriculum duraturum dicitur, per eiuſdem actionis ac durationis ſpatium extendi, non autem vno atque eodem temporis ſpatio ſimul definiri, vel vnà terminari, quemadmodum cum Baſilio & Auguſtino quos mox allegauimus, ex ſcripturis, Non cognouit eam donec peperit Filium; Et, Ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri; oſtendit D.Hieronymus. Proindè quod dicitur, *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, requirit, vt Chriſtus à dextris Patris ſit vſque dum inimici pedibus eius fuerint ſubſtrati, nō autem, ne vlterius, quia, vt Baſilius mox dixit: Præſentium promiſsio, non eſt exceptio futurorum. Quibus autem armis, quáve virtute inimici Chriſti ſubigendi ſunt ſcabello pedum eius? Id exponit Pſaltes, ſermonem conuertens ad ſedentem à dextris Dei Patris, in hæc verba:

Aug. 83 q quæſt. 69.

Baſil. hom. 25.

Aug. loco citato.

Hiero adu. Heluidium cap 3 & 4

3. *Virgam virtutis tuæ*.i.poteſtatē prædicationis euangelicæ, de qua ſcriptum eſt, Audient verba mea quoniam potuerūt. i. magna virtute (eſt enim Euangelium virtus Dei in ſalutem omni credenti) inualuerunt, Hanc igitur *virgam virtutis tuæ*, te cooperante, *emittet Dominus* ad cuius, virga directionis ſublimis, ſedes dexteram, *ex Sion*, quia de Siō exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Eia ergo, age, (Pſalti enim eodē ſpiritu, quo Pſalmo 44. dixit, Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſsime, libet & hîc negotio huic ſibi optatiſsimo adblandiri) *Dominare*. i. per Euangelium dominatum exerce, *in medio inimicorum tuorum*; vt quibuſdam eorū obnitentibus, non ex extremis tantum, ſed è medio eorum reddas ex inuitis & præfractis multos tibi pia deuotione ſubiectos. Quo dominatu ſuo tempore expleto,

4. *Tecum principium in die virtutis tuæ*; *Die*, inquā, *virtutis tuæ*; Quem diem appello diem virtutis tuæ, Tum enim tu qui tempore labilis ac mortalis vitæ, vt mater pulchræ dilectionis & agnitionis, temetipſum ad captum hominum inclinando, mentibus eorum, in lumine fidei, per ſpeculum in æni-

in ænigmate infirma effigie apparuisti, easque, cum infirmis quasi infirmatus, lumine infirmis accommodato illustrasti, tum, inquam, tu idem ipse, tanquam die quadam virtutis tuæ, oculum humanæ mentis in proprio suo corpore ad indefessam contemplationem tuæ diuinitatis per lumen gloriæ corroborando & confortando, virtutem te dignam exercebis, eorumque mentes fulgentissima & validissima tua luce, sicut sol cum in virtute sua, vt loquitur Marcus, lucet, illustrabis & exhilarabis. *In splendoribus sanctorũ*; q.d. Illo inquam die quo sancti erunt in splendoribus, & luce splendida, vt dixit Tobias, fulgidi, fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum: In illa ergo die, *Tecum principium*.i. Pater à quo habes originem. Principium enim nullam aliam significationẽ habet, quam eius ex quo, inquit Cyrillus. Hoc ergo *Principium in die virtutis tuæ tecum*, Non quasi vnquam extra te fuerit, dixisti enim, Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum; sed quia in illo die omnes à minimo vsque ad maximum euidenter cognoscent, & oculo ad oculum videbunt, quia tu in Patre, & Pater in te. Ne verò hoc aut per gratiam, aut ex tempore ita esse credatur, subiungit Psaltes ex persona eius quod mox dixit Principij siue Dei Patris, verba quædam, ex quibus nobis colligendum relinquit Patrem in Filio per naturam & ab æterno esse, quæ sic habent: *Ex vtero*; non corporeo, inquit Ambrosius, sed paternæ virtutis genitali principio atque secreto. Pater namque vterum sibi metaphoricè tribuit, vt ex similitudine à rebus creatis translata, det intelligi, Filium suum non adoptiuum esse nec factum, sed genuinum, vt vna cum Cyrillo, Basilio, Augustino docet Athanasius. Genuini enim filij sunt qui generantur ex vtero. Cui non obstat quod creaturæ subinde dicantur ex vtero Dei prodiisse, vel ex Deo genitæ esse, id enim abusiuè dici ex eo, vt docet diuus Athanasius, perspicuum euadit, quod eædem creaturæ, vel iisdem, vel alijs scripturæ locis (quod de Filio secundum diuinam naturam nusquam inuenias) factæ dicuntur. Nam in cantico Moysi, vbi dicitur, Deum qui te genuit dereliquisti, ibidem simul dicitur, Nunquid non ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit te, & creauit te. Et in libro Iob, Dominus quidem quærit, De cuius vtero egressa est nix? attamen in hymno trium puerorum glacies & niues inter opera Dei annumerantur, Non autem Verbum, aut Filius. Postquam enim dictum est, Benedicite omnia opera Domini Domino, recensentur speciatim illa quæ prius generali nomine in laudem Dei prouocata erant Dei opera, inter quæ, vt bene obseruauit diuus Athanasius, non numeratur Verbum siue Filius. Postquam enim dictum est, Benedicite omnia opera Domini Domino; non subiungitur, Benedic tu Verbum Domino; quod tamen oporteret, si Verbum, vt voluerunt Ariani, inter creaturas primum locum haberet,

Cyrill. 1. in Ioan. ca 1.

Amb. de benedict. Patriar. c. 11.

Cyrill. 1 in Ioan c 4. Basil. initio 5 cõ. Euno. Aug 3. cõt. Maxi. c. 18. Ath. in illa verba, Ex Deo Deus est Verbum

Atha. ser. 3 cõt Arian.

beret, sed subiungitur, Benedicite Angeli Domini Domino, &c. Itaque quod dicitur, *Ex vtero genui te*, propriè insinuat Filium ex Patris substantia genitum esse. *Ante luciferum*. i. generationis modo incomprehensibili & quasi tenebrosissimo, inquit Cyrillus, Vel, *Ante luciferum*. i. ante creationem Angelorum vel stellarum. q.d. Antequam quidquam fieret à principio tu ex ore Altissimi prodijsti primogenitus ante omnem creaturam. Denique *Ante luciferum*. i. antequam tu secundum humanam naturam, inquit Athanasius, velut Lucifer, stella splendida & matutina ex Virgine nascereris, *Genui te*, secundum diuinam naturam, inquit Ambrosius, cum Epiphanio. Pulchrè proinde Ambrosius, Genitus est Christus secundum diuinitatem, ex vtero vt Filius, ante luciferum, vt æternus, Ex corde vt Verbum. Ex quibus datur intelligi Principium siue Patrem non esse cum Filio per gratiam, sicut Deus dicitur esse cum Sanctis, sed per identitatē naturæ; Si enim Filius ex vtero genitus est, ergo est Patri consubstantialis, & cum substantia Dei per suam simplicitatem diuidi non posit, Pater est cum Filio per naturæ identitatem: Et cùm Filius ex vtero ante luciferum genitus sit, est Principium cum Filio, non ex tempore, sed ab æterno. Interim, prędicta verba alium sensum admittunt, quem tamen opinor literæ minus esse congruum. *Tecum principium in die virtutis tuæ*. q.d. principium in die infirmitatis tuæ, te, quoad carnis passibilitatem passionisque ignobilitatem atque ignominiam dereliquit; at nunc in die virtutis, potestatis & gloriæ tuæ tecum est per omnia, & omni ex parte Principium, ita vt non accedat ad te vllum malum. Vel, *tecum Principium in die virtutis tuæ*. i. die iudicij, inquit Cyrillus, cùm descendes ad iudicandum viuos & mortuos, cum virtute magna & maiestate. In illo autem die, *tecum Principium*, quia ipse Pater per aduentum tuum, qui etiam filius hominis es, iudicabit orbem terrarum, inquit Augustinus, in quo die etiam Sancti cum Christo iudicantes erunt in splendoribus, Veniet enim Dominus & omnes Sancti eius cum eo, & erit in die illa lux magna. Quod verò additur: *Ex vtero ante luciferū genui te*; quidam accipiunt dictum esse ex persona Psaltis ad Christū, suum ratione humanæ naturæ filium, qui Dauide progenitore, ex vtero Virginis genitus est *ante luciferum*, quia media, inquiunt, nocte: Sed hunc commentarium tametsi prima facie plausibilem, vt textui incongruum ex professo improbauit, cum aliquot Græcis commentatoribus, D. Athanasius in hæc verba: Si illud, inquit, *Ex vtero ante luciferum genui te*; partum Mariæ mirabilem demōstrat, multos alios ante ortum stellæ illius editos esse scimus. Quid ergo miri in illis verbis? Et post pauca. Non dictū est, Ante exortum luciferi; sed, *Ante luciferum genui te*. Si ergo hoc de natiuitate Christi secundum carnem intelligamus, necesse erit dicere Christum secundum car-

Cyr. dial. 2 cum Herm.

Amb. 4. de fide cap. 4.

Epiphan in hæres. 65.

Ambr 3 de virg.

Cyrill. 1. in Ioann ca. 1

Aug. 20. de Ciuit c. 30.

Ath in ora. in verba, Deus ex Deo erat Verbū.

dum carnem ante Adamum natum esse, Nam ante eum fuerunt stellæ. Hæc Athanasius. Porro, quandoquidem Christus à dextris Dei, non solum vt iudex sedet & rex, verum etiam vt Sacerdos & Pontifex; Talem enim, inquit Apostolus, habemus Pontificem qui consedit in dextera Dei, sanctorum minister & tabernaculi veri quod fixit Dominus & non homo, pertinuit ad Psaltem gloriam Christi quam in cælis habet etiam hac in parte describere, de qua sic dicit:

Iurauit Dominus. Volens namq; Deus pollicitationis hæredibus ostendere immobilitatem consilij sui, & testamentum vetere melius atque præstantius condere, interposuit iusiurandum, de quo in Psalmum 88. plura diximus. *Et non pœnitebit eum.* i. institutum hoc suum non mutabit. Pœnitentiam enim Dei à rei semel institutę mutatione nomen habere, in Psalmū 105. diximus. Iurauit verò Deus, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quæ verba Pater dixit ad Christum; Sicut enim dexteræ consessum Christus, vt diximus, à semetipso non occupauit, sed eo qui dixit, Sede à dextris meis, concedente accepit, ita Christus nec semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed qui dixit ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te: Quemadmodum & in alio loco, inquit Apost. dicit; Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Imò, quoniam sacerdotium inter cætera ad honorificationem summi dominij præcipuè ordinatur, oportuit etiam Christum secundum humanam naturam, non nisi Deo vocante sacerdotem fieri. Ad excellentiam namque summi dominij pertinet, vt sacrificia, ita & sacerdotia sibi cōstituere, In hac re namque locum habet, quod de lege dixit Cyprianus: Id Deo dignum quod ipse suæ voluntati fatetur acceptum, vt exerceat per omnia dominatum. Alioqui nec nos serui asscriberemur, nec ipse haberetur Dominus, si secundum voluntatem nostram permitteremur impendere seruitutem. Sed prædicta Psalmi verba nobis accuratius excutienda & expendenda sunt. Circa quæ in primis concedendum putamus quod sacerdos (si vocabuli propriam obserues significationem) quis dicatur à sacrificādi potestate: Omnis enim pontifex, teste Apostolo, ad offerendum munera & hostias constituitur, qui ex eo infert etiam Christum cum sacerdos constitutus sit, habere oportuisse quod offerat: Proinde Christus non potest hic dici sacerdos, nisi à potestate ad sacrificandum destinata & ordinata, ita vt is qui Christo dixit, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, eidem non solum concesserit personales vel sacerdotales qualitates ad personam vel sacerdotium Melchisedech conformitatem habētes, sed etiam imposuerit atque præscripserit eidem functionē sacerdotalem sacrificio Melchisedech consentaneam atque conformem. Quocirca Cypr. Ordo Melchisedech secundum quem

5. (margin, beside "Iurauit Dominus")

Cypr. de singular. cler. (margin)

Epist. 63. (margin)

Christus sacerdos est, est inde veniens & inde descendens quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panẽ & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Si enim necesse est omnem sacerdotem habere quod offerat, necesse est sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, habere quod secundum eundem ordinem offerat, vt proinde oporteat Christum Melchisedech & in qualitate sacerdotij, & in offerendi ritu assimilari. Constat autem Melchisedech panem & vinum obtulisse: Melchisedech enim Rex Salem, inquit Genesis, proferens panẽ & vinum: & vt indicaret nobis in quem finem vel vsum, addit, Erat autem sacerdos Dei altissimi; eo additamento non obscurè admonens, vt consideret panem & vinum ab eo in vsum Dei siue diuini sacrificij prolatum fuisse. Cùm igitur constet Melchisedech panem & vinum obtulisse, certè Deus Pater dicendo ad Christum, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; constituit vt Christus secundum figuram Melchisedech non solum sacerdos esset, sed vt etiam secũdum ritum Melchisedech panem & vinum, corpus scilicet & sanguinem suum, inquit Cyprianus, officio sacerdotali offerret. Quid ergo? Nunquid per verba hæc sola oblatio panis & vini Christo à Deo Patre demandatur? Certè vt verum fatear, D. Augustinus tam in libris de ciuitate Dei, quàm alijs in locis Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech de alia oblatione quam à Christo in cœna facta non explicat, sicut nec recẽtiorum aliqui solam D. Augustini in prædicta verba expositionem amplexi. Psalmus autem præsens, magis verò ac expressius Apostolus ad Hebræos aliam adhuc eorundem verborum requirit explicationem, Ait namque Apostolus, quod Christus cùm ingrederetur in cælum, appellatus sit à Deo Pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et cap. 8. dicit necesse esse, vt & Christus, qui cõsedit in dextera sedis magnitudinis in cælis, habeat quod offerat, ita vt ibi non solum sacerdos, sed secundum ordinem Melchisedech etiam offerens sit Christus. Quem ergo in cælesti oblatione Christus ritum Melchisedech implet atque exequitur? Ritum æternitatis, Ait namque Apostolus quod Melchisedech maneat sacerdos in perpetuum, quia sacerdotium eius in Scripturis sacris sic descriptum est, vt qui ex ijs quæ sacra scriptura de Melchisedech atque eius sacerdotio memoriæ prodidit, mentem suam ritè informarit, inueniat suo obtutui obuersantem imaginem quandam æternitatis sacerdotio Melchisedech adhærentem. Itaque Christus etiam in cælo sacerdotem agit secundum ordinem Melchisedech, quia hostiam per quam semel in terris ad destitutionem peccati apparuit, ibi in æternitatis vera forma & propria specie Dei Patris vultui offert & exhibet, vt proinde figuram Melchisedech, typum sacramentorum corporis & sanguinis Christi, & simul oblationis æternæ gerentis, Christus duabus

Epist. 63.

Ad Hebr 6

duabus impleuerit atque perfecerit oblationibus: oblatione videlicet ſacramentorum corporis & ſanguinis ſui in cœna: & nunquam finem habitura oblatione ſui vulneribus inſigniti in cælo, quatenus ibi ſemetipſum offert & exhibet in gratiarum actionem: Priore oblatione euidentius perficiens typum Melchiſedech quoad munera ſiue ſacrificia ab ipſo oblata, Poſteriore verò luculentius implens imaginem æternitatis quam Melchiſedech præ ſe tulit. Sed hîc oritur quæſtio: Anne etiam in cœna Chriſtus figuram æterni ſacerdotij impleuerit? Ad quam reſponſurus ante omnia in medium adfero ſententiam D. Epiphanij, qui videtur Chriſto tribuere ſempiternum ſacerdotium, quia æternâ, quam in cælis obit ſacerdotij functione, priori ſuccedente, ſacerdotium eius & functio ſacerdotalis nunquam finem accipit: ita vt Epiphanius æternitatẽ ſacerdotalis functionis tribuere videatur, non ſingulis oblationibus Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech, ſed omnibus ſimul. Veruntamen, Concilium Tridentinum figuram æterni ſacerdotij Chriſtum etiam in cœna impleuiſſe teſtatur, dicens quod Chriſtus declarando ſe eſſe ſacerdotem in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech, corpus ſuum & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini in cœna obtulerit. Itaque in ſingulis oblationibus quas perfecit & adhuc perficit Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech, implet typum æternitatis, ſed non eodem modo. Æternum enim non vno modo dicitur: Aliquando enim dicimus æternum, quod eſt infinitæ virtutis: In quem ſenſum dicit Apoſtolus, redemptionem Chriſti eſſe æternam, Æterna, inquit, redemptione inuenta; Aliquando, quod etiam Auguſtinus agnouit, æternum dicitur, quod in æternitatem vſque eſt perpetuandum; Denique dicitur æternum quod æternitate ipſa ſtabile, nunquam eſt terminandum. Prima itaque ratio æternitatis omnibus oblationibus Chriſti eſt communis, ita vt oblatio Chriſti in cruce facta de ſacerdotij ſecundum ordinẽ Melchiſedech dignitate & æternitate hac ratione aliquid participet. Tametſi enim Chriſtus ſecundum hominem, vt attigimus, ſacerdos ſit, Neq; enim vnigenitus Dei filius fungi ſacerdotis officio ordineq; miniſtrandi diceretur, inquit Cyrillus, niſi naturam aſſumpſiſſet humanam, nam quæ ſeruitutis ſunt, ſeruituti quoque cõueniant neceſſe eſt, & ob id Deo, inquit idem, abſq; carne indignum eſt ſacerdotem agere; tametſi ergo vt contra Caluinum dicere cepi, Chriſtus ſecũdum humanam naturam ſacerdos ſit, & non diuinam; tamen in quauis eius ſacerdotali functione locum habet, quod de Chriſti actionibus dicit Leo. Agit vtrumque cum alterius communione quod ſuum eſt, vnum coruſcat miraculis, alterum ſuccumbit iniurijs, Ad quem modum Chriſtus ſecũdum humanam naturam ſacerdotem agit, attamen cum cõmunione Verbi, quod ſacerdotales actiones in humanitate ſibi cohærente operatur, atque earundem

Epiphan. in hær. 55.

Seß. 22. c. 1

Aug. in pſ. 130. in fine

Cyrill 5. in Geneſ.

Ad Euopt. Anath. 10.

Leo epiſt. ad Flauia.

dem

dem actionum est suppositum, ex qua participatione, sacerdotales actiones illius hominis infinitũ sortiuntur valorem atq; dignitatem. Sed ad propositum. Secunda ratio æternitatis, propria est oblationi Christi in cœna institutæ. Hæc enim instituta est indesinenter perdurare vsq; in diẽ æternitatis. Tertia, luculentissimam habens æternitatis rationem eiusq; veram speciem, propria est oblationi quam facit Christus in dextera Patris. Quod ergo dicitur, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, intelligendũ est de omnibus his æternitatis modis ea qua diximus ratione distributis. Non enim est inconueniens vnam atque eandem scripturam plures sensus litterales suis rebus accommodandos continere; Nisi malis cũ Ambrosio dicere Christo ter esse dictum, *Tu es sacerdos in æternum*; Ter, vt apparet, quia pro singulis, v. g. cœnæ, crucis, dexteræ Dei, sui sacerdotij functionibus, semel. Si igitur hoc ita est, dici poterit quod vox *in æternũ*, singulis vicibus per quas dicta est, peculiarem, & illi in quam dicebatur sacerdotali functioni conuenientem habuerit significationem. Illam autem Ambrosij sententiam non inueni à neotericis tractatam aut allegatam, Ne autem de ea nihil dicamus, videtur scriptura ab ea aliena non esse, quæ dicit Christum cùm intraret sancta sanctorum appellatum esse à Deo Pontificem in æternum. Si tum appellatum; ergo tunc ei suo sensu dictum est, *Tu es sacerdos in æternum*. Sed, vtvt est, sententia Ambrosij saltem commemoratione digna visa est. Vt verò ad propositum redeamus, verba Psalmi, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech*, tametsi hic à Psalte suum institutum persequente ratione sacerdotij, quo Christus in cælo fungitur, allegentur; continent tamen ordinationem Christi in eam etiam functionem sacerdotalem, qua functus est in cœna, & etiamnum fungitur in Ecclesia. Dicit namque Cyprianus, In sacerdote Melchisedech sacrificij dominici sacramentum præfiguratum videmus. Quod autem Melchisedech Christi typum portarit, declarat in Psalmis Spiritus S. ex persona Patris ad Filium, dicens: *Ex vtero ante luciferum genui te*; *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Intellexit itaque Cyprianus verba hæc, non tantum ratione oblationis quam facit Christus in cælo, sed quam fecit in cæna intelligenda esse: Tametsi, vt diximus, ratione oblationis æternæ & cælestis psalmo inserantur. Vna restat obiectio quam prisci mouerunt hæretici, Si Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech; Est ergo Melchisedech æqualis siue maior Christo, quia ordinis sui, vt verba præ se ferre videntur, auctor. Sed isti non attenderunt Christum non dici sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, tanquam Melchisedech ordinis, à quo Christus sacerdos dicitur, esset auctor, sed quia figura. In quam rem Epiphanius obseruat Apostolum dicere quod Melchisedech

Amb. ser. 3 in psal. 118 v. 3. in fine

Cyp. epi. 63

In hære. 55

sedech

ſedech ſit aſſimilatus Filio Dei; Si aſsimilatus, ergo minor Chriſto, quia omnis figura minor veritate. Secundum ordinem igitur Melchiſedech dicitur ſacerdos Chriſtus, quia ipſe agit veritate, quod Melchiſedech in vmbra atque imagine. Explicato autem ſacerdotio Chriſti, Pſaltes, ſermone ad Deum Patrem conuerſo, exponit authoritatem quam Chriſtus exercebit in die iudicij, & dicit:

Dominus, à dextris tuis. i. Dominus cui dixiſti, Sede à dextris meis; *Cōfregit*, ſiue confringet, *in die iræ ſuæ*, cum ipſo vultu ſuo oſtendet iram 6.
quam animo gerit in peccatores, vſque adeo terribilem, vt ipſi dicturi ſint montibus, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis in throno, & ab ira Agni; *In die*, inquam, *iræ* huius, confringet *Reges*, quia ad nihilum deducet gloriam, ſuperbiam, & tyrannidem eorum, In illa enim die, inquit Iſaias, Viſitabit Dominus ſuper militiam cæli in excelſo, & ſuper reges terræ qui ſunt ſuper terram, & congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere. Non ſolum autem reges, ſed &, *Iſaiæ 24.*

7.
Iudicabit in nationibus. i. omnibus omnino hominibus; Nationes enim hîc non diſtinguuntur à Iudæis, ſicut nec Gentes, teſte Hieronymo, cùm dicitur; Congregabo omnes gentes in vallem Ioſaphat, id enim idem eſt ac ſi diceretur, Congregabo omnes populos; In quē ſenſum etiam ab Iſaia ſumitur nomen Nationum, cùm dicit: Præcipitabit Dominus in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes; Quod enim ſuper omnes nationes dicit, idem eſt cum eo quod præceſsit, Super omnes populos. *Implebit ruinas*. Hebræi legunt, cadauera; vt ſit ſenſus, Facta hoc tempore reſuſcitatione mortuorum, ſingula hominum cadauera ſuis implebit animabus. Non inconueniēs tamen erit hic ſenſus, *Implebit ruinas* Angelorum ex hominibus, Quidni enim etiam Angeli lapſi cadauera (quę à cadendo nomen habent) eſſe intelligātur, præſertim cùm à ſpiritu Dei delapſi, in ſemetipſis mortui ſint? Tum temporis ergo Deus implebit ruinas ſiue cadauera hæc, quia omnibus prædeſtinatis in æternam ſalutem adductis, ex hominum ſocietate ſupplebit Chriſtus ciuitati ſupernæ damnum, quod ipſa ex ruina angelorum paſſa videbatur, vt docet Auguſt. De qua re bene dicit Pſaltes, *Implebit*; quia per ſupplementum quod illi ciuitati accedet ex glorificatione hominū, ciuitas ipſa nulla ciuium ſuorum numeroſitate fraudabitur, ſed vberiore etiam copia, inquit Auguſtinus, fortaſſè regnabit. *Conquaſſabit capita in terra multorum*; Multitudo enim malorum imminente iudicio agitabitur, inquit Iſaias, ſicut ebrius, erunt enim ſicut homines motæ mentis, quærentes vndique euadere iudicium, euadendi verò neque conſilium inuenient neque modum. Qua de re Iſaias alibi, Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc,

Hiero in c. 3. Ioel. *Iſaiæ 25.* *Aug. Ench. cap 29. Et 22. de Ciu. Dei ca. 1.* *Iſaiæ 34.* *Iſaiæ 8.*

Hhh non

non erit eis matutina lux. E transibit per eam, corruet & esuriet: & cùm esurierit, irascetur & maledicet Regi suo & Deo suo, & suspiciet sursum. Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio & angustia, & caligo persequens, & non poterit auolare de angustia sua.

8. *De torrente* malorũ huius vitæ, in modum torrentis abundanter & magno impetu in eum irruentium, *In via*. i. tempore suæ mortalitatis, *Bibet*; Bibet enim calicem quem dedit ei Pater. *Propterea*. i. merito obedientiæ illius, humilitatis & patientiæ, *exaltabit caput*. i. eleuabit semetipsum vsq; ad dexteræ Dei consortium. Quæ verba à Psalte superioribus hoc consilio adiuncta videntur, vt ex ijs discamus Christum ad dexteram Patris merito suo, vt supra diximus, exaltatum esse, Imò semetipsum, vt docet Cyrillus, exaltasse.

Cyr. 3 thes. cap. 2.

PSALMVS CX.

Alleluia.

PRædicantur in hoc Psalmo cum laude & gratiarum actione diuinarum iustificationum opera, In quo Psaltes ante omnia exponens animum suum atque studium quo hunc Psalmum conscripsit, orditur eum his verbis:

1. *Confitebor tibi Domine*. i. mihi propositum est, vel gestio confiteri tibi Domine *in toto corde meo*; quod in nobis magis desiderij est quã effectus. *In concilio iustorum & congregatione*; Inter impios enim laus Dei inconuenienter decantatur. Rem ipsam autem arripiens subiungit Psaltes:

2. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius*. i. magno studio aduocata sunt, siue magno studio Deus ea quæ fiuit facere, vt in eis impleret omnes voluntates suas, quibusuis suis operibus semper priores & anteriores. Dignum namque erat Deo, vt magno studio incumberet diuinam suam implere atque exsequi voluntatem. Sed non sine caussa dicit Psaltes opera Domini exquisita esse in omnes eius voluntates, quia mala opera liberi arbitrij, diuinæ voluntati contraria, miro quidem, inquit Augustinus, & ineffabili modo non fiunt præter Dei voluntatem, quia non fierent si Deus non sineret, nec vtique nolens finit sed volens, non tamen de eis rectè dicitur, quod sint exquisita in omnes volũtates Dei, Deus enim illa non requirit, (quomodo enim quis requirit quæ odit?) sed tantum tolerat & permittit. Non enim inquit Ecclesiasticus, necessarij sunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus, nec cõcupiscit multitudinem filiorum impiorum & inutilium. Quàm verò magna sint Domini opera, explicatur per id quod sequitur:

Aug. Ench. cap. 100.

Eccles. 15.

3. *Confeßio & magnificentia opus eius*. i. Opera Domini tanta sunt laude digna

digna tamque magnifica, vt merito appellari debeant, non tam confeßione digna quam ipsa Confeßio, neque magnifica, sed ipsa magnificentia. *Et iustitia eius* qua nos iustificat, *Manet in sæculum sæculi*, quia nullo sæculo deerit. Qua particula Psaltes insinuat opera Domini, de quibus prius generaliter locutus est, esse opera iustificationis, & quæ eò pertinent, & hæc opera non solum magna, sed in omnia sæcula perpetuanda esse. Inter quæ reponendum est quod,

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, 4.
escam dedit timentibus se. In quibus verbis manifestißima est prophetia de Sacramento altaris, quod Deus commiseratione ductus, timentibus se (nemo enim eo rectè vescitur, nisi in timore Domini versetur) in nutrimētum & memoriam mirabilium suorum instituit.

Memor erit in sæculum testamēti sui. i. nullo sæculo intermittet nouum 5.
suum testamentum implere, dando leges suas in corda hominum, & eorum mentibus superscribens eas; Testamentum namque ipsius est vt manifestetur hominibus: Ad quam manifestationem quandoquidem opus est euangelica prędicatione, *Virtutem operum suorum annunciabit populo suo.* i. posteris narrabit virtutes patientiæ, cōtinentiæ, misericordiæ, quas in Christo, martyribus, Christianis prioribus potenter operatus est, Id verò hoc fine,
Vt det illis hæreditatem gentium. i. vt faciat posteros hæredes priorum,
hîc iustitiæ, postmodum cohæredes gloriæ: Potest tamen istud intelligi 6.
hoc modo, *Virtutem operum suorum annunciabit populo suo*; quia in nouißimis diebus memor testamenti sui quod fecit Israëli, virtutes quas operatus est in gentibus, annunciabit populo suo Iudaico, vt illis per euangelium ad Christum conuersis, det, siue accedere faciat in hæreditatem gentium, quam scilicet gentes per fidem & iustitiam hîc in spe possederunt. *Opera manuum eius, veritas.* i. cōformitas ad ideam ab omni errore liberam, quam Deus in sua mente priusquam vlla opera à principio faceret, diuino suo modo efformauit. *& iudicium*; Sunt enim opera Dei nō casu, odio, aut temeritate præcipiti à Deo in medium producta, sed prudenti & prouido iudicio ac bene maturato consilio.

Fidelia omnia mandata eius; quia in eis nihil est vanū, nihil inutile, adul- 7.
terinum nihil. *Confirmata.* i. eâ soliditate prædita vt valeant & meritò debeant perdurare, *in sæculum sæculi*; Idque quia *facta in veritate*, In qua nisi facta essent, & veram publicæ ac priuatæ salutis rationem continerent, permanere non possent. *Et æquitate*; ita vt ne rigor quidem eorum ea caduca facere poßit. Tametsi enim mandata Dei magnam contineant perfectionem, ea tamen Deus, qua est humanitate, cum illa æquitate demādauit, vt non sit ad salutem necessarium illa perfectißimo modo implere, vt ma-

nifestum est in præcepto charitatis, sed modo quodam humanis viribus hominumque profectui contemperato. Sed præter hæc, aliud est diuinæ magnificentiæ opus hîc singulariter commemorandum, de quo sequitur:
8. *Redemptionem misit Dominus populo suo*; quia misit Christum redemptorem, Vel, quia misit in homines redemptionis per Christum factæ participationem ac communionem, *mandauit in æternum testamentum suum*. i. nouum suum testamentum non permisit esse temporaneum, sed voluit il-
9. lud in æternitatem vsque esse perpetuum.

Sanctum & terribile nomen eius. i. de se prædicari voluit, quod præ sanctitate sua sit amabilis, & seueritate terribilis; sicut in Psalmum 98. ex Irenæo diximus. Terribilis, inquam, vt hominibus, quod eis prosit, timorem incutiat, quia, *Initium sapientiæ timor Domini*; à timore enim incipiendum est, vt ad sapientiam quæ est diuinarum rerum cognitio intellectualis, inquit Augustinus, perueniatur. Ne autem cognitioni sapientiæ plus quàm oportet tribuatur, quasi ipsa sola posset hominem facere & saluare beatum. Vel, ne illi qui pollent aut pollere student sapientiâ, se meliores esse arbitrentur illis qui sine participatione sapientiæ præditi sunt iustitia, & diuinorum mandatorum obedientia, docet Psaltes quando demum sapientiæ cognitio hominem bonum faciat, & quæ sapientia in pretio habenda sit, & dicit:

10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*. q. d. Ille demum intellectus bonus est, omnes, etiam eos qui ad perceptionem sapientiæ in hac vita non pertingunt, bonos faciens, qui est in *facientibus eum*. i. qui faciunt ea quæ facienda esse intelligũt. Vel, Qui faciunt voluntatem Dei, accipient bonam diuinarum rerum intelligentiam: Prius enim, vt docet Augustinus, Oportet verbis Dei reddere seruitutem faciendi, vt ad intelligentiam diuinarum rerum merito deuotionis, qua non contempta, sed facta sunt, ipsa perducat. *Laudatio Dei manet in sæculum sæculi*. Beati enim qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Aug q. 96. in Exod.

PSALMVS CXI.

Alleluia reuersionis Aggæi & Zachariæ.

IN hoc Psalmo laudatur Deus de operibus viri cuiuspiam iusti, quẽ ipse reuerti fecit de captiuitate sæculi, quæ subiacet tyrannidi diaboli, ad iustitiæ libertatem; Quam reuersionem Aggæus & Zacharias sub titulo liberationis Israel è captiuitate Babylonica prophetauerunt.
1. *Beatus vir qui timet Dominum*. Timorem Domini primo loco ponit, quia timor Domini, vt sapientiæ, ita & iustificationis initium est, quia qui sine timore est, inquit Sapiens, non poterit iustificari: Imò quia timor iusti

viri

viri quædam basis est & statua verbi Dei in ipso, inquit Ambrosius. *In mã-datis eius volet nimis.* i. qui simul cum timore Domini voluntatem habet in lege; Et est voluntate in legis diuinæ obseruationem, summâ deuotione propensus & inclinatus. Amb. ser 5 versu 6. in psal. 118.

Potens in terra erit semen eius. i. semen quod ipse verbo, exemplo, operibus bonis in terra disseminauit, magnę virtutis erit vt multum fructum afferat. Vel, *semen eius.* i. progenies eius spiritualis quam in Christo procreauerit, *potens erit* numero, virtute, principatu spiritali, *in terra*, vt subigat, corrigat, in officio contineat, proficere faciat homines terræ in qua viuit. Idque quia *Generatio rectorum.* i. generatio qua recti instituunt Filios Deo parêre, *benedicetur.* i. benedictionem fœcunditatis spiritalis consequetur. Vel, *Generatio.* i. ipsa progenies *rectorum, benedicetur.* i. in gratiam patrum suorum benedictionibus replebitur. 2.

Gloria & diuitiæ in domo eius. i. familia eius ab ipso secũdum timorem Dei bene disposita, multâ ædificatione erit gloriosa, omni genere virtutum abundans & temporalium rerum sufficientia. *Et iustitia eius.* i. memoria & bonus odor iustitiæ eius. *Manet in sæculum sæculi.* Est enim ex illis viris misericordiæ, quorum iustitiæ, vt inquit Sapiens, obliuionem non acceperunt. Cùm verò horum aliqui hac vita defunguntur, 3. Ecclesi. 43.

Exortum est in tenebris lumẽ rectis, misericors & miserator & iustus. i. ipse Dominus affectu misericors, ortus est illis vt *miserator*, coronaturus eos in miserationibus, *& iustus*, redditurus eis coronam iustitiæ vt iustus iudex: Hic inquam Dominus, *in tenebris*, siue depulsis huius quam relinquunt vitæ tenebris, exortus est eis vt lumen. Lumen, inquam, beatificum & indeficiens, de quo scriptum est, Lux orta est iusto; vt in illum Psalmi 96. locum ex Isaia latius diximus. 4.

Iucundus homo. i. non solum rectus, sed etiam iucundus & in conuersatione delectabilis est homo: *qui miseretur & commodat.* Quæ duo verba quid importent explicat Bern. Quis putas, inquit, iucundus homo qui miseretur & commodat, pronus compati, subuenire promptus, dare quam accipere beatius iudicans, ignoscere facilis, irasci difficilis; vlcisci penitus non acquiescens, & per omnia proximorũ æquè vt proprias respiciens necessitates, &c. *Disponit sermones suos in iudicio.* Qua de re in Psalmum 36. versu 32. ex Ambr. diximus. *Quia in æternum non commouebitur.* i. protegente Deo, nec hic à iustitia nec postmodum à salute excidet. Misericordia enim non patietur animam ire in tenebras. 5. Bern ser. 12. in Cãt.

In memoria æterna erit iustus. Eleẽmosynas enim illius enarrabit, inquit Sapiens, omnis Ecclesia Sanctorum. *Ab auditione mala non timebit.* i. à sententia Iudicis, dicentis, Ite maledicti; non formidabit. Sic Augusti- 6. Ecclesi. 31.

 nus &

Hier.ep.40 nus & Hieronymus. Vel, *ab auditione mala*. i. si audiat sibi aduersa narrari, *non timebit*, sicut patuit in Iob. Huius rei ratio est, quia

7. *Paratum cor eius sperare in Domino*. i. iamduduum priusquam ei mala nunciarentur, cor eius paratum erat contra omnia aduersa oboritura, ad Domini auxilium confugere, & amore Domini, & futurorum bonorum quæ à Domino sunt, omnia huius mundi aduersa superare. De qua re in Psal. 118. ad verba, Paratus sum & non sum turbatus, ex D. Ambros. plura dicturi sumus. *Confirmatum est cor eius*. i. in hac animi præparatione corroboratus est, vt non facile ab eius integritate vellatur. Quocirca etiã, *Non commouebitur* à recto *donec despiciat inimicos suos*. i. donec ad id tempus peruenerit, in quo tuto poterit inimicos contemnere, tanquam qui nihil habeant vlterius quod mali inferant.

8. *Dispersit dedit pauperibus*. i. in omnem partem & in quosuis pauperes eleemosynas suas diffudit. *Iustitia eius manet in sæculum sæculi*. i. operibus eius transeuntibus manet meritum eius cui ex iustitia merces debetur. Vel, Operibus transeuntibus, ipsa iustitia eius, ex qua opera oriuntur, indesinenter permanet. Idque *in sæculum sæculi*. i. vsque in æternitatem. Tum verò, *cornu eius exaltabitur in gloria*. i. quasi cristas eriget, & in gloriam exaltabitur qui hic iustus, sed quasi inglorius fuit. Per exaltationẽ enim cornuum glorificationem futuræ vitæ intelligendam esse supra subinde diximus, & ex Basil. in psal. 28. probauimus. Hanc eius exaltationem,

9. *Peccator videbit & irascetur*, sibi, sed sera pœnitentia & infructuosa. Sibi enim indignabitur, quod felicitatem tanquam qua sibi bene esset, (Non enim nouit eam castè diligere) vt ex historia Lazari & Epulonis probat D.

Gre.4.Dia. Gregorius, perdiderit. *Dentibus suis fremet*, ira, vt arbitratur Ambrosius,

Ambr. 2. vel etiam inuidia feruidus. *Et tabescet*, quia sine spe euadendi solo dolo-

in Psal.43. re torquebitur. *Desiderium peccatorum peribit*, quia tametsi continuo flagrent suarum concupiscentiarum desiderio, rem tamen desideratam in futuro tempore non assequentur.

PSALMVS CXII.

Alleluia.

SVperiore Psalmo audiuimus laudes eorum qui in Ecclesia virtutem obtinent & dignitatem Patrum, hîc, filij ab ipsis in Christo geniti (quandoquidem virtus Patrum in salutem abundauit filiorum) prouocantur vt gloriam Patrum suorum conuertant in laudes Dei. Quapropter, quàm præcedens, tam præsens Psalmus in festis Apostolorũ, Episcoporum, & eorum qui Religiones instituerunt in Ecclesiis oportunè canitur, vt Deo, qui illis in nostram salutem benedixit, pro sua in illos & nos mu-

nos munificentia gratiarum actio, qua oportet celebritate deferatur.

Laudate pueri. i. O vos quicunque & qualescunq; ex vtero Ecclesiæ ope 1.
eorum qui vobis in Christo Patres fuerunt, geniti estis, *Laudate Dominũ;* *Laudate.* i. cum laude prædicate, *nomen Domini,* vt vestra prædicatione efficiatur inter vos nomen Domini gloriosum.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vsque in sæculum. i. no- 2.
men Domini nõ proferatur à vobis nisi adiuncta simul benedictione ipsius,
cuius nomẽ protuleritis, Dei, Quod Apostolũ obseruasse constat, qui pro- Rom 1. 9.
nunciato Dei nomine subiungit, qui est benedictus in sæcula. Vel, *Sit no-* 2. Cor. 11.
men Domini benedictum. i. sit ipse Deus benedictus. Nomen enim Domini ipsum Dominum significare ex cap. 28. Deuteronomij notum est, Vbi dicitur, Nisi timueris nomen Domini gloriosum & terribile, hoc est, Dominum Deum tuum. In quem sensum Iob nomine Domini vsus est, cùm dixit; Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.

A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini. Ecclesia enim 3.
in qua magnus Dominus & laudabilis nimis, ab ortu solis vsq; ad occasum diffusa est & dilatata:

Excelsus super omnes gentes Dominus. i. in oculis omnium gentium & 4.
fide earum, vt in Psal. 46. & 98. diximus, Christus exaltatus est sicut pro-
miserat Dominus per Isaiam: Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur & Isaiæ 52.
eleuabitur & sublimis erit valde; Et alibi, Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus ipse reputatus est. *Et super cælos gloria eius.* quia eleuatus est super omnes cælos & choros Angelorũ. Est verò apud ipsum sic exaltatum aliquid dignum admiratione, quia,

Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat. Omnes enim qui 5.
sæculari sublimitate excelsi sunt, humilitatem vt degeneris animi ignobilitatem aspernantur & despiciunt: Ipse verò contrà cùm sit Altissimus, & *humilia respicit in cælo,* quia angelos superbientes è cælo deiecit, alios verò in humilitate sua permanentes in gratia confirmauit. *Et in terra.* Ad quem enim respiciam, inquit, nisi ad pauperculum & contritum spiritu & trementem sermones meos. Nam & in B. Maria respexit humilitatem ancillæ suæ. Quin non solùm respicit ad illa quę humilia sunt humilitatis virtute, sed & respicit oculis misericordiæ ad illa quæ dicũtur humilia infelici quadam abiectione atque contemptibilitate. Sequitur enim:

Suscitans à terra. i. terrenarum rerum (quibus priusquam à Domino 6.
suscitaretur, deditus erat) studio & cura, *inopem.* i. hominem meritis ac viribus pietatis destitutum. *Et;* Quod admiratione magis dignũ est, *De stercore.* i. peccatorum putore, sordibusque in quibus volutabatur, *erigens.* i. in cælestia prius conuertens & postmodum traducens, *Pauperem.* i. meritis & pie-

& pietatis viribus similiter destitutum. Erigens, inquam, eum ad sublimitatem non vulgarem solummodo & Christianis omnibus promiscuè communem, sed,

7. *Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* i. vt eum faciat seruum fidelem & prudentem quem constituat super familiam suam, vt eidem æquo & bono iure, eâque qua oportet sapientia, diligētia, promptitudine & charitate, non sine magno sui principatus prouentu, præsit ac principetur. Laudate itaque pueri Dominum,

8. *Qui habitare facit sterilem in domo.* i. eum qui prius nullum vel propriæ salutis fructum proferebat, facit ingredi Ecclesiam, eumque in ea, eò eruditionis, industriæ & caritatis proficere, vt faciat eum Deus, *Matrem filiorum lætantem.* i. multos filios spiritales cum magno suo gaudio, Christo, Spiritu sancto maritante, generantem. Potest tamen hic versiculus intelligi de Ecclesia, præsertim è gentilitate collecta. Hæc enim prius, præsertim in gentibus, sterilis erat, postmodum autem summa fœcunditate donata

Isaiæ 49. est, Quam Isaias introducit admirantem propriam suam & inexspectatam fœcunditatem in hæc verba: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non pariens, transmigrata & captiua, & istos quis enutriuit? Ego destituta & sola, & isti vbi hic erant?

PSALMVS CXIII.

Alleluia.

IN hoc Psalmo sub typo exitus filiorum Israel de Ægypto, eorumque Dei operum quæ exitum illum comitata sunt, decantatur cum gratiarum actione exitus filiorum Dei è seruitute sæculi, quod spiritualiter dicitur Ægyptus vel Sodoma, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Et quandoquidem, sicut filij Israel egrediebantur de Ægypto per mare rubrum, ita filij Dei egrediuntur de sæculo per baptismum; ideo conuenientissimè canitur hic Psalmus in festiuitate Paschali, cum solennis solet celebrari baptismus in Ecclesijs parochialibus, quando à fonte reditur ad gremium siue nauem, vt loquimur, templi Ecclesiæ, vt ex ipso loci in quo renati sumus, & ex quo ad terram promissionis fidei passibus, & bonorũ operum quodam processu progredi cepimus, contuitu atque conspectu, animus vniuscuiusq; flagrantius exardescat in laudes Dei super omnibus bonis, quæ Dominus præstitit domui Dauid pueri sui, vt educeret eam è seruitute sæculi nequã, & eandem, ducatu suo, cõuenienti processu ad patriam paradisi perduceret.

9. *In exitu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro.* i. cùm Israel Dei inciperet deserere sæculum, & electi Dei, filij Iacob, fide, vita & moribus se separare, *à populo barbaro.* i. populo qui sine Deo & sine eius lege

viuebat

viuebat in hoc mundo: barbarismus enim ex eo, inquit Epiphanius, nomen accepit quod homines non habeant principem aut vnam concordiam, sed vnusquisque pro sua ratione procedit, & sibimet lex, viuit pro propriæ voluntatis prærogatiua. Verissimus ergo barbarismus est, vbi populus non habet Deum principem, nec legem Dei reipublicæ aut vitæ propriæ normam siue regulam. Itaque in exitu Israel de Ægypto, &c. Epipha. in compend. 80 hær.

Facta est Iudæa sanctificatio eius. i. Iudæa illa quę, vt Apostolus dicit, in occulto est, facta est & appellari debuit, sanctificatio Dei, quia Dei munere sanctificata est, vel Deo dedicata. *Israel potestas eius*. i. Israel Dei factus est is in quem Deus suam exercuit virtutem: Vel, Israel qui prius potestati diaboli subiectus erat, cepit ab eo tēpore in Dei solius ditione esse, & ad Dei partem siue possessionem pertinere. 2.

Mare. i. amaritudo, intemperies, vastitas, gurges, abyssus sæculi, Vel, multitudo hominum mare, quod sæculum est, incolentium, *Vidit*. i. credidit; Vidit inquā mare *& fugit*, quia fide animis hominum mutationem adducēte, pristina sæculi feritas de medio multitudinis sublata est, & in abyssum retrusa, cepitque per fidem esse in medio populi, pro amaritudine amor fraternitatis; pro tempestate serenitas; pro salo, fluctibus mitigatis, quædam quieta securitas. *Iordanis conuersus est retrorsum*. i. ijdem qui prius sicut Iordanis deorsum, ita in deteriora defluebant, & corde à Deo longius recedebant, non solum desierunt vlterius defluere, sed conuersis studijs ad Deum se conuertere & ad Deum procedere ceperunt, implentes quod scriptum est: Cōuertimini sicut in profundum recesseratis filij Israel. Bene ergo Ambrosius dicit his verbis significari, quod homines per baptismum ad naturæ suæ primordia reformentur. Hæc enim non satis conuenienter ad literam intelligi, Augustinus ex eo probat, quod fluuius Iordanis, cum eum transituri essent filij Israel, non se conuerterit retrorsum, sed à parte superiore fluxum sistens, intumuerit, à parte verò inferiore in mare mortuum defluxerit. 3. Ambros. 1. in Lucam.

Montes. i. qui eo tempore in Ecclesia erant Apostolicâ, vel aliâ animarum curâ sublimes, *exultauerunt vt arietes*. i. hac re gesta, eo gaudio elati sunt, quod sibi vendicare possunt illi qui arietes siue duces huius exitus extiterunt. *Et colles*. i. reliqui sancti nulla procuratione spiritali soliciti, *sicut agni ouium*. i. eo gaudio exhilarati sunt, quod in tali re ob amorem fraternitatis competit priuatis, qui congaudent publicæ saluti, tametsi eam suo labore ac industria non sint operati. Hic nunc Psaltes confessionem gratiæ Dei, per quam res tanta perfecta est, elicere gestiens, blandè interrogat, 4.

Quid est. i. vnde est tibi, *mare quod fugisti, & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum*? Et similiter, *Quid est*, siue, Vnde est vobis ô 5.

6. *Montes* quod *exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium?*
7. *A facie Domini*, vultum ſuum ſuper homines illuminantis & gratię ſuæ
virtutem in eis exerentis. *Mota eſt terra*. i. homines qui alioqui vt terra im-
mobiles permanerent, ad apprehendendā exercendamq́ue iuſtitiam ſe pro-
mouerunt. Id inquam, factum eſt, *A facie*, ſiue illuminatione *Dei Iacob*,
8. *Qui conuertit petram*. i. hominem quouis lapide duriorem & aridiorem,
in ſtagna aquarum, vt cor eius durum prius & indomabile, in theſaurum
quendam lachrymarum colliqueſcat. *Et rupem*, quæ à petra mox dicta ſo-
lo differt vocabulo, *in fontes aquarum*; vt præ affectu pietatis & compun-
ctione emolliti cordis, oculi eius abſq; menſura lachrymis fluant. Vel, *Con-
uertit petram in ſtagna aquarum*; vt qui prius corde aruerat, theſaurū quen-
dam aquæ viuæ, in Spiritu ſancto, corde cōtineat. *Et rupem in fontes aqua-
rum*; vt de ventre eius qui prius vt rupes durus fuit & aridus, etiam in ſalu-
tem aliorum erumpant flumina aquæ viuæ, iuxta quod ab Iſaia dictum eſt:
Quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. Cùm itaque
prædicta rerum commutatio ſit mutatio dexteræ Excelſi, Mare, Iordanis,
Arietes, agni ouium vnâ & concordi deuotione exclamant:
9. *Non nobis Domine nō nobis*. i. nō hæc nobis aſſcribantur tanquā ex no-
bis, *ſed nomini tuo da gloriā*. i. da vt hęc redūdent in gloriā nominis tui, vt ab
omnibus prędiceris & in veneratione habearis, Da autē gloriā nomini tuo.
10. *Super miſericordia tua*, gentibus exhibita, *& veritate tua* exhibita Iu-
dæis. Vel, *ſuper miſericordia tua*, ex qua prædicta facere propoſuiſti &
promiſiſti, *& veritate tua*, qua promiſſa impleſti. *Nequando*. i. ne ſi hæc o-
pera tua tuo nomini gloriam non concilient, *dicant gentes*. i. gentiles, ob-
ſeruantes nos Chriſtianos deos eorum non colere, & quoad ea quæ huius
Tert. in fine Apol. vitæ ſunt, (nam, vt inquit Tertullianus, libenter morimur, quaſi oues occi-
ſionis æſtimamur, rapinam bonorum noſtrorum cum gaudio ſuſtinemus)
miſerabiliores eſſe omnibus hominibus, *dicant, Vbi eſt Deus eorum?* Cùm
enim gentes arbitrentur Deum quemcunque ſuis cultoribus præſentis vitæ
felicitatem in primis præſtare debere, exiſtimant Chriſtianos, ob ea quæ
allegauimus, ad nullius Dei curam pertinere; ſi ergo ex alia parte non vi-
derint prouidentiam & maieſtatem Dei circa Chriſtianos ex eorūdem vir-
tute, vita & moribus, dicunt inter ſe, *vbi eſt Deus eorum?* Cùm verò con-
uentum Chriſtianorū, vt narrat Apoſtolus, ingreſsi obſeruant in eo bonum
ordinem & concordiæ ſpiritum, ex talibus Dei præſentiam percipientes,
non dicunt amplius vbi eſt Deus eorum, ſed cadentes in facies ſuas adorant
Deum, pronunciantes quod verè Deus in illis ſit. Dicunt verò Chriſtiani.
11. *Deus autem noſter in cælo. In cælo*, inquam, non quaſi alibi non ſit, ſed
quia ibi bona ineffabilia præparauit diligētibus ſe, in quę ſuſpirando edocti
ſumus

ſumus orare, Pater noſter qui es in cælis. Et dicimus, *Deus noſter in cælo*; quãuis enim Deus & hîc Deus noſter ſit, dicimus tamẽ, *Deus noſter in cælo*; ſiue, ſingulariter eum appellamus Deum noſtrum, quia eum conſideramus ſecundum id quod nobis futurus eſt in cælo; ibi enim felicisſimè & beatisſimè Deus noſter erit, cùm dicet ei vnuſquiſque noſtrum, Salutare vultus mei & Deus meus. *Omnia quæcunque voluit fecit.* i. Omnia hæc quæ ſupra commemorata ſunt, fecit ſecundum conſilium & beneplacitum ſuæ voluntatis, ita vt nulla eorum cauſa fuerit in nobis quaſi ex nobis. Itaque *non nobis*, ſed nomini eius pro his omnibus debetur gloria. Quocirca etiam longè alia eſt Dei noſtri quam falſorum deorum conditio, quia,

Simulachra gentium. i. idola gẽtium, ſimulachrorum nomine appellata, 12.
quia gẽtes illa in deos ſibi ad ſimilitudinem creaturarum aut cogitationis, inquit Apoſtolus, hominum excluſerunt efformaueruntque. *Argentum & aurum*, Non enim idolum nihil eſt quoad materiam ex quâ, inquit Auguſt. 20. cõ Fauſtum c. 25. *Opera manuum hominum.* Homines enim formauerunt illa & effinxerunt de argento & auro quod fecit Deus. Proinde improperat eis Deus & iniuriam hanc eis exprobrat per Ezechielem in hæc verba: Tuliſti vaſa decoris tui Ezech 16. de auro meo atque argento meo, quæ dedi tibi, & feciſti tibi imagines maſculinas & fornicata es in eis.

Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt. i. non ſolum 13.
per os non loquentur, neque per oculos non videbunt, ſed ſimpliciter non loquentur neque audient. Idolum enim nihil eſt, quia nihil diuinitatis, inquit D. Thomas, ei ineſt. Si enim loquerentur abſque corporeo ore, vel au- D. Thomas dirent abſque auribus, vt de Deo noſtro in Pſal. 93. diximus, non eſſet reprehenſibilis gentilitas, ſi in imagine rei corporeæ, Deo aures aut oculos metaphoricè tribueret, ſicut quidam eorum, teſte D. Auguſt. ſimulachra gẽ- Aug in lib. de ciu. Dei. tilium interpretari conati ſunt; Hac enim ratione à reprehenſione immunes euadunt Chriſtiani, qui Angelorũ imò S. Trinitatis figuras corporeas ſculpunt vel pingunt; Per illas enim non intendunt ſignificare Deum vel Angelos, oculis auribusq; præditos eſſe, ſed per metaphoram inſinuant Deum audire, videre, iudicem agere, Nunc hoc nunc illo loco præſentem ſe exhibendo, quaſi ambulare, Quod in eis reprehenſioni adhuc minus obnoxium efficitur, quia Deus ipſe nõ eſt dedignatus in viſibili ſchemate & corporali imagine veteribus non raro apparere. Proinde imaginibus quæ apud Chriſtianos in vſu ſunt, præterquam quod ab ijs (quod per ſummam calumniam eis impingunt hæretici) pro dijs non habeantur, competere non poteſt præſens locus pſalmi qui improperando dicit, *Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt*, quia in veritate omnes illi quorum in vſu habemus imagines, aut ſine ore aut per os habẽt loqui, ſine auribus aut per au-

res habent audire. Psaltes autem his verbis non irridere voluit legittimum vsum imaginum, sed stuporem gentilium, qui pro dijs statuebant sibi, ore, auribus, pedibus præditas imagines, omni sensu atq; intellectu etiam in suis prototypis vacuas. In eundē quoq; sensum interpretāda sunt quæ sequūtur:
14. *Aures habent & non audient.* i. ne vel in suis prototypis audient. *Nares habent & non odorabunt.*
15. *Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.* Quæ itaque prædictam gentilium impietatem consequetur pœna?
16. *Similes illis fiant qui faciunt ea.* Similes, non vsu corporis, inquit Ambrosius, sed habitu mentis; vt ipsi mente atq; ratione præditi non videant oculis, & non intelligant, inquit Isaias, corde suo, nec recogitent in mente sua, neque cognoscant, neque sentiant vt dicant, Ante truncum ligni procidam? Pars eius cinis est: cor insipiens adorauit illud, & non liberabit animam suam, neque dicet, Forte mendacium est in dextera mea (i. forte in errore versor.) Hæc Isaias. *Et omnes qui cōfidunt in eis.* i. habēt illa pro dijs, & in illis spem suam collocant. Parem enim, inquit Tertull. vtrique merentur pœnam. Priores quidem, quia præuaricantur præceptum Domini quo dixit: Non facies tibi sculptile; quibus verbis prohibet Deus, ne quis sculptile in Deum efficiat: Posteriores verò, quia præuaricantur Dei præceptum quod sequitur, Non adorabis ea, neque coles; quia confidere in eis, colere est. Quamquam & illi qui in gratiam gentilium faciunt simulachra, eadem etiam colere censeantur. Quia, inquit Tertull. sculpendo, facit vt ea coli possint. Imò colit ea, quia eis immolat ingenium suum, sudorem suum libat, & prudentiam accendit. D. tamē Augustinus per eos qui faciunt idola, intelligit idolorum cultores: Per eos verò qui confidunt in illis, tales intelligit qui idola colebant vt signa, sed falsorum deorum aut occultarum virtutum. Gentes itaque orant & adorant illa quæ simpliciter nec vident, nec audiunt, & ideo de illis rectè dicit propheta, quod rogant Deum non saluantem, è diuerso verò,

Amb. lib. 2. in Lucam. Isaiæ 44.

Tertull. de idol. ca. 5.

Ibid. cap. 6.

17. *Domus.* i. populus *Israel, sperauit in Domino, adiutor eorū* per auxilium ad bona, *& protector eorum est,* propugnando eis aduersus mala.
18. *Domus Aaron.* i. ordo sacerdotalis veteris populi, *sperauit in Domino, adiutor eorum & protector eorum est.* Nec solum Israel in his duobus suis ordinibus, sed etiam,
19. *Qui timent Dominum.* i. omnes ex quacunque gente, qui ad Dei cultum conuersi sunt, *sperauerūt in Domino.* i. spem suam ab omni re creata ad Dominum transtulerunt, *Adiutor eorum & protector eorum est.* quia spei suæ prouentum eundem quem Israel pariter à Deo acceperunt. Non enim est persona-

personarum acceptor Deus, Respicite enim, inquit, filij, nationes hominũ, quis in Deo sperauit & confusus est? Dicunt proinde omnes isti,

Dominus memor fuit nostri, vt faceret quæ de nobis cogitarat, & quæ sperantibus in se promiserat: *& benedixit nobis* omni benedictione spirituali in cælestibus. 20.

Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron. i. populo & ordini sacerdotali Israelis secundum carnem. Non solum autem, sed & 21.

Benedixit omnibus qui in quacunque hominum natione, *timent Dominum. Pusillis cum maioribus*, ita vt nulla ætas aut conditio sperantium in Domino benedictionis expers sit. Videns autem Psaltes in spiritu benedictionem Domini in hos quos diximus effusam, optans eis illius benedictionis incrementum, exclamat: 22.

Adijciat Dominus.i.augeat Dominus benedictionem suam eamq; multiplicet *super vos. Super vos & super filios vestros.* Et in hac apostrophe perseuerans felices eos prædicat, dicens: 23.

Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram. q.d. A Domino, inquam, qui vna etiam author est cæli & terræ, vt per hæc verba indicet nõ alium esse authorẽ spiritualium, alium terrenarum benedictionũ. Fecit autẽ, 24.

Cælum cæli Domino, Id enim sibi reseruauit, vt in eo semetipsum hominibus suo tempore manifestaret. *Terram autem dedit filijs hominum*, vt quamdiu animaliter viuunt & generationi seruiunt, terram colant, & in ea rerumq; terrenarum vsu vitã traducant. Vel, *fecit cælum*.i. spirituales homines rerum cælestium capaces ac studiosos, *& terram*.i. fideles quidem, sed in ipsa Christi fide adhuc terrena, ordinato tamen amore, sectantes. Sicut ergo Deus benedictione sua fecit ex hominibus cælum & terram, duo quoque hæc genera hominum aliter & aliter ordinauit, quia *Cælum cæli Domino*. i. spirituales sibi reseruauit absque ministerio hominum à se erudiendos corrigendosque. De quibus subinde diximus: *Terram autem dedit filijs hominum*.i. terrenos istos voluit per homines instrui, corrigi, componi & promoueri, vt in eo ministrorum suorum promptitudinem, patientiam & charitatem varijs modis exerceret. In quo molesto obsequio, vt minister Christi maiorẽ alacritate, atque nunc fraterna, inquit August. nunc paterna, nunc etiam materna (vnde & nos Psalmo superiore matrũ nomine eos qui Ecclesiæ filios generant intelleximus) versetur, cogitet, inquit idem, quid sibi prærogatum sit ab illo qui demonstrauit nobis exemplum vt sequamur vestigia eius; & ab illis quos ipse cùm esset in minoribus, magistros habuit. Nec moueat eum quod omnes sibi commissos spirituales facere non possit, Si enim soli spirituales salui fierent, pene frustra laboramus, ait idem, in Ecclesia. 25.

Aug. c. 12. de cat rud.

ibid. ca. 10.

Aug. epist. 102.

46. *Non mortui*, peccato ſcilicet. Sancti enim tametſi corpore exuti, non dicuntur mortui, Non eſt enim Deus mortuorum: *laudabunt te Domine: neque omnes qui deſcendunt in infernum.* i. qui apud inferos ſunt. In inferno enim quis confitebitur tibi?

27. *Sed nos qui viuimus*, fide & iuſtitia, *benedicimus Domino ex hoc nunc & vſque in ſæculum.* Nullo enim tempore laus Dei de ore Eccleſiæ ceſſabit.

PSALMVS CXIIII.

Alleluia.

DOcet Pſalmus per quid exaudiatur oratio; Et quod in omni miſeria periculiſque huius vitæ ad Dominum per orationem confugiendum ſit, auxiliumque ab eo obtineatur. Denique ad quam animi quietem inſtante morte ſe componere poſsit, qui in his quæ dicta ſunt vitam traduxerit.

1. *Dilexi quoniam.* i. eam ob cauſam *exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Charitas enim orantis magna eſt cauſa, ob quam oratio exaudiatur,

2. *Quia inclinauit aurem ſuam mihi.* i. eandem ob cauſam Deus oranti mihi obuiam aurem præbuit, & orationi condeſcendit, ac detulit miſericor-

Ambr. de obitu Theodoſij. diam, inquit Ambroſ. *& in diebus meis.* i. tempore vitæ meæ mortalis *inuocabo.* i. inuocationi ac orationi frequenter incumbam. Quia,

Circumdederunt me dolores mortis. i. vndiq; cingor moleſtijs meæ mor-

3. talitatis, *& pericula inferni inuenerunt me*, cùm enim hãc vitam ingrederer æternæ damnationis periculum ob peccatum originale me excepit, & per totam vitam me ſibi, non tamen pari iure aut propinquitate, obnoxium tenuit. Et præter hæc,

Tribulationem & dolorem inueni. i. in multos dolores incidi ſubinde

4. imprudenter, interdum etiam rectè agendo. In his autem omnibus, *nomen Domini.* i. ipſum Dominum propter ſemetipſum, vel propter gloriam nominis ſui *inuocaui.* Oratione enim, his malis leuamen impetratur. Formula vero inuocandi hæc eſt:

5. *O Domine libera animam meam*, ne per hæc mala in damnationem incidat, *miſericors Dominus & iuſtus.* Addit, *& iuſtus*; Iuſtum enim eſt Deo vt exaudiat deprecantem. *Et Deus noſter miſeretur.* i. miſericordiam ſuam deprecanti deeſſe non patitur.

6. *Cuſtodiens paruulos Dominus, humiliatus ſum & liberauit me.* i. conſideraui Dominum protectorem eſſe humilium, propter quod ad humilita-

Greg. hom. 28. in Euã. tem, inquit Gregor. me compoſui, & effectum protectionis eius humiliatus percepi. Et hæc quidem in diebus vitæ huius, in quibus, qui modo prædicto fuerit exercitatus, inſtante morte ſic ſemetipſum affatur vel affari poteſt:

Conuer-

Conuertere anima mea in requiem tuam. i. temetipsam ô anima mea ad 7.
interioris hominis quietem compone, & in æternam requiem tibi aduen-
tantem, te cum exultatione conuerte: *quia* tempore transactæ vitæ, *Domi-
nus* (quod tibi ad exultandum in secundum Domini aduentum, magnum
fundamentum est) *benefecit tibi.* Quæris in quo?

Quia eripuit animam meã à morte, ne, vt cõfido, æternæ morti obnoxius 8.
sim. *Oculos meos à lachrymis.* i. eripuit me ne sim obnoxius tenebris exte-
rioribus, in quibus erit fletus & stridor dentium. Vel, *Eripuit animã meam
à morte*; peccati, in qua aliquando fui. *Oculos meos à lachrymis.* i. fecit me
lachrymarum, quas me propter peccata mea fundere oportebat, mensuram
implere. Quod, dico, fecit is qui potũ dat lachrymas in mensura. Qua men-
sura completa, per consolationem, quæ perfectam pœnitentiam consequi-
tur, tersit illas lachrymas & dolorẽ præteritum tanquam iam expletum ipse
mitigauit. Eripuit etiam *pedes meos à lapsu*, ne post pœnitentiam in pecca-
tum relaberer. In posterum ergo, siue in vita ad quam pergo, absque omni
macula & ruga, & vestimentis candidis, quales fullo non potest facere su-
per terram, indutus,

Placebo Domino, De tempore enim futuro sibi blanditur, ait Ambr. qui 9.
hæc loquitur, *in regione viuorum.* i. beatorum, è qua regione mors animæ & *Amb. de bo
no mortis
cap. vlt.*
tandem etiam corporis prorsus exterminata est. Seruiunt itaque hæc po-
strema verba consolationi infirmorum si bene vixerint, præsertim in extre-
mis, ad propulsandas ab eis iniurias pusillanimitatis.

PSALMVS CXV.

Alleluia.

IN Psalmo hoc loquitur author in persona præcipuè eorũ qui mar-
tyrio candidantur vel probantur. Quocirca etiam in Ecclesiis in
festis martyrum ex professo legitur. Bonum autẽ erit vt eum in ho-
norem martyrũ legentes, subinde recordentur verborũ Cyrilli: Si veritatẽ *Epist. 6.*
pro gloria Dei fateri verebimur, qua fronte martyrũ encomia celebramus?

Credidi propter quod locutus sum. i. quia lex fidei etiam fidei confessio- 1.
nem præscribit, ideo quod corde credidi, ore palam confessus sum. *Ego au-
tem humiliatus sum nimis.* i. in inenarrabiles ob hoc afflictiones & calami-
tates incidi. Quocirca

Ego dixi in excessu meo. i. nimio quodam, & qui iustum modum excede- 2.
ret, pauore conturbatus, dixi: *Omnis homo mendax.* i. nullus est hominũ qui
omnes illas afflictiones poterit sustinere. Proinde omnes metu vel expe-
rientia malorum adacti, negando fidem, in mendacium deueniẽt. Hic sensus
videtur esse literalis, quanquam D. Augustinus mendacium hic accipiat pro
quouis

quouis peccato, speciē videlicet pro genere. Alibi verò specialiter pro peccato mendacij. Quod hac ratione tribuit omni homini, quia omnis homo per semetipsum peccat, aut de suo mēdacium loquitur, vt ait August. alibi. Infirmus itaque pauore pusillanimis dicit, *Omnis homo mendax*. Fidelis verò martyrij candidatus, in supplicijs sibi imminentibus vel etiam præsentibus nihil in mēte nisi Dominica, vt suadet Cypr. præcepta quibus eum Spiritussanctus ad toleranda supplicia animauit, versans, nec mortem cogitās, sed immortalitatem, nec temporariam pœnam, sed gloriam sempiternam; considerat martyrium non esse ita pusillo animo desperandum; Multarum proinde rerum consideratione semetipsum in id corroborare studet & accendere. Et in primis alta mente reuoluens, quod Verbum, vt ait Ambros. carnis infirmitatem suscepit, pro nobis esuriuit, vapulauit, vt nobis, in quibus ante vita ignobilis & degener habebatur, inciperet mors esse pretiosa; attendit sibi Domino pro tot tantisque beneficijs aliquid rependendū esse. Inquirit itaque apud semetipsum, & dicit:

De perfect. iustitiæ & tract 39. in Ioan.

Cyp. epi. 81 & de exh. mart. c. 10

Serm. 5 in ps. 118. v. 1 & prolixi⁹ Basilius in mart. Iulit.

3. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Omnibus inquam, Nam & retribuit bona pro malis; & bona pro bonis; suis, tamen in me prius collatis muneribus. Intelligens autem martyrium illud esse quod solum, vt inquit Cyprianus, Domino pro beneficijs eius grandibus & salutaribus fidei & deuotionis nostræ obsequia retribuunt, in martyrium gratanter suscipiendum se resoluit, & dicit:

Cyp. epi. 77

4. *Calicem salutaris.* i. passionem, certam nobis salutem adferentem *accipiam*. Accipiam, inquit: Est enim passio Dei donum: quia non est in tua potestate, inquit Cyprianus, sed in Dei dignatione martyrium, nec potes dicere te perdidisse, quod nescis an merearis accipere. Dicit itaq; cum quodam spiritus gaudio & alacritate, calicem salutaris accipiam; Quis enim, inquit Cyprianus, non appetat aliquid gaudibundus & lætus, in quo & ipse aliquid Domino retribuat? *Et*, calice accepto, in ipsa positus passione, *nomen Domini inuocabo*; vt det mihi opere perficere quod voto proposui, & ex pia animi gratitudine optaui, atque in cepto perseuerare. Quale quid fecit D. Laurentius, qui è medio sui incendio orabat dicens, Domine Iesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi seruo tuo: implorabat namque misericordiam sui Saluatoris, quæ, vt dicit August. adhæret Sanctis cùm præliantur. Et quidem non abs re dicit martyrij candidatus, accepto calice Domini, *nomen Domini inuocabo*: multi enim diuinæ protectionis atque opis incurij, & de viribus sui boni propositi securi, martyriū cùm iam præ foribus esset detrectauerunt, aut succubuerunt in tormentis. Alteram porrò causam ob quam martyrium libenti animo suscipiatur, proponit sibi martyrij studiosus per id quod sequitur:

Cyp. tract. de mor. & de laude mart. in fi.

Cyp. epi 87

Aug. de cor. et gra. c. 13

Vota,

Vota, inquit, *mea Domino reddam coram omni populo eius*; Considerans 5.
namq; se cùm fidem Christi susciperet, professum esse quod odiret patrem & matrem, imò & animam siue vitam suam temporalem præ Christo & præceptis eius, adlubescit ei martyriũ. Gestit enim hæc & huiusmodi vota sua Domino, pleno fidei & deuotionis obsequio integerrimè & perfectissimè exsoluere, Idque, *coram omni populo eius*. i. in publico & quodam amphiteatro, vt publico quodam sui corporis sacrificio Deo debitum honorem deferat atque exhibeat, & velut athleta coram oculis sui Imperatoris & totius populi ad victoriam vsque decertet. Si enim milites huius sæculi magnam gloriam computent honoris sui, si illis spectante populo & Imperatore præsente, inquit Cyprianus, contigerit coronari; quam optabile putas est istud spectaculum, quàm sublime, quàm magnum, quàm oculis Dei, sacramento ac deuotione militis eius, acceptum, vt præliantes nos & fidei congressione pugnantes spectet Deus, spectet Angeli eius, spectet Christus, spectet & mũdus? Inuitat tertio ad amplectendum martyrium quod sequitur: *Pretiosa*. i. magni pretij, Quo vocabulo martyrij præstantia sic commendatur vt simul asseratur illam veri meriti rationem habere, Quid est enim meritum nisi accipiendæ retributionis iustum pretium? *In conspectu*, i. in oculis siue iudicio *Domini*: Hoc hîc additur vt insinuetur labores martyrum & opera Sanctorum, *pretiosa* siue suo præmio digna esse iudicij diuini (iudicium enim debet esse conforme veritati) veritate, & non beneuola quapiam Dei imputatione. *Mors Sanctorum eius*. i. martyrum eius, vt interpretatur Tertullianus, Qui Sancti dicuntur, quia martyrio sanctificationis primitiua accipiunt, aut incrementa, vt proinde Spiritui S. aduersetur eorum sententia, qui vt refert Irenæus, improbauêre & contempsêre martyria. D. verò Bern. vniuerso, inquit, sanctorum cœtui apud Deum commune est quod dicitur, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius. Duæ enim res videntur mihi mortem pretiosam facere, vita & causa: sed amplius causa quam vita. Porro illa erit pretiosissima quam & causa commendat & vita. Hæc Bern. Cui consentiens Cyprianus, extenuat præstantiam martyrij illorum, quorum martyrium, inquit, sine indulgentia nõ fuit, eò quod antea criminibus quibusdam maculati, martyrio quasi quodam baptismo ablui eguerint & purificari. Quanti verò pretij mors sanctorum sit, explicat Cypr. Pretiosa, inquit, mors hæc est quę emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accipit coronam de consummatione virtutis. Quibus alio loco & hoc addit, quod martyres statim à Domino coronantur, quod sanguine suo gehennam extinguant, & Christo iudicanti assessuri sint: Quin etsi horum quæ martyrij candidatos ad amplectendum martyrium prouocare dixi, nihil subsisteret; Vbi tamen ita visum fuerit martyrium me am-

Cyp. epist. 6 & 10.

Tertull. Scorp. c. 8.

Iren. lib. 3. cap. 20.

Ber. epi 98

Cyp. de fin. cleric. circa finem.

Cyp. epist 9

plecti oportet atque subire;
6. *O Domine*, vel hoc solo nomine, *quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ*. i. genuinus atque natiuus tibi seruus sum. Vel solo ergo seruitutis titulo tibi omnia debeo. Tuum est enim quidquid possideo, qui potes quod dedisti quo vis modo repetere, Nam ipse pater fidei nostræ Abraham, inquit Ambrosius, cùm ad immolandum vnicus à sene filius posceretur, paternæ pietatis affectum diuinæ confessione iustitiæ temperabat, dicēs, Iustus es Domine. Non enim poscis alienū, sed tuum reposcis; ipsum tibi restituo quem dedisti. Hæc D. Ambrosius. Quam verò putas optabile esse martyrium contemplatione illius gaudij quod vnicuiq; obueniet cum martyrio perfunctus fuerit? tum enim vnusquisque cum lætitia inenarrabili & glorificata, dicet Domino:

Ambr. ser. 18. versu 1 in psal. 118

7. *Dirupisti vincula mea*. i. mortalem nexum animæ & corporis, inquit D. Ambrosius, cuius terrena inhabitatio aggrauabat animam & deprimebat sensum multa cogitantem. *Dirupisti* etiam *vincula mea*, quia liberasti me de corpore mortis, in quo sæuiebat lex cupiditatis, animam meam ad mortem peccati quantum poterat seducentis, vt exponit Epiphanius. *Dirupisti* denique *vincula mea*, siue seruitutis meæ quibus illigabar vt seruirem carne legi peccati. *Tibi sacrificabo hostiam laudis*. Non dicit sacrifico, sed sacrificabo, significans illud perfectum sacrificium, quando vnusquisque corporis huius vinculis absolutus Domino assistet & offeret se hostiam laudis, quia ante mortem nulla est perfecta laudatio, ait Ambros. *Et nomen Domini inuocabo*. Ergo sancti in futura vita inuocant Dominum de se quidem securi at de nostra salute soliciti, inquit Cypr. Et Ambros.
Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius. i. coram tota
8. cælesti curia offeram Domino perfecto opere quod promiseram in Christiani nominis professione. Sicut & Psal. 65. dictum est, Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea, &c. *In atrijs domus Domini*. i. in aula cælesti ante resurrectionem, *in medio tui Hierusalem*. i. cum summa celebritate & omnium sanctorum cōgratulatione facta corporis resurrectione, tum enim recepto corpore, cuius desiderio prius detinebamur, erimus in Hierusalem siue visione pacis.

Epi. hær. 64

Amb. c. 3 de bono mort.
Cyprian. de mortal.
Amb. c. 11. de bo. mor.

PSALMVS CXVI.

Alleluia.

1. L*Audate Dominum omnes gentes*; super misericordia, de qua Apostolus, Dico Dominum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum, *Laudate eum oēs populi*, gentiū,

Quoniam

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius. i. misericordia eius 2.
sic impensa est nationi nostræ, vt non sit ab ea transferenda in aliam nationem, Sicut factum est nationi Iudæorum: Hi enim excæcati sunt donec plenitudo gentium intraret: Gentilitas autem non excæcabitur vt ea occasione redeat Euang. ad Iudæos, sed illa in fide permanente, Iudæi illi sunt adiungẽdi, vt sic omnis Israel. i. omnes filij promissionis tam ex Iudæis quàm gentibus, saluus fiat. *Et veritas Domini manet in æternum:* quia verba Domini non præteribunt.

PSALMVS CXVII.

Alleluia.

TAmetsi præsens Psalmus de alijs & alijs Dei auxilijs atque beneficijs exponi possit, propriè tamen exponendus esse videtur de gratiarum actione, quam celebrabit Ecclesia super cõuersione Iudæorum in nouissimo tempore, & parta victoria de persecutione Antichristi, ob hanc enim caussam Psaltes peculiariter domum Israel & domum Aaron ad laudandum Dominum in principio Psalmi aduocat.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia 1.
eius. i. confitemini, ô vos omnes filij Dei, Domino de ipsa sua bonitate qua bonus, imò & bonitas est atque misericordia in omnia sæcula perseuerans, æterna, & indeficiens. Peculiariter verò,

Dicat nunc. i. ablato velamine & Christi fide recepta, *Israel*, secundum 2.
carnem *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* Similiter

Dicat nunc domus Aaron. i. tribus illa & ordo sacerdotalis populi Israelitici ad Christum conuersi, *quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* Denique,

Dicant nunc. i. eodem, de quo diximus, Ecclesiæ tẽpore, *qui timent Do-* 3.
minum, extra tribum Israel & Aaron, in vniuersa gentilitate, congaudentes profectui & paci Ecclesiæ, Dicant autem *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius*; Ex ijs enim quæ de bonitate & misericordia eius beneficia & auxilia acceperint, assurgant in laudem & confessionem bonitatis & misericordiæ qua Deus per æterna sæcula bonus est & misericors. Hæc verò quæ sint, recenset consequenter Psaltes in prima persona & numero singulari, sunt enim hæc omnibus quos ad laudandum Deum aduocauit, vno spiritu & vno ore atque vnanimiter suo tempore dicenda, & quia non dissimilia sunt beneficia atque præsidia quæ nos nostris temporibus à Domino accipimus, sunt hæc etiam nostro tempore ad laudem Dei cum gratiarum actione in nostris Ecclesijs vno ore decantanda. Dicit itaque Psaltes:

5. *De tribulatione*; in qua tempore persecutionis, notanter Antichristi,
versabar, *inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus*. i. id
quod petiui, abundè mihi præstitit is qui potēs est superabundanter facere,
quàm petimus aut intelligimus. Spe itaque diuinæ assistentiæ atque magni-
ficentiæ fultus, & de virtute diuinæ opis per experientiam certior factus,
confidenter dico:

6. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo*; Omne enim
id, sicut hactenus, Deo adiuuāte cum salutis meæ incremento facile supera-
bo. Experientia namque diuinæ opis facit hominē futura aduersa per spem
adminiculi consimilis non timere.

7. *Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos*; tanquam contra
Dominum mihi à dextris assistentem inualidos & inefficaces. Ad quam, vt
Isaiæ 51. ita dicam, despicientiam adhortatur nos Isaias in hæc verba: Ego, Ego ipse
consolabor vos, quis tu vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis
qui quasi fœnum arescet? Et quandoquidem is qui dixit se in tribulatione
inuocasse Dominum, opem eius non solum inuocando consecutus est, sed
etiam sperando, experientia edoctus nunc spem ipsam commendare aggre-
ditur, eaqua de causa dicit:

8. *Bonum est confidere in Domino*. Beatus enim vir, inquit Ieremias, qui cō-
fidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. i. præstabit ei Dominus id
Ber. ser. 32 in Cant. quod de se cum fiducia expectat, vsque adeo vt D. Bernardus alludens ad
locum Iosue, vbi dicit Dominus: Omnē terram quam calcauerit vestigium
pedis vestri, vobis tradam, Dicat, quod quocunque orando porrexerimus
pedem fidei atque fiduciæ, id à Domino consecuturi simus. *Quam confide-
re in homine*. i. industria virtute aut potentia hominis exclusa directione at-
que cooperatione gratiæ Dei; illa enim fiducia fallax est, quia ponit vt di-
Ierem. 17. cit Ieremias carnē brachium suum: qui autem confidit in homine Deo sibi
directore & cooperatore, vt speratur, gaudente, is confidit in Deo sua vir-
tute etiam carnem per se infirmam, confortante, & infirma consolidante.
Amb. ser. 15 in psal. 118 Sed quia fiducia, vt loquitur Ambrosius, est robur spei, ne illi soli putentur
à Domino adiuuari, qui spem robustam in Dōmino collocauerint, subdit;

9. *Bonum est sperare in Domino*, quia ne illi quidem qui ad robur spei non-
dum pertigerunt, spem tamen quantulamcunque in Deum defigunt, re spe-
rata fraudabuntur: *quam sperare in principibus*. i. Angelis, inquit August.
Nam & illi vt caro infirmi sunt, si per se solos aliquid posse credantur. Vel,
in principibus. i. in illis hominibus, qui, ob principatum, maiore quam vul-
gus hominū virtute pollere existimantur. Hæc ergo sunt quæ Ecclesia se in
tribulatione à Domino accepisse & per eā didicisse cōfitetur, Transit nunc
Psaltes ad describendam persecutionē, dictæ tribulationis causam, & dicit:
Omnes

Omnes gentes circuierunt me. Dicit, *omnes gentes*; loquitur enim de illa persecutione quam describit Apocalypsis cùm dicit: Soluetur satanas de carcere suo, & exibit & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, & congregabit eas in prælium, quorum numerus est sicut arena maris, Et ascenderunt super latitudinem terrę. *Et in nomine Domini quia vltus sum in eos.* i. inuocato nomine Domini, in quo nobis, vt in Psal. 123. dicturi sumus, est adiutorium, tormenta afflictionesque ab illis illatas inuicto animo atque proposito perferens, non modicam vindictam absque studio vindicandi, de eis sumpsi, Is enim qui iniurius est, vritur, inquit Tertull. cùm conatuum suorum fructu priuatur. 10. *Apocal. 20.* *Tert. de pa tient. ca 8.*

Circumdantes circumdederunt me. Circuierunt enim, inquit Apocalyp. castra Sanctorum & ciuitatem dilectam. *Et in nomine Domini, quia vltus sum in eos.* 11.

Circumdederunt me sicut apes, identidem repetito incursu in me densissimè inuolantes, creberrimisque punctionibus affligentes, ita vt pax mihi non fuerit, neque ingredienti, inquit Azarias, neque egredienti, nec vsquam, afflictione vndique inuolante, immunitas vel securitas. Potest tamē per has apes intelligi exercitus potestatum ac principum aëris huius, eo præsertim tempore quo solutus erit satanas, Christianos vndique circumvolitans. Eo namque tempore, præcipuè locum habebit, quod dicit Apostolus, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. *Et exarserunt sicut ignis in spinis.* Spinæ cùm ardent sonitum edunt, & cito exuruntur, inquit Ambrosius, nullusque caloris est effectus. *Exarserunt* itaque *sicut ignis in spinis*; excitātes subito magnam sed cito transeuntem persecutionem: Quibus verbis persecutionem Antichristi designari nobis persuasum habemus, illa enim præ omnibus quæ retro fuerint persecutionibus flagrantissimè exardescet, sed per tēpus & tempora & dimidum temporis. i. per tres annos cum dimidio perseuerans, abbreuiabitur propter electos. *Et in nomine Domini, quia vltus sum in eos.* Sed nunquid tuis asscribis viribus quod aculeos aduersariorum inuicto animo perferendo, ea qua diximus ratione vltus sis in eos? Nequaquā, quia, 12. *2. Para. 15* *Amb. lib. 3 de virg.*

Impulsus. i. ab aduersarijs impetitus, *euersus sum vt caderem.* i. in lapsum incuruari (in nobis namque impletur, quod Psalmo 56. dictum est, Incuruauerunt animam meam) atque ruinam minari cepi; *Et Dominus suscepit me.* i. manum, vt Psalmo 36. dicitur, supponendo, suffulsit me ne ruerem. Proinde, 13.

Fortitudo mea & laus mea Dominus. i. robur constantiæ meæ, & si quæ ei laus debetur, Domino asscribi debet, non virtuti meæ; qui quantum ex me erat, iam corruerā. *Et factus est mihi in salutē.* i. ab ipso cepit salus mea, 14.

 & ipse

& ipſe ad ſaluandum me ab imminente ruina, me præuenit. Dominus enim
propriè dicitur aliquid factus eſſe cum ipſum fieri Domini eſt.
15. *Vox exultationis & ſalutis.* i. Vox de ſalute in prælio ſibi diuina ope
conſeruata exultantis, *in tabernaculis.* i. habitaculis, congreſsibus, atque
conuentibus, *iuſtorum.* Dicit autem, *Vox*; quia omnibus iuſtis ea in re cō-
cors, conſtans atque vna eſt vox. Porro ſicut Iacob cùm benediceret ſuis,
Cyp. 3 the. cap. 1. ex Ioſeph filio, nepotibus, prius, vt obſeruat Cyrillus, dixit; Deus qui pa-
ſcit me à iuuentute mea; Deinde, Angelus qui eruit me ab omnibus malis;
vt per Deum, Patrem ipſum, inquit Cyrill. ſignificaret; per Angelum autē
Verbum Patris: ita hîc Pſaltes prius dixit, Dominus ſuſcepit me; Vt autem
det intelligi etiam Filium id quod hactenus dixit vna cum Deo Patre ope-
ratum eſſe, adiungit:
16. *Dextera Domini.* i. Filius Dei, *fecit virtutem, dextera Domini exalta-
uit me.* i. me omnibus præteritis malis ſuperiorem fecit, & ad Confeſſorū,
Cyp. epiſt. 9 quorum locus in Eccleſia, teſte Cypriano, ſublimis eſt, dignitatem euexit.
17. *Non moriar.* i. parta hac victoria non ſtatim è præſenti ſæculo eripiar;
Videtur enim Pſaltes hæc in perſona illorum loqui, de quibus ſcribit Cy-
loco citato. prianus, quod accepto, poſt ſuæ cōfeſsionis, & toleratæ perſecutionis glo-
riam, commeatu (i. vitæ longioris tractu) in Eccleſia laude florebant. *Sed
viuam.* i. aliquamdiu in viuis adhuc permanſurus ſum. *Et narrabo opera do-
mini.* Hi enim qui poſt perſecutionem commeatum acceperunt, Domino,
Cypr initio de lapſ. inquit Cyprianus, reſeruati ſunt, & quidem in primis, vt ad Domini gloriā
enarrent opera Domini, per quæ ſuos & in perſecutione protexit, & per
perſecutionem velut per ignem excoxit atque purgauit. De qua re ſequitur:
18. *Caſtigans caſtigauit me Dominus.* Perſecutiones enim, teſte Cypriano,
Idē epi. 11 à Deo permittuntur ad caſtigandam Eccleſiam, eiuſque diſciplinam redin-
tegrandam. Caſtigamur, ait, frequenter, quod quidem nec apud vos ceſſare
cognoſco quo minus plurimos quoque ex vobis ad diſciplinam Eccleſiæ
inſtruat cenſura diuina. Propter quod etiā monet Chriſtianos perſecutio-
Idē epiſt. 7. nis cladi ſuperſtites, in hæc verba: In Domino magis ac magis proficiamus,
vt cum Deus pacē fecerit, noui ac penè mutati ad Eccleſiam reuertamur, &
excipiant nos ſiue fratres noſtri ſiue gentiles (nunc hæretici) circa omnia
correctos, & in melius reformatos, & qui prius admirati fuerant in virtuti-
bus gloriam, nunc admirētur in moribus diſciplinam. Hæc Cypr. *Et mor-
ti non tradidit me.* i. non permiſit me in mortem animæ incidere. Quid au-
tem huic perſecutionibus ſic exercitato & correcto reſtat, niſi vt ſpe retri-
butionis futuræ accenſus, dicat cæli ianitoribus:
19. *Aperite mihi portas iuſtitiæ.* i. præbete mihi ingreſſum per portas regni
cælorum, *Ingreſſus in eas confitebor Domino.* Eſt enim in illo regno, in-
quit

quit Isaias, gratiam actio & vox laudis. *Hæc porta Domini*, quia Christus eam suo ingressu in cælos nobis patefecit, teste Apostolo, dicẽte, Habentes fiduciam in introitu sanctorũ in sanguine Christi quam initiauit nobis viam nouam & viuentem, &c. *Iusti intrabunt eam*. i. non intrabit in eam coinquinatum quid aut abominationem faciens, sed soli iusti; propter quod porta hæc porta iustitiæ prius dicta est. De qua & Isaias: Aperite portas ingrediatur gens iusta custodiens veritatem, id est, perseuerans in veritate. Hæc ergo de persecutione Antichristi, & Christianorum eam superantium victoria, atque etiam beatitudine quæ illam victoriam manet. Conuertit nunc Psaltes psalmum vt laudet Deum super Iudæorum, eodem tempore euentura conuersione, & dicit: Hebr. 10. Isaie 26.

20. *Confitebor tibi quoniam exaudisti me*; pro Iudæorum conuersione, (vt in Psal. 79. 84. & aliàs audiuimus) orantem. *Et*, tu ipse ô dextera Dei, *factus es mihi*, Gentium in primis populo, *in salutem*. Qua autem saluandi ratione? Factus es mihi in

21. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes*. i. in fundamentum ac firmamentum salutis, quod ab illis, quorum erat ædificare domum Israel in templum Domino, reprobatum est. Te enim pro doctore iustitiæ & fundamento salutis agnoscere renuentes, interemerunt. Ideo & ablatum est ab eis regnum Dei & datum est genti facienti fructus eius. Hoc tamen non obstante, *hic factus est in caput anguli*, quia Christus, hoc, de quo loquimur, tempore, illam eandem gẽtem à qua reprobatus est ad se traductam sibique incorporatam, nobis sub se capite concorporauit, faciens vtraque vnum, & duos populos, Iudæorum videlicet & gentium, in vnum corpus per cõmunis fidei vinculum compingens.

22. *A Domino*. i. altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, *factum est istud*, vt scilicet lapis iste prius gentibus nihil minus expectantibus fieret in salutem, & postmodum eis coniungeret Iudæos. *Et est mirabile in oculis nostris*, Est enim mysterium, vt dicit Apostolus, quod Romanos omnino ignorare nolebat, vt non essent apud semetipsos prudentes.

23. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*. Tametsi Dominus, vt docet Ambr. omnes dies fecerit, docet tamen scriptura sacra esse aliquos, inquit, præclaros dies, in quibus refulserint facta diuina, De quibus diebus peculiariter licet dicere, *Hæc dies quam fecit Dominus*, quia illis, præ cæteris diuini operis quædam prærogatiua delata est. Itaque de quouis die qui diuini operis quapiam prærogatiua insignis est, dicere licet *Hæc dies quam fecit Dominus*, Quocirca & Romana Ecclesia id in officio diuino dicit tam de die dominicę Natiuitatis quàm Resurrectionis, & quædam Ecclesiæ idem dicunt de die annunciationis B. Mariæ. Hoc verò loco, Ambros. in Psal. 43.

si Psal-

si Psaltis propositum spectemus, idipsum, dicitur de illo die in quo Deus, secundum precedentes ea de re prophetias, gentē Iudæorum ad fidem Christi adduxit & Ecclesiæ aggregauit. Cui expositioni conformis est cōmentarius D. Aug. in Glossam ordinariam relatus, dicit namque istud hic dici, non de die in qua Deus salutis nostræ causam, qualis est Dominica Resurrectio, inuenit vel instituit, quod tamen loco allegato putauit Ambr. sed de die in qua nobis salutem reipsa concessit, vel nos salutis fecit esse participes. Huius vero lætitiæ solennitate prænunciata, subiungit eidem Psaltes inuocationem, implorans, vt Deus genti Iudaicæ maturè fiat propitius, & in ea reipsa impleat quod de eadem mox prænunciatum est, & dicit:

24. *O Domine saluum me fac*, D. Hieron. asserit iuxta Hebræum sensum legi posse, O Domine saluum fac, vt subaudiamus, inquit, populum tuum Israel. Quam eius interpretationem arbitror esse litteralem, quamquam, vt etiam Hieron. fatetur, Hæc oratio etiam extendi posit ad vniuersum genus humanum, vt sit sensus, saluum fac genus humanum Domine. Et quia salus ad homines per Euangelium defertur, subiungit Psaltes, & dicit: *O Domine bene prosperare.* i. fac verbum Euangelij quod est virtus Dei in salutem omni credenti, prosperè procedere, & multiplicem fructum proferre, vt Israël secundum carnem illud iam non, vt prius, repellat, eoque se indignum exhibeat, sed verbo suæ salutis aures hilariter aperiendo Euangelijque pręcones gratanter excipiendo, exclamet: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hæc enim verba tam generalia sunt, vt cōuenienter dicantur in omnes qui veniunt in nomine Domini, siue singulariter, vt Christus, qui venit in nomine Domini, vt Filius à Patre missus, & tanquam propugnator ad saluandum: siue alia ratione, vt Apostoli, qui veniunt in nomine Domini tāquam nuncij, legati & salutis administri. Quocirca, sicut Christo, suo sensu, dictum est, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ita etiam illis qui Euangelium nouissimo tempore ad Iudæos deportaturi sunt, idem sensu ipsis cōueniente dicent Iudæi. Hoc asseruisse videtur Dominus cùm dixit: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini. A tempore namque quo Iudæa ad extremam pertinaciam vsque repulit Christum, prius in propria persona, postmodum verò in Apostolis suis euangelizantē, non vidit nec videbit eum sibi, id est, suæ genti in suis legatis euangelizantem, nisi circa tempora nouissima, quando ablata per occultam & præuenientem Dei gratiam, ab eis cordis duritia, euangelizantes cum gratulatione excipiendo dicent: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: Sed huic gratulationi ex persona eorū qui in Ecclesia intus permanētes, ad Iudæos cōuertendos nō egrediūtur, interseritur per parēthesin quod sequitur:

Epist. 145.

Matth. 23.

Bene-

Benediximus vobis de domo Domini. q.d. nos in domo Domini intus permanentes, vestro, qui ad euangelizandum egredimini, labori atque negotio quasi de intus bene precamur & prosperũ optamus successum. Quibus verbis in vulgata Latinorum & Græcorum lectione parenthesi inclusis, fit in textu prosecutio cœptæ gratulationis in hæc verba, *Deus Dominus & illuxit nobis*. q.d. Benedictus sit etiam ipse Christus Deus dominus, qui dispulsis nostrarum mentium tenebris, illuxit nobis ad illuminationem scientię claritatis Dei. Psaltes ergò spiritu conspicatus ingentem multitudinem, quâ per Iudæorum conuersionem augenda esset Ecclesia, extimulat Ecclesiæ præpositos in hæc verba, 25.

Constituite diem solennem in condensis vsque ad cornu altaris. q.d. Cesset luctus Hieremiæ plorantis, Viæ Sion lugent eo quod non sint qui veniant ad solennitatem; Vos verò *constituite diem solennem in condensis*. i. dies solennes instituite, vel, instituere vobis licebit dies solennes, ad quos multitudo tam copiosa confluet, vt præ multitudine oppleat templum *vsque ad cornu altaris*. In quibus conuentibus dicant omnes vno ore, 26.

Deus meus es tu & confitebor tibi. i. tuam bonitatem tuamq́ue virtutem confitebor in gratiarum actione. *Deus meus es tu & exaltabo te*, id est, in cognitione magnitudinis tuæ conabor proficere, & ad eundem profectum alios mecum adducere. Insuper, 27.

Confitebor tibi opera tua, videlicet, *quoniam*, ope gratiæ tuæ præuenientis inuocantem, *exaudisti me, & factus es mihi in salutem*. i. operatus es in me salutem. Quam eorum confessionem psaltes, more suo, extimulans atque accendere gestiens, dicit ad eos ex propria persona, 28.

Confitemini Domino quoniã bonus, quoniã in sæculum misericordia eius.

PSALMVS CXVIII.

Alleluia.

PSaltes hactenus ferè mysteria prophetico spiritu decantauit, nunc verò quantum in eo excellat Ethica, præsentis Psalmi, inquit Ambrosius, summa declarat gratia. Quem per singulas Hebræorum digessit literas, vt quemadmodum paruulorum ingenia primis literarum elementis assuescunt discendi vsum assumere, ita etiam nos huiusmodi elementis vsum discamus viuẽdi. Literis autem singulis octenos versus ascripsit, vt simul & vnitatem doceret, & purgationem legittimæ sanctificationis. Vnitas enim coercet & regit omnia: Per octauam autem significatur solemnis purgatio, quia in Christi resurrectione erecti sumus in nouitatem vitæ, præferentes ablutionis gratiam. Hæc ille. Itaque, vt dicit D. Hilarius, consummatio doctrinæ & eruditionis nostræ in hoc Psalmo continetur:

Hic enim explicatur quo ordine ad iustitiã perueniendum, quid iusto agendum, quod in iustitia perseuerandum, denique quid iusto expectandum sit.

ALEPH.

1. *Beati*.i. æterna beatitudine digni, ac proinde iusti, Apostolus enim dicit Dauidem dicere beatitudinẽ hominis, cui Deus acceptò fert iustitiam, non dicuntur ergo beati, nisi qui simul asseruntur iusti. *Immaculati in via*.i. qui tempore viæ siue vitæ huius mundo sunt corde, sicut scriptum est; Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Cuiusmodi etiam à Domino mundi dicebantur, cùm diceret: Et vos mundi estis, sed non omnes. Et quandoquidem ad hanc beatitudinem adultis necessarium est, cordis, quam diximus, munditiem per bona opera bonasque actiones exercere; Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, Describit Psaltes per tria membra illa in quibus vnumquemque Christianorum suo modo & ordine oporteat exerceri, vt beatitudinis, ad quã per cordis munditiam siue iustitiam aptus atque dispositus est, consors fiat & particeps, quorum primum pertinet ad plana legis, secũdum ad abdita, tertium ad legis finem, & dicit: *Qui ambulant in lege Domini*. i. secundum legem Domini, quæ in primis est lex charitatis, vt filij obedientiæ, siue, spiritu obedientiæ conuersantur. Secundum legem enim Domini vt ea Domini est non ambulat, qui eandem per piæ obedientiæ affectum non obseruat. Nec hoc solum, sed

2. *Beati qui scrutantur*. i. sedulò & studiosè inuestigant *testimonia eius*, i. legis, diuinitus, (siue per Moysen dicentem, testes inuoco super vos cælum & terram, siue per Christum, testificatus est enim Deus nobis, inquit Ioannes, in filio suo,) nobis testificatæ abdita atque arcana. Non enim ad consequendam salutem sufficit plana legis & peruulgata perambulare, sed oportet etiam legis abdita & abstrusa, quatenus vnumquemque cõcernunt, studiosè inuestigare, sicut scriptum est; Qui timent Dominũ, inquirent quæ beneplacita sunt ei. Et; Seruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis quæ placita sunt illi. Ambrosius tamen scrutari testimonia eius arbitratur idem esse quod scrutari scripturas, siue absconditũ sacrarum literarum sensum rimari, dicitq; verba, *Beati qui scrutantur testimonia eius*, in hunc sensum intellecta, superioribus aptissimè subiungi, Antè enim vita, inquit, quęrenda est quam doctrina, quia improbitate cæcatur mẽtis oculus & caligãte sibi iniquitate, mysteria profunda inuenire non potest. *In toto corde exquirunt eum*. i. Deum ipsum nouæ legis finem, idque in toto corde, vt saltem nihil sit quod in corde suo præponant studio, quo in amplexus Dei, ipsius summi boni amore feruntur. Hoc enim inter charitatis seu iustitiæ præcepta comprehenditur, propter quod etiam scriptum est: Tibi dixit cor meum,

Ecclesi. 2. *Tobiæ 14.* *Ambros. in hunc locũ.*

Quæ ſiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Sed quid? In multis offendimus omnes; qua igitur ratione poterit quis cẽſeri ambulare in lege Domini, ſcrutari teſtimonia eius, aut in toto corde exquirere eum? Id verò neminem moueat,

Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt. q. d. nõ qui peccata quæuis, ſed vel vnum aliquod ex illis admittunt, de quibus ſcriptum eſt; Odiſti omnes qui operantur iniquitatem: Et, In matutiño interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderẽ de ciuitate Domini omnes qui operantur iniquitatem: Et, Tollent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui operantur iniquitatem, hi dico, *In vijs eius non ambulauerunt*: Via enim eius, quæ eſt charitas, de qua Apoſtolus, Ad huc excellentiorem viam vobis demonſtro, illa eſt de qua dixit Iſaias; Et erit ibi via, & via ſancta vocabitur, non tranſibit per eam pollutus, nemo enim eorum cuius peccato mortali polluta eſt mens & conſcientia, ambulat in charitate. Proinde, quandoquidem illi qui à Iacobo dicuntur in multis offendere, non ſunt ex illis qui operantur iniquitatem, nihil enim admittunt eorum de quibus ſcriptum eſt, Qui offendit in vno, factus eſt omnium reus, ſiue nihil admittunt quod ſit cõtrarium charitati, ideo non obſtantibus omnibus eorum offenſionibus, adhuc verè, quamuis vacillantibus & titubantibus nonnihil veſtigijs, ambulant in vijs Dei, Nam & Ioannes dicit eos qui in luce ambulant non poſſe dicere ſe peccatum non habere; Si habent peccatum & ambulant in luce, ergo etiam in vijs Domini, Quis enim oſtendet aliud eſſe in luce, aliud in via Domini ambulare? 3.

Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. i. ſub pœna incomprehenſibili. 4.
Notat autem Bernardus hic non dici vniuerſaliter, mandaſti omnia mandata tua cuſtodiri nimis, & proinde oportere ſub his verbis illa mandata intelligi, quæ quoniam non ſine grandi culpa violantur, ideo non ſine graui pœna damnantur. Et quandoquidem cuſtodia diuinorũ mandatorum, Dei donum eſt, ſubiungit Pſaltes: *Bernar de præcepto et diſpenſat.*

Vtinam, optantis eſt, inquit Auguſt. non præſumentis, *dirigantur.* i. per gratiam tuam præoperantẽ præordinentur ſiue prædiſponantur. *Viæ meæ*, i. actus conuerſationis meæ. *Ad cuſtodiendas.* i. opere implendas, *iuſtificationes tuas.* i. mandata tua quibus nos iuſtitiam facere præcepiſti. Dicit autem, *dirigantur viæ meæ*, à directione enim ceu proxima pręparatione cordis, primaria ex parte pendet mandatorum Dei cuſtodia, quia vnuſquiſque id ferè exercet opere in quod propendet, ſiue quod parturit, corde. In quam directionem à Deo obtinendam dicit, *Vtinam*, ait namque Ambroſius, Merere factis, votiſque depoſce, vt dirigantur greſſus tui. 5. *Aug 2. de pecat meri. cap 6.*

Tunc non confundar. i. nullam in hac vita ex actibus vel operibus meis 6.

confusionem reportabo, Vel, in die iudicij non erubescam, *cùm perspexero in omnibus mandatis tuis*. i. omnium mandatorum tuorum omni ex parte factus fuero nō obliuiosus auditor, sed factor: Qui enim perspexerit in lege perfectæ libertatis, inquit Iacobus, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.

7. *Confitebor tibi* confessione laudis & gratiarum actionis *in directione cordis*. i. ob eam quam mox petiui gressuum meorum directionem, quorum principium in directione cordis est, siue quod in idem redit, *in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ*. i. gratias tibi agam quod composueris cor meum vt sigillatim discerem & particulatim (hoc enim importat dictio *iudicia*) ea quę sunt iustitiæ qua iustificas nos. In qua iustitia quandoquidem nobis perseuerandum est,

8. *Iustificationes tuas custodiam*. i. propositum mihi est in ea iustitia qua me iustificasti, perseuerare; Cui rei quandoquidē per memetipsum non sufficio, *non me derelinquas vsquequaque*. i. vsque valde, inquit August. Non enim timet derelinqui, vt ad probationem tentetur, qua ratione derelictus est Iob, nec vt aduersis secundum Dei voluntatem crucietur, quo modo derelictus est Christus, sed timet eo derelictionis genere derelinqui, aut sibi permitti, ex quo ipse se in peccatum præcipitet. Hoc autem est, Derelinqui vsquequaque, siue, multum. De prioribus enim derelictionis generibus dicere licet, quod dixit Dominus per Isaiam, Ad punctum in modico dereliqui te, & in misericordijs sempiternis recordatus sum tui.

BETH.

CVM in principio Psalmi diceret Psaltes, *Beati immaculati in via*, videtur ad eos maximè respexisse, qui à primæua ætate sine intermissione iustè vixerunt: Nunc itaque transit de eis verba facere qui prima ætate in peccatis transacta, in flore adolescentiæ se ad vitam meliorem conuertunt, & interrogat.

9. *In quo corrigit adolescentior*, qui ad id vsque tempus vias prauas atque distortas, vt fere fit, secutus est, Rarū namq; esse eum qui ad adolescentiam absque magno quopiam peccato peruenerit, eamque traduxerit, in Psal. 24. versu 7. ex August. diximus. *Viam suam*? Respōdet: *In custodiendo sermones tuos*. q.d. sicut obseruatio mandatorum tuorum cōfert integritatem ijs qui à prima ætate in ea versantur, ita præstat correctionem ijs qui in adolescentia se ad eam conuertunt, vt proinde nemini arbitrandum sit se frustra seruandis sermonibus tuis operam daturum, si primam integritatem perdiderit. Adolescentior itaque animaduertens bonum esse ad custodiam sermonum diuinorum se vel tandem conuertere, in conuersionis suæ primordijs positus sic Deum precatur:

In toto corde meo exquisiui te, ita vt nihil prius habuerim aut præstantius 10.
quam te, quem iam super omnia amare cepi, quærere atq; sectari, vt ad tuam
amicitiam possem peruenire. Hoc autem perfectæ cuiusdam conuersionis
rationem habet, ad quam nos hortatur Dominus, cùm dicit; Conuertimini
ad me in toto corde vestro. Quod & illi faciebant, quorum causam apud
Deum agebat Daniel, cùm diceret: Et nunc sequimur te in toto corde, &
timemus te, & quærimus faciem tuam. *Ne repellas me.* i. ne me, qui iam
quæro te tuamque facere voluntatem, ob peccata pristina derelinquendo,
quasi repellas *A mandatis tuis.* i. tuorum mandatorum obseruantia. Hoc
autem hic orat adolescentior iste ad Deum conuersus, non quasi Deus quē-
piam se toto corde exquirentem derelinquendo repellat, sed vt confiteatur
illam Deum inquirentibus non defuturam opitulationem, diuinæ gratiæ
esse, non meriti aut iuris humani: Quocirca & Hilarius id quod hic dicitur
ne repellas, exponit, vt sit sensus, Non repelles me à mandatis tuis. Ambros.
vero, *Non repellas*, inquit. i. Non me permittas denuo in peccatū aliquod,
præsertim negligentiæ, incidere, per quod dignus reddar repelli à gratia tua
quæ mihi necessaria est ad obseruandum tua mandata. Et quando quidem
oportet eum qui conuertitur ante omnia se à peccando continere, exponit
ad hæc adolescentior quanta cura se à peccando cohibuerit, & quibus ar-
mis restiterit peccato, & dicit:

In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. i. verba scriptura- 11.
rum quæ sunt eloquia tua, quia per ea ad nos qui foris extra te sumus, locu-
tus es, congessi in mentem & pectus meum, vt ex eo velut quodam dome-
stico promptuario mihi tempestiue proferrem id, cuius adminiculo pecca-
to mihi obuersanti repugnarem, morem gerens præcepto Apostolico, qui
inter cętera diuinæ armaturæ præsidia monet nos, vt contra peccatum præ-
lium inituri, accipiamus gladium spiritus, quod est verbum Dei; Vt taceam
quod à pectore vacuo vix possunt arceri peccata: Spiritus enim immundus
inueniens domum illam à qua egressus est vacuā, ingressus eam habitat ibi,
& fiunt nouissima hominis istius peiora prioribus. Ob hanc vero suam pro-
uidentiam adolescentior Deo gratias agens, subdit:

Benedictus es Domine, Et per hæc ad accipiendam iustitiā præparatus & 12.
proximè dispositus, oportune subiungit, *Doce me iustificationes tuas.* Eo
doctrinæ genere, quo non tantummodo veritatem ostendas, verum etiam
impertias charitatem, simul donans & scire quid debeam agere, inquit Au- *Aug. de gratia christi, cap. 13.*
gust. & quod scio agere. Iustificatione verò accepta, exponit consequen-
ter quantopere fuerit in lege Domini voluntas eius, siue, quam in mandatis
Domini (quod viri iusti esse Psalmo primo & 111. audiuimus) concupie-
rit nimis, & dicit:

13. *In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.* Dicit *oris tui.* q. d. ego illa iudicia nosse & pronunciare, inquit Gregorius, potui quæ te dixisse cognoui: nam ea quæ ipse non loqueris, à nostra procul dubio cognitione abscondis, eaque ex parte iudicia tua dicuntur esse incomprehensibilia. Hoc autem quo pertinet? an ad diuinorum iudiciorum, in quo Augustinus excelluit, confessionem, vt iustus hac in parte etiam distinguatur ab impijs, de quibus Psalmo 9. dictum est: Auferuntur iudicia tua à facie eius? an potius per iudicia diuini oris intelligenda sint omnia Dei verba sacris literis mandata, quę non immerito appellantur iudicia, eo quod dicat Christus, Sermo quem locutus sum, ille iudicabit in nouissimo die, vt per hoc quod hic dicitur, *In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui*, detur intelligi eum verba Dei ore suo ruminasse sicut dicebatur ad Iosue; Non recedat volumen legis de ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte?

Greg. 2. dialog ca. 18.

14. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.* i. ac si omne patrimonium possiderem, inquit Ambros. facit enim via hæc hominem omnibus bonis affluere sicut scriptum est, Venerũt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Qua delectatione excitatus,

15. *In mandatis tuis* enucleandis, enarrandis, propugnandisq;, exercitatione quapiam ingenij *exercebor*, siue, vt teste D. Augustino legunt alij, garriam, garrit enim, inquit Aug. Ecclesia cùm se in mandatis Dei aduersus omnes inimicos fidei Christianæ atque Catholicæ copiosis disputationibus quasi multiloqua exercet, quæ tunc, inquit, fructuosæ sunt disputantibus, si non ibi considerentur nisi viæ Domini. *Et considerabo vias tuas.* i. viarum tuarum pulchritudinem (sunt enim viæ tuæ viæ pulchræ) quam mox dicta ingenij exercitatione mihi perspectam, insatiabili ac infatigabili desiderio identidem inspiciam & contemplabor.

16. *In iustificationibus tuis meditabor*, vt meditatione frequenti, iustificationum, quibus nos ad iustitiam perducis, & in iustitia exerces, ordinem, præstantiam ac suauitatem, tuamque in iustificando gratiam, longanimitatem, prudentiam atque virtutem, penitius introspiciam atque cognoscam: Quam vbi cognouero, curæ mihi erit, vt, *nõ obliuiscar sermones tuos*, quos hac de re conscribi voluisti, & per quos dictas iustificationes perfecisti.

GIMEL.

CVM illa quæ proximè dicta sunt, sint meritoria, & diuinis muneribus digna, subiungit Psaltes & dicit:

17. *Retribue seruo tuo.* Cùm enim Dominus gratiam pro gratia promiserit, nõ audaciæ, sed fidei est, retributionem, quam Dominus ipse promisit, exposcere. Ideo Ambrosius. Prærogatiua fidei est & iustitiæ de Domini fauore

Ambros. in hunc locum

fauore vſurpare mercedem. Hic ergo Dauid virtutis quaſi proceſſu fundatus, retribui ſibi ſecundum fidei operiſq. certamina precatur. Et poſt pauca, Delectatur Dominus tali precatione, vt pro puritate conſcientiæ vtaris authoritate. Attamen quo minus videatur petitio arrogans, benè addit, *ſeruo tuo*, In quo humilitatis eſt gratia & præmiũ ſeruitutis. Hæc Ambroſius. In eo ergo quod dicit, *ſeruo tuo*, nonnihil de rigoroſa retributionis exactione remittit. Qui enim ſe ſeruum profitetur, non poteſt mercedem ſibi pleno, aut, quod omni ex parte ſit, iure vendicare, quia vel ſolo ſeruitutis titulo debet Domino ſuo quoduis etiam ſummæ præſtantiæ obſequium. Cùm itaque dicit, *Retribue ſeruo tuo*, idem eſt ac ſi diceret, retribue mihi eo retributionis genere, quo herus ſeruis ſuis ſolet dare mercedem; hic autem eam ſolet ſeruis benè merẽtibus dare ex placito, pacto vel præuia promiſsione, tu itaque ſecundum placitum, pactum atque promiſsionem tuam tribue obſequio meo condignam mercedem. Et hæc quidem conſentanea ſunt commẽtario D. Ambroſij. Auguſtinus verò retributionem, de qua hic eſt ſermo, non eam intelligit qua retribuuntur à Deo bona pro bonis, ſed bona pro malis, Cuius expoſitionẽ arbitramur eſſe contextui, vt etiam ipſe Auguſt. fatetur, magis conſentientem atque conſentaneam. Sub hac enim litera, Adoleſcentior iterum reſumit ſermonem in perſona ac qualitate eius, qui in conuerſionis ſuæ primordijs conſtitutus eſt, & loquitur in hunc modum: *Retribue ſeruo tuo*, miſericordiam pro priſtina iniquitate. *Viuifica me* per ſpiritum gratiæ & charitatis: ergo adhuc in morte erat, aut verius in reſurrectione, ſicut enim reſurrectio à mortuis ſignificat motum ad vitam, ita qui fidelis eſt & ſpiritum vitæ inuocat, eſt in reſurrectione ſiue motu ad vitam atque iuſtitiam. Et quia tam reſurrectio ſiue motus ad iuſtitiam quam vita ſiue iuſtitia, Dei donum eſt per Chriſtum Dominum noſtrum, ideo dicit Chriſtus ad Martham: Ego ſum reſurrectio & vita. *& cuſtodiam ſermones tuos*. Cuſtodiam, inquit, ſermones tuos, Hi enim, teſte D. Auguſt. non cuſtodiuntur niſi per fidem quę per dilectionẽ operatur. Quæ tamen Auguſtini verba non de quibuſuis Domini ſermonibus ſecundum ſe conſideratis intelligenda ſunt, ſed de ſermonibus Domini qui ſunt de charitate, ſiue de omnibus Domini ſermonibus quatenus recapitulantur ſiue inſtaurantur in præceptis charitatis, vt obſeruauit D. Thomas. 1 2. q 100 a 10. ad 2

Reuela oculos meos ablata erroris atq; ignorãtiæ caligine, *& conſiderabo mirabilia de lege tua*. i. tanta ac talia, quę admirationẽ faciant conſideranti. 18.
Quale quid contigit Sergio Paulo, qui iam fidelis factus admirabatur ſuper doctrina Domini. Vel, *mirabilia*, quia illi quibus dominus aperit ſenſum, vt intelligant ſcripturas, admirãtur, vt docet Greg. quod ſenſum ſub apertis & ſibi cognitis ſcripturis contentũ, antea non intellexerint nec obſeruauerint. Gre. ho. 12 in Ez. ch.

In ola

19. *Incola ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua.* Hoc in idem redit cum eo quod Psal. 38. dictum est, Ne sileas quoniam aduena ego sum apud te & peregrinus; & ob id peculiarem hoc loco non accipit interpretationem.

20. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas.* Dicit *concupiuit desiderare*, quia diuinarum iustificationum desiderium non est nostræ potestatis, inquit Ambrosius, sed gratiæ Dei. Cùm ergo Dominus nos videt delectari cupiditate desiderij, sobrium, inquit, auget affectum, quia præuiæ cupiditatis intuitu accendit Deus desiderij concupiscentiam vt transeat in desiderij ardorẽ. Vel, *concupiuit desiderare*. i. optauit desiderare, quia nondum valuit desiderium, quod ei in votis est, præ animi quodam languore, reipsa exhibere: Quæ verba intelliguntur illius esse, qui suæ conuersionis primum solummodo limen attigit, huiusmodi enim nondum habens perfectum boni desiderium, quadam saltem desiderij concupiscẽtia in pium desiderium fertur. *In omni tempore*, vt videlicet nullum momentum horæ, inquit Ambrosius, prætereat vacuum huius cupiditatis.

21. *Increpasti superbos.* i. mandatorum tuorum contemptores vel aspernatores, qui, eò quod oderint etiam Deo esse subiecti, ipsam tuam mandandi atque præcipiendi authoritatem inuisam habent & auersantur, *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* i. qui cùm semel receperint tuis mandatis parere, non permanent in eo quod eis non solum traditum, sed ab eis etiam voluntariè receptum est, sancto mandato. Declinant enim à mandatis Domini atq; recedunt Apostatę, inquit Augustinus, non illi qui aduersus mandatum quouis modo delinquunt. Cùm enim mandatorum atque prohibitionum diuinarum materia vel charitas sit, vel actus quispiam in sua specie perfectus, puta fornicatio, homicidium, periuriũ, quomodo à mandatis Dei declinat, qui in charitate permanet, & pręcepta quæ charitatem pro sua non habent materia, actu quopiam imperfecto ac semipleno, puta modico quopiam fornicandi appetitu, violat vel non implet? Quod in eos dictum sit, qui asserunt, quouis, etiam eo quod veniale dicimus, peccato, maledicto huic obnoxium reddi peccatorem, quorum esset prius demonstrare, eos qui peccatum veniale admittunt, à mandatis Domini declinare.

Aug. de perfect. iustit. ratioc. 17.

22. *Aufer à me opprobrium & contemptum.* i. peccatum, inquit Hilarius, opprobrij materiam, quod etiam authorẽ suum contemptibilem reddit. *Quia testimonia tua exquisiui.* Qui enim à peccato auersus exquirit à Domino iustitiam, à lege & prophetis testificatam, non debet illi peccatum pristinũ in posterum exprobrari, nec ipse ob id contemptui haberi, quia scriptũ est; Ne despicias hominem se auertentem à peccato, nec improperes ei. Vel, *Aufer à me opprobrium & contemptum*, cui apud homines ob id obnoxius sum,

Eccles. 8.

ſum, *quia teſtimonia tua exquiſiui*, idque hac ratione, ne vnà cum illis etiam ego me cótemptibilem reputem aut infelicem, quia iuſtitia mihi in opprobrium vertitur, ſed redde me potius memorem eius quod dixit Petrus; Si quid exprobramini propter iuſtitiam, beati. Quinimo, parum eſt quod ſtudium legis tuæ iuſtis vertatur in opprobrium.

Etenim ſederunt principes pro tribunali, vbi dijudicamur, vt aiebat D. Petrus in benefacto, vel vbi in benefacta inquiritur. De cuiuſmodi tribunali D. Athan. Erat, inquit, apud Arrianos noua expoſtulatio, & tribunal primum ab ipſis excogitatum vbi de beneficio reatus fieret. *Et aduerſum me loquebantur*. i. diſſerebant, proferebantq; ea quæ cauſam meam iniquam redderent. *Seruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis*. i. operibus iuſtitiæ à te præſcriptæ, v.g. manſuetudinis, charitatis, conſtantiæ & æquanimitatis. Iuſtificationes enim Dei ſunt iuſta facta ſiue opera iuſtitiæ, inquit Auguſtinus, in quem ſenſum & nos iuſtificationes Domini ſupra expoſuimus. 23. Act. 4. Atha epiſt. ad ſolitar. vitã agent. Auguſt in hunc locum

Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt. Quod in ſui temporis martyribus impleri credebat Cyprianus cum eis ſcriberet in hæc verba, Nec quicquam nunc verſatur in cordibus & mentibus veſtris quam diuina præcepta & mandata cæleſtia, quibus vos ad tolerantiam paſsionum Spiritus ſanctus ſemper animauit. *Et conſilium meum iuſtificationes tuæ*. i. id mihi ſemper conſultiſsimum eſt, quod præceptis, quibus à te ad iuſta opera inſtruimur, eſt maximè conſentaneum, vt intellexit Baſilius. 24. Cypr epiſt. 81. Baſi quæſt. breu. 269.

DALETH.

HIc iterũ regreditur Pſaltes & reſumẽdo perſonam pœnitentis, dicit: *Adhæſit pauimento*. i. terrenis illecebris, corporiſque, quæ pedibus 25.
conculcare, conterere atque ſpernere oporteret, commodis, per affectum atque amorem adhæſit anima mea, *Viuifica me ſecundum verbum tuum*. i. quandoquidem ſecundum carnẽ ſapere mors eſt, da vt participatione Verbi quod procedit de ore tuo, reuiuiſcam. Participatio enim verbi, inquit D. Ambroſ. eſt animæ noſtræ vitalis ſubſtantia, qua alitur, paſcitur & gubernatur. Nec quicquam eſt aliud quod viuere faciat rationabilem animam, quam alloquium Dei. Sicut enim augetur ſermo Dei in anima noſtra dum ſuſcipitur, dum intelligitur, dum comprehenditur; ita etiam vita eius augetur. Et quẽadmodum è contrariò alloquium Dei deficit in anima noſtra, ita & incurrit eius vita defectum. Itaque vt connexio iſta animę & corporis noſtri ſpiritu vitali animatur, alitur atque tenetur; ita verbo Dei & ſpiritali gratia anima noſtra viuificatur. Hæc Ambroſius. Nihilominus, poſſunt hæc verba iuxta Auguſtinum etiam iuſto competere. Quantumlibet enim quiſque profecerit, inquit, in iuſtificationibus Domini: habet carnalem affectum Ambr ſer. 7. verſu 2. in pſal. 118

circa iſta terrena, in quibus vita hominis eſt tentatio ſuper terram, è quo perſeueranter proficere, eſt quotidie, inquit, reuiuiſcere, viuificante illo, cuius gratia homo noſter interior quotidie renouatur de die in diem. Hæc D. Auguſt. Cuius expoſitioni expoſitionẽ Ambroſij tanquam contextui magis conſentaneam præferimus, Quæ enim hic dicuntur, in perſona hominis nondum iuſtificati dici, ſatis indicant ea quæ ſequuntur, quæ ſic habent:

26. *Vias meas enunciaui*, per hoc enim is qui hic loquitur, pulchrè exponit, inquit Ambroſ. ordinem quo putat ſibi ad iuſtificationes Domini perueniendum eſſe, vt videlicet primum peccata ſua cõfiteatur. Senſus igitur eſt, *Vias meas*, quas ex me ſecundum voluntatem carnis ambulaui, *enunciaui*, confitendo & accuſando, *& exaudiſti me*, Dixi enim confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Qui enim ſe accuſat, inquit Ambroſius, etſi peccator ſit, iuſtus eſſe incipit. Sed quia ſatis non eſt errorem confiteri atque deſerere, ſeu mala non agere, ſed oportet conuerſum bona inſuper exercere opera, ſubiungitur; *Doce me iuſtificationes tuas.* i. accepta remiſsione peccatorum, doce me operibus iuſtitiæ incumbere, illaque exercere. Et quia ſicut ad iuſtitiam ſuſcipiendam, ita etiam ad eam exercendam ordine perueniendum eſt, ideo aptè ſubiungitur.

27. *Viam iuſtificationum tuarum.* i. ordinem ac proceſſum quo iuſtitia ipſa, eiuſque vires ac incrementa mihi acquirenda ſunt, *Inſtrue me* vt nouerim, inquit Ambroſius, quid in iuſtificatione prius, quid conſequẽs eſſe debeat. Offendunt enim, inquit, plerumque præpoſtera. *Et* viribus iuſtitiæ bono iuſtificationis ordine ſolidè, maturè & ordinatè inſtructus, *exercebor in mirabilibus tuis.* i. talibus iuſtitiæ operibus, quæ ſui admirationem commoueant atque incutiant. Sunt enim, ait Auguſt. quædam iuſtificationes ſiue iuſtitiæ exercitationes, ita mirabiles, vt humana infirmitas in ijs qui eas experti non ſunt, ad eas peruenire nõ poſſe, arbitretur. Quæ mirabilia exercuiſſe credendi ſunt illi ſancti, quorum quædam facta non tam vt iuſtitiæ exempla quam prodigia miramur. Inter quæ reponi debent ea quæ exercuiſſe apud D. Bonauenturam legitur S. Franciſcus, ne illa nobis, vt hæreticis & ſapientibus huius ſæculi, magis ridenda appareant, quam veneranda aut imitanda. Sed quia non eſt in poteſtate etiam eorum qui in mirabilibus iſtis ſe exercent, perſeuerare, obrepit enim eis huius exercitij ſubinde tædium, idque ex ſemetipſis: Si enim, inquit Baſilius, animum deficit (id eſt

Baſi. inter. bren. inter. 80.

deſtituit) cogitatio bona, perſpicuum eſt vnà cum cogitatione illuminationem deficere, non quaſi deficiat quod illuminat, ſed quia dormitat quod illuminari debet; ideo ex perſona perfectorum ſubinde declinantium confitetur Pſaltes, & dicit:

Dormi-

Dormitauit anima mea præ tædio. i. obrepsit mihi tædium quo fuscata est soliti exercitij hilaritas, in cuius locum successit mihi languor animi & nausea. Sed quia ex te auxilium superest mihi, *Confirma me.* i. firmum ac stabilem me fac in ijs quæ cepi, redintegrata mihi primitiua virtute & alacritate: Idque *in verbis tuis.* i. per internam illustrationem verbi tui. Verbum enim Domini internis gustatum faucibus, repulsorium est tædiorum, inquit Ambrosius, quo somnus animæ & sopor mentis excluditur. Et D. Bernardus. Sunt qui in studijs spiritalibus fatigati, & versi in teporem, atque in defectu quodam spiritus positi, tristes ambulant in vijs Domini, corde arente & tædente accedunt ad quæcunque iniuncta, frequenter murmurant; longos dies, longas conqueruntur & noctes, loquentes cum S. Iob: Si dormiero, dicam, quando consurgam? & rursum exspectabo vesperam. Ergo vbi contingit tale aliquid pati, Si misertus Dominus appropiet nobis in via qua ambulamus, & incipiat loqui de cælo qui de cælo est, nec non fauorabile quidpiam cantare nobis de canticis Sion, narrare etiam de ciuitate Dei, de pace ciuitatis, de æternitate pacis, de statu æternitatis, dico vobis, erit pro vehiculo animæ dormitanti & pigritanti læta narratio, ita vt pellat omne fastidium ab animo audientis, & à corpore fatigationem. An tibi aliud vel pati vel petere videtur ille, qui ait, Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis? Augustinus verò hunc versiculum ad Ecclesiam refert, dicitque ipsam ratione illorum multorum quorum refrigescet charitas, dicere, Dormitauit anima mea præ tædio, Ratione verò eorum qui eodem tempore in pristina integritate perseueraturi sunt, dicere, Confirma me in verbis tuis. Porro pro eo quod nos legimus, *Dormitauit*, alij teste Ambros. legunt, stillauit; eorumque lectio cum nostra eodem recidit. Anima enim dormitans stillare dicitur, quia fastidij sui impatiens non valet secum morari, sed sibimetipsi grauis, in exteriora se effundere quærit vt tædium animi sui ea ratione leuet; Vel, vt verius dicam, ad tempus fallat: Tædium enim animi reipsa non leuatur, sicut nec tristitia, nisi per diuini spiritus participationem recuperata spiritus hilaritate. Sed quia is qui à dicto languore animi sui, per Dei verbũ subinde curatur ac reficitur, per domesticam suam infirmitatem, eidem tædio obnoxius perseuerat, ab hac infirmitate & animi grauedine liberari cupiens subiungit: 28.

Bër. ser. 32 in Cant.

Aug. de vnit. ecclesiæ cap. 13.

Viam iniquitatis. i. concupiscentiam & infirmitatem è qua iniquitas nobis conniuentibus à nobis egreditur, *amoue à me*; Dicit, *Amoue à me*; quia hæreditarium hoc iniquitatis glutinum, ait Ambros. visceribus nostris tenacissime adhæret. *Et de lege tua miserere mei*, De lege miseretur, qui cum iustitia sapientiaque miseretur, ait Ambros. vt ea dimittat quæ scit iure posse dimitti. Dicit ergo, *de lege tua.* i. secundum rationem legis tuæ *miserere mei.* 29.

Sperat enim se ad misericordiam accipiendam legitimè ac oportunè dispositum esse. Quæ dispositio consistit in duobus membris versiculi sequentis, Quorum primum est :

30. *Viam veritatis elegi.* Huius enim electio misericordiæ accipiēdæ præuia esse debet. Alterum membrum est, *iudicia tua non sum oblitus.* Noui enim te iudicium exercere velle in eum, cui peccata dimissurus es : Quod iudicium quia euadere non studui, sed proprio meo opere præuenire, ideo dixi, *de lege tua miserere mei.* Quæ oratio proponenda est, & valde inculcanda ijs qui hoc tempore præter modum in lege Dei præscriptum, ad remisionem peccatorum properāt, & nimis importunè instant, vt Deus eorū nō de lege sua, sed de absoluta omnipotētia & misericordia sua misereatur.

31. *Adhæsi testimonijs tuis Domine.* i. de tua misericordia tuisque iudicijs, non secundum quod mihi videbatur æstimaui, sed secundum quod de illis nobis testatum fecisti per scripturas, aliaque tua testimonia, illisque immobili fide adhæsi. *Noli me confundere.* q. d. Tametsi erubescenda commisi, de lege tamen tua misertus mei non permittas me in confusionem æternam deuenire.

32. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* i. cum hilaritate omni ex parte perambulaui, *cùm dilatasti cor meum.* i. cum sublime, profundum, longitudinē ac latitudinem charitatis, quaqua versum ipsa se extendit, cordi meo indidisti. Latitudo enim charitatis est, inquit Augustinus, per quam charitas se in bonis operibus exercet, quaqua versum potest.

Aug epist. 120 c. 25.

HE.

33. *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum.* Non peculiarem legem sibi petit præscribi, sed legem communem optat sibi digito Spiritussancti peculiariter inscribi, vt eam sibi regulam ac conuersationis formam propositam habeat ac veneretur. *Et exquiram eam semper,* plenius obseruare, & ad eam quando exorbitauero, mores meos identidem conuertere atque corrigere.

34. *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam.* Ingenium enim hominis quantumuis sagacissimum huic indagini non sufficit, sed ad eam opus habet nouis regenerati ingenij viribus, ait Hilarius : *Et custodiam illam in toto corde meo*; sic saltem vt obseruationi huius legis nullum otium vel negotium præponam.

Hilar. 1. de Trinit.

35. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum,* vt angustam mandatorū tuorum viam, quæ nomine semitę D. Augustino significatur ingrediar, nec diutius cunctando ingressum hunc præ horrore ardui illius itineris differam. Vel, semitam mandatorū tuorum, quia Christi tui tuorumq; Prophetarum vestigijs atque conuersatione tritam. *Quia ipsam volui.* i. iam elegi ac pro-

posui

posui eam ingredi, sed propositum differo: Dedisti velle, incipe perficere.
Inclina cor meum, per appetitus rationalis præparationem, *in testimonia* 36.
tua, & non in auaritiam. i. tantopere appetitum hunc accende, vt liberum
arbitrium eligat huic appetitui obsequi, & appetitus aliò declinantes (sumi-
tur enim hic auaritia pro quouis vitioso affectu, species pro genere) diuinæ
legis obsequijs postponere. Tantum enim, ait Augustinus, voluntas pio- *Aug c. 12.*
rum in bonum per Spiritum sanctum succẽditur, vt carnis concupiscentiam *de corr. &*
contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. *gratia.*
Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Istud de oculis mentis, in- 37.
telligit D. Augustinus. Ex mente enim procedit in oculos corporis, vt vi- *Aug. de gra*
deant, vel ad subueniendum vel ad concupiscendum. Sensus ergo est, non *tia Christi,*
sit, vel saltem non regnet in me cupiditas, vt ex ea vel oculum mittam ad *cap. 15.*
videndum aliquid ex cupiditate. Non enim prohibetur oculorum intuitus
per se; sed ratione adiunctæ cupiditatis ne per aspectum (qui D. Thomæ est *Tho. 1. 2. q.*
principium amoris sensitiui) libeat quod non licet, ait August. Qui etiam *27. art. 2.*
in hunc locum per oculum intelligit intentionem, vt sit sensus, Auerte me *Aug 4. cõt.*
ne vanam habeam intentionem. *In via tua.* i. charitate tua, *viuifica me* vitæ *Iul cap. 12.*
spiritualis amplificatione.
Statue verbo tuo eloquium tuum. i. Stabile mihi fac eloquium tuũ, quod 38.
tum erit, si illud impleuero: qui enim eloquia Dei videt & non implet, si-
milis est viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, qui considera-
uit se & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. Idque *in timore tuo.* est e-
nim timor basis quædam verbi, ait Ambr. quia sicut statuæ basibus firman-
tur & decorantur, ita ad seruandum mandata Domini fundatur homo per
timorem Domini.
Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum. Dicit *opprobrium meũ*; 39.
Suspicio enim probrosa est ei qui suspicatur, quia, vt docet August. vnus-
quisque ferè de alio suspicatur quod in se experitur: aliumq; de animo me-
titur suo. Et ob id qui suspicatur vitium ferè proprium prodit. Quocirca
quandoquidem inter tentationes huius vitę difficulter quis à suspicando li-
ber est & immunis, curet is qui suspicatur definita saltẽ de proximis, inquit
August. in malum iudicia non habere, præsertim, quia, eodem teste, omni- *Aug tract.*
bus hominibus penè insitum est suas suspiciones habere velle cognitiones. *90 in Ioã.*
Attamen Basilius diligentiam studio curandi adhibere ei qui suspectus est, *& epist. 54*
siue studio consulendi suspicari, eius esse concedit, qui præfectus est. *Quia* *Basil. inter.*
iudicia tua. i. à te nobis præcepta, *iucunda.* Tu enim vis dubia in meliorem *breu. 19.*
partem interpretari, & hoc iucundum est suspicanti, quia charitatem eius &
beneuolentiam fouet, & etiã ei de quo suspicio habetur, quia id eum pro-
uocat ad beneuolentiam, & inter vtrumque nutrit concordiam.

40. *Ecce.* i. vide Domine quoniam *concupiui mandata tua, in æquitate tua viuifica me.* Æquum est enim, vt concupiscentem voti sui facias compotem.

VAV.

41. *Et veniat super me.* i. Quantumuis concupiscam mandata tua, opto tamen & opus est, vt supra, quàm desiderare noui, superueniat mihi præueniens *misericordia tua Domine.* Multimodis namque opus habemus vt subuenias nobis supra quàm petimus aut intelligimus. *Salutare tuum secũdum eloquium tuũ.* i. superueniat mihi à te saluatio secũdum promissa tua in scripturis sacris expressa. Cuius supervenientis misericordiæ effectus per septẽ continuo subsequentes versus enumerat Psaltes in hunc modum:

42. *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum.* i. superveniente mihi misericordia tua, sapiens & cõueniens ex tempore dabo responsum ijs qui mihi verbum fidei Christianæ exprobrãt. *Quia speraui in sermonibus tuis.* i. Posui in corde meo non præmeditari tanquam ex me prolaturus quemadmodum responderem, sed speraui illo casu à te accipere quid respondeam, vt tu verba responsionis meæ in ore meo poneres. Hinc enim Dei gratiam, non solum in persecutione, sed etiam in pace præstari docet Prosper.

Prosp. epist. ad Demet.

Et ne auferas de ore meo verbũ veritatis vsquequaque. i. quamuis multi
43. interrogati de rebus religionis non respondeant quod verum est, tu tamen ne patiaris veritatem ab ore omnium deesse, Imò fac vt qui verbum veritatis temerauerint, ipsum correcta temeritate tandem cõfiteantur; Vel, quandoquidem solus est Christus in cuius ore nõ est inuentum mendacium, nec contingit nos ab omni falsitate sermonis liberos esse; ne saltem permittas nos *vsquequaque.* i. in rebus fidei aut quę sunt de necessitate salutis falsa proloqui aut mentiri. *Quia in iudicijs tuis supersperaui.* i. de iudicijs tuis bona pro malis; aut bona supra quàm meremur adiudicantibus, (sunt enim quædam iudicia Dei, vt circa finem huius Psalmi ostensuri sumus, in bonũ) semper meliora speraui, & spei spem maiorum munerum obtinendorum adieci. Sic Ambrosius. Vel, *Supersperaui.* i. supra spem, in spem credidi. Qua spe corroboratus,

Ambr. ser. 1 ?. in hunc Psalmum

Et custodiam legem tuam semper, in sæculum & in sæculum sæculi. i. per-
44. seuerabo in charitate, eiusque operibus, quamdiu in sæculo (loquitur enim Psaltes in persona bonorum qui sunt & semper erunt in Ecclesia) succedet sæculum. Vel, Hic per omnes vitæ meæ vel mentis meæ sensim in maturitatem, inquit Ambros. accrescentis ætates.

45. *Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui.* Charitas enim quam sub noui mandati nomine exquirebã, dilatabat gressus meos in bonis operibus, ita vt affectus & amor ipsis suis operibus maior esset & augustior. De qua re Psal. 17. diximus. Insuper superueniente mihi misericordia tua.

Et lo-

Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum. q.d. non modo non erubescebam respondere exprobrantibus mihi verbum, verum etiam non sum veritus, testimonia tua coram tribunalibus confiteri. *Et non confundebar.* Confesƒio enim huiusmodi honoris est & gloriæ in præsenti & futuræ gloriæ seminarium: Omnis enim qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo & angelis eius. 46.

Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Dilectio enim veritatis suscitat studium eius peruestigandæ. 47.

Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. i. pro explorata pijs meditationibus charitate acquirenda, leuaui manus meas cum bonis operibus ad te in orationibus. *Et exercebor in iustificationibus tuis.* i. accepta charitate operabor atque exercebo ea quæ illius sunt, sine intermisƒione. 48.

ZAIN.

Memor esto verbi tui seruo tuo. i. reipsa imple seruo tuo verbum quod ei & in eo vnicuique huiusmodi verba tanquam si sibi dicta essent, sibi per spem approprianti, dixisti, Cum ipso sum in tribulatione; Et, Fidelis Deus faciet cum tentatione prouentum. *In quo mihi spem dedisti*, adfuturi scilicet, auxilij tui & superandæ aduersitatis. 49.

Hæc me consolata est in humilitate mea. i. afflictione quæ ad humilitatis custodiam aut patientiæ exercitationem mihi adhæret. *Quia eloquium tuum viuificauit me.* i. eloquij tui non fuit in me fides mortua, sed per spem & dilectionem viuificata, & ideo opus vitæ nempe consolationem in me operata est. 50.

Superbi inique agebant vsquequaque. i. iniquè affligebant me, vt me ad iniquitatem pertraherent. *A lege autem tua non declinaui.* i. Ea quæ nobis præcepisti, nec illorum iniquitate impulsus deserui. 51.

Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus sum. i. Obseruaui ab initio, ita comparatum fuisse, vt inciperet iudicium tuum à domo Dei, & laboraret hic in congresƒione sæculari iustitia, ait Cypr. Cuius rei obseruatio mihi solatio fuit. Consolatur enim Petrus eos qui ad patientiam exercentur, per hoc quod illud genus exercitationis nouum non sit: Nolite, inquit, peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit quasi vobis aliquid noui contingat. Vel, *Memor fui*, quod ab initio mundi iniquis pœnas & innocentibus præmia reddideris: atque præmij me manentis consideratione, nonnihil alleuatus sum; Vt autem declararet se à peccatis aduersariorum incontaminatum esse, subdit: 52.

Defectio tenuit me. i. ipse præ tristitia contabui, *Pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* i. lugens peccatum quod in me admittebant affligentes me. Huiusmodi enim, inquit D. Basilius, mundus & incontaminatus euadit 53.

Basi. inter. breu. c. 53.

euadit à labe quam frequenter homini inducunt peccata aliena. Quò pertinet & illud quod Basilius alibi dicit, Qui pro peccato proximi lachrymis stillat præferuidis, hoc ipso quod lapsum deflet fratris, suum profligat morbum. Talis erat Dauid, qui dicit, Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Fleto igitur super peccato, non desinat ex imo pectoris recessu iugiter prosilire suspiriosus gemitus. Hæc Basilius. Augustinus tamen pro eo quod nos legimus *defectio*; legit, tædium tenuit me; qua voce dicit designari molestias quibus iusti semetipsos cruciant videntes iniquitatem eorum qui Dei mandata præuaricantur. Quia vero vtroque modo sumpta hæc exercitatio, ipsi ad iustitiæ incrementum nō parum profuit, subdit:

Bas in martyr. Iulit.

Aug de vni eccl. c. 13

54. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.* i. quandoquidem per aduersa in iustitia promouebar, iustificationes tuæ & quidquid illud erat, per quod me in iustitia promouebas, mihi gratum efficiebatur & dignum cantico ac gratiarum actione. Vnde & Tobias gratias Deo egit cum plaga cæcitatis ei obuenit.

55. *Memor fui nocte nominis tui Domine*, vt ne vel nox ipsa feriata mihi esset à laude vel cultu nominis tui. Vel, *nocte*. i. in tribulatione, inquit August. *Et custodiui legem tuam*, nihil ab eius obseruatione per tribulationem remittens.

56. *Hæc facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui.* i. Accepi facultatem obseruandæ, vt dico legis tuæ, quia dedisti mihi prius studium eius exquirendæ: Omnis enim qui quærit inuenit.

HETH.

57. *Portio mea Domine.* i. ô Domine qui es pars hereditatis meæ, & tota huius vitæ possessio, *dixi.* i. proposui *custodire legem tuam*. Sed quia id sine ope tua præstare non potui,

58. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo.* i. Deprecatus sum in toto corde meo, te, cuius in oratione mea quandam imaginem siue faciē mihi obiectam & coram positam habere videbar: Illa enim, inquit Basilius, oratio bona est, quæ compertam Dei notionem in animo ingenerat. Quam ob causam etiam Bern. Admonendus est, ait; qui orare vult, quāta potest puritate cordis intendere in eum cui sacrificium orationis offert: Quantum enim videt vel intelligit eum cui offert, tantum ei in affectu est, & ei amor ipse est intellectus. Et paulò post, Oratio est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio, & statio illuminatæ mentis ad fruendum quamdiu licet. Hæc Bernardus. *Miserere mei*, vt custodiam, siue opere impleam legem tuam, *secundum eloquium tuum*, quo promisisti effecturum te, vt in præceptis tuis ambularemus.

Basi. epi. 1.

Bern. tract. ad frat. de monte Dei.

Cogitaui

Cogitaui vias meas superiores, plenas lapsus & peccati; *& conuerti pedes meos in testimonia tua*, vt in posterum non meis greßibus, inquit Amb. 59.
quibus antea lapsus sum, sed testimoniorum tuorum itineribus ambularem. Vel, *Cogitaui vias meas*, futuras, actus meos cogitatione præueniens, nè inconsulta operatione progressus, aliquid in ipsis actionibus offensionis inciderem. Et tali cogitatione benè consiliatus, *conuerti pedes*. i. gressus siue actus *meos*, *in testimonia tua*, velociter aggressus ea facere quæ te nos facere velle contestatus es. Cùm enim horum quippiam cogitando considerauero, non hæsito, non detrecto id opere præstare, sicut illi de quibus Psal. 77. ver. 12. scriptum est, Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum conuersi sunt in die belli; sed nec tristitia aliqua contrahor, vt adolescens ille qui audito Christi consilio, Vade vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni sequere me, abijt tristis: Nec metu exanimor, quia iam priusquam, considerando vias meas, particulariter animaduertero quid mihi agendum sit,

Paratus. i. corde & affectu iam in omnem partem præparatus *sum*, *&* ob 60.
id *non sum turbatus*, *vt custodiam*, siue opere impleam *mandata tua*. Hortatur nos proinde Ambrosius: Paremus affectum nostrum, ne imparatum vis repentina perturbet: Esto paratus, non solum aduersus ea quæ vides, sed aduersus ea quæ non vides. Meditare & statue animo vt procedens ad prælia, dicas, Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Hæc Ambros. Attamen, D. Cyrillus intelligit hominem per ipsam præscientiam *Cyr. 10. in*
parari, vt in aduersis custodiat mãdata Dei: Præmeditatione, inquit, mol- *Ioan. c. 37.*
liuntur aduersa, & mens diutina cogitatione magis formatur. Acerba enim valde repentina videri solent, vnde & Psalmista dicebat, Paratus sum & nõ sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Hæc Cyrillus.

Funes peccatorum. i. hominum iniquorum (non enim genitiuus iste, vt 61.
notat Augusl. in suo nominatiuo habet, Peccata, sed; Peccatores) de quibus scriptum est, Funes extenderunt in laqueũ. Hi ergo funes *circumplexi sunt me*, quia ex vna parte præcepto, scandalo, multaque importunitate me peccatis irretire contendunt, ex alia parte importunitate consimili omnia virtutis adminicula atque præsidia à me excludunt. *Et legem tuam non sum oblitus*, quo minus eam, in illam quasi peccandi necesitatem redactus, opere impleam, sicut nec Ioseph in domo Putipharis, vel carcere Pharaonis, nec puerulus Tobias in captiuitate Niniue positus. Qui versiculus frequenter proponendus est eis, qui in medio impiorũ & hæreticorum viuunt, ne, vt ferè fit, arbitrentur, se ob necesitates in quas deuenerunt, ab obseruatione diuinæ legis excusatos esse.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Prius dixit, Memor fui nocte 62.

nominis tui Domine, hic, vt notat Ambr. dicit, *Media.* i. intempesta *nocte*, quod est, intempestiuo illo, inquit August. & humanis actionibus importuno mediæ noctis tempore. Hoc ergo tempore *surgebam*. Surgebam, inquit; Multi enim, ait Ambros. nocte memores quidem redduntur Dei, sed religio non vsque adeo feruet in cordibus eorum, vt eius exercendæ gratia surgere velint, sufficit verò eis, imo rem præclaram se facere arbitrantur, si non fuerint grauati in stratu suo diuinorum beneficiorum suauiter meminisse. Feruentioris porrò & operosioris pietatis est, religionis obeundæ causa spreto cubili surgere, & è molli stratu suo se expedire, atque deuotioni posthabere ea quæ carnis sunt: Hac inter cætera contemplatione, quod Dominus media nocte ex Virgine natus sit, Sicut consueuimus hora prima orare, quia Dominus manè prima Sabbathi resurrexit, hora tertia quia ea hora venit Spiritus sanctus, hora sexta quia tum crucifixus est Dominus, hora nona qua mortuus est, hora vespertina qua de cruce est depositus, hora
Amb. epist. 83. completorij qua est sepultus, vt, quod docuit Ambros. etiam ipsis temporibus Deo nostræ commendentur orationes. Porrò media nocte surgere, primis Christianæ religionis temporibus omnibus Christianis vsqueadeo cordi fuit, vt putauerint sibi admodum parcè, & absque saturitate cœnandum esse, memores, inquit Tertullianus, etiam per noctem Deum sibi esse
Tertul. Apolog. c. 39. adorandum, *super iudicia iustificationis tuæ.* i. super iudicia quæ cum tanta gratia, humanitate, longanimitate, tam congrua atque conuenientia exerces, in iustificandis lapsis, Clementissimo enim atque humanissimo, vero tamen iudicio, Deus ea constituit atque decreuit, in quibus atque per quæ iustificarentur homines lapsi, quæ à iustitia qua iusti sunt Angeli tanto interuallo disiuncta sunt, vt dicat Augustinus, quod comparatione iustitiæ, qua iusti sunt Angeli, in conspectu Dei non iustificabitur omnis viuens, vt in Psal. 142 sumus, Deo fauente, ostensuri.

63. *Particeps ego sum omnium timentium te.* i. omnium eorum necessitatibus qua potui ratione subueni, omniumque virtutibus ac prosperitati fauorem præbui. Et notat Ambros. quod dicatur *timentium te*, non autem, imitantium te, quia studuit sibi qui hic loquitur, humiles demereri non altos. Addit autem, *Et custodientium mandata tua.* q. d. illorum *timentium*, qui te castè timent, & in lege tua habent voluntatem. Vel addit hoc, vt designet illos, qui ex timore Domini etiam legem eius obseruant. Sunt enim aliqui, ait Ambr. corde deuoti, opere pigri, religiosi affectu, otiosi actu. Circa quē versum, non sunt prætermittenda verba D. Ambr. de se hoc modo loquentis; Sanctus est qui dicit, *Particeps ego sum omnium timentium te*, Ego autem hoc mihi vsurpare non possum; quanti enim sunt qui timent Deum, & non illis compatior? Quærunt opem, & nolo ferre misericordiam, Indigent

digent sumptu & non adiuuo, &c. Cuiusmodi humilitatem verba Ambros. etiam spirant, cùm alibi facta mentione verborum Pauli, necessarium permanere in carne propter vos, dicit, non mihi id necessarium est, qui nulli vtilis sum. Amb. tract. de fide res.

Misericordia tua Domine plena est terra, ita vt in ea homines & iumẽta saluos facias Domine, Sic enim, vt in Psal. 35. diximus; multiplicasti misericordiam tuam Deus, vt nec carnales homines, nec iumenta à misericordia tua volueris omnimodis esse aliena, Cùm itaq; misericordiam tuam in terram tam copiosè effuderis, *Iustificationes tuas doce me.* i. fac me facere opera iustitiæ tuæ, vt ex multiplici misericordia tua, ego huius, quæ longe præstantissima est, misericordiæ tuæ particeps efficiar. 64.

TETH.

Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine. Alij legunt suauitatem; Inter quas Basil. hanc ponit differentiam, quod suauitas latius pateat quam Bonitas, Illa enim se diffundit ad bene merendum de omnibus quibus ea quacunque ratione opus est, Bonitatem autem dicit esse contractiorem, nempe quæ in dandis beneficijs, iustitiæ distributiuę etiam rationem adhibeat. Sed D. Ambros. legit iucunditatem, quam facit Dominus cum seruis suis, cùm facit, vt iustitia eiusque opera eis iucunda sint & suauia. *Secundum verbum tuum.* i. ait August. secundum promissum tuum, Vel, *secundum verbũ tuum*, quia iucunditas qua me affecisti, non est secundum carnem, sed secundum Verbum, siue ex participatione Verbi tui, quæ sola vera & perseuerans est iucunditas. Dulcis enim, ait Ambros. libido cùm feruet, sed horrida & execranda cùm proditur. Suaues epulæ cùm sumuntur, sed fœtidæ cùm digeruntur. Bona multa in hoc sæculo dum viuimus æstimantur, sed amara fiunt cum relinquuntur. Non est ergo, ait, iucunditas vera nisi illa quæ secundum verbum Dei est, vt quis bonorum meritorum atque virtutum subsidijs gaudeat se esse munitum. 65. Basil in ter. breu. 214.

Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. Ne quis, inquit Ambros. perfunctoriè accipiens Deum esse bonum, in erroribus perseueret, quod per misericordiam Dei putet impunitatem suis dandã esse peccatis, additur: *Et disciplinã doce me*, vt videlicet sciam, quod Deus, quam est patris bonitate amandus, tam sit iudicis seueritate metuendus, vt inquit Cypr. Vel, dicit, *disciplinam doce me*, vt, qui didicit in obseruatione diuinæ legis iucũditatem, discat etiam in aduersis perferendis patientiam, ne forte efficiatur ex ijs qui verbum cum gaudio audiunt, & in tempore tentationis recedunt. Denique additur, *& scientiam doce me*, quia scientia vtilis est illis qui bonitatem & disciplinam prius à Deo didicerunt. Imo Augustinus hunc versum extendit, vt sit oratio eorum qui præsunt, quorum est orare, vt doceat eos Deus 66. Cypr. tract. de lapsis. Aug li. 50. homil. ho. 5

 bonita-

bonitatem quæ faciat diſciplinam, quam exercent, amabilem, Doceat eos ſimul diſciplinam, quæ inculpabilem faciat quam exercent bonitatem. Nec enim, inquit Auguſtinus, quenquam latere puto quin bonitas ſine diſciplina mater ſit vitiorum, & diſciplina ſine bonitate triſtis quædam amaritudo viuendi: Ideo, inquit, & ſcientiam ſibi præſtari implorat, vt nouerit ſcienter ſapienterque diſtinguere, qui ſint termini bonitatis, & quam diſciplina debeat tenere menſuram. Hæc Auguſtinus. *Quia mãdatis tuis credidi.* i. credidi mandata legis noſtræ abs te eſſe, iuſta, æqua & ſancta eſſe, tuoque munere impleri, Ipſa itaque fides mea qua id credidi, impetret abs te gratiam, qua doceas me *bonitatem, diſciplinam & ſcientiam.* Quandoquidem autem Pſaltes verſu præcedenti petiuit à Deo diſcere diſciplinam ſeu patientiam in aduerſis, exponit nunc cauſam per quam aduerſa, in quibus opus ſit patientia, ei obuenerint, & dicit:

67. *Priuſquam humiliarer.* i. aduerſitatibus & moleſtijs ſubijcerer, *ego deliqui, propterea eloquium tuum,* quo voluiſti, vt virtus in infirmitate perficeretur, *cuſtodiui.* Qui enim ſe in aduerſa ſuo merito ſuaque culpa deueniſſe recordatur, is ad eadẽ cum æquanimitate toleranda cõuenienter diſponitur.

68. *Bonus es tu.* Bonitas Dei, inquit Ambroſ. cæleſtium myſteriorum profundo & diuinæ diſpoſitionis altitudine penſatur: Cùm ergo altitudinem conſilij diuini ſuper ſalute generis humani animaduertit Pſaltes, *Bonus,* inquit, *es tu.* Quid ergo? *Et in bonitate tua.* i. in hac tuæ diſpoſitionis miſericordiſsima altitudine, *doce me iuſtificationes tuas.* i. doce me iuſtitiã tuo munere accipere, vel acceptam, tuo auxilio per charitatis opera exercere.

Ambr. 3. de interp. c. 2.

69. *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum.* i. eorũ qui legi tuæ nolunt eſſe ſubiecti. Hi enim multis me malis affecerunt. Quia quanto magis quis legi Dei ſeruire deſiderat, inquit Ambroſ. tanto magis in ſe excitat aduerſarios. *Ego autem* his malis ſubiectus, *in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.* i. exactè rimabor mandatorum tuorum abſcondita, vt eorundem vberior intelligentia reficiat triſtem, & accuratior obſeruatio beet infelicẽ.

70. *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum.* i. illi, quos dixi, ſuperbi, corde ita conſtricti ſunt atque compreſsi, vt legis tuæ non niſi confuſam habeant cognitionem, eamque ſolũmodo in genere nouerint; Imò, cum plurima peccata in vnam ſuam animam congerant, omnia tamen illa in vnam ſic redigunt velut maſſam, vt tantum in genere nouerint dicere ſe eſſe peccatores. Benè itaque D. Bernar. coagulato cordi opponit illud prophetæ, Scindite corda veſtra. Sicut enim cor dicitur coagulatum cum peccata in illud confuſè coagmentata ſunt & congeſta, ita è contrario ſcinduntur corda, cum illa, inquit Bernardus, in multas minutias diuiduntur, vt ſingula peccata, etiam parua, ſigillatim dignoſci poſsint & defleri. Dicitur interim cor coagulatum

Bern. ſer. 2. de Quadr.

gulatum, etiam à duritia, & animi in malum obfirmatione. Quid vero ex aduerso iustus? *Ego vero*, inquit, *legem tuam meditatus sum*, vt eam minutatim cognoscerem, & opera mea secundum illam accurate explorarem & dijudicarem. Hoc itaque fructu ex tribulatione percepto, confidenter dicit, & cum gratulatione:

Bonum mihi quia humiliasti.i.diuersis tentationibus & incommodis, in- 71.
quit Ambr. exercuisti *me*. Quod aperuit, inquit, & Symmachus scribens, Profuit mihi quod afflictus sim. *vt discam mandata tua*, quia aduersitate illa tanquam acri quadam disciplina, eruditus sum, sicut scriptum est; Castigasti me Domine & eruditus sum sicut iuuenculus indomitus. Et alibi; Domine in angustia requisierunt te in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Et quamuis per aduersitatem opes omnes, & ea quæ opibus consectanea sunt, amiserit, non tamen exanimatus est quasi incomparabili detrimento affectus; Iactura enim illa opima est compensatione sarcita. De qua sequitur:

Bonum mihi lex oris tui.i.charitas, inquit August. cuius legem Christus 72.
ore suo, tanquam mandatum nouum, promulgauit, quæ absque dubio tam præstantia quàm suauitate potior est millibus auri & argenti. Quanquam per legem oris diuini rectè intelligatur interna Dei vox hominem in tribulatione positum, de lege sua per illuminationem scientiæ claritatis Christi erudientis, de quo scriptum est: Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.

IOD.

Manus tuæ.i.virtus tua & sapientia, *fecerunt* me secundum animam, & 73.
plasmauerunt me secũdum corpus ex luto formatum. Sic enim hæc duo distinguit D.Basilius. Hoc autem commẽdationis, inquit Ambr. vtitur Psaltes exordio, vt opus Dei se esse diceret, quo facilius circa operis sui gratiã, fauor inclinaretur authoris. Subdit proinde, *Da mihi intellectum vt discã mandata tua*. Intellectus, inquit Ambr. præcedit, & sequitur scientia, quia intellectus qui hic postulatur, Dei donum est, quo ingenium nostrum proxime disponitur ad capessendam scientiam rerum diuinarũ, ideo & D. Tho. distinguens donum intellectus à reliquis virtutibus intellectualibus, dicit quod ad donum intellectus pertineat capacitas intellectus eorum quæ proponuntur. Per sapientiam vero & scientiam intellectus bene dispositus informatur & homo doctus efficitur. Eruditionem enim, inquit Ambrosius, intellectus facit, non memoria. Nihil enim refert multa legisse nisi intelligas quæ legis.

Basil hom. 11. epist.

2.2 quæst. 8. art. 6.

Qui timent te videbunt me & lætabuntur, quia in verba tua supersperaui. 74.
Gaudent enim cultores Dei cùm vident aliquem supra omnium exspectationem profecisse, & de Dei bonitate, supra quam leges ordinatæ spei

promittere videbantur, non frustra sperasse; Sicut nunc gaudet Ecclesia quod Abraham supra spem in spem credidit, siue, in verbo Dei superspera-uerit. Sed quis inter cætera est effectus illius eruditionis quam modò petebat, cùm diceret, *da mihi intellectum vt discam mandata tua*?

75. *Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me*. i. non, vt prius tantummodo credidi, sed iam intellexi, atque perspexi, quod æquo iudicio erga me vsus sis, & me sicut verè dignus eram, humilia-ueris, atque deieceris. Quæ cognitio ad vberrimum fructum exercitationis nostræ pertinet; Solidissimæ enim humilitatis est, si quis per hoc quod negligitur, aut, vt secundum hominem optat, non æstimatur, nec eleuatur, eò proficit, vt discat id suis meritis deberi, & maioribus in rei veritate dignum non esse; Et similiter solidissimæ virtutis est, cum quis per hoc quod aduersis exagitatur, claram suæ conuersationis accipit notionem, & discit aduersitatem quam patitur, suis peccatis iustissimè irrogari. Huic ergo restat vt dicat:

76. *Fiat misericordia tua vt consoletur me*. Tam fidelis enim confessio digna efficitur diuino solatio, vt per additamenta diuinæ gratiæ ad anteriora promoueatur. *Secundum eloquium tuum seruo tuo*, cuius conscius erat qui dicebat, Qui consolatur humiles Deus, consolatus est nos in aduentu Titi.

77. *Veniant mihi miserationes tuæ*. Hæc verba orationem prædictam ingeminant, & simul interpretantur id quod mox præcessit, *Fiat misericordia tua*, Cùm enim Deus immutabiliter misericors sit, nō fit misericordia eius, nisi ratione sui effectus, quē implorat qui dicit, *Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam*. i. consolabor siue recreabor, & per id velut reuiuiscam, *quia lex tua*, quam tuæ prouidentiæ præscripsisti, vt consolareris humiles & in tribulatione cōstitutos, In quem sensum supra dictum est, De lege tua miserere mei. Et Psal. 93. Beatus homo quem de lege tua docueris, *meditatio mea est*, eius enim effectum specto, & meditor obtinere.

78. *Confundantur superbi* spe sua, & suæ calumniæ circa me prouentu, frustrati, *quia iniustè*. i. non subexistente ea quam prætendebant causa, quamuis tu ob alia mea peccata tibi cognita id iustè permiseris, propter quod dixi, In veritate tua humiliasti me, *iniquitatem fecerūt in me*. i. calumniati aut deprædati sunt me; *Ego autē exercebor in mandatis tuis*. q. d. nihilo tamen minus, ego exercebor in illis erga eos officijs dilectionis, quæ sunt mandatis tuis, quibus præcepisti nobis orare pro calumniantibus & persequentibus nos, consentanea.

79. *Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt testimonia tua*. q. d. per calumniam etiam timentes te & doctos viros à me auerterūt, vt illis vel inuisus, vel saltem suspectus redditus sim, itaque erue è calumnijs obrutam veritatem,

ritatem, & illi saltem qui timēt te, & eruditi sunt in lege tua, agnita veritate conuertantur ad me, &, sicut Apostolo euenit, reflorescant sentire pro me, *Philip 4.* sicut antea sentiebant, fuerunt enim interim occupati.

Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis. i. emunda cor meū, 80. ne ex eo radix aliqua amaritudinis siue iniquitatis sursum germinans, vitiet & contaminet, me conniuente, opera iustitiæ quæ me facis facere. Quæ oratio in idem redit, cum ea quam in hymno canimus. Repelle à seruis tuis quicquid per immunditiam aut moribus se suggerit, aut actibus se interserit. *Vt non confundar* accepta à te, qui hæc intima obseruas, parte cum hypocritis.

CAPH.

Defecit. Quicquid est, inquit Ambro. quod vehementer expetimus, nisi 81. eius maturiorē habeamus effectum, id nos videtur longa quadam intentione lassare. Deficere ergo in aliquod, est, in id quod diligas totis studijs immigrare, illud cogitare, illi adhærere, illud personare, in id quadam animi defectione transfundi. Hoc ergo modo, *Defecit in salutare tuū.* i. Christū tuum, *anima mea*, vt illum plena atque perfecta, in futura beatitudine salutis participatione induam, sicut scriptum est, Sacerdotes eius induam salutari. sicut & psal. 83. dictum est, Concupiscit & deficit anima mea in atria domini, vt ibi attigimus. Et tametsi illi felicitati se præparare eamque apprehendere humanæ mentis vires excedat, attamen *& in verbum tuum*, quo tu te nobis eò perducturū promisisti, *supersperaui.* i. supra quam promittat infirmitas naturæ aut corruptionis nostræ in id spem meam extendi.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. i. longa atque ardenti intentione 82. in promissa tua erecti fuerunt oculi mei, quadā interni desiderij sui expressione, *dicentes, quando consolaberis me*, illa consolatione de qua dixisti: Quomodo si cui mater blandiatur ipse consolabor vos, & in Ierusalem *Isaiæ 66.* consolabimini, videbitis & gaudebit cor vestrum, Ibi enim nos rudes & nouos, inquit August. blandissimis adiutorijs insolita nobis illa beatitudo *20 de ciu.* excipiet. *DE. ca. 21.*

Qui factus sum sicut vter in pruina. q. d. Cùm sim vter & quidem no- 83. uus, habens à te mihi infusum vinum nouum, siue spiritum nouum in visceribus meis, ex memetipso tamen frequenter efficior, *sicut vter in pruina*, quia frigore quodam atque torpore dissoluor, reddor remissus atque ad bene operandum inutilis. Attamen, *Iustificationes tuas non sum oblitus*, quia etiam talis effectus, memor sum me à te denuo iustificari, siue, reddito ardore atque alacritate charitatis, ad bene operandum iterum accendi posse, imò frequenter accendi atque recreari: Nihilominus, displicentia atque odio ignauiæ atque rigoris mihi in hac vita in medio iustificationum tuarum non

rum non raro obrepentis, *Defecit in salutare tuum*, atque desiderio perfectæ iustitiæ in futuram vitam exarsit *anima mea*; Ibi enim non dicet vicinus, Elangui, inquit Isaias, quia charitas suum feruorem, ne minima quidem ex parte vel ad momentum ibi remittet, sed in perpetua alacritate atque agilitate, stabunt ibi omnes sancti in circuitu throni amicti stolis albis. D. tamen Hieron. consentiente Ambrosio, id quod dicitur, *Factus sum sicut vter in pruina*, in bonum intelligit, dicitque, id illi competere qui sic mortificat membra sua super terram, vt quicquid in eo fuerit libidinosi humoris tandem excoctum sit. Porro, quandoquidem eodem tempore quo consummandi sunt sancti futura etiam sit separatio malorũ à bonis, ita vt boni non sint amplius habituri obstaculum aliquod (de quo Psalm. 77. dictum est, Et electos Israel impediuit) ex consortio malorum, adiungit hic Psaltes, & dicit:

Epist. 22. cap. 7. & Ambros. in hunc locum

84. *Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium*, per quod separes malos de medio iustorum? Quæ vox est anhelantis ad plenam pacem atque securitatem ciuitatis Dei, quæ esse non potest, nisi exterminatis ab ea omnibus discolis; non est autem interrogantis, quia scriptum est, Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater in sua posuit potestate. Persequentium verò vnum genus constituunt illi de quibus sequitur:

85. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes*. i. fabulas plausibiliter comptas, & speciosis verbis adornatas. De quibus Petrus: Venient in deceptione illusores secundum desideria sua ambulantes, Populus verò à veritate auditum auertens ad has fabulas conuertetur, *Sed non vt lex tua*, quia,

86. *Omnia mandata tua veritas*, illorum autem fabulæ vanitas, Propter quod, vt in Psal. 11. citauimus, Dominus dicit, Verba sua à verbis fabulosorum istorum tanto interuallo distare, quanto distant paleæ à tritico. Quæ tamen distantia ab illis solis obseruari potest & deprehendi, qui fundati sunt in lege, & qui spiritalis, inquit Ambros. eruditione doctrinæ, hæretica ab euangelicis dogmata valent discernere. Non tamen per iniquos has fabulas obtrudentes soli hæretici intelligendi sunt, sed & illi qui vana vt in Psal. 11. diximus, loquuntur ad proximos suos, & humana beneuolentia falsi atque fallentes, viam salutis spatiosam facere moliuntur. Cuiusmodi erant illi, qui dicebant, malos, ob nescio quas à se in hac vita erogatas eleemosynas, perpetuis ignibus non arsuros. *Inique persecuti sunt me*. q. d. tametsi enarratio fabularum magna (sed quæ stringit melle litũ gladium) sit persecutio, vbi tamen iniqui considerant se lingua præualere non posse, ad arma conuertuntur, vt fabulis suis animos hominum ferro aperiant. His ergo persecutionibus pressum, tu Domine, *adiuua me*. Dicit, *adiuua me*, quia quasi

Ambros. in hunc locum.

quasi bonus miles, inquit Ambros. bella non refugit, nec conflictus quasi grauium præliorum bellator pauescit, sed fidelis & prouidus aspirare sibi diuinitus orat auxilia, & piæ deuotionis fidelia sibi adiumenta deposcit. Ideo non petit, vt persecutiones quiescant, sed in persecutionibus se postulat adiuuari. Hæc Ambros. Quis verò dictarum fabulationum, & persecutionum effectus?

Paulo minus consummauerunt me (in persona Ecclesiæ loquitur) *in terra*, eo præsertim tempore, quo implebitur quod scriptum est, Filius hominis veniens, putásne inueniet fidem in terra? Tum enim parum aberit, & minus abesse videbitur, quin persecutio absumpserit Ecclesiam de terra. *Ego autem* (perseuerat sermo in eadem persona) *non dereliqui mandata tua*, tametsi enim persecutionibus pressa, in fide tamē & mandatorum Dei obseruantia inuicta perstat Ecclesia, & in ea multi quærentes iudicium atque iustitiam. Quod vt ei in finem vsque donetur, subiungit Psaltes orationem & dicit, 87.

Secundū misericordiam tuā.i.pro ratione misericordiæ tuæ, *viuifica me*. i.vitam excita, recrea, corrobora in me, *& custodiam testimonia oris tui*.i. legem tuam ore Christi atque seruorū tuorum fidelium nobis testificatam. 88.

LAMED.

SVb hac litera probat Psaltes veritatis fidem atque cognitionem in ecclesia, (quod paulò ante dixerat) posse esse perpetuam & dicit:

In æternum Domine, Verbum tuum permanet in cælo.i. Verbum quod tu Domine singulariter tibi habere crederis, in æternitate tecum permanet in cælo vbi esse diceris ac habitare. Cùm ergo à Verbo tuo omnis veritatis cognitio sit, ipsúmque per omnia sæcula perseueret, mirabile non est aut incredibile quod sit, 89.

In generatione & generationem veritas tua, siue per omnes generationes, sine intermissione apud homines per fidem atque notitiam perseueret *veritas tua*. Facile enim est verbo tuo tecum immutabiliter permanenti, in succedentibus generationibus instaurare fidem atque veritatis cognitionem, quæ, illis, qui prioribus generationibus in sæculo vixerunt, sæculum deserentibus, vna cum illis in manifestam veritatis cognitionem hinc transiuit, vel, *In æternum Domine*. i.sine fine, *verbum tuum*. i.clara & perspicua primæ veritatis cognitio, *permanet in cælo*. i.perseuerat in Angelis hominibusque ac animabus beatis qui in cælo sunt. Et similiter, *In generatione & generationem veritas tua*. i. fides & cognitio veritatis per succedentes sibi generationes sine vlla intermissione continuo in hominibus instauratur. Nec id mirum, quia *Fundasti*. i. in fundamentum orbis collocasti, *terram*, quam pedibus corporeis calcamus, *& permanet*.i immobilis & absque 90.

defectu, vt eam fundasti perseuerat. Imo nõ solum rei immotæ perpetuam stabilitatem, sed etiam rei motui subiectæ, atque adeo ipsi motui, continuũ, vniformem absque vllo defectu motum concesisti, quia,

91. *Ordinatione*. i. dispositione tua *perseuerat* vniformiter oriri atque occumbere *dies*, *quoniam omnia seruiunt tibi*, nihil enim eorum quæ creata sunt, se subducit dispositioni tuæ, aut destinatum tuæ voluntati denegat effectum. Si ergo creaturam inanimatam, siue ea immobilis sit, siue motui obnoxia, tu Domine vales facere quamdiu durabit hoc sæculum in sua qualitate perpetuam, nunquid impossibile tibi erit veritatis cognitionem in hominibus decedentibus & accedentibus iugem, & absque intermissione continuam facere, præsertim cùm inter *omnia* quæ *seruiunt tibi*, etiam persecutiones hominumq́ue voluntates reponi debeant ac numerari? Seruiunt enim tibi sic hominum voluntates, vt non contingat eum, cui tu fidem dare, aut quem fidelem facere vel conseruare decreueris, fidelem non fieri, aut in fide non perseuerare: Seruiunt item tibi sic persecutiones, vt te prouidente, non contingat eas, vltra quam fideles sustinere posint, efferuescere. Veruntamen, quandoquidem veritas à generatione in generationem à Deo non conseruatur in hominibus, absque ipsorum in quibus ea conseruanda est, hominũ industria, subiungit Psaltes in persona eorundẽ, & dicit:

92. *Nisi quod lex tua* scripturis sacris, quàm latè patent, descripta, & præsertim, vbi dicit, Fili in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe; Et, Vsque ad tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis, Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis: Et, Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit, & similia: *tunc fortè peryssem in humilitate mea*. i. afflictione mea, inquit Ambros. Nemo enim perit, inquit, in humilitate quæ virtus est, hæc enim, magis seruare consueuit. Cùm ergo diuinæ legis meditatio mentem hominis in afflictione positi interna quadam virtute corroboret, atq; ab interitu præseruet, meritò monet Ambros. vt in tempore afflictionis cùm quatimur aduersis, meditatio nobis in lege sit, ne imparatos procella tentationis affligat. Athleta nisi exercitio palestræ prius fuerit assuefactus, non audet subire certamen. Vngamus igitur oleo lectionis nostræ mentis lacertos. Sit nobis tota die ac nocte exercitij vsus in quadam cælestium scripturarum palæstra, artusq́ue animorum nostrorum salubris spiritualium ferculorum esca confirmet. Dicit autem, *Fortè peryssem*, indicãs accuratam meditationẽ diuinarum literarum non esse omnibus ad perseuerandum necessariam, eò quod sint quidam qui solo fidei scuto per occultam Dei protectionem à tentatione tuti & illæsi euadunt, de quibus scriptum est; Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à contur-

conturbatione hominum. Porrò beneficium diuinarum iustificationum, eius gratiæ esse atque præstantiæ, vt dignum sit quod iustificatis gratificatione perpetua & inexplebili ob oculos versetur, indicat Psaltes per id quod sequitur:

In æternum non obliuiscar iustificationes tuas. i. exhortationes, terrores, consolationes, gubernationes, opitulationes & reliqua id genus interiora & exteriora adminicula, *quia in ipsis viuificasti:* i. vitam animæ quæ est iustitia præparasti, donasti, auxisti, exercuisti in *me.* Cuiusmodi affectu etiam Augustinus accensus fuit, cùm diceret; Quando sufficio lingua calami enunciare omnia hortamenta tua, omnes terrores tuos, consolationes & gubernationes, quibus me perduxisti prædicare verbum tuum, & sacramentum tuum dispensare populo tuo? Sed ne gratificatio hæc per iugem diuinarum iustificationum memoriam siue mentionem putetur sufficienter expleri, exponit consequenter Psaltes qualem se iustificatus, gratitudinis siue gratificationis ergò, deberet vicissim Deo aut reipsa aut saltem conatu atque studio exhibere, & dicit: 93. Aug. 11. Cõfess. cap. 2.

Tuus sum ego. Facilis vox, inquit Ambr. & communis videtur, sed paucorum est, Ille enim dicere potest, *tuus sum*, qui Deo totis sensibus adhæret, eiusque spiritui totis perseueranter obsequitur viribus. Non enim potest dicere, inquit, *Tuus sum*, qui mutabilis est, & aut mœrore mutatur aut indignatione, Qui cum ante horam fuerit Christi, nunc tristitiæ est, nunc iracundiæ, nunc (hem) verbi otiosi. Hæc Ambros. *saluum me fac* munere perpetuæ salutis. *Quoniam iustificationes tuas*, quibus me benè operari facias, & in iustitiæ operibus in finem perseuerare, *exquisiui*: Non enim, tametsi *tuus sum*, perseuerantiam per quam ad salutem peruenitur mearum virium esse putaui. Idque eo minus, quia 94.

Me, me inquam, qui iam voto vt plures, aut reipsa, vt pauci, dicere possum, tuus sum ego, *exspectauerunt.* i. mihi sine intermissione inhiauerunt *peccatores.* i. infideles alijque quibus iustitia inuisa est, *vt perderent.* i. in peccatum deuolutum in sempiternam perditionem præcipitarent *me*; Ob id verò iustificationes tuas ardentius exquisiui, quia periculosum nimis est, cùm hoste sine protectore confligere: His verò periculis expositus, *testimonia tua.* i. illa verba tua quibus sub certa cõtestatione (ne alioqui solummodo comminatoria crederentur) desertoribus supplicia addixisti, *intellexi*, siue, benè & cum firma fide perspecta habui; Inter quæ reponi debet illa sententia Domini per Ezechielem: Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ eius non recordabuntur. Et præter hoc, 95.

Omnis consummationis vidi finem. i. obseruaui, inquit August. quam esset gloriosus finis martyrij, quod est omnis consummatio. i. consummatis- 96.

ſima perfectio. Vel, Intellexi quis eſſet finis tam eius, qui malè, ſiue in iniquitate cõſummatur aut moritur, quam qui benè, ſiue qui in iuſtitia ad mortem vſque perſeuerat; Qui tum veriſsimè dici poteſt conſummari, ſi tempore mortis ſuæ ad quandam iuſtitię ſummam proficiendo peruenerit, Videns autem vtriuſque conſummationis finem, obſeruaui quod eſſet, *latum mandatum tuum nimis*, quia charitas quæ à te demandata, & mandatorum tuorum quædam ſumma eſt, in hac vita cor dilatat & recreat, & ad ampliſſimam latitudinẽ deducit, quia in fine bonæ conſummationis dabitur mandatum charitatis ſecundum ſuam latitudinem pleniſsimè implere; & ſimul dabitur cognoſcere, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas atque profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiam charitatis Chriſti vt impleamur in omnem plenitudinem Dei. Quæ cùm ita ſint, peccatoribus exſpectantibus vt perderent me, elegi ego in charitate quæ lata eſt, & ad dictam latitudinem perducit, immobiliter permanere, eamq; fini conſummationis iniquæ præponere.

MEM.

SVb hac litera vberius exponit Pſaltes fructum qui prouenit ex lege diuina, ſeu verbis Dei, hominibus diligentibus eam eiuſque ſtudioſis: Hominis proinde fidelis quam erga legem Dei habet dilectionem, exponens ſeu verius inflammans, dicit Pſaltes ad Deum:

97. *Quomodo.* i. quantopere, *dilexi legem tuam Domine.* Dixi, inflammans, hoc ipſo enim, inquit Ambroſ. charitas creſcit affectu, quod ipſum Deum, teſtem inuocat, eique ſuum affectum exponit, cui, cuiuſque legi (qui enim Deum, etiam eius legem diligit) munus, dilectionis impendit. Dilectionis verò mox dictæ primus effectus, primumque indicium eſt, *Tota die meditatio mea eſt.* i. tota die mentem meam ei perueſtigandæ & perſpiciendæ intendo, eiuſque intelligibilem in mente mea notionem compono atque inſtauro, vt viuam quandam æterni Verbi à qua ipſa deriuata eſt, imaginem in me rutilantem habeam. Et id quidem *tota die*, vt quicquid, inquit Ambr. dies poterit habere temporis, id totũ ſibi meditatio vendicet. Quia tamen id negotia atque mortalis vitæ neceſsitates paucis permittunt, reliquis obſeruandum eſt illud Sapientis, Hora ſurgendi, ſiue è ſomno, ſiue è menſa, ſiue ex quocunque negotio, ne te trices. i. ne te illis è quibus ſurgere debeas negotijs diutius implices aut detineri ſinas, quin potius tempore quod illis licitè impenderes citius abrupto, præcurre prior in domum tuam, & illic ab omni ſtrepitu ſæcularium negotiorum auocare, & age. i. inſtaura, collige, perfice conceptiones tuas. Hæc Sapiens. Hoc autem affectu atque ſtudio diuinæ legis expoſito, aggreditur Pſaltes propoſitum & incipit enumerare multiplicem diuinæ legis fructum & dicit:

Eccleſ. 32.

98. *Super inimicos meos*, qui ſcilicet mihi, non quibus ego inimicus ſum,

Pruden-

Prudentem me fecisti mandato tuo, quia mandando, Si esurierit inimicus tuus, ciba eum, si sitit, potum da ei, & hoc faciendo carbones ignis. i. dolores ac stimulos pœnitentiæ congeres super caput eius: Et, dicendo, Ne litiges cum homine linguato, neque struas ligna in ignem eius: Et, Responsio mollis frangit iram; responsio autem dura, suscitat furorem: per hæc inquam, & complura legis tuæ mandata, docuisti nos cum inimicis nostris prudenter congredi, omnibusque eorum iniurijs occurrere aut eas per correctionem redigere in nihilum. *Quia in æternum mihi est*. i. pro perpetua lege id mihi habere proposui, eaque prudentia cum inimicis semper cōgredi. Eccl. 8.

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. i. ex meditatione testimoniorum tuorum comparaui mihi intelligētiam omni sapientia Philosophorum, Politicorū, Practicorum, & similium, qui sapientiæ magisterium præ se ferunt, præstantiorē. Vel, Docentibus auscultando accepi legis tuæ auditū, sed audita ruminādo accepi, eorūdem intellectū longè præstantiorem auditu, qui à docentibus immediatè informatur. 99.

Super senes intellexi, quia mādata tua quæsiui. i. rerum ob id agendarum præstantē intelligentiam habui prę illis quia uthoritate præditi, aut multorū annorum experientia videbantur edocti, sicut scriptū est, Sapientia confortauit sapientem, super decem principes ciuitatis. Et alibi, Anima viri sancti enunciat aliquando vera super septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Quidam tamen & inter eos Ambros. intelligunt priorem versum de illis qui per Spiritum sanctum erudiuntur, hi enim præclaram diuinæ legis accipiunt intelligentiam præ illis qui alienorum, inquit Ambr. iudicio ad id munus sunt assumpti. i. qui docent non quæ ipsi intellexerunt, sed ab alijs mutuati sunt. Hi enim, inquit, cedant necesse est illis, quos meditatione testimoniorum cælestium doctrina Dei docentis imbuerit. Similiter & id quod dicitur, *Super senes intellexi*, intelligi potest dictum esse in persona Ecclesiæ sæculis posterioribus peregrinantis; Crescat enim oportet, inquit Vincentius Lirinensis, & multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quàm omnium, tam vnius hominis, quam totius Ecclesiæ ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia. Si ergò hic sensus placet, diligenter obseruandum est Psalten dicere, *Super senes*, non autem aliud quam *senes*, intellexi, fas est etenim, ait Vincentius, vt prisca illa cælestis Philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur: sed nefas est vt commutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, distinctionem: sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. Hæc Vincentius. 100. Eccl. 7. Eccl. 37. Vinc. Lirin. cont. hæres. cap. 28. Ibid. c. 30.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua. Cùm enim considerarem adamata mihi verba tua, quibus intus de lege tua salu- 101.

briter doces,custodiri, siue perseueranter audiri non posse ab anima lubrica,curæ mihi fuit atque obtinui ab omni peccato prohibere pedes meos, ne per vias malas tuam à meis auribus sermocinationem prohiberem aut excluderem. Vel, prohibui pedes meos à lapsu, siue, à peccato memetipsum cohibui, non tantum horrore futuræ vindictæ, sed amore debitæ erga legem tuam obedientiæ, ita vt peccatum vel hoc nomine declinauerim, quia est inobedientia cælestium mandatorum.

102. *A iudicijs tuis non declinaui quia tu legem posuisti mihi.* q. d. quod ab omni via mala, vt dixi, prohibuerim pedes meos, id præstiti quia tu impressisti cordi meo legem tuam tam validè, vt illam mihi meisque vijs pro indeclinabili lege habuerim: quod ergo id præstiterim, non mihi sed tibi acceptum fero & acceptum ferri volo. Cùm autem recordor, & in mentem mihi venit suauitas qua delibutus reddebar, cùm meditarer, vt dixi, eloquia tua, non me contineo, quin exclamem,

103. *Quam dulcia faucibus meis.* i. interno gustui meo *eloquia tua*, cùm percipiuntur, ruminantur, capiuntur *super mel ori meo.* i. sermoni meo cum sic gustata enarrantur. Illi enim qui verba Dei è suo sensu siue pectore enarrat, competit illud Cantici Canticorum, Sicut vitta coccinea labia tua & eloquium tuum dulce. Et, Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua, Quæ omnia suo loco explicuimus.

104. *A mandatis tuis intellexi.* i. per obseruationem mandatorum tuorum, vt exponit August. ad intelligentiam eorundem deueni, sicut scriptum est, Intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Propterea.* i. quia à mandatis tuis intellexi *odiui omnem viam iniquitatis*, tanquam percipiendæ, quam adamabam, intelligentiæ sanæ inimicam.

Aug tract. 96. in Ioã. & quæs. 96 in Exodũ.

NVN.

105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Verbum, inquam, Prophetis & Hagiographis dictatum. Prophetico siquidem sermoni, tanquam lucernæ in loco caliginoso lucenti, attendere nos iubet Petrus: Æterno verò Dei verbo, quia mutuato non lucet lumine, lucernæ nomen, teste August. conuenire non potest. Prophetarum itaque & Hagiographorum verbum est lucerna, quia in verborum exteriorum quodam cortice descriptum continet lumen veritatis: Est & lumen, quia accedente Dei gratia audientis vel legentis mentem percellit & illuminat. Estque idem verbum lucerna & lumen *pedibus* nostris & *semitis.* Quæ duo, sicut & *lucerna* & *lumen*, tametsi à D. Augustino pro ijsdem habeantur, non inconuenienter tamen neque incommodè sic distingui possunt, vt verbum Dei siue scriptura sacra dicatur lumen semitis nostris, quia quibusdam locis præscribit qua via ambulandum, quídve credendum sit; sed ne verba quibus id præscribit pro homi-

hominum libidine in peruerſum ſenſum trahãtur, vrgeantúrve, eadem ſcriptura alijs locis ſe præbet lucernam pedibus noſtris, quia per geſta & dicta ſanctorum, velut ad oculum demonſtrat, qua ratione greſſus noſtri, ſiue fides & opera noſtra, ad normam præſcriptæ ſemitæ efformanda ſint & componenda. v.g. Dicit ſcriptura ſacra in nomine Chriſti, Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. In illis verbis ipſa eſt lucerna ſemitis noſtris, quia præſcribit quid nobis agendum ſit. Ne autem Prodicus aliquis aut Valentinus perſuadeant confeſsionem illam nõ eſſe in terris ſub periculo proprij capitis faciendam, eo quod Deus ſanguinem humanum non ſitiat, ſed in itinere quod animabus, vt fabulabantur, & refert Tertullianus, peragrandum ſit dum corpore ſoluti transeunt ad cælum; occurrit liber Actuum Apoſtolicorum, & præbet ſe lucernam pedibus noſtris, Is enim liber, vt ibidem docet Tertull. enarrans confeſsiones, plagas, interemptiones Apoſtolorum ob confeſsionem nominis Chriſti, demonſtrat qua ratione pedes ſiue greſſus cõuerſationis noſtræ dirigendi ſiue componendi ſint in ſemitam quam ſcriptura per verba; Qui me cõfeſſus fuerit coram hominibus, nobis præmonſtrabat: Et ab exẽplo Apoſtolorum clarißime nobis oſtendit, nomen Chriſti corã Regibus, Tribunalibus & populis confitendum eſſe facta etiam iactura vitæ & propriæ incolumitatis. Similiter per id quod Apoſtolus dixit; Qui non laborat non manducet, ſcriptura ſacra eſt lumẽ ſemitis noſtris, quia docet quid nobis faciendum ſit; ſed ne cui id liceret, inquit Auguſt. pro voluntate, & non pro veritate interpretari, Apoſtolus ipſe ſuis manibus abſque præcepti neceßitate operatus eſt, vt eius exemplo coercerentur, inquit, qui prædicta verba aliò, quam ad laborem manuum detorquebant. Proinde ſcriptura deſcribens Apoſtolum manibus proprijs, ne quem grauaret operatum eſſe, eſt lucerna pedibus noſtris, ab Apoſtolico exemplo oſtendens, quibus, & qua ratione id quod dixerat, Qui non laborat non manducet, obſeruãdum, ſiue, vt loquimur, practicandum ſit. Quocirca etiam ipſe Apoſtolus poſtquam dixit manus ſuas ſibi & ſuis neceſſaria comparaſſe, Omnia, inquit, oſtendi vobis, quoniam ſic oportet ſuſcipere infirmos & meminiſſe verbi Domini quando ipſe dixit, Beatius eſt magis dare quam accipere. Et vt ex vno in aliud à propoſito non alienum deueniamus, idem ſentiendum eſt de petris ſiue fundamentis Eccleſiæ. Chriſtus namque eſt Petra ſeu fundamentum Eccleſiæ, quaſi lumen ſemitis eius, quia oſtendit quid credendum & quomodo Eccleſiæ ambulandum ſit, quia tamen Chriſtum dicebant alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij Ieremiam aut vnum ex Prophetis: Petrus à Chriſto conſtitutus eſt petra ſiue fundamentum Eccleſiæ tanquam lucerna pedibus noſtris, quia ſicut prius ſua confeſsione, ita nunc ſua cura & autho-

Tert. Scor. cap. 10.

Ibid. c. 15.

Aug. de oper. monac. cap. 3.

& authoritate infallibiliter ostendit Ecclesiæ, in quem sensum id quod de Christo memoriæ proditum est, accipiendum sit ac intelligẽdum; ita vt de Ecclesia verissimè dicatur quod sit vndique fundata supra firmam petram, Infallibilis enim est Christus in quem credit, infallibilis etiam est & Petrus ad cuius formam atque præscriptum notionem veritati consentientem sibi infallibiliter format & effingit: ita vt fidei Ecclesiæ nec ex parte eius in quem credit, nec ex parte eius ad cuius præscriptum credit, possit subesse falsum.

106. *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Quid? necesse fuit illa custodire, Quò ergò pertinuit illud iurare? Ad deuotionem, Præceptum enim inducit necessitatem, Iuramẽtum verò spontaneam voluntatis arguit propensionem. Pertinuit id & ad obsequendi studium, quod admodum ardens in eo esse conuincitur, qui impositæ sibi necessitati propria insuper ac spontanea obligatione irretitur. Denique, minus excusationis obtendere potest de præuaricatione, qui legem propria sua ac spõtanea recepit sibiq; imposuit voluntate. Hęc spectasse videntur Moyses & Iosue, cùm darẽt populo optionem, num vellet Domino seruire, num dijs alienis, Tali namq; propositione prouocabant populi spontaneam deuotionem, ipsumque populum diuinæ legi arctius & inexcusabiliter obligabant.

Deuter. 26 Iosu. vlt.

107. *Humiliatus sum vsquequaque Domine.* i. ex omni parte humilitatem tenui atque exercui. Hilarius enim Ambrosius & Hieronymus, secus quàm complures alij, hæc verba de virtute humilitatis intelligunt. Grande autem est, inquit Ambros. in omnibus humilitatis tenere mensuram, nam qui paupertate contentus est, non est contentus iniuria; & qui potest ferre verberum pœnas, exagitatur verborum cõtumelijs; & qui potest administrationem contemnere, dolet sibi aliquem honorificentia esse prælatum. Hæc Ambrosius. *Viuifica me*; sic vndique humiliatum, *secundum verbum tuum*, vt ex morali quam exercui disciplina humilitatis, ad spiritum conscendam, & secundum verbum tuum, in spiritu viuam, omnia faciendo cum ratione, siue cum sapientia, non secundum carnis voluntatem. Vnde & mysticum illud: Omnia per ipsum facta sunt; etiam moraliter, inquit Ambrosius, accipi, vel ad mores nostros trahi potest, vt omnia, inquit, per Verbum facias sine Verbo nihil.

In hunc Psalmũ.

108. *Voluntaria oris mei.* i. supererogationis opera quæ vt fiant, promissione libera de ore & labijs procedente præueniuntur; Quæ non dicerentur simpliciter, *voluntaria*, nisi procederẽt à voluntate hominis quæ ea in parte libera est ab obligatione præcepti. Nec dicerẽtur *oris* esse, nisi oris quadam promissione aut proposito, præuenirentur: Hæc ergo *voluntaria oris mei, beneplacita.* i. vt tibi accepta sint & placita, *fac Domine.* Quod non sine ra-

Hilar. in hunc locum Hier. in ca. 46. Ezec et epi. ad ebibem.

ſine ratione oratur. Nam vt in Pſalmum 75. ex Conc. Arauſicano citauimus, Nemo rectè vouet, aut voluntaria oris ſui Deo rectè offert, niſi idipſum quod offert prius à Deo acceperit: (Quam Concilij ſentẽtiam ex cap. 4. libri 17. de ciuitate Dei deſumptam, & inter ſententias ex Auguſtino decerptas, 54. loco poſitã eſſe nunc deprehendimus.) Niſi enim Deus voluntaria oris noſtri dirigendo & inſpirando ſibi beneplacita faceret, quid de hominis ore procederet niſi inuiſa & diſplicens Deo, infidelis & ſtulta promiſſio? *Et iudicia tua doce me*; Vt voluntaria oris mei cum placito tibi iudicio atque prudentia promittam & exerceam. Sunt enim, inquit Ambroſius, qui opes ſuas (idem iudicium eſto de reliquis animi, corporis & fortunæ bonis) tumultuario mentis impulſu, non iudicio perpetuo, vbi Eccleſiæ contulerunt, poſtea reuocandas putarunt, quibus nec prima merces rata eſt, nec ſecunda, quia nec prima iudicium habuit, & ſecunda habuit ſacrilegium. Itaque, qui voluntaria oris ſui Deo præparat, meritò orat, *Iudicia tua doce me*; ſcriptum eſt enim, Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Quibus verbis plerique, inquit Hieronymus, arbitrantur præcipi ne coram Deo facilè aliquid promittamus, & ſine conſideratione virium voueamus ea quę explere nõ poſſumus. Virium, inquit Hieronymus, Vnuſquiſque enim, inquit Tertullianus, cum fide ſua colloqui debet, eiúſque vires conſulere priuſquam turrim ædificare aggrediatur; Ne poſtquam ceperit ædificare & nõ potuerit conſummare, omnes qui viderint, incipiant illudere ei dicentes, Quia hic homo cepit ædificare, & non potuit conſummare. Quæ tamen Tertulliani verba intelligenda ſunt de viribus, non quas iam homo actu ſiue in promptu habet, ſed quas habet in ſpe & animi quadam præparatione. Oportet namque vouentem eo ſaltem loco eſſe, vt audeat ſibi à Deo vires voti ſui opere explendi, non temere promittere. Quanto autem putes eum pollere debere diuinitus accepto iudicio qui dictæ ſufficientiæ nõ temerarius cenſor exiſtet? Hoc interim hîc obſeruandum eſt quod cum propoſitum Deo aliquid promittendi à diuina inſpiratione eſſe nõ dubitatur, tum hoc opus eſſe iudicio, vt docuit D. Bernardus, vt qui id aggreſſurus eſt, omnem cogitatum ſuum iactet in Dominum, & omnem ſolicitudinem ſuam in Deum proijciat, certus quod illi futura ſit cura de eo.

Ambr 2. de pœnit. c. 9.

Eccles 5.

Hier. in c. 5 Eccleſiaſtes

Ter de exh. caſtitat c 1

Bern. in declam ſuper Ecce nos.

Anima mea in manibus meis ſemper. Alij legũt, in manibus tuis ſemper; 109.
ſed noſtro modo legendum eſſe affirmat D. Hieronymus. Senſus ergo eſt: In quotidianis verſor periculis, In hunc enim ſenſum dixit Dauid, Poſui animam meam in manibus meis. i. animam meam periculo expoſui. Vel potius, Sum mei iuris, & in poteſtate habeo, vt quod velim faciam, Contextus enim ſatis indicat Pſalten hîc loqui in perſona, ſiue ad informationẽ eorum

Hier. epiſt. 135. ad Suniam & Fretel.

qui publica pollent poteſtate, vt & ipſi ex hoc Pſalmo diſcant qua ratione ſibi in iuſtificationibus Domini ambulandum ſit. *Et*, quãtumuis poteſtas, vt Ambroſij verbis vtar, ad peccandum lubrica ſit, *legem* tamen *tuam non ſum oblitus*. Memor enim fui me non pro poteſtate agere debere, ſed poteſtatem legi tuæ ſubſternere, & ſemper prius diſpicere quid liceat, quàm quid à me fieri poſsit, mihiq́ue libeat. In hac verò poteſtate conſtituto,

Ambroſ de interp. Dauid, cap. 3.

110. *Poſuerunt peccatores*, & præcipuè adulatores, *laqueum mihi*, ſuggerẽtes mihi quod cum imperanti non niſi quæ recta ſunt licent, precariò regnetur, quodq́ue legis quodcunque vinculum auctoritati principum (reputationem vocant) deroget & dignitati. *& de mandatis tuis non erraui*. i. tanta nihilominus cura & ſtudio mandatis tuis intendi, vt ne quidem per errorem quidpiam mandatis tuis aduerſum admiſerim.

111. *Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt*. D. Bernardus teſtimoniorũ nomine hoc loco idẽ intelligit, quod Apoſt. dicens, Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſimus filij Dei; Quod teſtimoniũ Pſaltes, ſecundũ Bernardum, ſe hîc dicit hæreditate acquiſiuiſſe, ea, inquit, qua præſumebat ſe eſſe filiũ Dei, vt videlicet ex eo quod gratia & iuſtitia erat Dei filius, quaſi hæreditario quodam iure, huius ſuæ filiationis internũ, cum ſumma cordis ſui exultatione, à Spiritu S. acceperit teſtimoniũ ſiue reſpõſum. Arbitror interim, *Teſtimonia*, hoc loco aliud non ſignificare quàm toto reliquo Pſalmo, vbi *teſtimonia* accipiuntur pro lege nobis à Deo ſiue per Chriſtũ, ſiue de cælo, ſiue per Moyſen, vt diximus, teſtificata: In quẽ ſenſum accepto teſtimoniorũ vocabulo, dicentur illa hæreditate acquiſita eſſe, quia qui Deo ſincero corde atq; ſincera dilectione, ſiue ipſius boni amore ſeruit, eâ mente prҿditus eſt, ſuumq́; quo Deo ſeruit, obſequium in eo habet pretio, tantamq́; ſibi hac in parte gratiam factam eſſe arbitratur, vt ſi à Deo (quod vtiq; fieri potuiſſet) nõ fuiſſet inſtituta, promiſſa, ſiue decreta iuſtis hominum operibus merces aut finis ſupernaturalis perfectior, quàm iuſtus per perfectam iuſtitiam acquirere poteſt, participatio, iuſtus ipſam iuſtitiam, eiuſq́ue exercitationem, pro parte ſua hҿreditaria facilè haberet ac reputaret, idq́ue, *Quia*, inquit, *exultatio cordis mei ſunt*. Tantum enim eſt bonum iuſtitiæ ac operationis iuſtæ, tamq́ue vt ita dicam beatum, vt Ambroſio teſte, propoſitum piæ mentis pro mercede habeat facti boni conſcientiam, iuſtiq́ue operis effectum. Quia tamen Deus pro magnificentia ſuæ bonitatis & herilis animi liberalitate, quam Hilarius & Ambroſius, & Concilium Trident. miſericordiam vocant, inſtituit iuſtis hominum operibus ſublimiorem longè mercedem, ipſiq́ue iuſto excellentiorem ſui finis participationem, in ipſa, inquam, Dei viſione, ideo hac Dei magnificentia præſuppoſita, addit Pſaltes:

Bern ſerm. 57. in Cãt.

Amb. 2. de Abrah c. 8. De interpr. Iob lib. 3. cap. vlt. Hilar in Pſal. 51. Ambroſ. in Pſal. 43.

Incli-

Inclinaui cor meum. i. cor meum ſic ambiguum vt voluntate imperante 112.
in bonum vel in malum flecti poſſet ac dirigi, *Inclinaui.* i. proprio imperio liberi arbitrij iam bene conſiliati, cum adiutorio diuinæ gratiæ direxi: Ad inſinuandam ſiquidem cooperationem liberi arbitrij, hic dicit, *Inclinaui*; cum ſupra ad commendandum adiutorium gratiæ Dei dixerit, Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua. Inclinaui itaque cor meum, *ad faciendas iuſtificationes tuas.* i. exercenda iuſtitiæ opera, *In æternum.* i. vſque in æternitatem, *propter retributionem.* i. intuitu mercedis à tua magnificentia noſtris iuſtificationibus ſiue iuſtitiæ exercitationibus, promiſſæ. Prærogatiua namque fidei eſt, vt ex Ambroſio ad verſum 17. huius Pſalmi citauimus, de Domini benignitate, ac promiſsione (dignatur enim Dominus, inquit Auguſtinus, quibus omnia debita dimittit, promiſsionibus ſuis debitor fieri) ſperare mercedem. Quam Pſaltes intuens, non abs re dicit inclinaſſe ſe cor ſuũ ad faciendas iuſtificationes Domini *in æternum*, ſiue in finẽ vſque, quia teſtatur Concil. Trident. iuſtificatum bonis operibus verè mereri gratiæ augmentum, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem atque etiam gloriæ augmẽtum: In quibus verbis, cùm dicit; Si tamen in gratia deceſſerit, nõ obſcurè indicat, iuſtum quidem vitam æternam emereri bonis operibus, vitæ verò æternæ conſecutionem mereri deceſsione ſua in gratia, ſiue perſeuerantia. Quocirca etiam Dominus operarijs vineæ ſuæ non reddit pactam mercedem, niſi cum ſero factum eſſet. i. cùm occubuiſſent. Nec his obſtat quod dicit Dominus, Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles. i. noſtris iuſtificationibus mercedem non emerentes ſumus; id enim Dominus nos non ſimpliciter, ſed quadam contemplatione dicere voluit, ad profitendum quod nullis ne quidem iuſtitiæ operibus valuerimus Deo præiudicium facere ad conſtituendam vel tribuendam nobis mercedem; Omnem enim iuſtitiæ ac dilectionis exercitationem, quia conditione Dei ſerui ſumus, & præcipuè quia iuſtitiam eiusque exercitationem Dei munere, eiusque ope accepimus, debiti obſequij nomine, quantum eſt ex parte noſtra, eidem pendere ac præſtare debemus: At vbi Deo placuit operibus iuſtitiæ eam, qua ob præſtantiam Charitatis, & inhabitationem Spiritus S. digna erant, ſed quam ipſe ob dominij ſui ſublimitatem ac plenitudinem nullo iuſtitiæ rigore dare tenebatur; promittere, conſtituere, ac retribuere mercedem; planè licet nobis huius mercedis intuitu iuſtitiæ opera exercere, & hac diuini inſtituti conſideratione dicere: Serui vtiles, ſiue mercedem facientes ac emerentes ſumus: Sicut enim prior confeſsio exprimit mercedem nobis à Deo præcisè ex noſtrarum iuſtificationum, vt diximus, præiudicio non competere; ita poſterior, exprimit eandem nobis de Dei benignitate ac

Auguſt. in Confeſ.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 32

magnificentia ad ſummam nominis ſui laudem & gloriam, accedente or-
dinatione inuiolabili, conſtitutam eſſe.

SAMECH.

113. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Ex hac oppoſitione, auctore
Auguſtino datur intelligi quod Pſaltes non homines oderit, ſed eorum ini-
quitatem, dilectæ ſibi legi Dei aduerſam. De odio autem quo iniquos iuſti
licitè proſequuntur, dicturi ſumus circa finem Pſalmi 138.
114. *Adiutor & ſuſceptor meus es tu.* Prius dicit *Adiutor*, poſtmodũ *Suſce-
ptor*; ipſo verborum ordine non obſcurè indicans, Deum in gratiam ſuſci-
Proſp. cont. Coll. c. 38. pere, non eum qui ſpontanei curſus ſui, vt teſte Proſpero, voluit Caſsianus,
feruore Deum prǽuenerit, ſed qui, vt ad auctorem ſuæ ſalutis recurrat, ab eo
per auxiliũ præuentus ſit. *Et in verbum tuum ſuperſperaui.* Hoc ſupra ver-
ſu 81. expoſuimus, videtur tamen etiam hoc modo exponi poſſe. *In ver-
bum tuũ ſuperſperaui.* q.d. cùm mihi de te ob hoc quod bonus es bona præ-
ſumenda forent, etiamſi nihil promiſiſſes, ſpem tamen quæ de tua bonitate
præſumit, robore quodam ac ſecuritate longè excedit ac ſuperat ſpes, quæ
verbo ſiue promiſſo tuo innititur: Verbo etenim ſiue promiſſo tuo, non
ſolum de tua bonitate, ſed de tuo circa nos propoſito certiores reddimur,
& re ſperata per tuum promiſſum nobis propius adducta, in ſpe ipſa nõ pa-
rum confortamur. De qua re etiam in Pſal. 129. nonnulla dicturi ſumus.
115. *Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.* Hoc dicit mul-
tis de cauſis: In primis, quia infeſtatio malignantium turbat & impedit in-
quiſitionem diuinorum mandatorum: Cuius rei locuples teſtis eſt D.
Greg. hom. 22. in Eze. in fine. Gregorius homilias ſuas in Ezechielem concludens in hæc verba: Nemo
me reprehendat ſi poſt hanc locutionem ceſſauero, quia ſicut omnes cerni-
tis, noſtræ tribulationes excreuerunt: Vndique gladijs circumfuſi ſumus,
vndique imminens mortis periculum timemus. Alij detruncatis ad nos ma-
nibus redeunt, alij captiui, alij interempti nunciantur. Iam cogor linguam
ab expoſitione retinere, quia tædet animam meam vitæ meæ. Iam nullus in
me ſacri eloquij ſtudium requirat, quia verſa eſt in luctum cythara mea, &
organum meum in vocem flentium. Iam cordis oculus in myſteriorum diſ-
cuſsione non vigilat, quia dormitauit anima mea præ tædio; Iam minus le-
ctio animo dulcis eſt, quia oblitus ſum mãducare panem meum à voce ge-
mitus mei. Cui autem viuere non licet, de ſcripturæ ſacræ ſenſibus loqui
qualiter libet? Et qui cogor quotidiè amara bibere, quando poſſum dulcia
propinare? Hæc Gregorius. Non ſolum autem malignantium, ſed etiam
Auguſt. in hunc locũ. contentioſorum infeſtatio, qui pro dirimendis ſuis controuerſijs ad eccle-
ſiaſticorum priuata, teſte Auguſtino, iudicia (ſecũdum monitionem Apo-
Hiero in c. 18. Ezech. ſtoli dicentis: Contemptibiles. i. inquit Hieron qui cùm in Eccleſia maio-
res ſunt,

res sunt, humilitate sunt minimi; constituite ad iudicandum) se conferre solent; Ecclesiasticos viros ab inuestigatione diuinæ legis non parum abstrahit. His ergo, præsertim cùm Episcopi sententiæ & monitis non facilè acquiescunt, etiam dicendum esse censet August. *Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei*; sic tamen vt sub illis etiam comprehendantur omnes discoli, immorigeri, morosi, Episcopis & Pastoribus suis negotium plus quam æquũ est & vtile facessentes; Et similiter mulierculæ semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes; Non quasi hi simpliciter & per omnia amãdandi sint, & ab omni accessu prohibendi, sed dicendum est eis, *Declinate à me, & scrutabor mandata Dei mei*; vt huiusmodi increpatione conterriti, discant negotiorum suorum superflua & importuna resecare, vt posʃit Præpositus tempus quod illis inutiliter aut superfluo impenderetur, meditationi diuinæ legis & scripturarum sacrarum potiore cum fructu atque vberiore prouentu, reseruare ac impendere.

Suscipe me, dextera tua ad beatificandum me, vt in me impleatur illud 116.
Domini per Isaiã, Suscepit te dextera Iusti mei; *secũdum eloquium tuum*, vt *Isaia 41.*
eloquij tui effectum vt in alijs, ita etiam hac in parte percipiam, *Et viuam*, sine fine felix, *Et non confundas me ab exspectatione mea*. i. non patiaris me à iustitia excidere, per quod cum magna mea confusione priuer beatitudine exspectata, & non sine causa sperata. Quod ne patiaris,

Adiuua me, corroborando, protegendo, *Et*; mediante perseuerantia, in 117.
æterna beatitudine *saluus ero. Et*; te, vt oro, adiuuante, *Meditabor in iustificationibus tuis semper*. i. sine intermisʃione ad anteriora, siue iustitiæ incrementa acquirenda intentus, non respiciam retro nec in lapsum declinabo. Lapsus enim tum in homine locum habere incipit, cum homo à iustitia conseruanda, restauranda, promouẽda, intentionem suam atque curam abstrahit, remittit vel auertit: Quem ordinem insinuat scriptura cùm dicit, Si auerterit se iustus à iustitia & fecerit iniquitates, &c. Nam & Cælites à iustitia deficere hac de causa non possunt, quia in amore Dei confirmati, ab exercitatione iustitiæ suæ intentionem suam nulla in parte vnquam auertunt vel remittunt.

Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis. i. à pristina obseruatione 118.
mandatorum tuorum magno cum iudicio, vt diximus, decretorum. *Quia iniusta cogitatio eorum*. i. quia cogitatio eorum, quam oportet discesʃionẽ à iudicijs tuis pręcedere, valde iniqua est. Cùm enim ante hãc discesʃionem gustauerint iudicia tua super mel & fauum, vt Psal. 18. dictum est, esse dulciora, cùm cogitant eadem deserere, videntur comparationem, vt Tertull. *Tert de pœ-*
verbis vtar, facere, & iudicatò pronunciare eum esse meliorem, cuius esse *nit. cap. 5.*
maluerint: quod non nisi iniquisʃimo imo peruersisʃimo iudicio, præser-

 tim ab

tim ab illis qui gustauerunt bonum Dei verbum virtutesque sæculi futuri, fieri potest. Sed quamuis peccata desertionis ob causam allegatam admodum grauia sint & abominanda, alia tamen peccata non sunt nulla, quia
119. *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ*. i. omnes qui in terra ab habitudine mentis iniustæ peccatores dicuntur, etiam præuaricatores esse existimaui, &, quod iniquitatis nequitiam non parum auget, legem aliquam cognitam præuaricari, ita vt ipsi ab iniquitate illorum quos paulo ante desertores vocauimus, non sint nimis longe disiti. Legem enim cognitã præuaricari, hoc etiam est iniquitatem iustitiæ quadam in parte iudicatò præponere. Et quidem Iudæos esse legis sibi cognitæ præuaricatores, satis manifestum est, cùm de eis dixerit Dominus, Nónne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis seruat legem? Nihilominus etiam qui sunt ex gentibus peccatores annumerari debent inter prẹuaricatores, Nam & ipsi legem naturæ sibi probè cognitam, & mentibus eorum naturaliter insculptam transgrediuntur; Quod attendens Apostolus non dicit gentiles legem non habere, sed dicit eos, eiusmodi, scriptã scilicet qualem habebãt Iudæi, legẽ non habere. Præter hos autem, inter omnes peccatores terræ annumerari debent & paruuli per Sacramentum diuinitus institutum non regenerati, Cùm enim peccatores, vt diximus, dicantur ab habitudine mentis iniustæ. An non & illi peccatores censendi sunt quibus competit illud psalmi 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit, siue in vtero aluit me mater mea? Sunt ergo secundum scripturas sacras etiam paruuli isti peccatores, illi peccato obnoxij de quo Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum. Sed nunquid & præuaricatores? Imò quia peccatores, ob id & præuaricatores. Præuaricatores enim, reputaui omnes peccatores terræ, omnes enim, inquit Augustinus, legis alicuius præuaricatæ sunt rei qui aliquo peccato tenentur obstricti. Cùm enim nihil peccati rationem habere possit nisi quod sit vel fuerit in hominis potestate vt esset vel non esset, & ipse actus liberi arbitrij primariò & principaliter ac immediatè in potestate sit, non potest vlla habitudo mentis iniustæ peccatum esse, vel dici, nisi profecta fuerit à præuaricatione quæ est actualis & libera cognitæ legis transgressio. Sed quomodo, inquies, paruuli quos laquei mortis præoccupauerũt, à lege Dei non solum difformes sunt, sed eam actu aliquo libero quem inhærens consequatur deformitas, sunt transgressi? Id tibi Apostolus explicabit si aduertis quod dicit, In quo, vno scilicet ac primo homine, omnes peccauerunt. Non solum enim dicit Apostolus, per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrasse, quod est ex vnius hominis propagatione per habitudinem mentis iniustæ totius mundi homines peccatores factos esse; sed præter hoc addit, in illo vno &

Ter. de test. anim. in fi. Cyp. de ido. vanitate. Aug. in Ps. 57. in principio, & in hunc locum.

Aug. 16. de Ciuit. c. 27

vno & primo homine omnes peccaſſe, quod eſt, peccatum actu admiſiſſe.
Quo autem actu? Actu, inquam, illius, in quo ſic omnes tanquam in radice
erant, vt etiam ille eius actus omnium fuerit. Vis idipſum tibi vberius ex-
plicari, & per rationem efficacius demonſtrari? Ne velis, fidei enim eſt: Ibi
itaque ſiſte & ſufficiat tibi rem tam abſcōditæ notionis tibi modicè quidē,
ſed certiſsimè cognitam eſſe; Altitudinem verò ſapientiæ noſtrarum men-
tium viribus incomprehenſibilis, abſque vitio incredulitatis Deo tribue.
Attamen, quandoquidem in illis, qui à reatu præuaricationis illius in qua
omnes peccauerunt, per ſacramentum Chriſti liberati ſunt, quamdiu hic
mortaliter viuitur, caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, Pſaltes, de præno-
minata præuaricatione, remanentis ex ea concupiſcentiæ, eiusque tyranni-
dis nos in legēm peccati indeſinenter captiuantis, recordatus, rugitu à pro-
poſito nullatenus alieno exclamat ad Ieſum, & dicit:

Confige timore tuo carnes. i. carnales cupiditates *meas*, Vt quod tibi cru- 120.
cifixo in mortem fuerunt claui, (Græca enim vox, teſte Auguſtino, inſi-
nuat confixionem, quæ imploratur, clauorum tranſmiſsione fieri debere)
id corporeis, vt interpretatur Leo, ſenſibus, addo & membris meis, à pec- *Leo ſer. 19 de paß.*
cati, ne quid morte dignum operetur, illecebra, ſalubri, inquit Auguſtinus, *Aug. 4. de Trinit. c. 3.*
cruciatu cohibēdis, imo ipſis cupiditatibus acri illa diſciplina ſenſim mor-
tificandis, ſit timor tuus; vt poſsim cum Apoſt. dicere. Chriſtò confixus
ſum cruci, viuo ego, non iam ego, viuit verò in me Chriſtus. *A iudicijs e-
nim tuis*, quibus tu ipſe qui crucifixus es, iudicabis orbem, *timui*, exhorreſ-
cens in illo die, in quo per ſignum filij hominis. i. imaginem ſanctæ crucis *Damaſc. li. 4. cap. 12.*
apparentis in cælo, & per cicatrices in iudicis corpore rutilantes mors tua *D. Tho Cōp. Theol. c. 60*
omnibus repręſentanda eſt; in illo, inquam, die non inueniri complantatus
ſimilitudini mortis tuæ, vt poſsim ſimul eſſe particeps glorioſæ tuæ reſur-
rectionis. Cum ergò id nunc timeam, hoc timòre, ſic, per gratiam excitan-
tem, me tempore huius vitæ meæ extimula, & cohibe, vt timor ille mortifi-
candis mortis operibus, atque adeo ipſis cupiditatibus, efficaciſsimus mihi
aculeus ſit.

AIN.

Feci iudicium & iuſtitiam. In altero, inquit Ambroſius, ſignificatur ve- 121.
ritatis cuſtodia, in altero fructus eſt æquitatis. *Non tradas me calumnian-
tibus me*. i. crimina non vera mihi obijcientibus, aut per ſiniſtras interpreta-
tiones benefacta peruertentibus. Idque ne per calumnias eorum à recto de-
ducar, ſcriptum eſt enim, Calumnia conturbat Sapientem, & perdet robur
cordis illius; Vel ne per eorum calumnias decor exercitæ iuſtitiæ atque
ædificatio obnubiletur.

Suſcipe ſeruum tuum in bonum, vt facias mecum ſignum in bonum, de 122.
quo in

quo in Psal.85. diximus, *Non calumnientur me superbi.* Hoc enim signo mecum in bonum facto, eueniet, vt videant qui oderunt me & confundantur, quoniam tu Domine adiuuisti me & consolatus es me.

123. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum.* i. id vnum spectantes, alia quæ solent homines spectare, illi spectare desierũt & nescierunt. *Et in eloquium iustitiæ tuæ*, vt faciendi iudicij atque iustitiæ formulam aliam non requiram nec attendam, ab ea quam tu per eloquia scripturarum tuarum elocutus es. Quæ cùm ita sint:

124. *Fac cum seruo tuo*, tibi tuisque verbis hoc modo obsequenti, *secundum misericordiam tuam*, supra scilicet quàm petimus intelligimus aut emeremur, *Et iustificationes tuas doce me.* i. Fac me in iustificationibus tuis, siue iustis operibus atque iustitiæ exercitationibus persistere atque proficere.

125. *Seruus tuus sum ego*, piam seruitutem tibi tuo munere deferens, Et quia tu tuis in nobis faues muneribus, *Da mihi intellectum: vt sciam testimonia tua*, Dicit iterum, da mihi intellectum, Nemo enim tam intelligens est, tam

Prosp. sent. 17. doctus, inquit Prosper, vt hac postulatione non egeat, Non enim horum donorum ita vlla augmenta sufficiunt, vt non semper supersit quod & intelligi desideretur & sciri.

126. *Tempus faciendi Domine.* Legendum est, Domino; Vel si seruetur nostra lectio, aliquid est subaudiendum in hũc sensum, Tibi Domine est tempus faciendi. i. superest tibi tempus retribuendi, *Dißipauerunt.* i. varijs ex partibus è medio tulerunt, extra memoriam, vsum, & obseruantiam esse fecerunt, vel trãsgressi sunt, *legem tuam.* De hoc tempore psalmo 74. dictum est in persona Domini, Cùm accepero tẽpus, ego iustitias iudicabo. Potest tamẽ & hic esse sensus, *Tempus faciendi Domine.* i. ô Domine toto decursu præsentis temporis nobis tempus est tibi operandi siue tua opera faciendi, propter quod dicebat Christus, Me oportet operari opera eius qui misit

Eccles. 9. me donec dies est; Quocirca & Sapiens, Quodcunque inuenire potest manus tua, instãter operare: quia nec opus nec ratio, nec sapientia nec scientia erunt apud inferos quò tu properas. Huius tamen rei quidam parum memores, *dißipauerunt.* i. transgressi sunt *legem tuam.* Ego verò,

127. *Ideo.* i. tanto magis, vel quia præ oculis habui hic esse tempus faciendi, *dilexi mandata tua super aurum & topazion.* i. plus operæ ac studij impendi seruandis ac implendis mandatis tuis, quam colligendis diuitijs quæ præcipuè consistunt in auro ac pretiosis gemmis ac margaritis. Vel, saltem studio mandatorum tuorum sic incubui, vt obseruationi mandatorum tuorum nullam acquisitionem, conseruationem, vel vsum auri atque topazij præposuerim.

108. *Propterea.* i. quia hîc nobis tempus faciendi siue instanter operandi est;

ex vna

ex vna parte qua præcipis bona, *ad omnia mandata tua.* i. ad adimplendum omnia quæ à te nobis præcepta sunt, *dirigebar.* Ex alia verò parte qua prohibes mala, *omnem viam iniquam.* i. omne peccatum, *odio habui*, & facere subterfugi.

PHE.

Mirabilia testimonia tua. i. lex & Prophetæ, qui iustitiæ tuæ testimoniũ perhibuerunt, dicente Apost. Nunc autem sine lege iustitia manifestata est, testificata à lege & prophetis, prima facie admirationi sunt intuentibus eos; Magnam enim sapientiam præ se ferunt, quam tamen sub multis rerum vmbris & verborum inuolucris occultant & abscondunt, *Ideo.* i. quia mirabilia mihi visa sunt *scrutata est ea anima mea*: Admiratio enim quam mihi principiò ingerebant, exstimulauit me, vt sit, ad ea perscrutanda atque rimanda. 129.

Declaratio sermonum tuorum. i. noui testamenti reuelatio, *illuminat* 130. testimonia tua mox dicta: Velamen enim quod in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, in Christo, inquit Apostolus, euacuatur; Euacuatur inquam in Christo, inquit August. non vetus testamentum, sed velamen eius, vt per Christum intelligatur & quasi denudetur, quod sine Christo obscurum atque adopertum est: Dicit namque Apostolus, Cùm Israel transierit ad Christum, auferetur velamen; Non ait, auferetur lex, aut testamentum vetus, Non enim per Domini gratiam tanquam inutilia ibi tegerentur, ablata sunt, sed tegmen potius quo tegebantur vtilia. *Et intellectum dat paruulis.* i. humilibus, de quibus Christus, Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis. Quod apparet in eunucho illo Candacis reginæ Æthiopum, qui cum testimonium Isaiæ de Christo non intelligeret, & humili corde docilis doceri obsecraret, euangelizato sibi per Philippum Iesu, locus scripturæ prius obscurus eidem reseratus fuit & manifestatus. Hoc enim modo, inquit August. agitur cum ijs qui studiose ac piè non turbidè atque improbè scripturarum illarum sensum requirunt, demonstranturque eis sedulò & ordo rerum, & causæ factorum atque dictorum, & veteris testamenti ad nouum tanta congruentia, vt apex nullus qui non congruat relinquatur. Hæc August. Quia verò hæc reuelatio nulli vtilis esse, nec velamen ignorantiæ de corde cuiuspiam auferre potest, non cooperante per gratiam Spiritu S. Litera enim occîdit, spiritus autem viuificat; subdit Psaltes:

August. de vtil. cred. cap. 3. — *Act. 8.* — *Aug loco citato.*

Os meum aperui. i. cognitioni atque intelligentiæ mysteriorum Dei auidissimè inhiaui: ad quod D. Hilarius requirit orationem humilem, studium peruicax, & vt in omnem, inquit, aditum sapientiæ pulses, & hac mea auiditate quasi quadã vi illata, (huiusmodi enim vis, inquit Tertull. Deo grata est) *attraxi spiritum*, sicut scriptum est: Optaui & datus est mihi sensus, 131.

Hilar. 1. de Trinit. — *Tert Apol. cap. 39.*

& inuocaui & venit in me ſpiritus ſapientiæ, *quia mandata tua deſiderabam.* i. iam antè priuſquam os aperirem interno deſiderio in mandata tua flagrabam; vt autem id quod dixit, *attraxi ſpiritum*, non poteſtatis fuiſſe credatur, ſed potius feruidæ cuiuſdam & piæ inuocationis quæ vim quãdam meritoriam in oculis Dei habet, ſubiungit Pſaltes,

132. *Aſpice in me.* i. vota & deſideria quæ dixi mea, *& miſerere mei.* Addit, *miſerere mei*, nõ tam interpretationis, vt fere arbitratur Auguſtinus, quàm ſecundum Hilarium & Ambr. diſtinctionis gratia, vt det intelligi ſe hac oratione non illum aſpectum Dei prouocare, quo reſpexit in caſtra Ægyptiorum, vt illa aquis maris rubri obrueret, ſed illũ quo aſpexit Deus afflictionem Iſraelitarum in Ægypto vt miſereretur eis. *Secũdum iudicium diligentium nomen tuum.* i. ex illo tuo iudicio quo ad miſerendum & opitulandum benignè reſpicis in preces vota & opera eorum, qui diligunt nomen tuum, qui ſtudio innocenti, inquit Hilarius, tuam circa ſe bonitatem promeruerunt: Nam & illi ſpiritum attraxerunt, non virtute aliqua actiua, quæ in hominis poteſtate nullatenus eſt, ſed meritoria, cuius effectus à iudicio aut retributione tuæ miſerationis principaliter dependebat.

133. *Greſſus meos.* i. vitam & conuerſationem meam *dirige.* i. compone, Illo enim auxilio, quo Deus illuminat, mundat, & componit corda noſtra ad
D. Thom. 3. cõ gẽt. c. 82 bene eligendum, inquit D. Tho. dicitur nos dirigere, *ſecundum eloquium tuum.* i. ad normam verborum, ſcripturarum, & doctrinæ tuæ. *Et non dominetur mei omnis iniuſtitia.* i. non regnet vllum peccatum in meo mortali corpore, neque efficiar per conſenſum aut operationem aliquam voluntariam vlla in parte ſeruus peccati.

134. *Redime me à calumnijs hominum, vt cuſtodiam mandata tua.* Qui enim, inquit Ambroſ. opprimitur à calumnijs hominum, non facilè poteſt cuſtodire mandata diuina, Triſtitiæ neceſſe eſt plerunque cedat aut timori, & affligatur vel metu calumniæ aut dolore.

135. *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum*, à facie enim Domini eſt ſcien-
Aug de bo. perſe. c. vlt. tia, inquit Auguſtinus, & intellectus. *Et doce me iuſtificationes tuas.* Eſt in his verbis atque adeo toto Pſalmo formula quædam per quam impleamus quod ſcriptum eſt, Quærite Dominum & cõfirmamini, quærite faciem eius ſemper. Orare enim quoddam quærere eſt, ſemper ergo orare, & eandem orationem toties iterare, quid aliud eſt quam ſemper quærere?

136. *Exitus.* i. riuos ſiue magnam & iugem abundantiam *aquarum*, quas vocamus lachrymas, *deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam.* quod non mirabitur qui recordatur eius quod ſupra dictum eſt, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum lachrymis meis, ſtratum meum rigabo: Et Pſal. 101. potum meum cum fletu miſcebam. Ad quos aquarum exitus nos adhor-

adhortatur Ierem. Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem, & non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Sed, proh dolor, nobis quibus cor vt rupes aut petra induruit, magis conuenit, vt cum Ieremia lachrymas has exquirentes dicamus: Quis dabit capiti meo aquas & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte? Psaltes ergo qui hactenus expressit desiderium iusti ad iustitiæ incrementa, eiúsque exercitationes maiores, atque perfectiores indies anhelantis; his verbis expressit affectum hominis, ex Dei amore granditer, inquit Ambros. pœnitentis, Ex Dei, inquam, amore, ait enim, *quia non custodierunt legem tuam.* i. quia tibi inobediens extiti, quod non est nisi eius qui amat Deum.

SADE.

Iustus es Domine & rectum iudicium tuum, quo posuisti pœnitentiam, 137.
non iustis qui tibi non peccauerunt, sed peccatoribus quos in gratiam, non nisi mediante pœnitentia voluisti recipere. nec id solum, sed ne pœnitentiam suo arbitratu agerent, voluisti eis pœnitentię legem atque modū præscribere dicens: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu & planctu. Et qua ratione rectum iudicium tuum, quo præscribis pœnitentibus tantorum impendiorum conuersionem?

Mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis. i. tu man- 138.
dasti mandata tua custodiri nimis, Quæ autem tam seuerè demandantur, sine grandi, vt ex Bern. diximus, culpa non violantur: Quam verò magna, inquit Cypr. deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit. Non solum autem propria, sed etiam aliena peccata pœnitenda & detestanda esse, docet versus qui sequitur:

Tabescere mœrore ac displicentia, *me fecit zelus meus.* i. ardens quod- 139.
dam quod in me flagrabat odium peccati, Idque ex amore Dei, Sequitur enim, *quia obliti sunt verba tua inimici mei*, Non enim me vrebat, aut saltem non me principaliter vrebat, quod inimico in me animo fuerint aut inimicitias in me exercuerint, sed quod id agendo obliti sint legis tuæ, tuique (rem indignam) nullam habuerint obseruantiam.

Ignitum eloquium tuum. Verba enim falsorum prophetarū à verbis oris 140.
siue spiritus tui, per Ieremiam discernens, dixisti, Nónne verba mea sunt quasi ignis? Quod experiebantur qui discumbentes in Emmaus dicebant, Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via & aperiret nobis scripturas? Nam & in nobis, inquit Amb. ardet cor nostrum, cùm legentes scripturarum seriem apprehendimus aliquid intellectu spirituali. Et paulò post. Quibus, inquit, precibus emerear vt veniat Dei Verbum, intret ecclesiam, fiat ignis consumens, & ferreus quidam peccati rigor, fu-

Amb expo. tit. 13. in Psal. 118.

perno mollescat incendio? meliorentur vasa aurea & argẽtea, vt omnis sapientium sensus, omnis sermo prudentium, flagrantium paßionum calore decoctus, incipiat esse pretiosior. Bonus ignis charitatis, quo corpus omne ecclesiæ, in mutuam adolescit gratiam, bonus ignis dilectionis, quo vnusquisque sanctus ad reuerentiam sui authoris accenditur. Hæc Ambr. *Vehementer*, Ignis enim hic, grandia quæ audiuimus operatur, & in quibusdam inter quos Ieremias tantopere succenditur, vt ardorem eius ferre nequeant. Defeci, inquit, ferre non sustinens. Vel, *vehementer*, quia omnis quidem doctor, inquit Amb. inflammat audientis affectum, sed supra omnes est sermo Dei, intima penetrans medullarum. *Et seruus tuus dilexit illud*, hoc præsertim nomine, quia *vehementer ignitum est*, Seruus enim tuus magis amat igniri quam erudiri.

141. *Adolescentulus sum ego & contemptus*, Id variè exponitur; videtur autem Psaltes id dicere in persona alicuius ætate minoris & iustitiâ ac prudentiâ rudis (hoc enim Psalmo omnẽ statum atq; ætatem Psaltes instruit) qui eò nondum profecit, vt in pretio habeatur aut haberi dignus sit, qui his verbis ingenuè, & humilitate, quæ in iuuenibus, teste Ambr. rara est, confiteatur id quod res est; Addit autem ex persona eiusdem. *Iustificationes tuas non sum oblitus*, his verbis adolescentis huius ingenium bonũ comprobans, ne ipse inhonorus sic sibi vilescat, vt etiam legis diuinæ obliuiscatur. Et non sine causa: Nisi enim illi qui habentur inhonori & abiecti, in periculo diuinæ legis negligendæ versarentur, non diceret Apostolus de eo qui ad Episcopatum eligendus est, Oportet illum & testimonium bonum habere, ab ijs qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & laqueum diaboli. Solet namque diabolus opprobrium in laqueum cõuertere ijs qui opprobrio subiacent. Vel, *Iustificationes tuas non sum oblitus*. i. tametsi in præsenti ætate rudis & inhonorus, non desperaui tamen à te iustificari, siue augmento iustitiæ donari, & in gratia confortari posse.

142. *Iustitia tua*, qua tuo munere dicimur coram te iusti, *iustitia in æternum*, quia sæculo nunquam deerit, & cum sanctis in futura vita perpetuò permanebit, sicut scriptum est, In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Quam & Gabriel Angelus prænunciabat Danieli cùm diceret, Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, vt adducatur iustitia sempiterna; Sic dicta, ad distinctionem iustitiarum carnis quæ erant sub lege, Quæ erant iustitiæ huius vitæ solummodo vsque ad tempus correctionis impositæ. *Et lex tua*. i. iustitiæ tuæ norma & regula, *veritas*, quia à sapientia quæ tu es deriuata, falsitati subiacere non potest.

143. *Tribulatio & angustia inuenerunt me*. i. obuenerunt mihi. *Mandata tua meditatio mea est*. Est enim mihi tribulationibus presso curæ, ne tribulatio

vel an-

vel angustia separent me à charitate Dei, vel obedientia mandatorum eius. Et quia mandata quæ sunt in tribulatione seruanda minus obuia sunt, ardua magis, ac minus vsitata, hinc est, quod illa mihi eo tempore habeam cum maiore intentione accuratius inuestiganda.

Æquitas testimonia tua in æternũ. i. lex à te, siue in tribulatione, siue in pace positis præscripta, immutabili æquitate prædita est, & ab omni rigore & põdere aliena; Cùm enim nobis in tribulatione præceperis patientiam, Lex illa æquissima est, nã patientia tribulationẽ mitigat & leuat; sed quia, illa patientiæ siue legis tuæ æquitas, ob humanæ infirmitatis atque sapiẽtiæ caliginem paucis cognita est, & eam ob causam ad scientiæ quædam arcana pertinet, *Intellectum* huius æquitatis per spiritum sapientiæ & intellectus *da mihi. & viuam*, quia spiritus intellectus vitam tribuit his qui accipiunt eum. 144.

COPH.

Clamaui in toto corde meo. i. cogitationum, inquit Ambros. sublimitatẽ, concentuque virtutum, affectu pio, sensuq; profundo. *Exaudi me Domine.* Non audit Deus, inquit, nisi quod suis dignum ducit beneficijs. Audit autẽ vocem piam, plenam deuotionis & gratiæ. Quid autem est in quo petit exaudiri? *Iustificationes tuas requiram.* Orabat namque ante omnia concedi sibi studium atque diligentiam quærendi, non ignorans, id oportere esse prius felicitate inueniendi. Studio autem hoc accepto, iterum 145.

Clamaui ad te saluum me fac, concessa vel aucta mihi per donum iustitiæ mentis salute, *& custodiam mandata tua*. Custodia enim diuinorum mandatorum per gratiam Dei cooperantem salutem mentis, siue iustitiam, pari ferè gradu consequitur. 146.

Præueni in maturitate, legunt alij *immaturitate*, sed eôdem redit. Si enim legatur *in maturitate*, intelligendum id erit de maturitate mentis, cordis atque virtutis, quali maturitate præditus Abraham primo quoque tempore Domini mandatum de immolatione filij sui implere maturauit. Si legatur *in immaturitate*, per id intelligenda erit quædam immaturitas temporis, quam ingenti studio fere præoccupat maturitas mentis. Docet autem D. Basil. Diluculum anteuertendũ esse, & ad orationem surgendum cauendumque ne dies nos in lectulo dormientes opprimat. *& clamaui, quia in verba tua*, quibus promisisti, quod qui mane euigilarent ad te, inuenirent te, *supersperaui*, Accepto enim promisso tuo plus fiduciæ habui, quam si mihi de tua solius bonitate præsumendum fuisset, vt diximus. 147. D Basi. reg. fus. ca. 37.

Præuenerunt oculi mei ad te diluculo vt meditarer eloquia tua. quia non solis votis agendum est, vt intelligentiam diuinorum eloquiorum accipias, sed importunis studijs ac meditationibus, sicut scriptum est: Qui de luce euigilauerit ad illam, non laborabit, assidentem enim illam foribus suis 148.

 inueniet,

inueniet: Cogitare ergò de illa, ſenſus eſt conſummatus, & qui vigilauerit propter illam, cito ſecurus erit.

149. *Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam Domine*. Etſi enim homo ſanctus, ſi iuſtus ſit, inquit Ambr. orare debet vt exaudiat eum Deus ſecundum miſericordiam ſuam, non ſecundum merita alicuius virtutis, quia rara virtus multa peccata, *Et ſecundum iudicium tuum*, quo iudicas æquitatem, *viuifica me*, vita beata, ad quam niſi per iudicium æquitatis tuæ non peruenitur. Vel, *ſecundum iudicium tuum*, quod facis omnibus iniuriam patientibus, *viuifica me*, ab illa morte de qua Apoſtolus; Mors operatur in nobis, vita autem in vobis, Quæ eſt iugis quædam & perpetua aduerſitas, præſertim quæ ſuſtinetur propter iuſtitiam, ob quam dicebat Apoſt. Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferimus. Ambroſ. namque dicit id orandum eſſe in aduerſitate. De qua viuificatione Pſal. 30. dictum eſt, Conuerſus viuificaſti me.

150. *Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati*. i. iniquitatem magis ac magis induerunt. Vel, iniquitatem ſuam mihi propinquiorem fecerunt, cùm videlicet id quod principio à longe ceperant cogitare, paulo pòſt decreuerunt, & tandem mihi inferre moliti ſunt: *A lege autem tua longe facti ſunt*. i. ijſdem paſsibus quibus iniquitatem ſuam mihi propinquiorem fecerunt, à lege tua, eiúſque obſeruantia per morum diſsimilitudinem & inobedientiam longius receſſerunt.

151. *Prope es tu Domine*, etiam illis qui à te elongantur, In primis quia in te viuunt, mouentur & ſunt, Deinde quia etiam illis qui recedunt à te, ades per iudicium ac prouidentiam, quam ne minima quidem in parte euadunt, vt aut plus faciant quam tu iuſto iudicio eis permittis, aut aliud quam quo tu benè vti, quodque tu in bonum conuertere proponis. *Et omnes viæ tuæ veritas*. Quicquid enim in huiuſmodi negotio aut malos facere, aut bonos tolerare permittis, *Veritas* eſt, tum, quia iudicio tuo, tum quia meritis & vtilitati eorum probè reſpondet atque conſentit.

152. *Initio cognoui de teſtimonijs tuis, quia in æternum*. i. vt per eorúdem obſeruantiam æternam conſequamur ſalutem, *fundaſti ea*. Et ob id aduerſitatibus ſubiectus, non dico vanum eſſe eum qui ſeruit Deo, ſcio enim ei eſſe aliam vitam expectandam, quam promiſit qui non mentitur Deus. Hoc autem dicit Pſaltes ſe cognouiſſe *initio*, tum quia Eccleſia in priſcis ſanctis Abraham, Iſaac, & Iacob, profitentibus ſe peregrinos eſſe & hoſpites ſuper terram, ſeque futuram ciuitatem inquirere, id cognouit, atque præ oculis habuit, Tum etiam, quia Eccleſia poſterioris ſæculi id à patribus ſuis qui à principio in ea fuerunt, didicit & accepit.

Vide humilitatem.i.afflictionē *meam, & eripe me; quia legē tuam non sum oblitus*. His enim qui in aduersitate memores sunt mandatorū Dei ad faciendū ea, superest, vt ab aduersitate tandē eripiantur & constituātur in pacato. 153.

Iudica iudicium meum quod iustitia & causa mea de me ferri requirit. 154.
Cuiusmodi orationem Psal. 25. & 42 audiuimus & exposuimus. *& redime me*.i.merito exercitæ hic constāter iustitiæ, tanquam quodam accepto pretio *redime me* à seruitute corruptionis, & sæculi huius, in libertatem gloriæ filiorum Dei, *Propter eloquium tuum*. i. vt iustificeris in sermonibus tuis, quod coincidit cum illis verbis Apostoli, Dico Dominū Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei. i. vt Deus agnosceretur ac deprehenderetur verax in suis verbis atque promissis. *Viuifica me* à mortificationibus paulo ante explicatis, ob quas Apostolus etiam alibi dicebat: Quotidie morior per vestram gloriam fratres.

Longe à peccatoribus salus, non quia salus fugit ab eis, sed *quia iustificationes tuas non exquisierunt*. Nam aut increduli fuerunt, vt non putauerint sibi ea exquirenda esse, aut vsqueadeo à tui obseruantia alieni, vt non libuerit eis vel quærere iustitiam tuam. Arbitratur autem D. Leo, quod Christus exiens in Golgotha, misericordiaq; ipsa exeunte à tabernaculis impiorum, impleuerit quod hîc dicit Psaltes. Longe à peccatoribus salus. 155.

Leo serm. 10. de pass.

Misericordiæ tuæ multæ Domine. Addit hoc, vt nemo eorum qui longè sunt salutem desperet, quia qui suo, inquit Ambr. peccato pereunt, misericordia Domini liberantur. Miserebor, inquit, cui misereor. Palam apparuit non quærentibus, vocauit refugientes, congregauit ignaros, pro omnibus se obtulit passioni, Non ergo multum misericors? Hæc Ambr. Vel, *misericordiæ tuæ multæ Domine*, ita vt misericordiæ tuæ etiam iudiciū tuum temperent, itaque secundum iudicium tuum misericordiâ mitigatum, *viuifica me*, viuificationis ac vitæ quadam plenitudine in futuro iudicio. Qui sensus in idem redit cum eo loco psal. 25. Iudica me Domine, quoniam misericordia tua ante oculos meos est. 156.

Multi qui persequuntur me & tribulant me à testimonijs tuis non declinaui, ne multis quidem me hinc inde tentantibus, quod valde constantis & presentis animi fuisse necesse est. Insuper his tentationibus diuexatus, potuit adhuc suorum aduersariorū curam aut cōpassionem gerere de qua sequitur, 157.

Vidi præuaricantes.i.mente expendi, quantum mali in hac re contra legem tuam admitterent, *& tabescebam* mœrore, compassione, *quia eloquia tua non custodierunt*. non enim mihi illata me tabescere faciebat iniuria, sed indignatio ob legem tuam ab eis prætermissam. 158.

Vide quoniam mandata tua dilexi Domine. Idque hinc, quod ego meorum malorum, atque aduersitatum oblitus, tuæ legis transgressiones deploro. 159.

deploro. Vel, Vide Domine, quod mandata tua non ex præcepto, inquit
Greg. hom. 10. in Eze. Greg. faciam, quod est inchoantium, sed quia diligo id quod iubetur atque præcipitur, quod Greg. dicit esse perfectorum. *in misericordia tua*, extrema, quæ exhibenda est in die iudicij. *viuifica me.* viuificationis & vitæ plenitudine.

160. *Principium verborum tuorum veritas.* Verba enim tua à veritate quæ tu es, immediate processerunt, *In æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.* illorum enim veritas, prudentia atque iustitia, semper manet ab illis immota.

SIN.

161. *Principes persecuti sunt me gratis.* Bene hoc martyr dicit, inquit consentiente Augustino Ambr. qui neminem læsit, nullum violentus oppressit, qui nihil legibus debeat & grauiora latronum cogitur sustinere supplicia: Qui etiam didicit principibus tributum ac vectigal, ex fide, teste
Tert. Apol. cap. 42. Tertull. præstare, & potestatibus sublimioribus, siue principibus subditus esse. *Et à verbis tuis*, quibus dixisti, Omnis qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non est me dignus, & reliquis in eandem sententiam dictis, *formidauit cor meum*; Ex eo enim quod verbis tuis credidi & te amaui, vehemẽter exhorrui inueniri indignus te. Formidauit etiam cor meum ab illis verbis tuis, quibus dixisti, quod negaturus esses coram angelis Dei, eum, qui te negaret, & reliquis in eandem sententiam à te dictis. Ex alia verò parte,

162. *Lætabor ego super eloquia tua*, quæ mihi illo tempore, nõ cogitanti nec præmeditanti suggeres, sicut dixisti, In illa hora nolite cogitare quo modo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. *Sicut qui* ex improuiso *inuenit spolia multa* alieno labore hostibus detracta; Ita enim inueniunt martyres, agonis sui tempore à Deo verbum sua industria non præparatum. De quo præcipuè vt de opimo spolio lætãtur, cum verbo hoc compluribus ad fidem Christi conuersis, diabolo multa spolia detrahunt. Vel, *lætabor ego super eloquia tua*, per quæ tali tempore animum af-
Cyp. epi. 77 flictum abundantius pascis & reficis. Propter quod etiam Cypr. dicebat martyribus. Panis illic exiguus, At, non in solo pane viuit homo, sed in sermone Dei. Præcipuè vero, super eloquia illa, quibus prædicis præmia quæ manent eos qui ad mortem vsque superant odia principũ & persecutiones. Verba enim Dei ex vtraque parte benè intellecta ac ruminata, mirificè cor-
Cyp. epi. 56 roborant milites Christi ad prælium. Ait proinde Cypr. Hæc fratres dilectissimi hæreant cordibus vestris, Hæc sit armorum vestrorum præparatio, Hæc diurna ac nocturna meditatio, ante oculos habere & cogitatione semper ac sensibus voluere iniquorum supplicia & præmia ac merita iustorum, quid negantibus Dominus comminetur ad pœnam, quid contrà confitentibus

tibus promittat ad gloriam. Sic enim miles Christi præceptis eius ac monitis eruditus, non expauescit ad pugnam, sed paratus est ad coronam.

Iniquitatem, ad quam committendam me Principes prouocabant, *odio habui & abominatus sum*, quod satis euidens est in illis martyribus qui cultum idolorum ad quem inuitabantur detestati sunt, & ipsa idôla conspuerunt. *Legem autem tuam dilexi*, nihil moratus quod per eam in has rerum angustias & difficultates deuenerim. 163.

Septies in die. i. semper: Septenarius namque numerus plenitudinem, inquit August. significat, *laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.* i. super eo quod magno recto & iusto iudicio decreueris atque statueris nos mortales, passionibus alijsque aduersitatibus; & per vincula carceres, exilia, direptionẽ & reliqua incommoda ad mortem vsque, iustificari debere, conuertendo pœnas quibus eramus obnoxij in materiam; infirmitatem, in officinam virtutis. Hæc tamen iugis laudatio etiam ad omnes qui Deum diligunt extendi potest, nam in illorum persona Psal. 33. dictum est, Benedicam Dominum in omni tempore. 164.

Pax multa. i. multa etiam in medijs aduersitatibus atque doloribus est interioris hominis, ex participatione boni sibi conuenientis, & benè contenta quies atque tranquillitas, *diligentibus legem tuam.* i. ijs qui amãt mandata tua quibus aduersa nobis tolerare præcepisti: Quam pacem in martyribus Cypr. admiratur scribens in hæc verba: Quis nunc vobis, dilectissimi fratres, conscientiæ victricis vigor? quæ sublimitas animi? quæ in sensu exultantia? qui triumphus in pectore? vnumquemque vestrum stare ad promissum Dei præmium, in die iudicij esse securum? ambulare in metallo captiuo quidem corpore, sed corde regnante, scire Christum esse præsentem, gaudentem tolerantia seruorum suorum, per vestigia & vias suas ad regna æterna gradientium? *Et non est illis scandalum.* Hi enim non sunt è numero illorum de quibus dicit Christus; Et tunc scandalizabuntur. i. scandalum, siue, circa fidem, aut fidei confessionem dilectionemque Dei, naufragium patientur plurimi, Deo per legis suæ dilectionem eos protegente ac conseruante. Istud tamen plerumque ad omnes qui in charitate perfecti sunt extenditur. Hi enim etiam in posita sibi scandala ordinariè non sic impingunt vt corruant. Pergit Psaltes in persona martyris, 165. *Cyp epi. 77*

Exspectabam salutare tuum. i. Christum tuum *Domine*, vt perfecta me atque æterna salute induat: Quod & Cypr. agnouit martyribus competere, scribit proinde, Exspectatis quotidie læti professionis vestræ salutarem diem, & iam iamque de sæculo recessuri ad martyrum munera & domicilia diuina properatis, post has mundi tenebras visuri candidissimam lucem, & accepturi maiorem passionibus omnibus & conflictationibus claritatem. 166. *Cypr. ibidẽ*

Et mandata tua dilexi. Quod cum de interno dilectionis affectu intelligatur, vt declaret se mandata Dei etiam opere dilexisse, subiungit:
167. *Custodiuit.* i. opere impleuit *anima mea testimonia tua.* Imo, quandoquidem sanctorum quiuis vtrumque horum verè dicere possit, & hoc loco vox martyrũ sit, erit potius & magis proprius horum verborũ hic sensus: *Custodiuit anima mea testimonia tua.* i. mandata tua sic dilexi, vt etiam posuerim animam meam ad custodiendam siue opere implendam legem tuam nobis contestatam, per hoc quod dixisti; Dico vobis, quia omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, hunc & filius hominis confitebitur coram
Tert Scorp. cap. 6. angelis Dei. Dicit namque Tertull. Martyrem propriè diligere Deum ex tota anima sua, quia pro Deo animã ponit. *Et dilexit ea vehementer,* nunquid non vehementer qui plus quam animam suam?
168. *Seruaui.* i. constanter contra quæuis aduersa custodiui *mandata tua & testimonia tua,* ad quod me corroborabat, *quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* i. quia præ oculis habebam, me in conspectu ac oculis tuis Domine præliari atque certare: Huius enim rei considerationem militibus Christi
Cyp. epist 9 animum addere agnouit Cypr. scribit proinde: Si vos acies vocauerit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate cõstanter, scientes
Epist. 56. vos sub oculis præsentis Domini dimicare: Et alibi. Ad agonem sæcularem exercentur homines & parantur, & magnam gloriam cõputant honoris sui, si illis spectante populo & Imperatore presente contigerit coronari; Ecce Agon sublimis & magnus & coronæ cælestis præmio gloriosus, vt spectet nos certantes Deus, & super eos quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens, certaminis nostri spectaculo perfruitur. Hæc Cypr. Nihilominus, hic versiculus suo sensu etiam omnibus sanctis competit, qui per varias tentationes atque molestias, in obseruatione diuinorum mandatorum ob id constanter perseuerant, quia præ oculis habent se Deum Agonothetam suum, sui certaminis cognitorem habere & inspectorem.

TAV.

169. *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, iuxta eloquium tuum.* i. promissum tuum, *da mihi intellectum.* Vel, da mihi intellectum eloquio aut sensui verborum tuorum concipiendo conuenientem.
170. *Intret postulatio mea in conspectu tuo, secũdum eloquium tuum eripe me.* Prius dicit, *Appropinquet deprecatio mea,* deinde, *Intret postulatio;* hac enim verborum diuersitate significatur, quod orationum non sit par semper atque eadem vis & efficacia: Illa enim oratio propinquat Deo quæ digna quidem est audiri, sed non digna exaudiri, quæ tamen exaudienda sit, cùm
Bern. ser. 5 de Quadra. ad eius insufficientiam, orationis instantia, & orãtis complura bona opera atque suffragia accesserint. De cuiusmodi oratione Bernard. Orationem
nostram

noſtram priuſquã egreſſa eſt ab ore noſtro, Deus ſcribi iubet in libro ſuo, eamque benignè ſuſcipiens quod nobis aut omnino non eſt vtile, aut non tam cito dari neceſſe eſt, minimè tribuit, oratio tamen infructuoſa nõ erit, ita ſanè, ſi fecerimus quod monemur in Pſalmo, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et alibi. Cùm humani cordis duritia ad votum exaudiri non meretur, anxietas deſiderantis negari ſibi æſtimat quicquid differtur. Illa verò oratio quæ digna eſt (Digna, inquam, nam Ambr. dicit quædam Græca legere, Intret dignitas mea) ſtatim exaudiri, dicitur intrare in conſpectu Dei. Quod autem orationum hæc inæqualitas ſit, & ſimul vnde ea ſit, docet Sapiens cùm dicit; Qui adorat Deum in oblectatione, ſuſcipietur, & oratiò illius vſque ad nubes propinquabit, Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Quæ poſtrema ſapientis verba Ambroſius perficiens, plura enumerat quæ faciant orationem intrare in conſpectu Dei: Si inquit, pro vidua roges, ſi pro pupillo, ſi roges pro miſericordi, ſi roges pro nimium deuoto ac fideli, ſi roges in tribulatione, roges cum dolore, ſi mœſto & ipſe qui rogas compatiaris affectu, intrat oratio tua Dei gratiam, intrat domum eius, ſi tecum Eccleſia deprecetur, ſi populus vniuerſus imploret vt Domini inclinet fauorem.

Ad frat. de mont. Dei. — *Eccl. 37.*

Eructabunt labia mea hymnum. i. gratiarum actionem. *Cùm docueris me,* 171.
vt hactenus frequenter oraui, *iuſtificationes tuas.*

Pronunciabit lingua mea eloquium tuum. Peccatori enim qui à te non di- 172.
dicit iuſtificationes tuas dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas? *Quia omnia mandata tua æquitas.* Facta enim ſunt in veritate & æquitate, vt diximus.

Fiat manus tua vt ſaluet me, Iſtud dici ratione effectus quem operetur 173.
manus Dei ſupra ad verſ. 80. diximus & oſtendimus: *quoniam mandata tua elegi.* Hoc autem ſalutis quam imploro quædam cauſa eſt & ratio, quia ſcriptum eſt; Qui cuſtodierint ſabbatha mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum, Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, nomen ſempiternum dabo eis. *Iſaiæ 56.*

Concupiui ſalutare tuum Domine. i. cõcupiui diſſolui & eſſe cum Chri- 174.
ſto ſalutari tuo. *Et* dum ſalutare illud vultus mei differtur, *lex tua meditatio mea eſt*, quia ei inueſtigandæ atque implendæ incumbo. Vbi verò fuero ſalutare tuum conſecutus.

Viuet, vita beata, *anima mea, & laudabit te*, Inuenietur enim in illa ciui- 175.
tate gratiarum actio & vox laudis. *Et iudicia tua adiuuabunt me.* Iudicia inquam tua extrema, Quorum priore iudicatur anima, vt ſine carne ſua recipiat, prout in corpore ſuo geſſit. Congruentiſſimum enim eſt, inquit Tertullianus, animam licet non expectata carne puniri, quod non ſociata *Tert. de anima, c. vlt.*

carne commiſit; Sic & ob cogitatus pios & beneuolos in quibus carne non egit, ſine carne recreabitur. Quid nunc, ſi & in carnalibus (i.ijs quæ anima per carnem egit,) prior eſt quæ diſponit, quæ mandat, quæ impellit? Et ſi quando inuita, prior tamen tractat quod per corpus actura eſt, Nunquam denique conſcientia poſterior erit facto, ita huic quoque competit ordini etiam priorem penſare mercedes, cui priori debeantur. Hæc Tertul. De hoc

Eccli.11. iudicio ſcriptum eſt, Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundum vias ſuas. Horum verò iudiciorum poſteriore, quod erit generale, iudicabitur anima, vt recipiat propria corporis, inquit Apoſt. i. pœnas corporis, quod vna cum ea & per quod vt inſtrumentum, aut ſaltem vt

D Thomas Quodlib.7. ar.11.ad 3 cogitationi ſuæ phantaſma, inquit D. Thomas, ſuppeditans, ipſa peccauit. Hæc ergò iudicia, inquit Pſaltes, *adiuuabunt me*, approbando, inquit Ambr. cum miſericordia, vt frequenter diximus, iudicando, & pro bonorum operum meritis incrementum gloriæ, vt ex Concil. Trident. ſupra ad verſ. 112.

Aug.2.de pecca meri. cap.17. citauimus, adijciendo. Ex hoc ergo loco rectè colligit Auguſt. iudicia domini ſubinde in bonum ſumi. Hactenus ergo audiuimus quænam ſint diuinarum iuſtificationum exordia, incrementa, exercitamenta; Quod earundem robur, meritum atque præmium: quia tamen is qui hæc omnia per Dei adiutorium accepit, exercuit, intellexit, adamauit, per ea nondum in gratia, vt loquimur, confirmatus eſt, quin, contrà, eſt ex ſemetipſo ad dilabendum à iuſtitia fragilis atque procliuis; ideo Pſaltes procliuitatem hanc ſibi ob oculos ponens, in perſona cuiuſlibet iuſti exclamat ad Deum, & dicit:

176. *Erraui*. i. ex inſita mihi in id quod minus eſt procliuitate, in errorem atque adeò ruinam continuò pendulus fui, *ſicut ouis quæ perijt*, quia in errorem vergere, hoc, homini, quantum ad ea quæ ex ipſo ſunt, eſt perire, eo quod abſq; auxilio Dei dirigentis & excitantis nõ ſit in poteſtate hominis, etiam iuſti à ruina in quam propendet, ſemetipſum ſalubriter protegere aut reuocare, imò, ne quidẽ Dei auxilium contra aliquid horũ implorare. Itaq; *quære ſeruum tuum*. i. à propenſa ruina, protegẽdo, reuocando, ſiſtendo, per gratiam præuenientẽ, require ſeruum tuum, *quia mandata tua non ſum oblitus*, rebus enim meis adhuc integris, oro vt Domine ſeruum tuum ea qua dixi ratione requiras, antequam ſcilicet corruendo deuenerim in terrã obliuionis, in qua non eſt qui memor ſit mandatorum tuorum ad faciendum ea, ad quam in peius ſemper & peius proficiendo tandem deuenitur. Et hæc

Ber.ſer.48. in Cant. quidem expoſitio videtur contextui maximè conuenire, Bernardus tamen interpretatur hunc verſum de eo qui à vijs Domini aberrauit atque excidit à iuſtitia, in hæc verba: Anima cum à iuſtitia ſe auertit, à facie Domini egreſſa, non reuertetur vt videat bona, ſi non requiratur à Domino. Quaſi verò aliud anima noſtra ſit quàm ſpiritus vadens ſi ſibi fuerit derelicta.

Audi

Audi profugam & deuiam quid doleat, quid petat: *Erraui ſicut ouis; quære ſeruum tuum.* O homo redire vis? ſed ſi in voluntate res eſt, quid opem flagitas? Palam eſt quia vult & non poteſt, ſed eſt ſpiritus vadens & non rediens, tametſi is ſit longius agens qui nec vult. Quamquam non omnino illam animam expoſitam dixerim vel relictam quæ reuerti cupit & requiri petit. Vnde enim voluntas hæc illi? Inde, ni fallor, quod à Domino viſitata iam ſit atque quæſita. Sed non ſufficit ſemel quæri, tantus eſt animæ languor, tanta in reditu difficultas. Dicit ergo, *Quære ſeruum tuum*; vt qui dedit velle, det & perficere pro bona voluntate. Hæc Bernardus.

PSALMVS CXIX.

Canticum graduum.

QVindecim ſequentibus Pſalmis deſcribitur, quibus gradibus ſit Chriſtianis proficiendum in iuſtitia. Quocirca Athanaſius, Si ſequentium oblitus ad præcedentia te extendas, habes in ſingulis profectibus quod dicas, in illa ode quæ eſt de quindecim gradibus. Qui à D. Hilario & Gregorio, alijsque, quindecim eſſe creduntur & dici cantica graduum, per alluſionem ad quindecim gradus, per quos aſcendebatur in templum Salomonis, Chriſtianorum profectum itidem ſignificantes; Quãquam hoc ab alijs non ita ſolidum habeatur. Quia verò quiſquis ad meliora ſe conuertit, in ſuæ conuerſionis primordijs contradictionem patitur, & ab ijs qui eum à propoſito auertere moliuntur, impugnatur; ideo in primo huius ordinis Pſalmo contra linguas contradicentium opem ſibi proficiens precatur & ſecum loquitur in hunc modum:

Athana ad Marcell.

Hil in hũc locum. Gregor. in prolo. in pſ. 6. pœnit.

Ad Dominum cum tribularer clamaui. i. in quauis tribulatione poſitus Domini opem imploraui, *& exaudiuit me*, quia ad impetrandum quod in preſſuris petitur, facilior, inquit Cyprianus, eſt oratio. Itaque & in præſenti tribulatione idem mihi faciendum & exſpectandum erit, quia ſcriptum eſt: Ego clamaui. i. inuocationem multiplicaui ac iteraui, quoniam aliquando exaudiſti me; vt in Pſal. 16. ex D. Gregorio diximus. Et nunc itaque, 1.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, quæ contradictione, manifeſtam iniquitatem in ſe habente, propoſito meo obloquũtur, cuiuſmodi ſunt labia hæreticorum & aliorum qui notoriæ contradicunt veritati, *& à lingua doloſa.* i. ſubdola, inquit Auguſtinus, habente imaginem conſulendi & perniciem nocendi; qualis eſt lingua eorum qui veritatem quidem non negant, ſed blandè ſuggerunt eam viribus hominis ad bonum recenter conuerſi, maiorem eſſe & grauiorem. Pſaltes autem volens exponere qua ratione is qui hæc orat, à lingua doloſa habeat liberari, ſuſcitandæ attentionis gratia prius interrogat eum, & dicit: 2.

3. *Quid detur tibi.* i. quid putas tibi in primis necesse esse, *aut quid apponatur tibi.* i. quid insuper putas tibi adijciendum esse, *ad linguam dolosam*, vt videlicet ab ea, & simul à labijs iniquis illæsus abeas?

4. *Sagittæ potentis acutæ*, quasi dicat ipse suæ interrogationi respondens, Sunt tibi in primis necessaria Dei verba, viua, & penetrabiliora omni gladio ancipiti, vt veritate per debita testimonia diuino tibi munere efficaciter infixa, præ consciæ & bene stabilitæ veritatis fiducia, nō mouearis, quo minus stet tibi veritatis sententia. Addidi, per idonea testimonia; Cùm enim hominibus admodum familiare sit veritatis conscientiam & internum Dei verbum pro testimonio habere & allegare, non fallet eos dictum conscientiæ testimonium aut internum Dei quod prætendunt verbum, si illud præterea alijs veritatis testimonijs, puta, doctrinæ Ecclesiæ, Maiorum, & qui etiamnum viuunt probatorum hominum, conforme fuerit ac consentaneum. *Cum carbonibus desolatorijs*, siue vastatorijs, inquit Augustinus, per eos intelligens homines sanctos, quos Deus per Spiritum S. de mortuis viuos fecerit, vt horum vita atque exempla persuadeant ei qui contradictionem patitur, tum, qua ratione verba Dei intelligenda ac obseruanda sint, vt in Psalm. 118. ad versum 105. latius diximus; tum etiam factu possibile esse quod sagittæ potētis acutæ, siue verba Dei docuerint vel consuluerint esse faciendum, v.g. benedicendum maledicentibus; nō esse contendendum iudicio; Omnia esse propter Christum relinquenda, & id genus innumera. Qui carbones etiam dicuntur desolatorij siue vastatorij, quia veritati non solum id quod diximus perhibent testimonium, sed insuper ad imitationem inflammant intuentis eosque præ oculis habentis affectum. Sanctorum enim, inquit Augustinus, vita credita, in eandem viuendi formam flagrantiorem excitat charitatem: Charitas verò vastat atque adeo absumit de corde eius in quo flagrare incipit, ignem, quem D. Hieronymus vocat, perditorem qui est cupiditas & alia quæuis animi infirmitas, quæ animum hominis ab obseruatione diuinorum verborum impedit ac remoratur: Quamquam D. Hieronymus per carbones hos non tam sanctos homines quàm ipsam Spiritus S. gratiam intelligere videatur. Proficiens autem iste contra linguas pestiferas his præsidijs instructus, pergit humanæ vitæ nostræ miseriam (dixit namque Christus, Plorabitis & flebitis vos) deplorare & dicit:

Aug. 8. de Trinit. c. 9. *Hieron epist. 140.* *Epist. 142.*

5. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* i. quia diebus peregrinationis meæ multiplicatis, hic mihi diutius viuendum est. Vel potius, quia ipsa peregrinatio vitæ meæ prolongata siue longè dissita facta est à felicitate patriæ pace atque tranquilitate quam ibi esse vtcunque cognoui. Sic Augustinus hunc versum interpretatur, quem sensum priori præferendum esse arbitror, quia cùm Psalmo 101. oratum sit. Ne reuoces me in dimidio dierum

dierum meorum; & cum viuere in carne proficientibus fructus sit operis, non arbitror vitam longiorem ipsis esse deplorandam, sed ipsam longioris vitæ miseriam, præsertim qua parte legi Dei aduersatur. *Habitaui cum habitantibus Cedar.* q. d. in eo deploro incolatum meum prolongatum siue à felicitate patriæ elongatum esse, quia habitaui cum habitantibus Cedar. i. inter tenebras & inter eos, inquit Hieronymus, qui tenebras huius mundi diligunt atque sectantur. *Multum incola fuit anima mea.* i. diu in talium societate mihi permanendum fuit, & multiplicatis diebus, multiplicata simul fuit, ab omnibus lugentibus Sion deploranda præsentis vitæ miseria. In qua tamen

Hier. 2. ad vers. Iouin.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Pacificus inquam, Non enim mihi suffecit ex parte mea non dare causam interruptæ aut non conseruatæ cum illis pacis, sed insuper curę mihi fuit vt essem *pacificus*. i. vt quibus possem & oportunum foret officijs, aduersarios meos ad pacem componerem, redigerem ac prouocarem. De qua re Bernardus: Non mediocris titulus virtutis est inter prauos viuere bonum; magis autem si his qui oderunt pacem pacificum, & amicum ipsis te exhibeas inimicis, secundum Euangelium orando pro inimicis, benefaciẽdo his qui oderunt te. Hæc Bernardus. Illi verò, *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Non enim tranquillitas eius, inquit Ambrosius, eo proficiebat, vt eos qui pacem oderant, sua trãquillitate componeret, & eorum studia comprimeret: cùm enim, inquit, loquebar illis, impugnabant me gratis, hoc est, cùm causas impugnandi non haberent, impugnandi tamen studium non deponebant: quod eorum est, qui pacem non solum fugiunt, sed quod peius est, pacem oderunt. Cum his itaque dicit Psaltes se pacificum fuisse, vt det intelligi, pacem, non solum cùm latet, quærendam, cùm fugit, vt Psal. 34. v. 14. ex Hieronymo dictum est, persequendam, verumetiam apud eos à quibus odiosè repellitur, procurandam esse. 6.

Serm. 46. in Cant.

Amb. ser. 9 vers. 5. in Psal. 118.

PSALMVS CXX.

Canticum graduum.

QVi contradicentium linguas superauerit, huic ad proficiendum is restat gradus vt sit docilis, ac sedulo eorum requirat operam, per quos ad proficiendum dirigi possit & adiuuari. Psaltes itaque secundum huius cantici Psalmum in persona eius orditur, qui & proficere desideret, & in omnes eos per quos cursus eius promoueri possit, oculos semper vigilanter intentos habeat, in cuius persona dicit:

Leuaui oculos meos in montes. i. suspexi oculosque coniectos habui in omnes eruditione ac profectu virtutis sublimes. Sic August. Quem sensum 1.
etiam

etiam indicat Bern. epistola 83. & consentit Hilarius, montium nomine etiam angelos comprehendens & scripta sanctorum. *Vnde veniet auxilium mihi.* i. vt per illos captarem mihi auxilium ad progrediendum in via Domini. Per illos dico, non ab illis; quia

2. *Auxilium meum à Domino qui fecit cælum & terram.* i. Agnosco quoduis auxilium siue per homines detur siue per angelos, aut sine cuiuscuis creaturæ obsequio, à Domino prouenire, qui idem est creator cæli & terræ. Vel, qui in Spiritu sancto creat tam eos qui per abundantiam spiritus cælis comparandi sunt, quàm qui ob donorum spiritualium mediocritatem multa adhuc ex parte carnales sunt & terreni. Illi autem qui se hucusque progressum esse dicit, Psaltes per charitatem bene affectus, perseuerantiam in hoc, ad quem peruenit gradum, precatur, eique dicit:

3. *Non det in commotionem pedem tuum.* i. non permittat te Deus excidere ab hoc progressu vel (pes enim processum vel affectum significat) affectu tuo. *Neque dormitet qui custodit te.* i. ne vel in modico curam tui deponat Deus cuius est custodire te. Ne autem quis hanc orationem audiens, suspicetur Deum more hominum dormitare posse, subiungit Psaltes:

4. *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* i. Deus qui custos est Israelis siue sanctorum eius, de vigilantia sua nihil vnquam remittet, quia apud eum non est vicissitudinis vel momenti obumbratio, sed neque dormitabit neque dormiet, quod est animalium quæ corpore constant & anima; Est enim Deus incorporeus. Quia tamen Deus videtur dormire cum non protegit, & dormitare cum minus accuratè protegit, dictum est paulò ante, *non dormitet qui custodit te*, ad admonendum hominem ne ipse se Dei sui circa ipsum custodia, vlla in parte reddat indignum. Quisquis enim peccatum admittit, dormire sibi, inquit Ambrosius, facit Dominum. Vel, *Ecce non dormitabit, &c.* Tantopere enim Deus electorum suorum qui per Israel intelliguntur, protectioni inuigilat, vt non solum non obdormienti, sed ne dormitanti quidem similis videri aut comparari possit Ait namque Bernardus. vigilat super nos indefessus & peruigil ille diuinæ clementiæ oculus, & nunc quidem per seipsum implet splendoribus animas nostras, nunc per angelos visitat, nunc per homines instruit, nūc per scripturas. Nos autem, aut non intendimus aut minus intendimus reuerentiæ præsidentis. Quæ autem præcipua cura diuinæ protectionis?

Amb. serm. 11.

Serm. 11. in Psal. 90.

5. *Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.* i. protegit bene operandi quam tibi dedit virtutem vt per eam deuenias ad numerum eorum qui à dextris erunt. Hanc, inquam, protegit Deus: Quid enim valet hæc accepta potestas sine protectione Dei? inquit August.

6. *Per diem sol non vret te, neque luna per noctem.* i. Deo dexteram tuam prote-

protegente nec in prosperis nec in aduersis, vnquam de tuo gradu moueberis, ait D. Hieronymus. D. tamen Augusti. tum in hunc locum tum etiam tract. 1. in can. Ioannis per solem Christum intelligit, per lunam ecclesiam, à quibus non vritur qui nec scandalizatur in Christo, doctrina aut humilitate eius offensus, nec in Ecclesia, ab ea ob scandala quædam quæ in ea sunt auersus, more illorum de quibus scriptum est: Qui videbant me foras fugerunt à me: Vel arbitratus eam alibi inueniri posse quàm inuenienda est. *Hiero. in c. 26. Isaia.*

Dominus custodit te ab omni malo, non quasi non permittat ne te tangat tentet aut affligat vllum malum, cum in hac vita virtus in infirmitate perficiatur, sed, *custodiat animam tuam Dominus*, ne per incursum alicuius mali vllum animæ tuæ scandalum aut detrimentum patiaris. 7.

Dominus custodiat introitum tuum; vt viam iustitiæ quærens eamque ingredi parans non incidas in deuia, similis Israeli qui sectando viam iustitię, in viam iustitiæ non peruenit. *Et exitum tuum*, vt circa exitum tuum à iustitia non labaris. Vel, ex hoc mundo, inquit Gregorius, egrediens, à diabolo non rapiaris. Vel, *custodiat introitum tuum* in tentationem, quod tum facere censetur, inquit D. Augustinus, cùm non permittit nos tentari supra quam possimus. *Et exitum tuum*. i. custodiat te vt eò deuenias vbi non potest tibi accidere tentatio. *Ex hoc nunc & vsque in sæculum*. i. sine intermissione, quia necesse est, inquit Cælestinus, vt quo auxiliante stamus, eodem non auxiliante labamur. Videtur tamen id quod dicit vsque in sæculum, indicare precari Psalten, vt diuina protectio hæc adsit Ecclesiæ vsque in finem sæculi. 8. *Greg. hom. 13. in Ezec.* *Cælest. epist. ad Prosper.*

PSALMVS CXXI.

Canticum graduum.

PRæsenti Psalmo describit Psaltes quanto amore diligenda & quo nobis desiderio expetenda sit æterna mansio, quæ futura est in cælis. Quem etiam inter primos cantici huius Psalmos reponit, quia nemo in finem vel tendere incipit vel procurrit, nisi finis ipsius amore à principio excitatus. Dicit ergo in proficientis persona Psaltes:

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. i. exhilaratus sum, cùm audiui nos per cursum huius vitæ in domum Domini æternam in cælis esse deuenturos, illiúsque rei spes recreauit & animauit me. Cuius spei virtute, 1.

Stantes erant pedes nostri. i. perseueranter permansimus, *in atrijs tuis*. i. in Ecclesia huius temporis, quæ atrium quoddam est atque vestibulum tuum, ô *Hierusalem*. 2.

Hierusalem, inquam, *quæ* ex viuis lapidibus & in hac vita perpolitis, in 3.

 cælis

cælis *ædificatur vt ciuitas*, quia tota ijsdem legibus concorditer & vnanimiter viuit, æternísque cincta est muris & portis munita. *Cuius participatio eius in idipsum.* i. cuius omnes ciues concorditer participes sunt diuinæ
Aug. 3. de Trinit c. 2. incommutabilitatis, de qua scriptum est: Tu idem ipse es; inquit August. Dixi autem, quod *Hierusalem ædificatur vt ciuitas*,

4. *Illuc enim*, ex huius mundi peregrinatione, *ascenderunt tribus*, vt videlicet & illa perpetua mansio ex varijs tribubus, vt ciuitas ex vario ciuium genere, compingeretur. *Tribus* inquam *Domini*. i. illi qui ex singulis tribubus à Domino, in quo benedicēdæ erant omnes tribus terræ, electi sunt. *Testimonium Israel*, id est, quibus fides sua, & iustitia testimonium perhibuit, quia sint, inquit D. Prosper, veri Israelitæ in quibus dolus non est. *Ad confitendum nomini Domini.* Qui enim habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Quin & ciuitas hæc suis non caret tribunalibus,

5. *Quia illic sederunt sedes in iudicio.* i. sanctorum summi, qui Domino in illis, vt & in omnibus Sanctis, sedente, seu eos inhabitante sedes dicti sunt, *illic sederunt*, super sedes, vt promisit Dominus, duodecim. *in iudicio.* i. præditi iudicandi auctoritate & dignitate. *Sedes super domum Dauid.* i. sedebunt ad iudicandum Sanctos inferioris ordinis; per quod datur intelligi quod Sancti isti non in hoc solum dicantur iudicaturi, quia eorum comparatione mali merito condemnandi sunt, gloria enim hæc est omnibus Sanctis Dei, eaque ratione omnes Sancti iudicabunt, sed quod isti cum Christo
Aug. 20. de Ciuit. c. 5. præ reliquis Sanctis, teste Augustino, iudicabunt. Quæ cùm ita sint, ô vos sedes seu iudices.

6. *Rogate.* i. in extremo iudicio, cùm vestra authoritate fungemini, interrogate, & interrogando in medium adferte ea, *quæ ad pacem sunt Hierusalem.* i. per quę ad æternam pacem in Hierusalem peruenire poterunt illi, qui tum temporis ad sententiam iudicis incerti pendebunt, vt ibi manifestetur eos qui alioqui per semetipsos defecissent, per vos, quos sibi prius amicos fecerunt, recipi in æterna tabernacula. Quod fieri impossibile non est: Est
Leo ser. 3 de ieiun. 7. mēs. Et ser. 10. de qua. Bern. apolo. ad Guiliel. Gregor. 28 mora. c 10. Aug. tract. 32. In Ioā. Prosper sen tent. 360. enim, *abundantia diligentibus te*, quia ibi manifestabitur quod vestra abundantia suppleat inopiam eorū, qui inueniētur in vos misericordes extitisse vestrisq; laboribus ac necessitatibus fauore aut ope subuenisse. Non solum enim illa nostra sunt, ait Leo, quę ipsi gerimus, sed & illa de quibus in aliorum actione gaudemus. Vnde & Bern. Vnum ordinem teneo opere, omnes charitate: Fidenter dico, eorum fructu non fraudabor. Denique etiam in futura beatitudine locum habebit, quod dicitur, *Abundantia diligentibus te*, Dicit enim Prosper, Vt in futura vita sit Deus omnia in omnibus, fiet etiam in dispari claritate par gaudium, vt quod habent singuli, commune sit omni-

omnibus, quoniam per connexionem dilectionis à gloria capitis, nulla erit aliena pars corporis.
Fiat pax. i. ad pacem & concordiam mutuam hic ô domus Dei redigamur, *in virtute tua.* i. per communionem illius virtutis, v. g. charitatis, qua ibi inter omnes domus tuæ inquilinos pacem perpetuam seruas atque concordiam. *Et.* i. per hanc pacem in virtute tua factam, erit, *abundantia in turribus tuis.* i. vt alij interpretantur, in septis, siue turritis, quibus septa es, mœnibus tuis, Tametsi enim, vt in hũc locum scribit August. illi, qui paulò ante in iudicio sedere dicti sunt, pauci sint, quia ad sanctimoniæ excellentiam pauci pertingunt, non tamen illa ciuitas paucis rarescet ciuibus; Si enim comparatione aliorum, non multi Apostoli, non multi martyres, non multi euangelicæ paupertatis cultores, qui sedeant cum Domino in iudicio vt sedes super domum Dauid; permulti tamẽ in illam ciuitatem pace, concordia, ac communi dilectione deuenient, Ferculi namque sui media Rex Salomon charitate constrauit, propter filias Ierusalem, vt per viam vulgatam atque constratam tenellæ Christianorum animæ magno numero ad reclinatorium aureum siue requiem futuræ vitæ prę́stantissimam, peruenirẽt. 7. Cantic. 3.

8. *Propter fratres meos & proximos meos.* i. germano amore eorum qui mihi fratres sunt & proximi. i. omnium & quorumuis hominum; tametsi strictius proximi dicantur qui sunt nobis peculiari quadam sanguinis societate & cuiusuis occasionis sorte coniuncti, *loquebar pacem de te.* i. prædicabam, ac inculcabam bonum pacis tuæ, per quam in bonis replebitur omne desiderium. Vt, cùm pax sui desiderium in omnibus excitet, omnesque pacem appetant, amore pacis huius plenissimæ omnes tibi conciliarem, tuique communione dignos redderem. Nec solum propter fratrum meorum salutem id præstabam, sed præcipuè,

9. *Propter domum Domini Dei nostri.* i. vt domus Domini Dei nostri, amplissima domesticorum Dei numerositate & sanctitate, ad summam ipsius gloriam floreret & abundaret, *quæsiui bona tibi.* i. quæsiui hic bona passim operari, atque proferre quæ cederent in bonum tibi ipsamque domum Domini quæ tu es, glorioso prouentu illustrem redderent & adornarent. Vt enim proximus nobis propter Deum diligendus est, ita etiam oportet nos salutem proximorũ ob Dei gloriam principaliter quærere & expetere.

PSALMVS CXXII.

Canticum graduum.

DOcet Psalmus Christianum in quauis afflictione positum, animum suum debere ad Dominum subleuare, per similitudinem exponẽs, quo id affectu faciendum sit, qua spe, qua constantia, cuiusmodi

 prece,

prece, & oratione. Quod enim Psalmus de afflictione quæ ex opprobrio aut despectione oritur, ad Dominum clamat, ex eo docet, quid Christianis in quauis afflictione positis similiter faciendum sit.

1. *Ad te leuaui animam meam*.i.mentem meam ad te erexi, *qui habitas in cælis*, bona supersubstantialia cælestibus communicans, Ex quo additamento insinuat se animam suam ad Deum per fidem & spem rerum supernaturalium leuare, ad distinctionem eorum qui leuant animas suas ad Deum vt authorem naturæ. Quo autem affectu leuas animam tuam ad eum qui habitat in cælis?

2. *Ecce, sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum,*

3. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ.* Dicit, *sicut oculi seruorum*, &, *sicut oculi ancillæ*, quia tota Ecclesia, in vtroque sexu, affligitur, & afflicta, in vtroque sexu hoc agit, & hoc modo ad Deum loquitur. Similiter cõparatur Deus Hero & Dominæ, sicut etiam, authore Hiero. Spiritussanctus latinis masculino, Hebræis fœminino, Gręcis neutro appellatur nomine, vt significetur quod in Deo nullus sit sexus. Quamquam D. Augustino Deus dominæ comparetur, quia in S. sacra Deus & præsertim Christus vocatur Sapientia. Sensus igitur est, Sicut seruitia ab heris suis cædi iussa, mœstis quidem, placidis tamen oculis eosdẽ spectant, mœstitiâ suam miseriam, mansuetudine dominorum qui eos cædi iusserunt, iustitiam cõfitentes, hac spe vt eos etiam iratos hoc oculorum nutu ad misericordiam inflectant, *ita oculi nostri*.i.mentis in primis nostræ, *ad Dominum Deum nostrum*, tacita animi afflictione exponentes ei, vt misericordi, quam patimur aduersitatem, & interna animi æquitate, eius quem aduersitatis nostræ iustum nouimus authorem, confitentes iustitiam, Idque infatigabiliter, *Donec misereatur nostri*.i.donec qui iratus fuerit, misericordiæ recordetur. Vel, *Sicut oculi seruorum* sunt, *in manibus* siue, spectant in manus *dominorum suorum*, tanquam è quibus solis auxilium eis, omni alioqui auxilio destitutis, obuenire possit, *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum*, tanquã adiutorem nostrum vnicum, *Donec misereatur nostri*, subueniẽdo, inquit Ambros. Vbi iterum notandum est aduerbium Donec, non insinuare tempus aliquod quo negotium illud cui iungitur, finem accepturum sit, sed insinuare quod negotium cui iungitur, saltem ante tempus designatũ finiendum non sit. Hanc ergo atque eiusmodi affectu præditã mentem ad Deum oportet leuare, eum, qui eius misericordiam in suis necessitatibus implorat. Et quandoquidem oportet orationem de pura & pia in Deum mente procedere, ipsamque mentis pietatem aliqua saltem ex parte, (crescit namque pietas mentis, frequentatione orationis) oratione priorem esse, ideo nunc Psaltes prędictæ oculorũ siue mentis erectioni subiungit orationẽ, & dicit:

Hiero. in c. 40. Isaiæ.

Amb. de Apol. Dauid, cap. 15

Mise-

Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione. Ambulans enim itinere recto, & timens Deum, despicitur, inquit Sapiens, ab eo qui infami graditur via. Omnes enim qui piè volunt viuere, necesse est, inquit Augustinus, despiciantur ab his qui volunt impiè agere. Quia verò despici per se miserũ non facit (neque enim, inquit Cypr. qui audit, sed qui facit conuicium, miser est) sed ob despectionem in animi afflictione ac cruciatu versari, ideo miseriam suam imploratæ misericordiæ receptatricem planius explicantes adiungunt. 4. *Prouer.14* *Cyp epi.55*

Quia. q.d. ob id tuam misericordiam circa nos imploramus, quia vel ex animi infirmitate per quam non satis obtemperamus voci tuæ dicenti nobis, Nolite timere opprobria hominũ populus meus, Vel, quod satius est, ex displicentia alieni peccati alienæque improbitatis, *multum repleta est anima nostra.* i. multum afflicta est, siue multa afflictione repleta est anima nostra, Est enim anima nostra, *opprobrium abundantibus & despectio superbis*, Nos enim secundum tua præcepta, subinde electione & re, semper autem animo pauperes sumus, Alij autem voto, studio, amore, iactantia diuites; Nos humiles, illi verò elati; Illi ergo nos ob vtrumque despiciunt, quia sicut abominatio est, inquit Sapiens, superbo humilitas, sic execratio diuitis pauper. Vel, *opprobrium abundantibus & despectio superbis*, subaudiũt quidam, in futurum reseruatur; Nec abs re, scriptum est enim; illusio & improperium superborum & vindicta (talionis) sicut leo insidiabitur illi. Illos enim qui habuerunt iustos in derisum & similitudinẽ improperij, Dominus cõtemnet, & post id erunt sine honore. Priorem tamen constructionem sequuntur August. & Bernar. Itaque, *miserere nostri Domine miserere nostri*, vt miseriam in qua versamur, auferas à nobis, eam quidem quæ ex animi nostri infirmitate oritur, nostri; eam verò quæ est ex compassione & alieni peccati displicentia, aduersariorum nostrorum correctione. 5. *Eccli.13.* *Eccli.27.* *August.in hũc locum.* *Ber. epi.87*

PSALMVS CXXIII.

Canticum graduum.

PSalmo 34. Dixit Christus, Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi, eripiens inopem de manu fortiorum eius? Qua autem verborum forma seu apparatu id dicãt, explicat præsens Psalmus, in quo Christiani transactæ persecutioni superstites, prædicant Dei virtutẽ, & confitentur se vnico eius adminiculo, passiones & angustias suis viribus maiores, absque suæ salutis detrimento, inuocato Dei nomine, transegisse ac superasse, imò quosdam eorũ tolerata morte pro iustitia, eas per omnia euasisse: In hoc enim Psalmo audiri vocem & gratiarum actionem martyrum, testes sunt Epiphan. & Bernardus. *Epiphan. in hæret. 64.* *Bern ser 2. de om san.*

1. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc*, peracta scilicet persecutione, *Israel*.i.populus Dei qui inuentus est fortis & inuictus in prælio. *Nisi quia Dominus erat in nobis*. i.in medio nostrum, ipsam multitudinem nostram in singulis nobis protegendo ac corroborando;

2. *Cùm exurgerent homines in nos, fortè*.i.sanè, vel, vtique *viuos deglutissent*.i.repentè, nulla parte prius labefactatos, quasi vnico impetu in societatem impietatis suæ traduxissent *nos*. Quamuis enim D.August. id quod dicitur, *viuos deglutissent nos*, exponat vt sit sensus, sciẽtibus & agnoscentibus nobis traduxissent nos in consensum impietatis, vt is dicat se viuum deglutiri, qui viuens vidensquè contra propriæ conscientiæ dictamen perierit, attamen propriè hæc verba intelligi debent de illis quos vsque ad id tempus integros, prima & vnica persecutionis procella repentè prosternit.

3. *Cùm irasceretur furor eorũ in nos*: Ille, inquam furor, de quo Leo, Cum furor gentilium potestatum in electissima quæque Christi membra sæuiret, & eos præcipuè qui erant ordinis sacerdotalis impeteret, &c. *Fortè*.i.sanè, vtique, *aqua*. i.tribulatio nimia, suffocato spiritu nostro *absorbuisset*. i. in mortiferum errorem demersisset *nos*, Contra quam perniciem pro membris suis Psalmo 68.orauerat Christus, Non me demergat tempestas aquę, neque absorbeat me profundum. Nunc autem Dei virtute corroborata,

Leo ser. de S.Laurent.

4. *Torrentem*.i.impetuosissimam malorum incursionem *pertransiuit anima nostra, Forsitan*. Dicit August. græcam vocem ἆρα significantius translatam fuisse, si pro *forsitan*, interpres posuisset, putásne, Est enim hic sermo præ admiratione obstupefactorum atq; rem nimiam quasi credere hæsitantium, ac si dicerent: Veréne ita est quod *pertransisset*, siue, pertransierit, *anima nostra aquam intolerabilem*, quam diceres esse illum torrentem de quo ostensum est Ezechieli, quod transuadari nõ posset? facit enim magnitudo, periculi, inquit August. vt cum euaseris, vix credas te euasisse. Post quam admirationem, ad gratiarum actionem se conuertentes, in hanc erumpunt vocem.

Ezech. 47.

5. *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*. Id autem factum est eo, qui sequitur, modo,

6. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*. Sicut enim qui videt passerem inescatum, vel esca illectum velut iam cadere in muscipulam, strepitum facit, inquit August. & volat passer de muscipula; sic & Martyrum ac Confessorum aliqui intendebant collum in dulcedinẽ huius vitæ atque terrenæ pacis seu incolumitatis; Dominus autem qui erat in illis fecit strepitum gehennarum, siue incussit eis timorem gehennæ quæ parata est illis qui amorem vitæ ac incolumitatis temporalis præponunt Christo ac verbis eius, & erutus est passer de laqueo venantium, sicut scriptum est:

Princi-

Principes perſecuti ſunt me gratis & à verbis tuis formidauit cor meum, quia metu gehennæ quam Chriſtus negantibus ſe, atque à iuſtitia deſciſcentibus interminatus eſt, multi à committenda perfidia ſe continuerunt. Hæc autem gratiarum actio omnibus quos perſecutionis vis aut fraus non proſternit, communis eſt: Illis verò qui fortiter moriendo omnem in poſterum perſecutionis incurſum euadunt, propriè competit quod ſequitur:

Laqueus contritus eſt & nos liberati ſumus, Per mortem enim quam ſuſtinuerunt ſic euaſerunt quoſuis laqueos, vt eis amplius obnoxij non ſint. Suam ergo euaſionem tam ipſi qui vtrouis modo euaſerunt, quam Eccleſia Dei ipſorum nomine Deo aſſcribentes, vno ore concludunt. 7.

Adiutorium noſtrum in nomine Domini qui fecit cœlum & terram. Dicunt *in nomine Domini*, eo quod Deus eos corroborauerit per inuocationem ſiue frequentem interpellationem nominis ſui; Chriſtiani enim tormentis aut quæſtionibus ſubiecti, toties perceperunt ſe eſſe viribus auctos aut inſtauratos, quoties, Ieſu aut Chriſti nomen appellarint, inuocarint, aut ſe Chriſtianos eſſe fuerint profeſsi, vt de beatiſsima Blandina teſtatur Euſebius. Nec ſolum martyrum, ſed etiam omnium Chriſtianorum adiutoriũ eſt in nomine, ſiue inuocato, ſiue appellato, ſuisq; ſermonibus interpoſito nomine Domini præſertim Ieſu Chriſti: Dicit proinde Bernardus, Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? veniat in cor Ieſus & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum, nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nónne ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam? Cui aliquando ſtetit ante faciem ſalutaris nominis, duritia cordis, ignauiæ torpor, rancor animi, languor acediæ? Cui in periculis (quod præſenti propoſito Pſalmi proprium eſt) palpitanti & trepidanti, inuocatum virtutis nomẽ non ſtatim fiduciam præſtitit, depulit metum? Cui quæſo in dubijs æſtuanti & fluctuanti non ſubitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in aduerſis diffidenti iamiamque deficienti, ſi nomen adiutorij ſonuit, defuit fortitudo? Hæc Bernard. Ex quibus apparet quam verè dixerit Sapiens, Turris fortiſsima nomen Domini, ad ipſam currit iuſtus, dicens, Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & exaltabitur. Porrò quandoquidem vt author eſt Auguſt. ſancti in futura vita ad gloriam & laudem Dei, recordantur præteritorum ſuorum periculorum, è quibus per adiutorium diuini nominis erepti & eruti ſunt, idque cum gratiarum actione ibi identidem repetunt atque commemorant: Non immeritò arbitratur Bernardus Pſalmum hunc (tametſi non in hac, vt arbitror, verborum forma) etiam in futura vita à ſanctis frequentari & ſuo modo decantari, quemadmodum & Apocal. teſtatur 8.

Euſ. 5. hiſt. Eccleſi. c. 1. *Ber. Ser. 15 in Cant.* *Prouer 18.* *Aug. 22. de Ciuit c 22. & 14. de Trinit. c 9.* *Bern. ſer. 2 de omn. Sã.*

sanctos in cytharis suis, siue futuræ vitæ iubilo, cantasse canticum Moysi serui Dei.

PSALMVS CXXIIII.

Canticum graduum.

DEscribitur in hoc Psalmo quanta & quàm accurata sit protectio quam Deus præstat confidentibus in se.
1. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion.* i. ea fiducia qua in Domino confidit huius temporis ecclesia, *Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.* i. hunc suæ fiduciæ fructum in futura vita percipiet vt habitet in Ierusalem ciuitate superna vbi à beatitudine nequaquam excidere poterit. Interim verò dum eò tendit,
2. *Montes in circuitu eius.* i. circa eum omni ex parte versatur Angelorum custodia, qualis apparebat puero Helizęi in circuitu Helizæi discurrere. Est etiam in circuitu eius visibilis custodia præpositorum Ecclesiæ, de qua scriptum est: Super muros tuos Ierusalem constitui custodes. *Et Dominus in circuitu populi sui.* Custodiam enim populi sui Dominus dictis montibus non sic commisit, vt eam ipse vel in minima parte à se amouerit, sed Dominus vna cum montibus & in illis, per semetipsum dirigit ac protegit populum suum. Hoc autem diuinæ protectionis genus perdurabit, *ex hoc nunc & vsque in sæculum.* i. quamdiu voluetur tempus sæculare, donec scilicet Deus ponat omnes inimicos Christi sub pedibus eius. Non ergo erit perpetuum,
3. *Quia non relinquet.* i. perpetuam esse non permittet, *Dominus virgam.* i. dominium, tyrannidem, infestationem, persecutionem, *peccatorum super sortem iustorum.* i. societatem eorum qui sorte vocati sunt, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium volun-
Isaiæ 14. tatis suæ. Miserebitur enim, ait Isaias, Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel, & requiescere eos faciet super humum suam. i. terram viuentium, qui in hac terra cum Abraham, Isaac, & Iacob peregrinati sunt, quasi in aliena. Et erunt capientes eos qui se ceperant & subijcient exactores suos. i. in perpetuam seruitutem redigent eos quorum importunitati ipsi prius seruierãt fuerantque subiecti. Pergit Isaias: Et erit in die illa cum requiem dederit tibi, ô Sion, Deus à labore tuo, quo, sub iugo tyrannorum, laborabas, & à concussione tua quam ab impijs sustinebas, & à qua Ioannes dehortabatur milites, cùm diceret: Neminem concutiatis; & à seruitute dura qua ante Dominis dyscolis seruisti, sumes parabolam istam contra Regem Babylonis. i. diabolum omnibus tyrannis imperitantem, eosque sibi quasi tributarios habentem, & dices præ gaudio obortæ tibi plenę libertatis: Quomodo cessauit

cessauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum siue sceptrum impiorum virgam dominantium (hæc est virga peccatorum de qua Psalmus) cædentem populos in indignatione, plaga insanabili, subijcientem in furore gentes, persequentem crudeliter? Hæc, exceptis ijs quæ nos exponendo interiecimus, Isaias. Cum ergo Dominus, virgam peccatorum super sortem iustorum relicturus non sit, meritò dixi illud protectionis genus, de quo principium Psalmi exposuimus, perpetuum non fore; Ablata siquidem à sorte iustorum virga peccatorum, tradet Christus regnum Deo & Patri, & euacuabit. i. à pristino protegendi & administrandi officio cessare faciet omnem Principatum potestatem & virtutem. i. omnem humanã & Angelicam præcellentiam. Vel, *Non relinquet*. i. non patietur diu permanere, *Dominus virgam peccatorum super sortem*, quam diximus, *iustorum*, nè diutina ac continua importunitate, violentia, aut alia quapiam irritationis perpetuitate fatigati, *extendant iusti*, etiam qui sunt sorte, vt diximus, vocati, *ad* agendam atque operandam, *iniquitatem manus suas*, Nisi enim abbreuiati, inquit Dominus, essent dies illi, per quos in persecutione Antichristi relinquet Dominus virgam peccatorum super sortẽ iustorum, non fieret salua omnis caro, sed propter electos abbreuiabuntur dies illi. Si propter electos; Ergo per sortem iustorum intelligendi sunt Electi, sorte secundum propositum vocati. Quis autem erit finis eorum qui virga peccatorum in transuersum vrgente, Domino tamen protegẽte, in iustitia perseuerabunt?

Benefac. i. æternæ beatitudinis beneficium præsta, *Domine bonis & rectis corde*, implendo illud Isaiæ: Dicite iusto quoniam bene, videlicet erit ei; quoniam fructum adinuentionũ suarum recipiet. Quis verò fructus eorum qui stimulante virga peccatorum à iustitia deficiunt? 4.

Declinantes autẽ in obligationes. i. qui deficiendo à iustitia per id diabolo, æternæ damnationi & iniquitati sese obligant aut illigant, *Adducet Dominus*, in iudicium *cum operantibus iniquitatem*, Cum his enim censebuntur atq; partem accipient, nec eos ab horum numero vindicare aut immunes reddere poterit, à qua defecerunt, iustitia, Si enim auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur: in præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur. Porrò obseruandum est, quod hic non dicatur, facientes obligationes, sed, *Declinãtes in obligationes*; id est, vt etiam notat Hieronymus, Deficientes, aut descendentes ad obligationes; quod tum fit, cum homo suscipit iniquas obligationes, vel se obligat, astringit vel illigat iniquitati, diabolo, & reatui æternę damnationis. Proinde locus hic non rectè 5.

Ezech.18.

Hiero. in c. 58. Isaiæ.

Ttt allega-

allegatur contra vota ecclesiastica, quasi Dominus eos qui se Deo in bonum obligant, adducturus esset cum operantibus iniquitatē, quia qui huiusmodi vota emittunt aut obligationes istiusmodi amplectuntur, non declinant, sed semetipsos erigunt atque exaltant in obligationes, faciunt enim sibi non licere, quod cum suo detrimento licuisset. Cæterum Psaltes desiderans Ecclesiam immunem esse à declinatione in obligationes, more suo coronidis loco superioribus precationem subiungit, dicens: *Pax super Israel*.i.pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda & intelligentias electorum, qui sunt Israël Dei, vt non declinent in obligationes, siue ne vllis tentationibus, à iustitiæ integritate vellantur.

PSALMVS CXXV.

Canticum graduum.

DEscribit Psalmus ea quæ euentura erant, Domino Electos ad gratiam, è captiuitate diaboli & sæculi eruente, eósque in Sion, siue Ecclesiam, futurorum bonorum speculatricem, traducente & collocante.

1. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion*.i.cum Dominus Ecclesiam, præsertim gentium, è captiuitate diaboli, sęculi atque peccati collegit: Tam nos qui ex hac captiuitate eruti sumus, quàm illi qui nos ex eâdem in Dei nomine eruerunt, *Facti sumus sicut consolati*; Tum enim impletum est in

Isaia 51. nobis illud Isaiæ: Consolabitur Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius, & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. In quibus verbis vrget quidem D.Hilarius quod dicitur: *Sicut consolati*; quasi his verbis significaretur consolationem hanc magis cōsolationis similitudinem habituram quàm proprietatem aut veritatem: Sed Augustinus & Ambros. docent aduerbia similitudinis non semper, & nominatim non hoc loco, nudam similitudinem importare: Non enim per hoc quod dicitur: Gloriam quasi vnigeniti à Patre, significatur vnigenitus tantum similis Patri: Imò ne aduerbium, *sicut*, hîc vmbram solummodo gaudij importare videretur, subdit Psaltes ex persona eorum quos diximus.

August. in hunc loc. Ambr. ser. 13. in psal. 118. ver. 5

2. *Tunc repletum est gaudio os nostrum & lingua nostra exultatione*. Gaudio inquiunt, & exultatione; vt indicent gaudij exultationísque non solum proprietatem sed & plenitudinē, Vnde & Isaias verbis paulò ante citatis subiungit, Gaudium & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio & vox laudis. Et bene dicit vox laudis, quasi explicans id quod hoc loco dicit Psaltes: *Repletum est gaudio os nostrum*; Quomodo enim os repletur gaudio, nisi quando gaudium cordis redundat in vocem laudis & gratiarum actionis?

Tunc,

Tunc, dicent inter gentes. i. ſpargent ac diſſeminabunt per Eccleſiam ex 3.
gentibus collectam huiuſmodi ſermones. *Magnificauit Dominus facere cum eis*. i. magnificam miſericordiam ac gratiam præſtitit Dominus illis, quos è captiuitate ſæculi in Eccleſiam ſuam collegit. Quod & illi qui conuerſi erunt pia & veraci diuinæ gratiæ confeſsione confirmabunt dicentes:

Magnificauit Dominus facere nobiſcum: Facti ſumus lætantes. Lætantes inquiunt, quaſi declarantes aduerbium, quaſi; non eo modo hoc Pſalmo 4.
vrgendum eſſe quo putauit D. Hilarius. Pſaltes verò in hæc quæ ſuo tempore futura præuidit non parum exardeſcens, cepit vehementer optare vt eadem reipſa & opere implerentur; Eos itaque qui adhuc in captiuitate poſiti erāt per affectum ſibi copulans, eorum nomine exclamat ad Deum, Et nos ad pari affectu exclamandum informat & dicit:

Conuerte Domine captiuitatem noſtram, in qua nos ſub peccati iugo ve- 5.
tuſta ſeruitus tenet. *Sicut torrens in auſtro*, Sicut enim torrens, ait Greg. Greg. hom.
Glacie concretus flante Auſtro liqueſcit & fluere incipit, ita tu afflatu ſpiri- 13. in Eze.
tus tui ſolue pertinaciam & rigorem cordium noſtrorum, vt fluant lachrymæ compunctionis & riui, inquit Auguſtinus, charitatis. Quem etiā afflatū Aug. epiſt.
implorat quæ dicit: Veni Auſter, perfla hortū meum & fluāt aromata illius. 120 c. 22.
Quo ſpectabat etiam Sapiens cùm diceret, Sicut glacies in ſereno, ſoluētur Eccleſ. 3.
peccata tua. Quia verò hæc captiuitas non ſoluitur, niſi manu & ope apoſtolica & virorum apoſtolicorum (aſinam enim alligatam ſoluit manus, inquit Ambroſ. apoſtolica) qui in eam prima mittant fidei ſemina, ideo Hier in 10
& de illis, teſte Hieron. ſermonem infert Pſaltes & dicit: cap. Matth.

Qui ſeminant. i. in captiuitatē quam diabolus aſſeruat, prima, ad conuer- 6.
ſionē, fidei & pœnitentiæ ſemina iactant. Dico fidei & pœnitentiæ; annunciabant enim gentibus Apoſtoli pœnitentiam in Deum, & fidem in Chriſtum. *In lachrymis*, compaſsionis ſcilicet, vel potius, multo cum labore atque triſtitia cordis, quæ nomine lachrymarum ſignificantur etiam in Euang. cùm dicitur: Plorabitis & flebitis vos. *In exultatione metent*, id eſt, gaudebunt, cùm ſeminibus iſtis per irrigationes conuenientes ad maturitatem perductis, tempore meſsis opimas fruges in horrea Dominica congregabunt. Quam rem Pſaltes pluribus enarrans ſubiungit:

Euntes ad eruendam è vinculis hanc captiuitatem, *ibant & flebant*. i. la- 7.
borabant & in triſtitia & anguſtia cordis per frequentes lachrymas opus ſuum peragebant, vt apparet in Apoſtolo Paulo de ſe in hæc verba ſcribente; Nam & ego in anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas. *Mittentes ſemina ſua*. i. in locis vbi non erat annunciatus Chriſtus fidei ſemina & religionis prima rudimenta ſpargentes.

Venientes autem. i. ad Dominum à quo miſsi erant, redeuntes, *venient* 8.

cum exultatione portantes manipulos suos. i. confertas fruges bonarum segetum, quas in Domini agricultura & ipsi protulerunt & etiam alios proferre fecerunt. Diuus tamen Bernardus, Hæc posteriora verba priuatis, suam solummodo salutem operantibus accommodat, in hæc verba: Semina sunt bona opera, bona studia, Semina lachrimæ sunt. *Ibant*, inquit, *& flebant mittentes semina sua*, Quid ergo semper flebunt? Absit: Venient enim cum exultatione reportantes manipulos gloriæ.

Ber. ser. 37 in Cantica.

PSALMVS CXXVI.

Canticum graduum Salomonis.

DOcet Psalmus Ecclesiæ ædificandæ aut gubernandæ nullius operam aut industriam quicquam prodesse, nisi Domino cooperante: Qui merito inter Cantica graduum reponitur, gradum enim bonum sibi acquisiuisse oportet eum, qui ad structuram domus Domini, Domino architecto conuenienter subministrare poterit, eique fidelem operam nauare. Et inscribitur *Canticum graduum Salomonis*, vt titulus quasi digito demonstret hoc Canticum illis scribi, quibus incumbit Domum Domini quæ est Ecclesia Dei viui, cura generali vel particulari extruere vel gubernare.

1. *Nisi Dominus ædificauerit Domum.* i. nisi Dominus per semetipsum suppeditauerit hominibus fidem per quam fundatur, fraternitatis amorem per quam compingitur, charitatem, per quam in ædificationē sui incrementum corporis. i. profectum sanctimoniæ atque virtutis facit domus, quæ hoc loco, teste Ambros. est Ecclesia Dei viui, *in vanum.* i. absque fructu, siue spectato operis sui prouentu, *laborauerunt.* i. operam suam quantumuis diligentem, sedulam, & elaboratam adhibuerunt, *qui* verbo, exemplo, authoritate, & procuratione *ædificant.* i. extruere satagunt *eam.* Erit enim eis dicendum cum Isaia. In vanum laboraui, sine vtilitate fortitudinem meam consumpsi. Et cum Petro. Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Dixi autem, Per semetipsum, quia prædicationem, instructionem, aliaque sanctæ ædificationis adminicula etiam Dominus ad ædificationem Ecclesiæ administrandam suppeditat, sed per alios, nemo enim eorum qui Ecclesiam ædificant, ei quippiam debitæ operæ de suo adhibet, Id verò per quod Ecclesia fundatur compingitur & exaltatur, Dominus eidem suppeditat per semetipsum. Fidem enim dare, amorem fraternitatis, charitatem & reliqua intrinseca incremēta, excedit, inquit Augustinus, humanam humilitatem, excedit angelicam sublimitatem, non pertinet nisi ad Agricolam Trinitatem. Cùm ergo structuræ huic extremam, & sine qua nulla sui parte cōsurgit, manum admouere solius Domini sit, merito Psalmus ædi-

D. Ambr. 2 in Lucam.

Aug. tract. 80. in Ioā.

mus ædificationem domus Domini Domino simpliciter asscribit dicens: *Nisi Dominus ædificauerit domum*, Eandem enim ob causam dicit Apost. Corinth. Dei structura estis, Dei ædificatio estis. Laborant itaque ædificare Ecclesiam, qui eam congregant, quique in operis, inquit Ambrosius, sunt, ædificationísque processu. Qui verò Ecclesiæ iam suo loco constructæ, atque ædificatæ curam gerunt, & perfecti, inquit idem, operis receperunt custodiam, vt Ecclesia iam fundata & ædificata in doctrina Apostolorum & traditione maiorum indesinenter perseueret, dicuntur Ecclesiæ nō structores, sed custodes, Vnde & sponsa in Cantico: Structores siue ædificatores Ecclesiæ ab eius custodibus distinguens, Mille, inquit, tui pacifice, quibus verbis designat eos qui Ecclesiæ pacem attulerunt, siue eam in pace fundauerunt & extruxerunt: Et ducenti his qui custodiunt fructus eius, Vbi designat eos qui Ecclesiæ iam ædificatæ inuigilant, appellans eos Custodes quia illis dicitur: Depositum custodi. Vt ergo custodes norint etiam suam operam inanem futuram, nisi ipsis per Dei gratiam vigilantibus Dominus per semetipsum piæ solicitudinis produxerit fructum, effectum, aut vt Apostolus appellat, incrementum, addit Psaltes: Amb. de paradiso. c. 5

Nisi Dominus custodierit ciuitatem. i. Ecclesiam, quæ iam ædificata fuerit vt ciuitas, *frustra vigilat qui custodit eam*. i. deposito eius custodiendo atque seruando inuigilat. Quamquam hoc, sicut & id quod prius dictū est: *Nisi Dominus ædificauerit domum*, eò referri possit, vt significetur quod nisi Dominus supra omne ministerium, obsequium, industriam & operam humanam per semetipsum permulta Ecclesiæ tum ædificandæ tum custodiendæ suppeditauerit, fabrica Ecclesiæ, vt oportet, consurgere aut incolumis permanere non possit. De qua re Ambros. Seruulos Christi magis custodiunt, adde & ædificant, qui non videntur, quam qui vidētur. Ne autem isti qui Domino cooperante laboris ac vigilantiæ suæ bonum successum acquirunt & prouentum, gloriam sibi ob hæc debitam in hac vita, vt fit, aucupentur, per cautionem dicit ad eos Psaltes: *Vanum est vobis* O Ecclesiæ Dei structores atque custodes, *ante lucem*. i. ante ortum futuræ diei, de qua Psal. 96. dictum est. Lux orta est iusto, vt ibidem explicuimus *surgere*. i. vosmetipsos erigere, vel gloriari, quod prohibuit Dominus, cùm diceret: Nolite in sublime extolli. Quid ergo? Nunquid non sublimitas & gloria debetur laboribus eorum? Vtique, Quando autem? *Surgite*. i. sublimitatem vestram & gloriam capessite, *postquam sederitis*. i. postquam seruitutem vestram in humilitate & labore expleueritis. Hic enim vobis de obsequio in labore & humilitate præstando, sine intermissione cogitandum est, exemplo eius qui dixit, Memores estote fratres laboris nostri ac fatigationis die ac nocte. Idque eo magis quia vos estis *qui* 2. Amb. orat. cō. Auxent. Luca 12.

manducatis panem doloris.i.quibus labor & dolor panis, vt ita dicam, quotidianus eſt. Manducare namque panem doloris, idem eſt cum eo quod Pſal.41. interpretati ſumus, Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Dicit enim Hieron. quoſdam non fruſtra per panem doloris intelligere aut hæreticorum ſacramenta, aut vitæ iſtius miſerabilis, & ærumnoſæ laborem. Addo, & præfecturæ eccleſiaſticæ onus, miſeriam, atque difficultatem. Dicit itaque Pſaltes, *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris*. q.d. ante oculos veſtros, ſi non obſtupuiſtis, quotidie cernitis, quod doleatis, quod lugeatis, quod corrigẽdum, quod à vobis exigendum ſit, & vos hoc tempore, gloriæ aucupandæ, fruendæ, aut vobis conciliandæ intenti eritis? Quibus præ dolore vix libère deberet viuere, his omni iuſto dolore ſemoto lubebit dies ſuos in bonis ducere? Quibus præ ſollicitudine, vt D. Bernardi verbis vtar, ociari non licet, gloriari libebit? Et, ſi gloriandum ſit, non potius, quæ infirmitatis ſunt gloriabuntur, vt ſint cum Apoſtolo in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in inſtantia quotidiana, ſollicitudine ſuarum Eccleſiarum? Sed parua, & minimè ambienda hæc videtur gloria: Imò, Quis mihi det, inquit Bernardus, ſimilẽ fieri in gloria ſanctorum? Clamat namque ſcriptura: Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: Et Apoſtolus: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hoc, ô Papa Eugeni, glorieris optimo genere gloriæ, quod Apoſtoli, quod Prophetæ, delegêre ſibi, reliquêre tibi. Agnoſce hæreditatem tuam in cruce, in laboribus plurimis. Si deterret labor, inuitet merces. Supereſt enim tibi corona iuſtitiæ, quã reddet tibi Dominus in die illa. Quæris qua?

D. Hieron. epiſt. 141.

Bern. de cōſiderat. l. 2

4. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum*. i. cum eos, quorum Deus in hac vita fidem dilexit, in mortem corporis fecerit obdormire, ad vitam aliquando euigilaturos; *Ecce hæreditas Domini*. q.d. tunc cum admiranda rerum metamorphoſi apparebit, eos, qui hîc in labore, ærumna & obſcuritate pro Chriſti Eccleſia fuerunt, pertinere ad hæreditatem Chriſti, & eſſe cum Chriſto cohæredes Dei. Quæ hæreditas eſt *filij merces, fructus ventris*. i. in mercedem deputata eſt filio Dei, qui eſt *fructus ventris*, quia ex virgìnali vtero B. Mariæ ſecundum humanam naturam effloruit. Hunc ſenſum aſsignat Ambroſius græcum textum ſecutus, in quo *fructus* eſt genitiui caſus. Quia tamen *fructus* Hebræis eſt nominatiui caſus, non inconueniens prædictorum verborum hic erit ſenſus. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini*. i. cum ô dilecti Dei in Domino obdormieritis, adibitis Dei hæreditatem, quæ poſita eſt in poſſeſsione beati regni. Quæ hæreditas eſt *Filij merces*; eſt enim à Chriſto Dei filio per ſua merita, atque labores ſibi & vobis comparata, & proinde eam adituri eſtis tanquam gratiam,

Ambr. li. 2. in Lucam.

tiam, vt loquitur Concilium Tridentinum, Filijs Dei per Iesum Christum misericorditer promissam: Et est simul *fructus ventris*. i. prouentus illius laboris, quo parturijstis, & peperistis, in primis, vobis spiritum salutis, deinde Christo & Ecclesiæ, complures filios in æternam salutem, & ob id hæreditas hæc erit etiam merces, vestris, quibus Christo per eius spiritum desudastis, laboribus debita; Eam proinde duplici titulo acquiretis, & possidebitis. Sed, hic prætereundum non est, quod locus iste obijciatur contra purgatorium: Si enim, inquiunt, cum Deus dederit dilectis, siue electis suis, omnibúsque iustis, somnum, reliqua eis sit hæreditas Domini, ergo iusti mox à morte efficiuntur beati. Respondetur, locum hunc tantum definire, quod hæreditas iustis, non nisi post mortem expectanda & adeunda sit, non autem quod illa à morte è vestigio adeatur. Nam & ante Christi aduentum verum erat dicere, *Cùm dederit dilectis suis somnum ecce hæreditas Domini*, & tamen eo non obstante, illo tempore admodum diu detinebantur dilecti Dei in sinu Abrahæ priusquam adirent hæreditatē. Post hæc adiungit Psaltes quædam spectantia ad efficaciam & soliditatem verborum, quæ locuti sunt illi, per quos sapientia ædificauit sibi domum, construxit Ecclesiam, & dicit:

Conc. Trid. sess. 6. c. 16

Sicut sagittæ in manu potentis ita filij excussorum. i. Apostoli qui secūdum carnem filij sunt Iudæorum, qui in posteris suis excussi sunt, à templo & loco per Romanos; Quem sensum commendat Hieron. & nos tanquam clariorem cæteris præferimus; Hi ergo sunt *sicut sagittæ*. Verba enim eorū viuacissima & acutissima, sunt sicut stimuli, & sicut claui, vt dicit Sapiens, acuti. Nec hoc solum, sed sicut *sagittæ in manu potentis*, quia loquebantur prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Spiritu Sancto autem in illis loquente, eorumque sermones aspiratione sua in affectum à se præparatum atque spectatum dirigente & ordinante, necesse erat verba eorum magnam ad penetrandum vim ac energiam habere, Verbum enim, inquit per Isaiam Dominus, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Quæ autem harum sagittarum vtilitas? 5.

D. Hieron. epist. 141.

Eccles. vlt.

Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis. i. qui doctrinam Apostolicam pro voto suo affectu ac intelligentia comprehendit; *non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta*. i. Non confundetur in die iudicij cum ibi calumnijs diaboli ei respondendum erit. Doctrina enim Apostolorum quam sectatus est, ab omni eum confusione facile vindicabit. Vel, quando ei inimicis veritatis *in porta*, siue quadam altercatione respondendum erit, *non confundetur*, adhærendo enim doctrinæ Apostolicæ, erit operarius inconfusibilis rectè tractans verbum veritatis. 6.

PSAL-

PSALMVS CXXVII.

Canticum graduum.

SVperiore Psalmo descriptus est sanctimoniæ gradus, quem conscendere, vel in quo versari debeat Ecclesiæ Præpositus, hic verò proponitur iustitiæ gradus ad quem contendere, & in quo ambulare debet is qui fuerit in Domino coniugatus, Vt in Canticis graduum, varij hominum ordines gradationes, & gradus suis profectibus conuenientes inueniant & intueantur: Quanquam nihil vetet etiam hunc Psalmum, de præpositis Ecclesiæ metaphoricôs exponere; qui sic habet.

1. *Beati omnes* cuiuscumque demum status aut conditionis fuerint, *qui timent Dominum* timore Domini sancto, qui permanet in sæculum sæculi, qui pari cum charitate gradu increscit ac proficit. *Qui ambulant in vijs eius.* i. secundum leges eius conuersantur, Vbi aduertere licet ad adipiscendam beatitudinem præter mẽtis rectitudinem etiam opera bona necessaria esse. Et hæc quidem beatitudo omni hominum generi promiscuè communis est & vulgaris: Conuertit verò Psaltes sermonem ad peculiare hominum genus quod est coniugatorum, cuius beatitudinem sigillatim & particulatim describens, alloquitur illud in hunc modum.

2. *Labores manuum tuarum quia manducabis.* q.d. Beatum te prædico, quia de labore manuum tuarum victum tibi conquiris, ipsa sedulitate tua atque industria tantopere delectatus, vt non tam laboris tui prouentu ac fructu, quam ipso labore pasci ac refici videaris, procul ab infœlicitate eorum, quibus ipsa sua inertia grauis est, & quos otium ac ignauia tædio tabescere facit, atque consumit. Sed quid hoc ad beatitudinem? Audi Ambros. Oremus hic potius laborem subire, vt in regno cælorum consolationem quietis æternæ mereamur adipisci. Magna enim illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum. In superbiam enim extollit, obliuionem authoris infundit, idque, quia in manibus omnia ad voluptatem suppetunt. Sed labore manuum victum sibi conquirere, contemptibile est & ignobile? Est, sed superbiæ humanæ: Opera enim, inquit D. Augustinus, fabrorum, structorum, sutorum, rusticorum, & his similia non honestas ipsa reprehendit, sed superbia eorum qui vocari honesti amant, sed esse non amant. Non igitur dedignaretur Apostolus, siue rusticanum opus aggredi, siue in opificum labore versari. Qui enim ait, Sine offensione estote Iudæis & Græcis & Ecclesiæ Dei, quos in hac causa reuereri posset, ignoro; Si Iudæos dixerint, Patriarchæ pecora pauerunt; Si Græcos, etiam Philosophos multum sibi honorabiles sutores habuerunt; Si Ecclesiam Dei, homo ille iustus, & ad testimonium coniugalis semper mansuræ virginitatis electus,

Ambr. 2. de inter. ca. 5.

August. de oper. mon. cap. 13.

electus, cui desponsata erat virgo Maria, quæ peperit Christum, faber fuit.
Quicquid ergo horum cum innocentia & sine fraude operantur homines,
bonum est. Hæc D. Augustinus: qui tamen labores suos manducare asse- *August. de*
rit eos, qui in Ecclesia spiritualem tantummodo laborem, carnis labore, *oper. mon. cap 7.*
teste Ambrosio, maiorẽ, exhibent. Imò, abore sibi victum comparare non *D. Ambr. in*
solum honestum, verum etiam heroicum esse, satis probat illud Pauli, *Psalm. 37.*
Quod mihi necessarium fuit & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus
istæ, Si enim res hæc aliter se haberet, non cederet in laudem D. Cypriani, *Ep. 26. int. epist. Cypr.*
quod ad laudem ei scribebant Moyses, & maximus presbyteri, Nicostratus,
& Rufinus diaconi & cæteri confessores in carcere positi; Gaudium no-
strum est, quod in officio episcopatus tui, licet interim à fratribus pro tem-
poris conditione distractus es, tamẽ non defuisti, quod literis confessores
frequenter corroborasti, quod etiam sumptus necessarios de iustis labori-
bus tuis præbuisti. Hæc illi. Vt enim heroicum magis est regnum cælorum
ex meritis, quam gratis accipere, ita heroicum magis est & nobile, panem
suum de iustis laboribus suis sibi comparare, quam gratis feliciter quidem,
sed molliter acquirere. Itaque *Beatus*, quia in beatitudinis statu constitu-
tus *es*, *& bene tibi erit*, quia ad hæc, complura tibi à Domino bona acce-
dent. Et in primis quidem

Vxor tua, Domino dirigente tibi nupta. Diuitiæ enim & domus dantur 3.
à parentibus, à Domino autem propriè vxor prudens, *sicut vitis abun-
dans in lateribus domus tuæ*, Sicut enim vitis serpit per omnia latera do-
mus ijsque adhæret, ita vxor, de qua hic sermo, totam domum, (incumbit
enim ei regere familiam, gubernare domum) perambulat, sicut vitis fructi-
ficans suauitatem odoris siue bonæ ædificationis, suauemque fructum fi-
liorum, bonorum operum, aliorumque temporalium atque spiritualium
prouentuũ. Sicut enim sol mundo oriens, inquit Sapiens, in altissimis Dei, *Ecclesi. 26*
ita mulieris bonæ species in ornamentum domus eius, lucerna splendens
super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem. Inter
bona autem quæ timenti Dominum accrescunt, numeratur eiusmodi vxor:
Mulieris enim bonæ, inquit ibidem Sapiens, beatus est vir, numerus enim
annorum illorum duplex, Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vi-
tæ illius in pace implebit, Pars bona mulier bona, in parte bona timentium
Deum dabitur viro pro factis bonis. Hæc Sapiens. Quæ tamen à Sapiente
& etiam à Psalte non sic dicta sunt, quasi mulier bona, & vt vitis in omni
domo fructificans, vnica pars, ac quantum ad hanc vitam attinet, sors sit
iustorum, & quasi illi qui vxoribus sua se voluntate abdicant, aut iusti non
sint, aut iustorum parte se in hac vita fraudent; Absit, Hæc enim iustorum
pars hoc Psalmo & à Sapiente prædicatur quidem & commendatur, vt

ſciamus & illam ad Dei prouidentiam benedictionemq́ue pertinere, ipſamq́ue hominis beatitudinem in hac vita etiam in eiuſmodi bonis poſſe conſiſtere; Verum id ſine præiudicio partis melioris & beatitudinis potioris, Niſi enim ſacra continentia, quauis vxoria felicitate potior eſſet atque præſtantior, non diceret Sapiens, Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata, Omnis autẽ ponderatio non eſt digna continentis animæ. q. d. Pondera, atque exaggera coniugij bona vt vis, aut quantum vales, non poteris bona coniugij in eo pondere, (pondere inquam ſanctuarij, cui ſua quantitas Dei iudicio diſpenſatur atque attribuitur) exhibere, in quo exhibentur bona continẽtis animæ. Et ſi enim pars bona mulier bona detur viro pro factis bonis, ad quãto meliorem partem putes pertinere nomen illud melius à fi-
Iſaiæ 56. lijs & filiabus, quod, iuxta vaticiniũ Iſaię, dabitur Eunuchis, illis inquam, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum?

4. *Filij tui* ex legittimo thoro à te procreati, *ſicut nouellæ oliuarum*. i. ſicut nouella germina Spiritus ſancti ex aqua & Spiritu ſancto regenerata, Quandoquidem, vt docet Auguſt. Matrimonium timentium Deum non eo fine determinatur, vt tranſituri filij naſcantur in ſæculo iſto, ſed, vt permanſuri renaſcantur in Chriſto, *in circuitu menſæ tuæ*, vt à te educentur in diſciplina & correptione Domini, vt monuit Apoſtolus. *Aug. 1. de nupt. & cõ. cap. 8.* *Ephes. 5.*

5. *Ecce, ſic*, vt ſcilicet ſit illi vxor, non ſola carne fœcunda, ſintq́ue illi filij, non illi de quibus ſcriptum eſt, Egrediũtur vt greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus: Hæc enim gentes inquirunt, pertinentq́ue ad benedictionẽ Dei temporalem, quę, vt ſplendor ſolis & pluuia, cõmunis eſt bonis & malis, ſed ſit ei vxor vt vitis fœcunda, quæ vt mulier ſapiens ædificet domum eius in timore Domini, ſintq; illi filij, de quibus dicit Sapiens: Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorum, & natio eorũ obedientia & dilectio, Iudicium patris audite filij, & ſic facite vt ſalui ſitis, Deus enim honorauit patrem in filijs, & iudiciũ matris exquirens, firmauit in filios; Si enim per prædicta Pſaltes nihil aliud ſignificare vellet quam mulierẽ fœcundam & filiorum turbam, vt quid mulierem viti, filios nouellis oliuarũ compararet, cùm in ſcripturis ſacris; vitis, odorem atq; dulcedinẽ Spiritus ſancti, Oliua verò eiuſdem pinguedinem ſoleat ſignificare? *Sic* ergò, vt explicuimus, *benedicetur homo qui timet Dominum*, Nam & illos qui timent Dominũ aliam in coniugio benedictionem non ſpectare, vel vnicus Tobias iunior, qui omnibus illis qui coniugium ineunt, in ſcripturis ſacris velut forma proponitur, teſtis eſſe poteſt per hæc ſua verba, Tu Domine ſcis quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugẽ, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum. Quod viri facilius præſtare poterunt, ſi audierint verba Ambroſ. hoc modo ſcribentis. Cur tu vultus *Iob 21.* *Eccleſ. 3.* *Amb. de inſti. vir. c. 4*

deco-

decorem in coniuge magis quam morum requiras? Placeat vxor honestate magis quam pulchritudine. Illa eligatur quæ Saram moribus referat. Idipsum vicissim & mulieres, si morem gesserint his verbis Augustini, Placeant vxoribus mariti, non quia diuites, quia sublimes, quia genere nobiles, quia carne amabiles, sed quia fideles, quia religiosi, quia pudici, quia viri boni. Sed quid? nunquid omnibus qui timent Dominum, hæc præstò est benedictio? Arbitror quod non, Nam & D. Hieron. fatetur Samuelem filios, inquit, pessimos, qui non ambulabant in vijs patris sui genuisse, Nec tamen ob id soluitur scriptura quæ dicit filios timentium Deum fore vt nouellas oliuarum in circuitu mensæ patris sui, quia Psalmus hic, cùm dixit timentes Dominum & in vijs eius ambulantes beatos esse, vniuersaliter locutus est, *Beati*, inquit, *omnes qui timent Dominum*; Cùm verò subiungit, *Ecce sic benedicetur homo*, indefinitè loquitur, significans benedictionem illam timentibus Deum concedi quidem, attamen non vniuersali distributione secundum altitudinem sapientiæ & scientiæ iudiciorumque Dei incomprehensibilitatem dispensari. His ex parte Dei promissis ac pronunciatis, psaltes, vt hactenus nõ semel obseruauimus, ex persona sua suum votum adiungens, illi qui ob timorem Domini benedictionem eius in opere manuum suarum, vxore, filiisq; consecutus est, consummationem precatur, & dicit:

Augu. 2 de nup. & cõcup. c 13.

Hier in ca. 63. Isaiæ.

Benedicat tibi. i. æternam benedictionem, de qua scriptum est, Benedixit filijs tuis in te, concedat tibi *Dominus ex Sion*. i. de cælesti specula sua, siue throno suo desuper, Per quam *& videas bona Hierusalẽ*, ciuitatis supernæ, *omnibus diebus vitæ tuæ*. i. in immortalitate, & perpetua beatitudine. Quæ Psaltis benedictio etiam nostræ eruditioni seruit: Ex ea namque insinuatur nobis, coniuges in hoc vocatos esse, vt, sicut monet eos Petrus, benedictionem hæreditate possideant, idque non solum per id quod tempore coniugalis vitæ in vijs Domini ambulant, verumetiam per ipsa opera coniugalia, si ea, vt monuit Tertull. tanquam sexuum officia cum honore necessitatis sub ipsis oculis Dei moderatè transegerint. Nam & Apostolus dicit, quod mulier (& similiter vir) saluabitur per filiorũ generationem, quam ad coniugale opus, & sexuũ, vt Tertull. dixit, officium pertinere quis ignorat? 6.

Tert. 2. ad vxo. cap. 3

Et videas filios filiorum tuorum: Hoc ad bonum coniugij & quandam senectutis temporalem consolationem atque felicitatem pertinet, qua, mysterio excepto, Iacob se frui declarabat cùm diceret ad Ioseph, Non sum fraudatus aspectu tuo, insuper ostendit mihi Dominus semen tuum. Et de Ioseph dicit Genes. Vidit Ephraim filios vsque in tertiam generationem, Filij quoque Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph. Quod scriptura ne quidem commemoratione dignum esse censeret, nisi saltem pertineret ad bonum aliquod naturæ à Deo cõcessum. Sed quia hic canitur can- 7.

ticum graduum, & præcipuè prædicantur coniugij bona sublimiora, vt coniuges discant illa sectari addit Psaltes, *Pacem super Israel.* q.d. videas eos timoris Domini hæredes, vt sint hæreditas sancta nepotes tui, stetq;. i. perseueret in testamētis, quibus gratiam & gloriam promisit Dominus, semen tuum, vt *videas filios filiorum tuorum pacem super Israel*, siue Dei populum, in quo cōuersantur; vt populo in cuius medio sunt, per bonam conuersationem & fraternitatis amorem, aut etiam piam Reip. procurationem, pacem adferant: Quod impletum fuisse videtur in nepotibus Tobiæ, de quibus sic dicit scriptura: Omnis generatio eius in bona vita & sancta conuersatione permansit, ita vt accepti essent tam Deo quàm hominibus & cunctis, (ô magnam pacem super Israel) habitantibus in terra. Et hæc quidem præsentis Psalmi est expositio literalis, à qua tamen veteres, Hilarius, August. & Hieron. se continuerunt, eo quod bona hic ad literam enarrata, nō obueniant omnibus qui coniugium cum timore Domini suscipiunt; sed id expositioni literali, vt paulo ante diximus, nihil obstat, non enim dicitur vniuersaliter, Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum, sed indefinitè, Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominū, Negare autē non possumus bona hic à nobis explicata, coniugatis coniugiū in timore Domini transigentibus, non raro obuenire. Attamen prætermittere non debemus quin huius Psalmi allegoriam paucis aperiamus. Itaque, *Labores manuum tuarum manducabis*, ô ordo Episcoporum aliorumque ecclesiarum Dei præpositorum, quibus hic Psalmus allegoricè competit, cum ipse obsequio tuo quo diuinæ voluntati in officijs ecclesiasticis deseruis, pasceris atque delectaris, vna cum Christo qui dicebat, Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei, vt perficiam opus eius, certus quod vnusquisque recipiet secundum suum laborem. Hac ipsa tua deuotione, *beatus es & bene tibi erit*, quia Deus laborem tuum per omnia infructuosum esse non patietur. Labor enim vester, inquit, non erit inanis in Domino, & tum, non solum *labores manuum tuarum*, sed insuper prouentum laborum tuorum manducabis, epulo tam opimo, vt delectetur in crassitudine anima tua. Quæris autem qua laborum tuorum prouentum acquiras ratione? *Vxor tua*. i. sapientia, de qua mandauit tibi Sapiens, dic Sapientiæ soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, quam & ipse sapiens circumeundo quæsiuit sibi sponsam assumere amator factus formæ illius, *sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*, ipsa namque Sapientia, menti tuæ castissimo complexu copulata, & vnus tecum spiritus effecta, per te & in te, sicut vitis fructificat suauitatem odoris, & bono odore suo vniuersam domum Dei quæ est ecclesia Dei viui, per os tuum manúsque tuas, (per sapiētiam namque tibi inhærentem, teque inhabitantem ac dirigentem, est odor oris tui

sicut o-

ſicut odor malorum, manúſque tuæ diſtillant myrrham, & digiti tui pleni ſunt myrrha probatiſsima) implet, recreat, corrigit atque corroborat, Non enim poteſt non eſſe permultis odor vitæ in vitam. *Filij tui* à te per hanc vxorem tuam Deo acquiſiti, *ſicut nouellæ oliuarum*. i. ſicut innouata templa Spiritus ſancti ac germina *in circuitu menſæ*. i. doctrinæ *tuæ*. Eſt enim, vt vaticinabatur Iob, omnipotens tecum, & in circuitu tuo pueri tui, expectantes te ſicut pluuiam, & aperientes os ſuum quaſi ad imbrem ſerotinum, vt ſuper illos ſtillet eloquium doctrinæ tuæ. Imbrem inquam ſerotinum, Tuo enim ore quaſi imbre quodam, vt appellat Iacobus, temporaneo, ſiue primitiuo catechiſati, tuoque lacte ineſcati, inhiant doctrinæ tuæ, vt perficias ea quæ deſunt fidei ipſorum eaque confirmes. O autem felicem te quem circundant filij tui ſicut *nouellæ oliuarum*. i. primitijs Spiritus ſancti imbuti, Cùm enim doctrinam ſpiritus proferas & virtutis, quomodo non ad doctrinam tuam nauſearent, ſi non eſſent ad accipiendam ſpiritualem diſciplinam ſpiritu imbuti, cùm ſermones Dei, vt docuit Bernar. non niſi eodem ſpiritu intelligendi ſint, quo ſunt compoſiti? *Beatus es*, qui ſpiritualibus ſpiritualia comparans, enarras verbum auri audienti, Domino tibi per ſpiritum ſuum aperiente cor, vt intendatur his quæ à te dicuntur. Eſt autē tibi & menſa corporis & ſanguinis Chriſti, quæ Tua dicitur, quia ex ea corpus & ſanguinē Domini in Chriſti nomine adminiſtras, *In circuitu huius menſæ tuæ filij tui ſicut nouellæ oliuarum*. Non enim ſe ingerunt huic menſæ filij tui, niſi ſpiritu ſancto inhabitante ſint ſanctificati, Non ſolum autem, ſed niſi inſuper ſpiritu ſuccēſi fuerint, feruidi, vt monuit Chryſoſ. & excitati. D. Thomę proinde magiſterio edocta canit Eccleſia, Sicut nouellæ oliuarum Eccleſiæ filij ſunt in circuitu menſæ Domini. *Ecce, ſic benedicetur homo qui timet Dominum*. Benedicetur inquam, benedictionibus vberum & vuluæ, vt multos generet & enutriat Chriſto. *Benedicat tibi Dominus ex Sion & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ*, qui verſiculus hic eodem modo exponendus eſt quo illum ſuperius expoſuimus. *Et videas filios filiorum tuorum*, Iuſtitia enim Domini in filios filiorum his qui ſeruant teſtamētum eius, vt in Pſal. 102. & 111. diximus. *Pacem ſuper Iſrael*, vt illi diu cuſtodiant Eccleſiæ pacem.

Iob 29. — Ber. ad fra. de mōt. Dei. — Chry. hom. 60. ad pop. Antioch.

PSALMVS CXXVIII.

Canticum graduum.

DEſcribitur quod ab initio ſui, omni ex parte inexpugnabilis fuerit Eccleſia, & ſimul quis ſit finis eorum qui eam oppugnant, Loquiturque Pſaltes in perſona Eccleſiæ & dicit:

Sæpe expugnauerunt. i. oppugnauerūt *me à iuuentute mea*. A primordio 1.

Tert Scorp. cap 8. enim iuſtitia vim patitur, inquit Tertull. ſtatim vt coli cepit Deus, inuidiam religio ſortita eſt; Quod Cypr. ab Abel vſque ad Chriſtum per exempla declarat, *Dicat* ad gratiarum actionem, Deo, ad gratulationem atque excitandam ſibi ſpem, *nunc.* i. cùm ætate maturuerit, *Iſrael.* i. Eccleſia Chriſti ſiue populus Dei.

Cyp. epi. 81

2. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, Etenim non potuerunt.* i. non præualuerunt *mihi.*

3. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores.* i. machinas quibus diſciplinam & iuſtitiam opprimerent, ac paulatim conuellerent, fabricantium more paulatim ad incrementum perduxerunt, easque fabricauerunt *ſupra dorſum meum,* quia vt exponit D. Greg. me id, velim nolim, portare coëgerunt; Sicut & ipſos malorum horum fabricatores, Nec enim machinationes eorum impedire, nec ipſos potui corrigere. Id autem fecerunt *Peccatores,* quo nomine deſignātur malæ vitæ fideles, ſicuti & Pſalmo 1. peccatores diſtinguuntur ab impijs ſiue infidelibus. Hic enim refertur perſecutio quam patitur Eccleſia à falſis fratribus ſiue malis Chriſtianis. Quo autem hæc fecerunt euentu? *Prolongauerunt.* i. auxerunt, multiplicauerunt *iniquitates ſuas.* Quid tandem?

Greg. paſt. cur. part. 2. cap. 10.

4. *Dominus iuſtus,* qui videlicet inultum abire non patitur, per extremum, vt in Pſal. 88. v. 24. expoſuimus, ſupplicium, *cōcidet ceruices.* i. indomabilem & incorrigibilem pertinaciam *peccatorū, Confundantur* æterna confuſione *& conuertantur retrorſum* in infernum, vt Pſal. 9. dictum eſt, *omnes qui oderunt Sion.* i. qui oderunt Eccleſiam eiúſque integritatem.

5. *Fiant tanquam fœnum tectorum quod priuſquam euellatur, exaruit.* Dicit in euangelio Dominus: Si quis in me non manſerit. i. in iuſtitia non perſeuerauit; mittetur foras. i. in die iudicij à corpore Domini, quod eſt Eccleſia, ſeparabitur; & areſcet, quia omni humore Spiritus S. & ſpe rediuiuæ charitatis priuabitur; & in ignem mittetur, & ardet. Cui conſentit & Pſal. 51. Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te & emigrabit de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium; quia omni vita & vitæ ſpe Deus impios in die iudicij radicitus priuabit. Eſt autem quoddam aliud euulſionis genus quo quis à corpore Domini euellitur & eijcitur de Eccleſia, à qua eiectus areſcit, quia qui Eccleſiæ Chriſti extorris eſt, in eo ipſa iuſtitiæ radix quæ fides eſt ſenſim areſcit & perit. Senſus ergo eſt, Euellentur à corpore Chriſti ſiue Eccleſia, & fide in eis emortua, radicitus areſcēt, priuſquam aut dies iudicij venerit, aut Eccleſiaſtica cenſura eos à corpore Domini ſeparauerit, Qui enim Eccleſiæ diſciplinam & ſanctimoniam oderunt & expugnare conantur, ſenſim eò prolabuntur vt ſchiſmata & hæreſes fabricent, & ſua ſponte Eccleſiá deſerendo, ab Eccleſia præſcindi aut euelli non ex-

non exſpectent, ſed Eccleſiæ cenſuram improba feſtinatione præueniant. Quale quid Nouato, Eccleſiaſticæ diſciplinæ & pacis hoſti, eueniſſe ſcribit Cyprianus in hæc verba: Nouatus qui de Eccleſia eijci & excludi habebat, *Cyp epi.49* iudicium ſacerdotum volũtaria diſceſſione præceſsit, qua ſi euaſiſſe ſit pœnam, præueniſſe ſententiam. Hæc Cyprianus. Quæ cum ita ſint, iſti qui priuſquam euellantur exaruerint, erunt tandem in numero illo,

De quo non implebit manum ſuam qui metet. i. Angeli meſſores non colligent iſtos aridos in Dominica horrea, nec inter manipulos tritici reponent; Et quia ipſi in cauſa erunt, ob quam exiguus ſit numerus electorum, per ipſos ſtabit quo minus angeli manus & ſinus ſuos præ colligendorum paucitate impleant. Nec ſolum id eis obuenturum eſt in futura vita, ſed etiam tempore vitæ huius fiet eis quod ſequitur: 6.

Et non dixerunt qui præteribant. i. qui pro tempore ſaluti Eccleſiæ inuigilabant, & per hanc functionem raptim tranſeuntes ad Dominum ſuum properabant; Qui rectè dicuntur Prætereuntes, ad differentiam eorum qui hæreditate volebant poſſidere ſanctuarium Dei, dicentes intra ſe, Hic eſt hæres, occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. Iſti, inquam, non dixerunt ſponte ſua arefactis. *Benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini*. Quia nominatim non oratur pro iis qui ab Eccleſia ſe ſponte ſeparauerunt. Iniquum enim eſt, ait Leo, impios ſanctorum nominibus ſine diſcretione miſceri. Vnde & Cypr. improbat nomen lapſorum offerri: Vel dicuntur eis non benedixiſſe, quia benedictionum quæ in Eccleſiam dicuntur, iure cõmunicationis, vt Cypriani verbis vtar, participes non ſunt. Denique, non dixerunt, qui præteribant benedictio Domini ſuper vos, quia præcepto D. Ioannis morem gerentes, ſchiſmati, hæreſi, vel factioni eorum Aue, non dixerunt, ſiue bene precati non ſunt. 7. *Leo epi.49 c 2. & epiſtola 46. Cyp epi.10*

PSALMVS CXXIX.

Canticum graduum.

DEſcribitur proceſſus quidam fidei, ſpei, orationiſque in pœnitente vt appropinquet peccatorum remiſsioni, eamque conſequatur, in quo pœnitens in actione ac exercitatione pœnitentiæ aliquanto tempore verſatus, precatur Deum in hunc modum.

De profundis. q. d. Audita voce tua qua dicis, Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael, de ipſo peccatorũ ad quod deueneram, cordiſq; in ima demerſi quodã profundo, ſicut Ionas de ventre ceti, iam inde hucuſq; *clamaui ad te Domine, Domine*. Nominis venerãdi repetitio, inquit Greg. precandi adauget affectum. Mouetur enim deſideriũ, ſi nomen quod diligitur replicatur, *Exaudi vocẽ meam*, qua, vt dicit Pſal. 36. clamaui ad te. 1.

Fiant

2. *Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ*. i. audientiam tuam diuinam vehementius intende, animumque tuum plus adijce ad exaudiendam vocem deprecationis meæ, quam iam frequentius ad te emisi. Cæterum,

3. *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit*? Obseruare ab omnibus fere sumitur, vt idem sit quod notare, accuratius præ oculis habere, quasi sensus sit, Si iniquitatum frequentiam atque nequitiam præ oculis habere volueris, *quis sustinebit* iudicium iustitiæ tuæ? Obseruationi autem in hunc sensum acceptæ opponitur dissimulatio, ita vt secundum hunc intellectum videatur Deus hic rogari, vt peccatorum frequentiam atq; nequitiam non vsqueadeo exactè scrutari atque perpendere velit. Quia tamen Deus in iudicio suo peccata propriè non dissimulat, & quia obseruationi hoc loco, non dissimulatio opponitur, sed propitiatio, atque propitiationis effectus qui est indulgentia atque ordinata peccatorum remissio; Obseruare, hoc loco potius idem est quod constanter & quasi obfirmato animo retinere, & remittere nolle, peccata, sicut animum obfirmare est propositum pertinaciter tueri, atq; in eo mordicus persistere. Sensus ergò est, Si iam frequentius à me pro peccatorum remissione interpellatus, in proposito retinendi mea peccata constanter, & quasi obfirmato animo permanseris, *quis sustinebit*? intelligunt quidam, peccatoribus imminens, supplicium, scriptum est enim; Quis poterit habitare cum igne deuoráte? quis habitabit cum ardoribus sempiternis? Vel potius, *quis sustinebit* pœnitentiam agere, Ad te diutius clamare, cùm sublata veniæ spe, incentiua, teste Ambr. auferantur pœnitentiæ? Quis enim hac Domini seueritate, vt Cypr. verbis vtar, attenta aut percepta, non statim pereat, non ipsa desperatione deficiat? Quis non animum suum à proposito lamentationis auertat? Operari tu putas rusticum posse si dixeris; Agrum peritia omni rusticitatis exerce, culturis diligenter insiste, sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos olíueti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes! Hæc & plura in eandem sententiam Cypr. Hanc proinde huius vocabuli expositionem priori præfero, præsertim cum secundum eam verbum [sustinere] hic & in sequentibus Psalmi versibus vnam & eandem habeat significationem. *Si ergò iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit*?

Ambr. li. 1. de pæni. c. 1. Cypr. epist. 52. in fine.

4. *Quia*, verò *apud te propitiatio est*. Propitiatio est negotiatio qua aliquẽ reddas propitium, sicut & propitiare est propitium reddere; Quia itaque propitiatio vel propitiare ordinatur ad alterum, erit loci huius hic sensus. Quandoquidem apud te, in dextera tua aduocatum habemus Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non nostris autem tantum,

tantum, sed etiam pro totius mundi peccatis; *Et propter legem tuam* quam constituisti, promittens certa lege nobis dimittere peccata, Dixisti enim, Si conuersus ingemueris saluus eris, Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra. Et, Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Denique, Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: propter hanc itaque quæ apud te est propitiationem, & simul propter *legem tuam*, secundum quam promisisti pœnitẽtibus remissionem, certus quod iniquitates non obseruares, *sustinui*. i. cum patientia longanimiter toleraui pœnitentiæ laborem & deprecandæ veniæ instantiam, donec per remissionem peccatorum tu venires ad me, vel ego in gratiam redirem ad *te Domine*. In quibus verbis obseruandum est spem veniæ, atque indulgentiæ expectationem, inniti propitiationi Christi, vt causæ inter meritorias, primariæ, primo enim illa loco recensetur, & pœnitentiæ, in legem merito accipiendæ remissionis, diuinitus institutæ. Pœnitentiam enim non nudam expectatæ indulgentiæ conditionem, sed eius meritoriam causam quodammodo esse, inter cætera testatum facit quod dicit Dominus; Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me. In legittimis itaque operibus pœnitentiæ suo ordine spem veniæ reponere, nõ potest vlla ratione pertinere ad præsumptionẽ: Præsumptio enim si bona, rationabilis, si mala, improba & importuna quædam præoccupatio est: Quid autem præoccupat, qui de eo quod sibi diuinitus prærogatum est, confidit? Hic proinde ad memoriã reuocare oportet illud Ambrosij, quod in Psal. 118. ad vers. 17. citauimus. Prærogatiua fidei est secundum Domini promissionẽ exspectare mercedẽ.

Sustinuit. i. in disciplina pœnitendi cum spe veniæ longanimiter perseuerauit *anima mea in verbo eius*. Verbum hic à quibusdam intelligitur idem 5.
esse cum Dei promisso, atque adeo instituta, quam diximus, pœnitendi lege; attamen non abs re intelligitur illud esse hoc loco à præmisso distinctum. Verbum enim hic est simplex Dei adhortatio ad pœnitentiam, sine adiuncta veniæ promissione, imo veniæ concessione suo arbitrio reseruata. Quale verbum Dominus Exod. 34. ad populum idololatriæ labe contaminatum locutus est, cum eum ad pœnitentiam adhortaretur in hæc verba: Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi. Dicere namque, Iam nunc depone ornatum tuum, erat populo vnica pœnitentiæ actione expressa, pœnitentiam damandare: Pœnitentibus siquidem ornatum ponendum esse Cypr. testatur; An illa, inquit, ingemiscit & plangit, cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, nec indumentum Christi quod perdidit cogitare? accipere pretiosa ornamenta & monilia elaborata, nec diuini & cælestis ornatus damna deflere? Et Ambros. Videas eos mutata veste (i. mutatorijs, ad luxum, ornatum, aut lasciuiam indutos vestibus) in-

Cyp. de lapsis, nu. 12

Ambr. li. 2. de pœn. c. 9

cedere, quos lugere & gemere oportebat, quia vestem ablutionis & gratiæ sordidarunt, Fœminas margaritis onerare aures, curuare ceruices, quas benè Christo, non auro inclinarent, quæ seipsas flere debebant, quod margaritam quæ de cælo est, perdiderunt. Cùm itaque demandata populo pœnitẽtia, adderet Dominus, Vt sciam quid faciam tibi, quid id aliud erat quam indulgentiam atq; criminis admissi veniam, suo arbitrio reseruare? Nihilominus, in hoc Dei, pœnitentiam demandantis, concessionem tamen veniæ suspendentis, verbo, erat Israëli sperandum, & nobis etiam sperandum foret, si tale verbum ad nos de Domini ore procederet; Piè enim præsumendum est, Dominum pro sua humanitate huiusmodi verba non absque compensandi, vel prouentus aut effectus debiti cõcedendi proposito proferre. Ad quem etiam modum, in verbo Domini, in nuptijs absque futuri miraculi promissione, dicẽtis, Implete hydrias aqua, erat omnibus qui id audiebant, & miraculum optabant sperandum; Quod pia mater Domini virgo Maria non ignorans, Quodcunque, inquit ministris, dixerit vobis facite, sperãdum enim est præmissa ab eo non nisi in suum finem ordinari ac præcipi. *Sperauit anima mea in Domino*. En tibi aliud atque adeo summum fundamentum spei. Etiamsi enim pœnitentes accipiendæ venię certam à Deo legem, imo, ne pœnitendi quidem verbum, præceptum, aut hortamentum, accepissent, oporteret tamen eos, de Domini bonitate præsumendo cum quadam spe accipiendæ veniæ ad eundem per pœnitentiam conuerti & recurrere. Sunt itaque fundamẽta spei nostræ: Deus, de quo nobis piè præsumendum est, quoniam bonus est, Christus, per quem nobis abundantius sperandum est, quia mediator noster est, Verbum Dei, ob quod nobis sperandum est, quia Deus, vt ex Isaia subinde allegauimus, non dicit, Frustra quærite me: Lex siue promissio eius, quæ spem nostram mirificè corroborat atque consolatur, quia per eam Deus spem futuræ veniæ nobis non solum ostendit, sed eam dare promittit & addicit; & ob id, à Deo totius cõsolationis, promissiones venię, quàm verba ad pœnitentiam exhortatoria atque nuda pœnitendi vel bene operandi præcepta, frequẽtius processerunt. Sensus itaque est: *Sperauit anima mea in verbo eius*. Quia ipso per verbum suum mihi pœnitentiam præcipiente, (de alijs Dei præceptis idem iudicium sit) spem futuræ veniæ, ob causas explicatas concepi. *Sperauit anima mea in Domino*. i. ipso nihil de pœnitentia mihi præcipiente, nec de venia promittente, sperauit siue sperare debuit aut parata est anima mea in Domino, eaq; quæ ipse est, bonitate, persuasus quod præ ea pœnitentem non repellet. Sed quamdiu hæc venia à diuina bonitate atque clemẽtia secundum legem eius speranda est? nunquid in adolescentia tantùm cum ætas lapsum excusat, aut semel à baptismo?

A custodia matutina. i. à primo tempore quo homo sibi per ætatem attendere valet, bonumque à malo discernere; *Vsque ad noctem.* i. vsque ad diem mortis suæ, *speret Israel*, si, & quotiescunque lapsus fuerit, & de profundis ad Dominum clamauerit, futuram sibi remissionem *in Domino.* Sit tamen memor eius quod Ioannes, simili doctrina tradita, infert. Hæc dico vobis vt non peccetis, sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum, Iesum Christũ iustum. Non enim hæc diuinæ indulgentiæ frequentia, fenestram aperire debet peccatis, sed ijs non hac confidentia admissis, iteratæ, & vel serò, paratæ tamen, veniæ spem demonstrare. Sed quæ tam frequentis indulgentiæ causa? 6. 1. Ioan. c. 2

Quia apud Dominum misericordia. i. quia Dominus multum est misericors, cui, vt dicit Leo, nec mẽsuras possumus præscribere nec tempora præfinire: Omne enim peccatum finitum est, inquit Basilius, misericordia autem Dei infinita. *Et copiosa apud eum redemptio.* i. diues apud eum est pretium, per quod nostra peccata redimantur, estque tam copiosum, vt non semel atque iterum, sed omnia quantumuis frequenter iterata, multumque accumulata valeat redimere peccata. Sed forte Tertull. aliquis fidei & Ecclesiæ extorris, huic copiosæ Dei miserationi opponet sententiam Montani & dicet: Est quidem copiosa apud Deum redemptio, sed illa hominibus tam frequenter non est impendenda ne lapsi alia delinquant: Cui obiectioni iam obuiat Psaltes per id quod subijcit: 7. Leo epi. 91 Basi. inter. breu. 13. Tertull. de pudic. c. 21

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. q. d. Non solum misericors est Deus, & Christus diues ad propitiandum, sed etiam interueniẽte pretio sanguinis Christi, Deus ipse *redimet Israel*, siue electos iam pœnitentes, ex omnibus iniquitatibus suis, ita vt omnes omnino, siue frequentatæ siue magnę, siue post frequentem remissionem iterum admissæ, iniquitates eorum à Deo re vera remittantur. 8.

PSALMVS CXXX.

Canticum graduum.

QVandoquidem contingit eos qui proficiunt ob profectum in superbiam erigi, Propter quod docuit Prosper, superbiam in virtutibus maximè esse cauendam, opportunè canticis graduum interponitur sequens Psalmus, qui quasi ab exemplis eius, cuius hic auditur vox, docet, ascendentibus à conualle plorationis & cantantibus Canticum graduum deuitandam esse superbiam, ipsumque in magno virtutum profectu non superbire, ad magnum perfectionis gradum pertinere, sicut scriptum est, Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Domino inuenies gratiam. Prosp. epist. ad Demet.

1. *Domine non est exaltatū cor meum.* i. per hoc quod hucvsque profeci, non cepi superbire. *Neque elati sunt oculi mei.* i. humilitate contentus, non specto aliquando obtinere magna. Sunt enim quidam qui priusquam profecerunt alta non rapiunt, nec ea ante tempus ambiunt, habent tamen cordis sui oculos in sublimia intentos, sperantes illa, postquam multum profecerint, obtinere. Per quam intentionē non id obtinent vt superbi non sint. sed solum vt in superbia sua importuni nō sint. Odit autē Deus oculos sublimes, vt ait Sapiēs: Possunt interim aliqui in alto gradu esse humili corde, si in illo versentur obedienter. i. exequantur munera sibi commissa tanquam onera & obsequia, nihil attendentes quam sint illa sublimia aut gloriosa.

2. *Neque ambulaui in magnis.* Sunt enim aliqui qui etiam virtutes colunt, non in qualitate rei bonæ aut Deo gratæ, sed magnæ & spectatæ. Ideo virtutes mediocres aspernati, semper maiora, per speciem perfectionis, fastu
Hier. 1. cōt. Pelag. quodam & cothurno interiore crepant & iactant. De quibus D. Hieron. Mutatus es in Stoicum, de Zenonis nobis tonas supercilio; nónne satis nobis est patiēter perdere quod habemus, nisi violento & raptori gratias agamus? Docet Euangel. ei qui tunicam nobis tollit, pallium esse concedendum, non præcipit vt agamus gratias & læti nostra perdamus. Hæc dico, non quod aliquid sceleris in ista sententia sit, sed quod vbique hyperboli-
Gregor. 28. mora. c. 11. cōs mediocria transeas & magna fecteris. Hæc Hieron. D. tamen Gregor. textum hunc hoc modo construit, *Neque ambulaui in magnis super me,* Cuius sensus est, Non tentaui maiora viribus, more illius de quo per improperium à Ieremia dicitur, Nec iuxta quod poterat conata est facere, sed supra quam poterat. Meo autem me pede metiens, intra facultates mihi à Domino concessas me absque arrogantia continui, exemplo Apostoli qui dicit, Nosmetipsos in nobis metientes & comparantes nosmetipsos nobis secundum mensuram qua mensus est nobis Dominus, nō superextendimus nos. *Neque in mirabilibus.* Hoc D. Gregorio illi faciunt, qui satagunt sua maiora videri quam sunt; non enim laborant illa opera præstare quæ suo,
1. Hex. c. 9 Ambros. verbis vtor, se probent testimonio nec alieno indigeant suffragio, sed satagunt ea quæ tenuiter faciunt, extollere, hominesque in eorundem admirationem varijs artibus quodammodo cogere, eisq; sufficit per exambitam, emendicatam atque etiam extortam existimationem in oculis hominum, & per suffragia eorū, in propria de se opinione creuisse. D. tamen Augustinus istud interpretatur de illis qui magis amant miracula facere, & ea quæ suspiciunt homines, quam quæ placent Deo, Exemplo Simonis Magi, qui plus amauit gratiam miraculorum, quam iustitiam, inquit, Christianorum. A qua vanitate Dominus discipulos auocat, cum illis tāquam rem magnam dicentibus, Domine in nomine tuo etiam dæmonia subijciuntur nobis, re-

bis, respondit: In hoc nolite gaudere, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Potest etiam intelligi de illis quos Augustinus mirabiliarios vocat, qui de mirabilibus. v.g. oraculis, apparitionibus, ementitisque miraculis apud credulos sese vera virtute vacui, venditant. Tales enim verè ambulant *in mirabilibus super se*. Quid autem detrimenti adfert in humilitate se non continuisse? *Aug. tract. 13. in Ioã.*

Si non humiliter sentiebam. Sentiebam, inquit, non opinabar, nam & Apostolus nos ad humiliter sentiendum hortatur, cùm dicit; Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu. Quod qui assecutus est, eò profecit vt non sit ei necesse delitescentem, inquit Basilius, in animo, magno labore comprimere superbiam: interno enim animi ac toto sensu humilis est, factus à Christo humilis corde. *Sed exaltaui animam meam.* 3. *Basil. cõst. mon. c. 10.*

Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea. i. Per exaltationem illam animi mei id mihi merito obueniet quod accidit illi qui præpropere ablactatur; Sicut enim talis ad virile robur non increscit, ita nec superbus ad vllam soliditatem interioris hominis peruenit, eò quod ab humilitate, quam D. Greg. vocat omnium virtutum matrem, desciuerit. Quid autem consolationis præsto erit humilibus? 4. *Gregor. 23 mora. c. 13*

Speret Israel in Domino. i. omnis qui ad electorum numerum vult pertinere, speret merito humilitatis à Domino, suo tẽpore, exaltari, qui dixit; Omnis qui se humiliat exaltabitur. Atque hac spe tædium perpetuæ suæ humilitatis, quasi cuiusdam ignominiæ suæ fastidium, à se depellat, *ex hoc nunc & vsque in sæculum.* Sicut enim in disciplina humilitatis perpetua esse debet Ecclesiæ exercitatio, ita de spe futuræ exaltationis, ipsa toto huius sæculi decursu suam sibi captare debet consolationem. 5.

PSALMVS CXXXI.

Canticum graduum.

A Principio, authore Hilario, exponit Psaltes labores quos Christus in diebus carnis suæ exantlauit, vt ecclesiam fundaret domum Domino. Qui tametsi hoc nomine mysticus sit, iure tamen inter cantica graduum reponitur, Exemplo enim laborum Christi tacite docemur, quibus laboribus nobis nitendum sit, vt nos, atque adeò Ecclesiam nobis commissam in templum Domino ædificemus. Vnde & Cyrillus hunc Psalmum istis ædificantibus pro parte accommodat. Recenset autem Psaltes labores Christi Deo Patri, vt mediante hac fidei commemoratione, fructum eorundem pro Ecclesia obtineat, & dicit: *Cyrill. in c. 30. Isaiæ.*

Memento Domine Dauid. i. Christi ex semine Dauid. *Et omnis mansuetudinis eius.* quam, ab omni ira tædio & morositate alienus exhibuit, tum 1.

in perferendis absque tædio & querela laboribus, tum in excipiendis & sustinendis aduersis, ita vt in omnibus his non fuerit tristis, neque turbulentus, nec audita sit vox eius in plateis. Virtus autem mansuetudinis sustinendis laboribus necessaria est. Fit enim, ait August. vt dum homo in subleuandis aliorum necessitatibus parum proficit, surrepat eidem tædium & fuscetur operandi, opúsque ceptum prosequendi, hilaritas quam diligit Deus. Imò & surrepit ira, quia facile indignamur ijs quę laboris successum remorantur vel auertunt; Vnde Augustinus definit iram esse turbulentum animi motum remouendi ea quæ facilitatem impediunt actionis; Nam subinde, inquit, & pennæ indignamur cum scribentibus difficulter atramentum reddit. Memento ergò omnis mansuetudinis eius quam exercuit;

August. de perf. iust. *Aug. epist. 115.*

2. *Sicut iurauit Domino votum vouit Deo Iacob.* i. prout requirebat votum eius quo se Ecclesiam fundaturum Deo deuouerat atque iureiurando confirmauerat. Vt enim Dei obsequium requirit deuotionem in suscipiendo, ita & in exequendo alacritatem ac animi suauitatem. Interim obseruandum est quod quandoquidem non legamus Christum vouisse aut iurasse, votum hoc ac iuramentum designare tantum deferendi obsequij summam deuotionem; ac tam constantem, atque astrictam, quam est constans atque astrictum propositum eius qui voto se astringit illudque iuramento confirmat, Vt notauit Hilarius. Id autem quod Christus vouit, vel mente deuota facere proposuit, hoc est;

3. *Si introiero in tabernaculum domus meæ.* i. si ipse propriam domum & mansionem habuero, & non potius tanquam peregrinus & viator de ciuitate in ciuitatem, loco in locum Euangelij prædicandi gratia transiens, alieno semper vsus fuero hospitio. In cuius rei testimonium in hæc verba Christum compellat Ieremias: Expectatio Israel saluator eius, quare quasi colonus (legunt alij aduena) futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es quasi vir vagus? *si ascendero in lectum strati mei.* Erat enim Dominus, ait Lucas, diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte Olíueti.

Ierem. 14. *Luca 21.*

4. *Si dedero somnum oculis meis.* Erat enim pernoctans in oratione Dei, *& palpebris meis dormitationem.* Orationem enim in qua pernoctabat ne quidem dormitatio modica obnubilauit, aut ad modicum tempus interrupit: Implebat enim quod dicit Apostolus, Orationi instate vigilantes in ea.

5. *Et requiem temporibus meis.* Non enim habebat filius hominis vbi caput suum, cuius pars sunt tempora, reclinaret, sed semper intentus erat operi & labori. Qua de re Ambr. Perfectus non dormitat qui diuinis animum intendit mysterijs, sed vigilat semper, & si caro dormit, cor vigilat. Non ergo dormiebat, qui templum Domino condere cogitabat verborum cælestium

Amb. ser 4 in psal. 118 versu 4.

stium exædificatione non lapidum. Verbum enim Dei repulsorium tædiorum est, quo somnus animæ, sopor mentis excluditur. Ex tristitia enim & sollicitudine sęcularium somnus irrepit, qui autem voluptatem capit cognitionis æternæ, nullam illic mutationem rerum pertimescit. Recte ergo Hilarius hæc de Christo principaliter prædicta esse intelligit, tantis enim laboribus natura humana per diuinum suppositum non confortata, non sufficit. Quocirca etiam Dominus dicenti sibi; Sequar te quocunque ieris. i. imitabor te in omnibus laboribus tuis, respondit; Vulpes foueas habēt, &c. Nunquid enim, inquit Ambr. fragilitas humana poterit Dominum in omnibus imitari? Stulta magis est eiusmodi præsumptio quam religiosa confessio. Vtitur autem Psaltes ad explicanda vota Christi propositionibus conditionalibus imperfectis, ijs enim vis iuramenti aut propositi Christi efficacissimè exprimitur. Sicut & in Psal. 94. efficacissime exprimitur vis diuini iuramenti cùm dicitur; Si introibunt in requiem meam. Sed quamdiu Domine in his laboribus perseuerabis? *Donec inueniam locum Domino tabernaculum Deo Iacob.* i. donec quæsitam diu ouem perditam inuenero, & in domum ac templum Dei aptauero; Vel, donec Ecclesiam fundauero, eamque sic omnibus ad salutem instruxero necessarijs, vt habeat omnia quæ ad templum Dei extruendum, emundandum, confirmandum, perficiendumq; perpetuò necessaria erunt. Porro facta mentione domus Domini, voluit Psaltes domus huius, & præsertim, quatenus in gentibus erat ædificanda, auspicia exponere, ac proinde in persona trium Magorum, in quibus per agnitionem Christi tanquam gentium primitijs statim à nato Christo fundata est domus Domini, loquitur in hunc modum.

Ambr. ser. 79.

Ecce audiuimus eum (*Eum* enim legendum esse non *eam* idq; Christum denotare, asserit D. Hier.) *in Ephrata.* i. Audiuimus Hierosolymis quod rex Iudæorum nasciturus esset in Bethlehem, quæ est terra Ephrata, Et eò properantes, *inuenimus eum in campis siluæ.* i. in spelunca quæ extra vrbem sita erat in campo & loco siluoso. 6.

Hier. in epi 14. Pau. c. 4

Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Idem est quod Matthæus dicit, intrantes domum & procidentes adorauerunt eum. Quem tamen versiculum Paula, teste Hieron. accommodauit ijs qui Hierosolymis, & præsertim in monte Olīueti, in quo Christus pedum suorum vestigia reliquit, adorant. Interim Hilarius & Augustinus, qui communem lectionem sequuntur leguntque [*eam*], Hos versus potius intelligunt de ijs qui Ecclesiæ iam à Christo diu fundatæ, sed ad gentes translatæ se aggregant, qui sic dicunt, *Audiuimus eam.* i. domum Domini, tabernaculum Dei Iacob, siue Ecclesiam Dei viui, *in Ephrata*, In Iudæa enim, cuius pars est Ephrata, prophetæ futuram Ecclesiam multipliciter 7.

annun-

annunciauerunt; sed, *inuenimus eam* fundatam in ea fide,doctrina,conuersatione, quæ à prophetis in Ephrata annunciata est, *in campis syluæ*. i. in gentilitate, quæ prius absque pietatis cultu in modum nemoris siluescebat: Quâ inuentâ. *Introibimus in tabernaculum eius*.i.Ingrediemur Ecclesiam, quæ est tabernaculum, siue domus Dei Iacob,posita in militia atque peregrinatione,Bene autẽ prius dicunt, *Audiuimus eam in Ephrata*: & postea,
Aug.li.13. cont. Fau. per totum. *inuenimus eam in campis siluæ*. Gentiles enim,vt docet Augustinus,in Ecclesiæ agnitionem deducendi sunt, facta eorum quæ de Ecclesia prædicantur ac in ea videntur, collatione,cum vaticinijs prophetarum, quæ Ecclesia à Iudæis, apud quos primum audita sunt, accepit. *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*. i. in eadem congregatione quam ipse in corpore
Cyrill.2.in Ioan.c.92. proprio præsens fundauit,cultum religionis,cuius initium, teste Cyrillo, est adoratio,Domino exhibebimus. His ergo per occasionem interpositis, Psaltes ad propositum redit: Et tempus,quo transactis laboribus Dominus in requiem suam esset ingressurus,sibi ob oculos ponens, eundem per apostrophen alloquitur, dicens:

8. *Surge Domine in requiem tuam*. i.exurge, inquit Greg. à mortuis, & in
Greg. hom. 20 in Eze. Hebr.4. requiem tuam, laboribus tuis in morte consummatis, per ascẽsionem tuam ingredere.De qua re Apost. Qui enim,Christus scilicet,ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis,sicut Deus à suis. Quis est autem cui dicitur, *Surge Domine*? Id explicatur per hoc quod sequitur, *Tu & arca sanctificationis tuæ*. q. d. Gestio te ad requiem tuam inuitare, qui Dominus es per diuinitatem, & in vnitatem personæ adiunctam tibi habes humanam naturam tanquam arcam sanctificationis tuæ, quæ te habitatore plenissimè & omni ex parte sanctificatur, & sanctificationis nostræ exemplar est & coniunctissimum,proprium ac singulare instrumentum. Itaque, quamuis Christus secundum humanam suam nostram propriè laborauerit, requieuerit,& in requiem suam introierit, dicitur tamen ei secundum diuinitatem, *Surge Domine in requiem tuam*, quia per diuinitatem, hæc omnia in humanitate sua erat operaturus. Imò, ipse Dominus sicut secundum humanam naturam ad inueniendum locum Domino laborauit, ita secundum eandem transactis laboribus in requiem suam introiuit. Domino autem in requiem suam è terris.secundũ visibilem suam præsentiam abeunte, quis labores eius quibus tabernaculum Deo Iacob, inuenit atque fundauit, conseruabit, complebit,eaque quæ desunt passionibus siue tribulationibus Christi pro corpore eius quod est Ecclesia, adimplebit?

9. *Sacerdotes tui induantur iustitia*. Istud rectius videtur intelligi de sacerdotio propriè dicto. Dicitur enim, *induantur iustitia*,ergo debet intelligi de sacerdotio quod potest subsistere sine iustitia,quale est sacerdotium

propriè

propriè dictũ, quod, præter ea quæ annexa habet, in potestate consecrandi, offerendi ac distribuendi corpus Christi, principaliter consistit. Sacerdotium verò vulgariter dictũ ferè non est nisi iustorũ; Huic enim sacerdotio competit illud Psaltis, Sacrificate sacrificium iustitię, quod sacrificium non sacrificant qui iusti non sunt. Quo circa & Petrus Apostolus regale sacerdotium non tribuit nisi illis de quibus dicit quod sint gens sancta, genus electum, populus acquisitionis, & id genus plura quę non possunt nisi iustis competere. Dicit itaque Psaltes, *Surge Domine in requiem tuam*: &, *Sacerdotes tui induantur iustitia*. q. d. Non est Domine quod tu per arcam sanctificationis tuæ in supradictis laboribus perpetuò verseris. tui enim tẽporis cursu expleto, *surge in requiem tuam*, tuosque. i. tibi dedicatos atque à te institutos ac consecratos sacerdotes iustitia indue (ille namque, inquit D. Augustinus, verè, id est, prout decet atque expedit, sacerdos est, qui cum sacramento etiam iustitia induitur) & per eos potestate præditos ac iustitia indutos opus tuum ceptum conserua, confirma, prosequere & perfice. Pulchrè proinde Ambr. Adimpleo, inquit Apostolus, ea quæ desunt tribulationum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia, cuius factus sum minister, Videmus, quid nobis suscipiendum sit, qui ministerium sacerdotale suscepimus, vt non solum pro nobis, sed etiam pro Ecclesia Domini sustinere fortiter passiones corporis debeamus. Hæc Ambr. *Et sancti tui exultent*. i. populus sanctorum, sacerdotum opera sanctificatus, spirituali lætitia exultabit, pro quo orat Ecclesia, Da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum. Porrò cùm supra dictum sit Ecclesiam Dei in Ephrata quidem auditam, sed in campis siluæ, siue in gentibus inuentam esse, Psaltes curam gerens gentis suæ, ne illa omni ex parte salutis quæ est in Christo Iesu expers sit, subiungit orationem, & dicit:

August. 2. cont. lit. Petil ca. 30.

Ambros. in Psalm. 37.

Propter Dauid seruum tuum, verecundiæ ac modestiæ gratia de se loquitur in tertia persona: *Non auertas* à gẽte Iudaica in vniuersum, *faciem*, 10.
i. illuminationem eiúsque effectum, fidem & agnitionem *Christi tui*. Quid autem intelligi voluerit per id quod dixit, *Propter Dauid seruum tuum*, explicat per id quod sequitur,

Iurauit Dominus Dauid, sensus enim est, propter iuramentũ quod pręstitisti Dauid seruo tuo. 11.
Et non frustrabitur eũ, statuit enim id nulla de causa mutare & infallibiliter ad effectũ deducere. Et quid illud est? *De fructu ventris tui*. Ventris, inquit, tui, non lumborum tuorum, vt notat Irenæus: Christus enim qui hic absque cõtrouersia promittitur, fructus est, Quomodo autẽ fructus, inquit Tertul. si non ex vtero germinauerit, si non in vtero radicem egerit? Fructus ergo est, imo & fructus ventris Dauid, non lumborum eius, quia ex virgine Maria de semine Dauid absque semine viri conceptus &

Iren. lib 3. cap. 23. Tert. de car. Christi c. 21

ptus & natus est, Generatio enim in fœminis procedit ex ventre, in viris ex
Amb. lib. 2 in Lucam. lumbis. Et quia Spiritus sanctus, inquit Ambr. nouit sermonem suum, nec eius vnquam obliuiscitur, ad salutationẽ Mariæ exclamauit Elisabeth; Benedictus fructus ventris tui, vt sciremus prophetiam hanc non solum rerum
Loco præallegato. veritate, verum etiam, vt præter Ambros. notauit Irenæus, verborum proprietate esse completam. De hoc ergo fructu ventris tui *ponam super sedem tuam*, vt regnet in domo Iacob in æternum, & regni eius non sit finis. Cùm ergo hoc Dauid seruo tuo promiseris, *non auertas* à gente eius *faciẽ Christi tui*, vt illi quorum est adoptio, & legislatio, quorum patres ex quibus Christus est secundum carnem, eius, quod in salutem totius mundi ex eis
Amb. lib. 3 in Lucam. processit beneficij, sint participes. Notat autem Ambros. A Deo plus esse promissum Dauidi quam Abrahæ, plus enim, inquit, est, promissum accepisse de Christo quam de Ecclesia, quoniam Ecclesia ipsa per Christum, Dauid autem clarè & ex professo accepit promissionem de Christo, cui dictum est, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, Abrahã verò de Ecclesia, Ei enim dictum est; In semine tuo benedicentur omnes gentes, licet Apostolus etiam Abrahæ dicat Christum esse promissum; Qui enim dicit, in semine tuo benedicentur omnes gẽtes, promittit benedictionem omnium gentium, & simul eum in quo benedicendæ sunt omnes gentes: est tamen promissio Dauidi facta potior, quia illa clare & ex professo promittit Christum, Promissio verò Abrahę facta promittit eidem Christum, obscurius & velut ex consequenti. Cæterum prædictæ promissioni spectanti ad æternam salutem adiuncta est Dauidi cuiusdam perpetuę felicitatis tem-
Hier. in ca. 61. Isaiæ. poralis promissio, sed sub conditione: Carnalia enim, ait D. Hieronymus, sunt Iudæis promissa sub conditione, de qua promissione sequitur,

12. *Si custodierint*, secundum carnem *filij tui testamentum meum*, *& testimonia mea hæc quæ docebo eos*, subaudi, Ego vicissim promitto tibi quod,

13. *Filij eorum vsque in sæculum, sedebunt super sedem tuam*, permansisset enim in posteris Dauid succesio Regum, & prosperitatis temporalis perpe-
Aug. 17. de Ciuit. ca. 2. tuitas, ait August. si ipsi permansissent in obedientia mandatorum Dei: Sed quãdoquidem in testamento Domini conditionato, nõ permanserunt;

14. *Elegit Dominus Sion*, id est, relicta Synagoga cum eius promissionibus conditionatis, elegit Dominus Ecclesiam, *elegit*, inquam, *eam in habitationem sibi*. i. vt secũdum suum propositum sibi in ea faceret habitaculũ & inhabitaret eam, Nunquid autẽ ad tempus? Non, dicit enim de ea Deus:

15. *Hæc requies mea in sæculum sæculi*. i. hic locus quietis meæ quamdiu durabit hoc sæculum, Quia in te Domine dabis pacem & quietem nobis in Sion siue Ecclesia; Nobis, inquam, in te, quis enim, vt per Prophetam interrogas, locus requietionis tuæ? *Hic habitabo*, Absolutè ac sine conditione dicit

dicit *habitabo*, cuius causa est *quoniam elegi eam*, electione ad gratiam secundum Dei propositum, quæ suo effectu per Dei præscientiam, imò magis prouidentiam fraudari atque frustrari non potest. Quid autem facturus est Deus huic suæ electæ?

Viduam eius. i. quicunque in ea vt viduæ consolationibus præsentis vitæ destituti & propriæ præsumptionis viribus exuti, in Domino sperant & instant orationibus & obsecrationibus die ac nocte; *Benedicens benedicam*. i. benedictionibus replebo, *pauperes eius saturabo panibus*, esurientes implẽs bonis. Possunt tamen viduarum nomine illæ viduæ intelligi quas alloquitur Apostolus, cùm dicit, Mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius qui resurrexit à mortuis, Iudæi scilicet, mortua lege effecti Christiani, & pauperum nomine gentiles ad fidem conuersi, quos vt pauperes designat B. Maria in Cantico, dicens; Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes, vt per duos hos populos significetur vulgus hominum, quod in Ecclesia existit: Nisi malueris viduas & pauperes hic ad litteram intelligere, vt his versibus prædicetur, quod faciet Deus, vt Ecclesia viduarum & pauperum singularem curam habeat & prouidentiam suscipiat. Misericordias enim pauperum & egenorum benedictiones appellari, notum est ex Apostolo dicente; Necessarium existimaui rogare fratres, vt perueniant ad vos & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, vt benedictionem non tanquam auaritiam. 16.

Sacerdotes eius induam salutari. i. Christo & ex eo virtute saluandi, & *sancti eius*. i. priuati sanctitate præditi *exultatione exultabunt*, sicut scriptum est, Exultate iusti in Domino. 17.

Illuc producam cornu Dauid. i. cornu ex quo vnctus est Dauid, & visibilem vnctionem atque gratiam Spiritus sancti. *Illuc*. i. vsque ad Ecclesiam producam, vt vsque ad Ecclesiæ tempora vnctio illa visibilis & inuisibilis non omninò desinat in Synagoga. Huius rei ratio est, quia per vnctionem visibilem & spiritalem quæ fuit in Synagoga, *paraui lucernã Christo meo*. Fuit enim illa vnctio clara quædam figura atque notio Christi venturi & vnctionis inuisibilis, qua ipse vngendus esset, quamq; in Ecclesia suo tempore copiosè effunderet. Tertull. tamen hoc intelligit de Ioanne Baptista, quem præparauit Dominus vt præcurreret Christo tanquam lucerna lucẽs & ardens. Quis demum omnium horum finis? 18. *Tert. aduer. Iudæos c. 9 & Aug. in hunc locũ.*

Inimicos eius. i. Christi mei, *induam confusione* sempiterna: Non enim erunt ex illo populo, de quo scriptum est, Non confundetur populus meus in sempiternum. *Super ipsum autem* in suo corpore quod tunc solis constabit electis, *efflorebit sanctificatio mea*: Sanctificatio enim qua sancti in hac vita in oculis Dei sancti fuerunt, sed in abscondito: Vita enim vestra, inquit 19.

Apostolus, abscondita est cum Christo in Deo, nódum enim apparuit quid erimus; Hæc ergo *sanctificatio* in futuræ vitæ exordio *efflorebit*, quia ex se quasi ex quadam radice, in gloriam, speciem, atque decorem sibi debitum erumpet: Cùm enim Christus, ait Apostolus, apparuerit vita vestra, tum & vos simul cum ipso apparebitis in gloria; & Isaias; In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis.

PSALMVS CXXXII.

Canticum graduum.

Aug. in hūc locum. Basil. const. mon ca. 19

TAmetsi præsens Psalmus à D. August. Basilio, alijsque referatur ad eos qui secundum normam Apostolicæ institutionis communem vitam agunt in monasterijs, propriè tamen canit bonum & prouentum Ecclesiasticæ vnitatis atque compagis; eo quod vnguentum à capite Aaron per barbam eius in oram vestimenti descendens, vnctionem quæ in Ecclesiasticam vnitatem effunditur, principaliter significauerit, sicut & descensus roris Hermon in montem Sion, principaliter significat Spiritussancti irriguum in Ecclesiam translatum: quamquam diffiteri nolim, figuras has, etiam monasterijs, vt Ecclesijs quibusdam particularibus non inconuenienter aptari. Qui inter cantica graduum iure reponitur, magnum enim gradum conscendit atque adeo in magno virtutis profectu versatur, quicunque compagi Ecclesiasticæ omni ex parte conuenienter adhæserit: Sicut & is qui in monasterio vnanimiter viuit. Quidam tamen per abusum sacrilegum solent hoc Psalmo in symposijs, conuiuantium, vt arbitrantur, bonum decantare & celebrare, vertentes sibi canticum graduum siue ascensionum in canticum descensionum: Quod Tertull. suo tempore Catholicis tanquam Psychicis siue carnalibus non sine amarulentia improperauit in hæc verba. Psalmum, ait, Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum, tu psallere non facilè probas, (videbat enim vnanimitatem in Ecclesia esse inueniri difficilem) nisi quando cum pluribus cœnas. Psaltes verò excitans nos vt admiremur præstantiam, vtilitatem, imo & necessitatem prædictæ vnanimitatis, orditur Psalmum in hæc verba.

Tert. de iei. adu. Psych. cap. 13.

1. *Ecce quam bonum.* i. quam præclarum & quam multorū ferax bonorum, *& quam iucundum.* i. amœnum & delectabile, *habitare fratres.* i. omnes eos qui patre Deo & matre Ecclesia se gaudere profitentur, quique de vno, vt inquit Tertull. ignorantiæ vtero in lucem veritatis pariter expauerunt, *in vnum*, eósve per aptam & conuenientem in inuicem compagem, vnam Dei donum efficere. Id, inquam, bonum est,

Tert. apolo. cap. 39.

2. *Sicut vnguentum*, quo in die consecrationis suæ vnctus est Aaron *in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.*

Quod

Quod descendit in oram vestimenti eius: Digitus enim Aaron vngentis, vnctionem à capite ceptam, in barbam, & inde per intermedia cohærentia, vnico limite in oram vestimenti eius. v.g. tunicæ hiacinthinæ, vel, vt alij putant, superhumeralis, deduxit atque protraxit. Itaque *habitare fratres in vnum*, bonum est sicut vnguentum hoc, siue vnctio hæc, quia ad instar eius per Spiritum sanctũ qui digitus Dei dicitur, spiritualis vnctio quæ in Christum caput nostrum effusa est, ob cohærentiam, primum in eos qui ratione fortitudinis, vt August. videtur, vel ratione loci atque sublimitatis Christo capiti proximi sunt, barbæ rationem habẽt; Deinde per hos in alios eis cohærentes vsque ad infimos quosque & contemptibiles, si qui sint in Ecclesia, ratione continuatarum eiusdem corporis partium, deducitur ac deriuatur. Hac proinde similitudine id insinuatur quod clarius dixit Apostolus: Ecclesiæ corpus totum ex Christo compactum & connexum, per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facere in ædificationem sui in charitate. In quibus verbis ante omnia obseruandum est quod dicit Apost. Ecclesiæ corpus ex Christo cõpactum esse atq; connexum: Ex his enim verbis colligimus Ecclesiam non nisi fidelibus, vel hominibus veram fidem habẽtibus constare posse; Illis enim qui fidem Christianã atque catholicam foris solummodo ostentant, præ se ferunt ac profitentur, potest quidem esse conuentio, connexio, aut potius species vel similitudo cum fidelibus eandem professionem ex animo proferentibus; quænam autem potest eis esse conuentio, connexio aut vnio cum Christo; cum Christi ne quidem fidem habeant, pacem, aut vllam internam participationem? Hoc ergo corpus ex Christo compactum atque connexum, per omnem iuncturam subministrationis ædificationem sui facit in charitate: Si sic, ergo est illi inprimis necessarium, vt singula membra, commembris suis per quæ subministratio charitatis habet prouenire, conuenienti nexu atque iunctura, quadrent, hæreant atque iungantur. Sicut enim teste August. Non parua scientiæ pars est scienti coniungi, sicut scriptum est; Sapientiæ presbyterorum ex corde coniungere vt omnem narrationem Dei possis audire, ita non parua ad accipiendam cęlestem vnctionem siue charitatem dispositio est, per amorem fraternitatis vna cum disciplinati animi docilitate eis agglutinari, quorum administratione, exemplo, vel opere ad charitatem inflammari habeas & accendi. Si enim quispiam ab eo qui verbo charitatem inflammare parat, fuerit alienus vel ei non satis deditus aut deuotus: Si eius qui exemplariter viuit, bonis mordeatur moribus: Si officijs humanitatis eius, qui, prouocandæ beneuolentiæ gratiâ, inimico suo potum exhibet & cibum, aspernando vel auersando obluctetur, nullum ex his omnibus charitatis incre-

[Margin notes: 3. — *August. 2. cont. lit. Petil. ca. 104.* — *Ephes. 4.* — *Aug. in Ps. 36. conc. 2.*]

mentum percipiet, quia conuenienti destuitur iunctura subministrationis, siue, quia conuenienter aptatus vel affectus non est eis per quos incrementum charitatis subministratur. Itaque *habitare fratres in vnum*, siue fratres fratribus conuenienti glutino cohærere, & debito affectu adaptari, est bonum sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius, quia per conuenientem connexionem atque cohærentiam quorumuis, ac cuiusuis ordinis, membrorum Ecclesiæ, in omnia eius membra descendit, producitur ac deriuatur vnctio cælestis. Cæterum, non solum bonum, sed etiam necessarium est *habitare fratres in vnum.* Id enim est, *Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion.* Quæris ob quid?

4. *Quoniam illic.* i. in Ecclesiæ vnitate *mandauit.* i. destinauit siue disposuit, *Dominus benedictionem & vitam vsque in sæculum,* ita vt extra Ecclesię vnitatem nulla salutifera Dei benedictio aut vita inueniri queat vel obtineri. Verè proinde Ecclesiastica vnitas, comparatur rori *Hermon qui descendit in montem Sion:* Hermon enim fertilitatem Iudaicæ gentis significat, quam gens illa per rorem. i. irriguum Spiritus sancti in vellus Gedeonis descendentem ante Christi tempora acceperat, Mons Sion verò, more in scripturis vsitato significat Ecclesiam. Comparatur ergo Ecclesiastica vnitas irriguo Spiritussancti, quod ab Hermon siue Iudęa, descendit in montẽ Sion siue Ecclesiam, vt significetur solam Ecclesiæ vnitatem Spiritussancti imbrem posse accipere, quandoquidem imber ille qui prius in Iudęam descendit, ob schisma diuisionemque quam ipsa fecit à Christo capite, ad solam & vnicam Ecclesiam ex Christo compactam & connexam translatus sit. Nunquid non ergo bonum & iucundum habitare fratres in vnum, imo nunquid non in primis necessarium, cum non nisi in hac vnitate obtineatur Dei benedictio, eaque nisi mediante hac vnitate per singula corporis membra non producatur, & benedictio omnium redundet in bonum & gaudium singulorum? sicut scriptum est; Si gaudet vnum membrum, congaudent reliqua membra.

PSALMVS CXXXIII.

Canticum graduum.

HIc Psalmus inter cantica graduum postremus est. Exhortatur proinde eos qui per gradus hactenus descriptos progreßi sunt ad gratiarum actionem, & dicit:

1. *Ecce nunc*, transcensis scilicet, hactenus explicatis gradibus; in gratiarum actione, *benedicite Dominum omnes serui Domini*, vos, inquam,

2. *Qui statis in domo Domini.* i. qui in Ecclesia, priora transgreßi, ad aliquem

quem stabilem iustitiæ gradum peruenistis, & in eo perseueranter consistitis: statis insuper, ad iustitiam, quam proficiendo acquisiuistis, per bona opera strennuè exercẽdam expediti: In qua autem domo Domini? *In atrijs domus Dei nostri.* i. in Ecclesia huius temporis quæ domus Domini prior mansio est. Hæc enim Psalmi pars, priori, explicationis, aut faciendæ determinationis causa, subijcitur, ne alioqui quis per prænominatam domum Domini, domum Domini æternam in cælis intelligeret, arbitratus hoc cãtico cælicolas ad benedicendum Domino prouocari.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino. In 3.
noctibus, inquit, vt enim ad orandum, ita ad benedicendum Domino somnus interrumpendus aut abrumpendus est, & orantium ritu manus extollendæ: vnde in hymno dicitur, Mentes manusque tollimus, Propheta sicut noctibus nobis gerendum præcipit, Paulusque gestis censuit: Media enim nocte Paulus & Silas, inquit liber Actorum, laudabant Dominum. Benedicenti autem Domino, vicissim,

Benedicat tibi Dominus ex Sion. i. è cælesti specula, è qua spectat opus 4.
tuum atque laudis sacrificium. Ille, inquam, Dominus, *Qui fecit cælum & terram.* Hoc subinde in scripturis inculcatur, ne alius benedictionum supersubstantialium, vt in simili obseruauit Ireneus, alius substantiarum, siue Iren lib. 3. cap. 12.
totius naturæ creatæ factor & author crederetur.

PSALMVS CXXXIIII.

Alleluia.

SVperiore Psalmo seruis Domini dictum est. *Benedicite Domino*: Præsenti proinde Psalmo, sicut & proximè sequenti, exhibet Psaltes materiam siue formulam de qua idipsum præstetur, sed diuersimodè; Cùm enim benedicamus Domino, ipsum, eiúsque opera apud homines laudando atque prædicando, vel, illi ipsi cum gratiarum actione benedicendo, sicut Psalmo 106. dictum est, Confiteantur Domino misericordiæ eius & mirabilia eius filijs hominum; hoc Psalmo suppeditatur nobis formula confitendi mirabilia Dei filijs hominum, sequenti verò confitendi eadem Domino eorundem authori.

Laudate nomen Domini. i. audito Dei nomine, Deum ipsum cuius no- 1.
men auditis, prædicate & commendate; in quem sensum Psal. 112. exposuimus quod ibidem dicitur, Sit nomen Domini benedictum. Vel potius, Laudate Deum propter nomen eius, quod scilicet, nomine, humanitatem & in homines beneuolentiam significante, semetipsum nuncupari, talique nomine vt hominum cõuersionem ad se prouocaret, se ijsdem insinuare dignatus sit. Eiusmodi nomina sunt, Ego sum Deus Abrahã, Deus Isaac, & Deus

Iacob. Et, Deus noster Deus saluos faciendi. Et, Vocabis nomen eius Iesum, & similia. *Laudate serui Dominum*, vt quẽadmodum supra omne nomen sanctum suum magnificus atque laudabilis est, ita supra omne nomen sanctum suum, siue, supra quam potestis, eum laudabilem esse prædicetis, vt subinde ex Ecclesiastico diximus. Vos, inquam, ô serui Domini,

2. *Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.* Vobis enim, quos superiore Psalmo exhortabar benedicere Domino, præsenti Psalmo materiam aut formulam id præstandi exhibeo, Itaque,

3. *Laudate*. i. inter homines prædicate *Dominum, quia bonus Dominus*. Dicit, *quia bonus Dominus*, sicut enim Deus propter suam bonitatem præcipuè amãdus, ita & propter eandem principaliter laudandus est, Si enim homo Deum principaliter laudaret propter beneficia ab ipso accepta, laus eius foret mercenaria, & non, vt hominem liberum decet, ingenua, *Psallite nomini eius quoniam suaue est*. Nomen enim eius, de quo hic agitur, significat, quoniam vobis bonus est: cuius significationis quædam nomina paulo antè recitauimus. Et meritò Deus habet nomẽ significans quod nobis bonus sit,

4. *Quoniam Iacob*, eósque qui sub eo comprehenduntur, quíque ad eius sortem pertinent; electione gratiæ secundum propositum saluandi, *elegit sibi Dominus, Israel*, qui & Iacob, *in possessionem sibi*, vt præ reliquis eum hic in fide & charitate, postmodum in sempiterna beatitudine, sibi, siue ad gloriam suam, possideret. Porrò, quandoquidem electio gratiæ ad præstandum electis selecta quædam beneficia ordinatur, pertinebat ad Psaltem eorundem beneficiorum quædam huc in medium adferre, cumque Psaltes ad id se accingeret, vidit in illis Deum non solum bonum, verum etiam potentem & magnum esse: subiungit proinde:

5. *Quia ego cognoui quod magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus Dijs*, falsis scilicet, Id enim Psaltes hic ex proposito conatur ostendere Quæris in quo?

6. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyßis*. Magnus ergo Dominus præ omnibus Dijs, Nemo enim falsorum deorum, omnia quæ vult præstare potest & exhibere; Imò non possunt Dij falsi, vel qui pro dijs sese venditant, ea quæ exhibere permittuntur, quantumcunque allaborent, in illa integritate exhibere qua maximè vellent. Quocirca in argumentum falsæ diuinitatis eorum dicit Isaias; Annunciate quæ ventura sunt nobis & sciemus quia Dij estis vos, benè quoque & malè si potestis facite. Quod cum Dij falsi pro voluntate sua ac voto non possunt, verè Deus noster Deus magnus præ omnibus Dijs, ei enim subest cum voluerit posse, nec eius voluntati, nisi id occultiore quadam voluntate ipse permiserit, quispiam potest resistere, quia scriptum est, Voluntati

luntati

luntati eius quis resistit? Est etiam Deus noster magnus præ omnibus Dijs, quia, *omnia quæcunque voluit fecit*, Voluit inquam, non enim sui gratia quasi ipse alicuius indigus aliquid eorum fecit, sed nec naturali necessitate, imo nec aliquid eorum quæ vnquam facere voluit, diuino operi suum effectum negauit. Horum autem quæ Deus in cælo & in terra fecit, quædam facit per causas naturales secundum consuetum ordinem naturæ, de quibus sequitur:

Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit, 7.
Qui producit ventos de thesauris suis: Alia verò fecit mirabiliter vel etiã 8.
supra consuetam vim & ordinem naturæ, de quibus sequitur, *Qui percussit primogenita Ægypti ab homine vsque ad pecus.*

Et misit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem & in omnes seruos eius. 9.

Qui percussit gentes multas, & occidit Reges fortes, 10.
Seon Regẽ Amorrhæorũ & Og Regem Basan, & omnia regna Chanaã. 11.
Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo. 12.

Quæ omnia à Deo partim mirabiliter, partim miraculosè supra virtutem creatæ naturæ exhibita sunt & perfecta, sic tamen vt tam illa, quàm priora quæ Deus per causas naturales atque ordinarias produxit, etiam per allegoriã sint gesta, vt in illis etiam res significata magna laude digna habeatur & passim prædicetur. Cùm enim Deus de extremis terræ prædicatores suscitat, eosque ad conuertendas gentes longè dissitas traducit, v. g. cum nostro sæculo è finibus Lusitaniæ in Indiam vsque & Iaponiam Euãgelij præcones transuexit, tum *eduxit nubes*: (nubes enim in scripturis sacris passim Euangelij præcones significant) *ab extremis terræ*. Cùm prædicationi Euangelij adiungit miracula, vt adhibitis miraculis prædicatio fiat pluuia voluntaria, hominum voluntates in bonum commutans, tum *facit fulgura in pluuiam*. Cùm de altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ suæ vbi vult spirat, & quæ vult, ex improuiso aspirat vel inspirat, tum *producit ventos de thesauris suis*. Cùm in correctionem vel castigationem peccatorum, amantissima quæque, & quæ siue ex hominibus, siue ex brutis in præcipuis delicijs habentur, hominibus adimit, tum *percutit primogenita Ægypti ab homine vsque ad pecus*. Cùm in conspectu principum, aulicorum ac totius sæculi conuersari facit homines sine quærela & bonæ ædificationis, qui reliquis, vt in Psalmum 84. diximus, signum sint in bonum, vel tales, qui, vt in Psalmum 70. exposuimus, prodigium efficiuntur multis, tum *mittit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem & in omnes seruos eius*, quę eis cedant vel in bonum, vel certè sint in testimonium. Quod enim quidam per primogenita Ægypti fidem intelligant, minus arridet, tum quia

fides non est genitura sæculi, tum quia Dominus non aufert alicui fidem percutiendo seu malum inferendo, (dicitur autem hic percussisse primogenita Ægypti) sed permittendo, fidem proinde ipsa Ægyptus aufert sibi. Cùm, vt dicit Iob, multiplicat gentes & vna cum regibus earum perdit eas, atque de superficie terræ gladio, fame, & peste delet, *tum percutit gentes multas & occidit reges fortes*. Cùm Reges impios studio infidelitatis, aut carnis, siue sæculi, transitum filiorum Dei è sæculo ad terram promissionis, terramque viuentium, intercludere contendentes, siue conuertendo, siue puniendo, in nihilum redigit, vt non possint manus eorũ implere quod ceperant, tum *percutit Seon regem Amorrhæorum & Og regem Basan*. Cum omnia regna terræ gladio oris sui percutit, vt extincta infidelitate eadem regna à fidelibus inhabitentur & possideantur, tunc *percutit omnia regna Chanaan*, & dat illa, *hæreditatem Israel* fideli *populo suo*. In his ergò operibus secundum suaue nomen suum nobis bonus & magnus est Dominus. Sed quid?

13. *Domine nomen tuum in æternum*. Est enim tibi etiam nomen quod tuam significat æternitatem, quod nomen Moysi reuelasti, cùm diceres, Ego sum qui sum. *Et memoriale tuum in generatione & generationem*. Nomen enim quod tuam erga homines bonitatem significat, non tam id quod es, quam id quod extra te agis, ob oculos ponit, est proinde *memoriale tuum*, quia facit nos ex operibus tuæ bonitatis, in æternæ tuæ bonitatis quandam memoriam siue rei absentis cognitionem deuenire, in id deseruiens nobis *in generatione & generationem*, Toto enim huius sæculi decursu, oportet nos in cognitionem siue memoriam tui, per nomina hæc atque huiusmodi

Exodi 3. deuenire. Dicebat proinde Dominus ad Moysen: Dices filijs Israel, Qui est misit me ad vos: Dixitque iterum Deus ad Moysen, Hæc dices filijs Israel; Dominus Deus patrum vestrorum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos. Hoc nempe, Qui est, nomen mihi est inæternum, Et hoc, videlicet, Deus Abrahã, Deus Isaac, Deus Iacob, memoriale meum in generatione & generationem, quia per decursum huius sæculi, per nomina, opera Dei circa homines significantia, à generatione & generationem oportet nos in memoriam, siue absentis Dei cognitionem, deduci & deuenire. Cæterũ, cùm paulò antè dictum sit, quod *Iacob elegerit sibi Dominus & Israel in possessionem sibi*, quodque *omnia quæcunque voluit fecerit in cælo & in terra*, quod denique, *percußis regibus Ægypti, Amorrhæorum, Basan & Chanaan, tradiderit regna Chanaan populo suo Israel*, Nunquid calamitatem hanc pro mera sua, siue antecedente, vt loquimur, voluntate, Dominus dictis gentibus earumque regibus intulit & inflixit? Absit,

Quia iu-

Quia iudicabit Dominus populum suum. Hæc ergo mala omnibus illis in- 14.
flixit iusto retributionis iudicio, ac pro eorum meritis, nam & ipsi ratione
creationis populus Dei sunt, & ob id vnusquisque sibi certò persuasum ha-
bere debet, Deum in opus suum nihil seuerius statuere vel exercere velle,
nisi iusto interueniente, imò, ita exigente iudicio. *Et in seruis suis*, qui nõ
solum naturæ conditione, sed pia obedientia eius serui sunt, *deprecabitur.*
Moyses in cantico dicit, *miserebitur.* vtrumque autem verum est, & suo or-
dine impletur, *In seruis* enim *suis* Deus miseretur, cum misericordia sua
eos præuenit & segregat à peccatoribus, impartito eis orationis spiritu &
affectu; In eis *deprecatur*, cum ab eis iam à miserationibus Dei præuentis,
exoratur, ne cum peccatoribus puniantur, néve ab eis opprimantur, supe-
rentur, impediantur, scandalizentúrve. Quin & in seruis suis Deus, vt dixit
Machabæorum vnus, consolatur, cùm à martyribus exoratus, post tempe-
statem tranquillum facit, finemque persecutioni imponit. Sed quid ad Deũ
verum, cuius virtutem, magnitudinem ac bonitatem audiuimus, dij gen-
tium, de quibus paulo ante dictum est, *Ego cognoui quoniam magnus Do-
minus & Deus noster præ omnibus dijs*? Nihil. Quid ita?
Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. 15.
Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, 16.
Aures habent & non audient, neque enim est spiritus in ore ipsorum. 17.
Cùm ergò simulachra, siue dij gentium, ne spiritum quidem vitalem, siue
animam sensitiuam habeãt, quid illis ad Deum viuentem & videntem? eaq́;
quæ dicta sunt opera perficientem?
Similes illis fiant, mentis stupore, vt in Psal. 113. ex Amb. diximus, *qui* 18.
faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Quæ membra qua ratione distin-
cta sint, eodem loco explicuimus. His ergo per idolorum cultum in stu-
porem versis, tu ô
Domus Israel benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino. 19.
Domus Leui benedicite Domino, qui timetis Dominum. i. ô vos omnes 20.
qui ex Israel secundum carnem, vel ex tribu sacerdotali, aut Leuitica: De-
nique ex omni natione quæ sub cælo est, estis fideles, *Benedicite Domino*,
Memores quod cùm essetis gentes, ad muta simulachra prout ducebamini
euntes, nunc autem eius gratia conuersi estis à simulachris vestris seruire
Deo viuo & vero, & expectare filium eius Iesum, qui eripuit nos ab ira ven-
tura. His autem omnibus, Psaltes suo nomine gratiarum actionem adiun-
gens, dicit:
Benedictus Dominus ex Sion. i. Ex huius vitæ specula, qua eius gloriam 21.
à longe speculamur; Ille, inquam, Dominus, *qui habitat in Hierusalem*;
Ibi enim domus eius est æterna & beata.

PSALMVS CXXXV.

Alleluia.



Ontinet præsens Psalmus exhortationem vt confiteamur Domino omnia opera & misericordias eius.

1. *Confitemini Domino quoniam bonus*. Qui magis, aut certè solùm suum diligit bonum, conuincitur, inquit Bernardus, non castè diligere bonum, quod vtique propter se diligit, non propter ipsum. Et hic talis non potest obedire Prophetæ, qui ait, Confitemini Domino quoniam bonus. Confitetur quidem quia fortasse bonus est sibi, non autem quoniam bonus est in se. Quapropter nouerit in se dirigi illud eiusdem Prophetæ improperium, Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Est qui confitetur Domino quoniam potens est; Et est qui confitetur quoniam sibi bonus est. Est item qui confitetur quoniam simpliciter bonus est. Primus, seruus est, & timet sibi; Secundus, mercenarius est, & cupit sibi; Tertius, filius est & defert patri. Hęc Bernardus. Ex cuius verbis satis manifestè apparet existimasse Bernardum quod Psaltes nos hic adhortetur, vt tanquam ingenui filij confiteamur Domino quoniam simpliciter bonus est. *Quoniam in æternum misericordia eius.* q. d. confitemini Domino quoniam bonus, merito enim huius confessionis deducet vos eius misericordia in æternam beatitudinem, vt exponit August. Videtur tamen propositum authoris hunc potius sensum requirere. *Confitemini Domino quoniam*, siue eo quod, aut super eo quod *in æternum* est *misericordia eius*, ita vt sicut oportet nos confiteri Domino quoniam simpliciter bonus est, ita etiam oporteat nos eidem confiteri, *quoniam in æternum*, siue, quod ab æterno & vsque in æternum, vt habet Psal. 102. misericordia cum ipso est. Adhortatur namq; nos Psaltes vt confiteamur Domino, quod de sua bonitate siue misericordia omnia propter semetipsum, suamque ipsius bonitatem, nullo creaturæ merito præuentus, operatus sit Dominus, Et similiter, quod omnia ad æternam beatitudinem adipiscendam suo modo disposuerit ordinaueritque, monetque nos vt in omnibus quæ ab æterna sua misericordia in æternum siue in æternam beatitudinem acquirendam fecit Dominus, casta confessione prius ipsam Dei misericordiam prædicemus & bonitatem, quàm nostrum commodum nostramque vtilitatem.

Bern. tract. de dili. Deo

2. *Confitemini Deo deorum, quoniam in æternum misericordia eius.* Ab æterno enim, suam, qua eos Deos faceret (scriptum enim & à nobis suo loco explicatum est: Ego dixi, Dij estis & filij excelsi omnes) misericordiam eis prædestinauit, eosque eadem misericordia operante in æterna beatitudine magnificare disposuit.

Confi-

Confitemini Domino dominorum: Vt enim misericordia Domini ab æ- 3.
terno & vsque in æternum super eos quos participatione sanctitatis eius diximus esse Deos, ita eadem misericordia super eos qui participatione potestatis eius Domini sunt, & publica potestate siue dominio pollent. Quocirca & ob hos cõfiteri oportet Domino, *Quoniam in æternum misericordia eius*.

Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia eius. 4.
Ex misericordia namque eius, quæ est ab æterno & vsque in æternum, quædam mirabilia magna solus in medium produxit. Quædam, inquam, quia mirabilis Deus in sanctis suis, per hos signa & prodigia varia subinde in populo fecit, & ob id non est dicendus quæuis mirabilia magna solus fecisse: Exponit proinde Psaltes quænam illa mirabilia sint quæ Deus solus fecit, & dicit:

Qui fecit cælos in intellectu, siue in sapientia sua, Sapientia enim intel- 5.
lectus & prudentia, in Deo idem sunt. Quod autem hic de cęlis expresse dicitur, id de Dei operibus, quæ post enumeranda sunt & recensenda, pariter intelligendum est; Nam & reliqua opera sua Deus in suo intellectu siue sapientia fecit, cui dicitur, Omnia in sapientia fecisti. *Quoniam in æternum misericordia eius*. Hoc eundem hic & in sequentibus habet sensum, & proinde superfluum est nos idem hic iteratò exponere, psallentibus autem non est superuacaneum idem per singulos versus repetendo inculcare.

Qui firmauit terram super aquas. i. firmam, stabilem, atque immobilem 6.
fecit terram, medijs tametsi aquis innatantem. *Quoniam*. Per duos itaque hos versiculos expressit Psaltes ea mirabilia magna quæ fecit Deus solus, siue opera, vt interpretatur Tertullianus, angelorum, aut cuiuscunque creaturæ. Ad quem modum etiam per Isaiam dicit Dominus: Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram (quod quid aliud est quàm, firmans, siue *qui firmauit terram*?) & nullus mecum. Faciens, dicit, omnia; sed non addit. solus; Nam quæ per Angelos & homines siue mirabiliter, siue consuetò fiunt modo, illa facit Dominus. De cælo verò & terra dicit: Extendens cælos solus, stabiliens terrã & nullus mecum; Hæc namque (mirabile) ex nihilo produxit, quod non solum non facere, sed ei operi ne quidem deseruire habet Angelus. Interim, inter ea quæ Deus solus produxit annumerari debent & quæ sequuntur:

Tert. aduer. Prax. ca. 9.

Qui fecit luminaria magna, *Quoniam*. nempe: 7.
Solem in potestatem diei, vt præsit diei, *quoniam*. 8.
Lunam & stellas in potestatem noctis; vt præsint nocti, eamque illumi- 9.
nent. *quoniam*. Quæ verò sequuntur, mirabilia quidem sunt, sed illa Deus solus operatus non est; Dicitur enim,

10. *Qui percußit Aegyptum cum primogenitis eorum, quoniam*. Hoc autem per angelos factum esse Psalmus 77. testatur cum dicit: Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem, immissiones per angelos malos.

11. *Et eduxit Israel de medio eorum, quoniam*. Hoc etiam per angelum in columna nubis & ignis præcedentem factum esse, ex Exodo innotescit.

12. *In manu potenti & brachio excelso, quoniam.* i. cooperante sibi filio suo, manu, brachio, & virtute Dei Patris. Vel, quia magnam virtutem Deus exercuit in eo quod Israelem ex Ægypto eduxit.

13. *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones, quoniam.*

14. *Et eduxit Israel per medium eius, quoniam.*

15. *Et excußit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro, quoniam.*

16. *Qui traduxit populum suum per desertum*, à feris ac venenatis animantibus eum seruans illæsum, manna & aqua de petra educta eundem nutriens ac reficiens. Quod diuino beneficio singulariter asscribendum esse Moyses

Deuter. 8. testatur in hæc verba: Dominus ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens & scorpio ac dipsas, & nullæ omnino aquæ: qui eduxit riuos de petra durissima, & cibauit te manna in solitudine quod nescierunt patres tui.

17. *Qui percußit reges magnos: quoniam.*

18. *Et occidit reges fortes, quoniam.*

19. *Seon regem Amorrhæorum, quoniam.*

20. *Et Og regem Basan, quoniam.*

21. *Et dedit terram eorum hæreditatem, quoniam.*

22. *Hæreditatem Israel seruo suo, quoniam.* Quæ omnia ad litteram clara sunt & explicationem aut annotationem, quantum nobis apparet, non requirunt nisi quod sint etiam allegoricè intelligenda in hunc modum. *Fecit cælos in intellectu, & firmauit terram super aquas*, cùm fecit quosdam quidem homines spiritu intelligere mysteria; Reliquos verò, qui, eo quod per intellectum nihil certi apprehēdere valent, ex semetipsis sunt velut paruuli fluctuantes, qui facile circumferātur omni vento doctrinæ, fecit veritati non perspectæ per piam fidem firmiter atque stabiliter inhærere. *Fecit solem in potestatem diei*, cùm Christum suum constituit ad dexteram suam, vt secundum suam humanitatem sit lucerna ciuitatis Dei, quæ in fulgentissima luce cælestis vitæ, velut in die versatur; sicut scriptum est, Claritas Dei illuminabit ciuitatē, & lucerna eius est agnus. *Fecit lunam & stellas in potestatem noctis*; cùm Ecclesiæ catholicæ & Doctoribus eius sapientiam dedit & auctoritatem, qua præluceant in huius sæculi loco caliginoso, donec dies illucescat. *Percutit Aegyptum cum primogenitis eorum*; cum sæculo amantis-

amantiſſima eius vel in correptionem vel in caſtigationem aufert. *Educit Iſrael de medio eorum in manu potenti & brachio excelſo*, cum populum Chriſtianũ in virtute Chriſti de medio ſæculi conuertit, & ſæculum mente & amore facit deſerere. *Diuidit mare rubrum in diuiſiones, & educit Iſrael per medium eius; & excutit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro*; cùm nos ex catechumenis per ſacramentum Baptiſmi in filios Dei tranſfert, & à baptiſmo in terram promiſsionis facit pergere, ſubmerſa in baptiſmo dæmonum priſtina poteſtate omnibuſque peccatis. Quod enim hic dicitur diuiſiſſe mare rubrum, ad myſterium nihil aliud importat, quàm quod ſicut mare fecit peruium vt tranſirent per illud Iſraëlitæ; ita etiam baptiſmum peruium fecit, vt per illud tranſirent catechumeni, ſed diuerſimodè. Mare quidem rubrum peruium fecit, illud diuidendo, baptiſmum verò idipſum virtute regenerandi afficiendo. Sunt quidem aliqui qui Deum baptiſma quoque diuiſiſſe dicunt, eò quod per baptiſmum alij tranſeant ad redemptionem, alij verò, ſuo tamen vitio, ad damnationem; ſed neſcio an rectè: Quia diuiſio illa non poteſt aſſcribi miſericordiæ Domini ab æterno vſque in æternum, ſed hominum iniquitati & terribili iudicio Dei; hîc verò tam ſecundum litteram quàm ſecundum allegoriam prædicantur illa Dei opera, quæ eius miſericordię aſſcribuntur. *Traducit populum ſuum per deſertum*; cùm populum baptizatum per deſerta ſæculi inuia & inaquoſa, præueniendo, adiuuando, dirigendo & protegendo deducit & adducit in montem ſanctum ſuum, & in æterna tabernacula ſua. *Percutit reges magnos, & occidit reges fortes, Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Baſan, & dat terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſrael ſeruo ſuo* i. Chriſto in ſuis fidelibus. Quę omnia eum ſenſum requirunt, quē Pſalmo ſuperiore dedimus. Cùm itaque hæc ita ſe habeant, Iſrael ſecundum carnem, & Iſrael ſecundum ſpiritum, æternam Dei miſericordiam ſuo ſinguli modo experti, vno ore dicant pariter.

Quia in humilitate noſtra. i. in afflictione noſtra in qua erat Iſrael ſecundum carnem in Ægypto. Vel, dum eſſemus in abiectione, vt Iſaiæ verbis 23.
vtar, animæ noſtræ, in qua erant omnes Chriſtiani priuſquam eos Deus in gratiam ſuſciperet, & per ſpiritum ſuum exaltaret, *Memor fuit noſtri, quoniam*. cogitans circa nos cogitationes pacis.

Et redemit nos de inimicis noſtris, quoniam. Iſtud quidem ad Iſrael ſecundum carnem ex Ægypto liberatum referri poteſt, Propriè tamen perti- 24.
net ad Chriſtianos; Hi enim cum de manu omnium qui eos oderunt, liberantur, propriè redimuntur; aſſeruntur ſiquidem in libertatem mediante pretio ſanguinis Chriſti, cum Iſrael de Ægypto ſine pretio, imò potius accepto ab ægyptijs opimo ſpolio tanquam impenſæ ſeruitutis iuſto pretio,

liberatus sit, Propterea obseruandum est, quod cum in scripturis dicitur Deus populum suum de Ægypto redemisse, id magis ad latens mysterium quàm ad rem gestam referendum sit.

25. *Qui dat escam omni carni, quoniam.* Respicite enim, inquit, volatilia cæli quoniam neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa; Nónne vos magis pluris estis illis? Dat ergo escam corporalem omni carni, & similiter nouit escam spiritualem omni hominum sorti, palato, & capacitati contemperare.

26. *Confitemini Deo cæli*; qui eos qui ad cælum per æternam eius misericordiam deuenerunt, diuinitatis suæ participatione ibidem replet & beatificat. *Quoniam.*

27. *Confitemini Domino dominorum*, qui in cælis regnat super eos, qui ibidem decem ciuitatibus præpositi sunt. *Quoniam in æternum misericordia eius*; & sublimis valde & nimis excellens ibidem apparet maiestas eius.

PSALMVS CXXXVI.

Psalmus Dauid propter Ieremiam.

DEclarat Psalmus, quàm verum sit quod de illis qui in captiuitatem Babylonicam erant translati, dicit Ieremias. Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Qui tamen scriptus est ad informationem eorum Christianorum atque Catholicorum, qui in potestatem infidelium redacti sunt, vt ex eo discant, quo affectu in illa sua captiuitate debeant versari.

1. *Super flumina Babylonis illic sedimus.* Habitabant namque filij Israel in Babylone iuxta fluuios illius terræ, & nominatim iuxta fluuium Chobar, nam & Ezechiel dicit se venisse ad transmigrationem, ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar, seque sedisse, vbi illi sedebant, siue sedes habebant: Attamen, sub nomine fluminum latenter deplorant se in illa terra nihil nisi quod ad bona fluxa ac transitoria pertinet, vidisse vel audiuisse. *Et fleuimus.* i. in luctu versati sumus, vel, singulis vicibus lachrymæ obortæ sunt nobis, *dum recordaremur tui Sion.* i. templi Domini, ac religionis quæ solet exerceri in Sion, & simul eorum malorum quæ templo ac religioni auitæ illata sunt. Hæc autem solere transmigratis frequenter ad memoriam redire testatur Ieremias, cum dicit: Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, & præuaricationis omnium desiderabilium, quæ habuerat à diebus antiquis cum caderet populus in manu hostili, & non esset auxiliator. Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbatha eius.

2. *In salicibus in medio eius.* i. in illa vastitate ac in medio hominum illorum infructuosorum atque sterilium, qui vt salices nullũ vitæ fructum proferunt,

ferunt, *suspendimus organa nostra.* i. continuimus nos ab omni lætitia, & prohibuimus omnia lætitiæ irritabula & exercitamenta. Quem tamen versum D. Gregorius extendit ad prædicatores, qui cum infructuosas, inquit, ac reprobas mentes aspiciunt, vim suæ prædicationis non exhibent, sed potius lugentes silent. *D. Greg. 33 moral. c. 6.*

Quia. Hæc dictio est quidem apud Hebræos nota coniunctionis, sed non semper coniunctionis causalis, habet enim aliquando vim aduersatiuæ, v. g. Cæcus apud Ioannem dicit, Quia ego sum, & sensus est, Imo ego sum. Ad eundum modum cùm hic dicitur, *Quia illic interrogauerũt nos qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum,* sensus est, Ipsi nihilominus multis verbis interrogauerunt nos, quibus ad lætitiam canticis in populo vti soleamus in terra religionis nostræ siue in Sion. De his namque canticis arbitror eos inquisitionem instituisse, potius quam de Canticis quæ frequentabantur à cantoribus in templo. 3.

Et qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Insuper enim & exhortati sunt nos, vt eis ad voluptatem (dicunt enim Cantate nobis) quædam de canticis Sion decantaremus. Nos autem id pluribus de causis recusantes, sic apud nosmetipsos in primis dicebamus. 4.

Quomodo. i. qua conuenientia, imò, qua non inconuenientia, *cantabimus canticum Domini:* Hoc complures permouit vt arbitrarentur babylonios voluisse audire Hymnos & Psalmos qui in templo decantari solent; sed absque necessitate, Tam enim religiosus fuit Israel, vt etiam Cantica quæ sibi populus ad lætitiam decantabat, non nisi Domini cantica fuerint, & non nisi ad pietatem, religionem, Dei laudem pertinuerint, & gloriam. Canticum enim Deuter. composuit Moyses, & docuit filios Israel, sicut & alia alij, vt loquerentur sibimetipsis, quod & Apostolus Christianos monuit, in hymnis, psalmis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus suis Domino. Dicunt ergo transmigrati, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* vt ea quæ religiosè conscripta, suisque numeris religiosè aptata sunt, prophanis & carnalem solummodo voluptatem captantibus auribus inferamus? præsertim cùm scriptum sit, Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. Facile namque contingeret infidelium impietatem per cantica Domini in blasphemiam aut religionis irrisionem commoueri accẽdi ac irritari. Sed est & aliud ob quod multi vno ore recusauimus canere in captiuitate nostra de canticis Sion. Vsus namque & frequentatio cantilenæ exhilarat mentem, eique adducit lætitiam, lætitia autem præteritorum & adhuc non abolitorum malorum obliuionem. 5. *Prouer 25*

Si autem *oblitus fuero tui Hierusalem,* & malorũ quæ tibi acciderunt memoriam, à corde meo remouero, imo illa deplorare cessauero, *obli-* 6.

uioni detur dextera mea, Eueniet enim, vt, Deo permittente, ego simul obliuioni tradam dexteram meam, siue bene operandi virtutem, de qua scriptũ est, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Qui enim discit mala Hierusalem obliuioni tradere, eaque seposito dolore ac animi afflictione desinit plangere, is etiam facile in animum inducit bona Hierusalem, siue veræ religionis non eo quo oportet loco habere, æstimare ac colere, quo facto, mox eum inuadit dexteræ suæ, suæue salutis operandæ quædam secura obliuio. Quam & illud malum comitatur, de quo sequitur.

7. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.*

8. *Si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ.* i. nisi me in perpetuo luctu ac tristitia ob religionis exterminium continuero, & nisi principium lætitiæ meæ à Hierusalem, siue eius ac religionis restauratione demum resumsero, ita vt ego me ad lætitiam conuertam, priusquam Hierusalem siue Ecclesia Dei è sua captiuitate ac seruitute liberata sit, eueniet mihi vt *adhæreat lingua mea faucibus meis*; Posito enim luctu, ac lætitia præpropere resumta, necesse erit vt ipsa etiam religio mihi minus cordi, curæque sit, quò vbi deuenero, consequens erit vt adhæreat lingua mea faucibus meis, & quando pro religione orandum, loquendúmve erit, quando etiam confitendum, ego magno meo malo, sermonẽ, ac verbum in tempore salutis otiosus ac securus contineam. Itaque horum malorum declinandorum causa, in salicibus in medio Babylonis suspendimus organa nostra. Proinde etiam tẽpore Machabæorum vastato per Antiochum tem-
1. Macb. 1. plo, factus est planctus magnus in Israel & in omni loco eorum, Et ingemuerunt principes & seniores, & iuuenes & virgines infirmati sunt, & spe-
Ibid. cap 3. ciositas mulierum immutata est; Omnis maritus sumsit lamentum, & quæ sedebant in thoro maritali lugebant, & ablata est voluptas à Iacob, & defecit ibi tibia & cythara. Quæ autem illa sunt quæ ob sacrilegia templo & ciuitati sanctæ non sine crudelitate illata, manent sacrilegos?

9. *Memor esto*. i. ad vlciscendum memor eris *Domine filiorum Edom*, siue, Idumæorum, ob ea quæ fecerunt, *in die* cum exterminaretur *Hierusalem*.

10. *Qui* extremo odio exacerbati *dicunt* Babylonijs Ierosolymam vastantibus, *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*, ne vllæ in ea nobis nimis inuisæ religionis aut felicitatis reliquiæ remaneant vel supersint ruinæ. His ergo Dei vltio obuentura esse prædicitur ob peccati, vt apparet, immanitatem. Nimiæ enim crudelitatis erat ac impietatis, hostium, quem mitigare oportuisset, furorem ad extrema inferẽda instigare, & afflictis accumulare afflictionem. Hanc namque & huiusmodi crudelitatem, diuinam vindictã non euadere superiora testãtur, dicitur enim Ps. 68. Quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorẽ vulnerũ meorum addiderũt, appone iniqui-

iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. Et 108. Fiant contra Dominum semper & dispereat de terra memoria eorum, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem, mendicum & compunctum corde mortificare. Quam Idumæorum iniquitatem augebat, quod eam, non vt Babylonij, in extraneos, sed in suos fratres exercebant; Dicit namque Abdias, Timebunt fortes tui à meridie vt intereat vir de monte Esau, Propter interfectionem & propter iniquitatẽ, in fratrem tuum Iacob, in die cum stares aduersus eum quãdo capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Hierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi vnus ex eis. Quibus accedit, quod Idumæi Babylonios ad hæc instigauerunt ex odio à maioribus suis desertæ Iudaicæ religionis: Esau enim qui & Edom, pater Idumæorum, religionem paternam tantopere execratus fuisse traditur, vt arte diabolica præputium in circuncisione ablatum sibi denuo, vt refert Epiph. adduxerit, vestigiumque factæ circumcisionis de corpore suo deleuerit, quam artem Epiph. tradit ab Esau in posteros dimanasse; Et Apostolum ab eius sacrilego vsu circuncisos dehortari cum dicit, Circuncisus vocatus est, non adducat prẹputium. Idumæi itaque huius execramenti hæredes, odio Iudaicæ religionis & religiosæ gentis, dixerunt Babylonijs, *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*; Atque ob hanc omnem quam diximus immanitatem, vltio diuina super eos non tam inuocatur quàm ventura prædicitur. Quid verò dicas de Babylonijs? aut quid eis ob prædicta euenturum esse augureris?

Epiph. lib. de mens. & pond.

Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis. Quibus verbis permulti in scripturis sacris literam non satis circumspectè sectantes, arbitrantur prædici talionem quam Iudæi aliquando reddituri essent Babylonijs: Sed illi expositioni non parum obstat, quod hic dicitur: *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam*, Noui quidem ex scripturis sacris quibusdam concessum esse vindictã de hostibus sumere, id enim testatur liber Hester de Iudæis, qui illo tempore fuerunt captiui, testatur & liber Machab. quibus dixerat Matathias, Retribuite retributionem gentibus; sed aliquos à Spiritu sancto eo nomine beatos prædicatos fuisse non memini, præsertim cùm in Psal. 57. diximus, Iustum cùm viderit vindictam lætari non debere, nisi quod ipse euaserit: Quodque omnem iustum conspecta quantumuis iusta vindicta malè habere oporteat, quod par eius, vt ex Tertull. ibidem allegauimus, tam crudeliter impendatur. Oportet proinde retributionem hanc & illa quæ ei adiunguntur de tali retributione intelligere, quæ retribuentem faciat beatum. Et quæ illa est? Retributio quâ redduntur bona pro malis: Ille enim verè beatus est, 11.

qui aduerſario ſuo id reddit boni, quod ab eo mali accepit, ipſamque ſub qua ad ſeruitutem captiuus fuerat, captiuitatem, vinculis diuinæ legis atque charitatis conſtrictā atque captiuam ducit ad perpetuam libertatē: Et quos cùm in ſeruitutem premeretur habebat ſuper caput ſuum ſibi, vt in Pſal. 65. diximus, impoſitos homines, eoſdem viciſſim ſuo paterno magiſterio ſuæq; diſciplinæ pia & voluntaria deuotione reddit ſubiectos. Hoc enim propriè eſt reddere talionē in eadem forma, diuerſo tamē genere, rerum. Similiter,

12. *Beatus qui tenebit.* Quid? populos tuos, ô Babylon, eosque ſibi ſtudio fidei ac veræ religionis adhærere faciet. Verè enim beati erunt Iudæorum illi, in quibus è captiuitate redeuntibus implebitur illud Iſaiæ, Miſerebitur Dominus Iacob, & eliget adhuc de Iſrael, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam, Adiungetur aduena ad eos, & adhærebunt domui Iacob, & tenebunt eos populi, & adducent eos in locum ſuum, & poſsidebit eos domus Iſrael ſuper terram Domini in ſeruos & ancillas, & erūt capientes eos [retibus fidei & religionis] qui ſe ceperant [vinculis hoſtilitatis] & ſubijcient, [per deuotionem] exactores ſuos [qui exercuerant in eos tyrannidem] Vbi quaſi ad oculum patet his redditam eſſe retributionē, quam ipſi Iſraelitis retribuerant prius. Hæc enim omnia de populi Iſrael è captiuitate ad terram ſuam, cum pijs populorū, diabolo per conuerſionem detractorū, manubijs, redeuntis, regreſſu, veraciter, ſed ſine pręiudicio intelligētiæ potioris intelligenda ſunt. Quò pertinet & illud Zachariæ reditū populi è captiuitate prophetantis. Apprehendent decem homines fimbriam viri Iudæi dicentes; Ibimus vobiſcum, Audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt. Beatus itē, *qui allidet paruulos tuos ad petram*, qui, nimirum, populos infideles ſocietate fidei ſic ſibi aſtrictos faciet, vt etiam paruulos ſuos circūcidendos offerant, exhibeantq; eos ad petram, qua frequenter perficiebatur circuncifio, carne atterendos, vt vetus eorū homo ſimul atteratur ad Chriſtum, qui eſt petra ſalutis. Hæc ergo vera eſt & multum prædicanda beatitudo populi Iſraëlitici, in quam infelix eorum & dura captiuitas Dei beneficio, qui tum temporis ne gentium quidem ſalutem procurare per omnia prætermiſit, commutata fuit: Quam beatitudinem Ezechias propheta ſubobſcurè proſpiciens, auditis verbis Iſaiæ, Poſteris eius Babylonicam captiuitatem prænunciantis, æquo animo reſpondit, Bonus ſermo quem audiui: Exiſtimabat enim, inquit Ambroſ. & in captiuitate meritum poſſe eminere virtutis. Hanc expoſitionem confirmat, quod Pſaltes de retributione Babylonijs pręſtanda verba facturus populum, ipſum nomine filiæ Babylonis miſeræ compellat. *Filia*, inquit, *Babylonis miſera.* Si enim vltionem Babyloni inferendam deſcribere voluiſſet, non appellaſſet eam miſeram, nec eam in ea qualitate conſiderandam propoſuiſſet, Miſeria enim non ſolet

Ambr. 1. de Iac. ca. vlt.

prouo-

prouocare, ſed mitigare vindictam. Cùm verò miſeria miſerandam faciat, & irritet miſericordiam, profectò, cùm appellat Pſaltes filiam Babylonis miſeram, intelligendus eſt retributionis nomine inſinuare quam diximus miſericordiam, magna beatitudine retribuentis eidem eſſe reddendam. Nec ſine iudicio Babyloni retribuitur miſericordia, filijs verò Edom vindicta; Hi enim crudelitatis ad quam Babylonicos inſtigabãt, neſcientes modum, in Iudæos odio deſertæ à ſuis progenitoribus religionis, exarſerunt; Illi verò mala quæ ſimpliciter inferebant ſufficere arbitrati, quæcunque in religionem admiſerunt, ignorantes admiſerunt in incredulitate, & ob id miſericordia fuere minus indigni. Porrò, cum dicat Tertull. in ſcripturis ſacris quædam in certas perſonas propriè dici, quæ illis in quos dicuntur admonitionis conſtituant proprietatem, reliquis verò exemplum; exiſtimo Pſalmum iam explicatum de Iudæis in captiuitate Babylonica poſitis propriè intelligendum eſſe, ſed ad exemplum Catholicorum, qui in poteſtatem hæreticorum deuenere captiui; Vt & hi caueant Cantica Eccleſiaſtica & ſacramenta hæreticis pandere, ne eorum prouocent inſaniam; Curent triſtitiam de euerſa è ſuis locis religione non exuere, ne ſenſim eorum quæ ſuæ ſalutis ſunt facti incurij, ad confeſſionem & propugnationem ſanæ fidei, vbi & quando non licet, obmuteſcant; Optent & ſatagant Babyloni, matri ſpiritualium fornicationũ, illam vicem reddere, vt ipſam, in populo ſaltem ac paruulis eius ſibi occiſam, Catholicæ fidei atque, Chriſto viuere faciat. Quidam interim veterum Pſalmum hunc tropologicè intelligunt, inter quos Ambroſ. eum refert ad pœnitentes: Quos dicit ſuper flumina Babylonis ſedere ac recordatione Sion flere debere, eo quod lapſos in ipſo temporum præſentium & rerum labentium ſtatu poſitos, oportet reſipiſcere & ad pœnitentiam conuerti, idque ex recordatione Sion, ſiue memores facti vnde exciderint. Nihil enim eſt, inquit, quod tam ſummo dolori ſit, quam ſi vnuſquiſque poſitus ſub captiuitate peccati, recordetur vnde lapſus ſit atque vnde deciderit, quodque ad corporea atque terrena, ab illa ſpecioſa ac pulchra diuinæ cognitionis intentione deflexerit. Addit eoſdem in ſalicibus debere ſuſpendere organa ſua, neque in terra aliena debere cantare canticum Domini, eo quod oporteat lapſos à ſuſceptione ſacramentorum ſuperſedere, quamdiu exercere nequeunt opera pœnitentiæ, ne in ipſa pœnitentia fiat, quod poſtea indigeat pœnitentia. Denique, conſentiente Hilario, dicit pœnitentes & quoſuis alios, paruulos ſuos feliciter allidere ad petram, cum infirmas & lubricas cogitationes allidunt ad Chriſtum; Cùm omnes irrationabiles motus ſui reuerentia & diſceptatione comminuunt, vt ſi adulterino amore raptentur, excludant ignem copulamque meretricis, & ſe, ſtudio ſuo, abdicent, vt Chriſtum acquirant.

Tert de præſcri aduer. hæ. c. 8. et 9

Ambr. 2. de pæni. c. vlt.

PSALMVS CXXXVII.

Ipsi Dauid.

1. CONfitebor tibi gratias agendo *Domine* Deus meus *in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei*. i. exaudisti orationem meam qua dicebam, Verba mea auribus percipe Domine
2. *In conspectu angelorum psallam tibi*: Angeli enim intersunt psallentibus
Bern. ser. 7 in Cant. & epist. 78. seu laudes Dei decantantibus, inquit Bern. eorumque deuotionem obseruant, sed psallentium irreligiositate offensi, extra eorum chorum indignabundi sese interdum recipiunt. Cuius rei consideratio in psallentibus attentionem excitare debet, eosque extimulare ad religionem magis accuratè deferendam. *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Adorantes enim extendimus mentes faciesque leuamus ad cælum, quod est templum Dei æternū, *& confitebor nomini tuo,*
3. *Super misericordia tua* De qua me supra meritum meum exaudisti, *&*
veritate tua qua promissa implesti. *Quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.* i. maior inuentus es & in operibus tuis magnificentior, quam vllo nomine ad te significandum appropriato, & proinde sancto, ex-
D. Amb. de fid. con. Ar. cap. 6. plicari potuit. De Deo enim cum dicitur, inquit Ambros. non potest dici, cum æstimatur nō potest æstimari, cū definitur, ipsa sua definitione crescit. Ideò rectè dicit Augustinus. De Deo cum loquimur ineffabilis est, superat
D. August. 1 de doctr. Christ. c 6. enim omnem verborum vim. Hieron. tamen loco eius quod nos legimus *nomen sanctum tuum* legit verbum tuum, quo nomine filium Dei intelligit,
Hier. epist 135. quem secundum humanam suam naturam magnificauit Deus super omne nomen, cum dedit ei nomen super omne nomen & voluit hominem illum ab omnibus Deum dici.
4. *In quacunque die inuocauero te exaudi me, multiplicabis in anima mea*
De bon. con iug. cap. 2. *virtutem.* Prouectus mentis & copia virtutis significatur, ait August.
Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ, qui audierunt omnia ver-
5. *ba oris tui.* i. gratias tibi agant quod & fidei auditum, & fidem ex auditu tuo munere acceperint. Qua sententia simul prophetatur reges omnes aliquando ad fidem conuertendos esse.
6. *Et cantent in vijs Domini.* i. dum perambulant vias Domini, *quoniam magna est gloria Domini.* Quæris in quo?
7. *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit*, magna proinde gloria eius, qui non respicit excelsos, vt gloria eius per eos augeatur, sed humiles, vt ipsi qui à gloria tam sunt remoti, communicatione gloriæ eius glorifi-
Aug. de S. Virg. c. 32. centur. *Et alta*, tanquam sibi, inquit August. nō accedentia, *à longe cognoscit.* Regibus ergo hoc præcipuè confitendum est, ne alioqui arbitrentur se

sua sub-

sua sublimitate Deo gloriam accumulare, sed se à Deo prius humiliatos, ab ipso vere glorificatos esse, ac tum in Domino verè esse gloriosos, cum illi, legibus ac institutis eius culmina sua inclinant.

Si ambulauero in medio tribulationis. i. si tribulatione circundatus & 8.
obuallatus fuero, *viuificabis me.* i. spiritum & alacritatẽ mihi tribues, *& super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam.* i. potentior fuisti auxiliando quam illi affligendo; Per quod auxilium, *saluum me fecit dextera tua,* quia iram eorum me saluum & incolumem euadere fecisti. Sed quid? nunquid pro iniuria tibi illata inimicis vicem reddes? nequaquam, quia

Dominus retribuet pro me. i. ipse de illis vindictam sumet pro me, estque 9.
proinde vindicta illi committenda qui dicit, mihi vindictam. Id tamen illi dictum esse intellige, qui, vt inquit Sapiens, vindicari voluerit: Hoc enim vt in futura vita à Domino fiat, velle licet, vt arbitramur nos supra alicubi ex Augustino dixisse, est tamen, vt ibidem ex Cyrill. diximus, infirmorum. Multo verò melius est, Domino, vt inimicis nostris etiam in futuro iudicio parcat, totis, cum D. Bernardo, viribus supplicare. Vel; *Dominus retribuet pro me.* i. pretium pro me soluet Deo Patri, quæ non rapuit exoluens. *Domine misericordia tua in sæculum.* Adhæret enim amicis Dei misericordia eius donec præliantur. Quod cùm verum sit, etiam in futuro iudicio, ô Domine, *opera manuum tuarum.* i. homines qui tuis manibus creati sunt, *ne despicias.* i. ne eos, inquit Augustinus, à misericordia tua repellas. Qui tamen *Aug. 2. ad Marc. c. 15*
in commentario huius loci per opera manuum Dei intelligit bona opera quæ Deus operatus est in nobis, de quibus dicit, *Opera manuum tuarum ne despicias,* quia timet ne in die iudicij sua præualere inueniantur peccata, & mercede vacua relinquant Dei opera.

PSALMVS CXXXVIII.
In finem Psalmus Dauid.

PSalmum hunc Hilarius & Augustinus de Christo intelligunt, quos secuta videtur Ecclesia cùm in introitu diei Paschæ ex eo quædam in persona Christi decantat. Ambr. tamen aduertit eum ad Psalten ipsum, & similiter etiam ad quemuis Christianum habitantem in adiutorio altissimi, referri posse; Ad quem si referas, ait, aduertis quod vbique manus Dei & dextera Christi assistat. Cùm ergo explicatio Psalmi huc relata multo planior sit & neruosior, nos eum maxima ex parte in hunc sensum explicabimus enarrantes verba Psaltis in persona sua, particulariumque Christianorum hoc modo loquentis. *Ambr. ser. 19. in psal. 118. vers. 7*

Domine probasti me, exercendo, *& cognouisti me,* ea quæ circa me sunt 1.
in apertum proferendo mihique manifestando. Non tu quidem mei cogni-

tionem

tionem per experientiam accepisti, sed iam multo ante ab æterno *tu cognouisti sessionem meam*, id est, infelicis animæ meæ desidiam, *& resurrectionem meam*. i. quod ex ea resurrecturus essem. Imo quo ordine ex ea essem resurrecturus, quia,

2. *Intellexisti cogitationes meas de longe*. i. tu in æterna sapientia tua intellexisti siue excogitasti quid mihi cogitandum foret vt à longe ad te accedere inciperem & redire. Dico in æterna sapientia tua, De ea enim Baruch dicit; Hic adinuenit omnem viam disciplinæ & tradidit eam Iacob. *Semitam meam*, per quam mihi ordinate procedendum foret, *& funiculum meum*. i. mensuram donationis meæ, *inuestigasti*. i. tu prius excogitasti & tuo munere me inuestigare fecisti.

3. *Et omnes vias meas præuidisti*. i. in præscientia tua præordinasti; Præuisio enim Dei sicut & præscientia eius subinde includit vnà & præordinationem eius, sicut scriptum est, Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit. *Quia non est sermo in lingua mea*. i. præ admiratione huius prouidētiæ tuæ obmutesco nihil habens dicere; Quale quid contigit Dauidi 2. Reg. 7. & 1. Paral. 17. cùm in hæc verba loqueretur, Quid vltra addere poterit Dauid vt loquatur ad te, cum ita cognoueris seruum tuum? Domine secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc.

4. *Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua*. i. quid mali prius in me fuerit & te me deserente futurum fuerit, & quid boni de me facere posses. Quo cognito, *Tu formasti me* secundum corpus & animam, *& posuisti super me manum tuam*. i. curam mei gerere elegisti, meque prius for-
In psa. 118 matum, per spiritum tuum, inquit Ambros. reformasti.
ser. 10. v. 1 *Mirabilis facta est scientia tua ex me*. i. dum ea quæ prius in me ex me,
5. & postmodum ex te in me sunt intueor, ex effectu tuarum dispositionum
D. Ambr. 6 hexa ca. 8. video te scientia & prouidentia mirabilem esse, Dum enim, inquit Ambr. me intueor, quem tu in ipsis cogitationibus occultis & internis affectibus
Aug. 15 de Trin. c. 7. et 4 de anima & eius orig. ca. 19. deprehendis, scientiæ tuæ agnosco mysterium D. tamen Augustinus hunc versum hoc modo interpretatur, Ex eo quod video me memetipsum non posse comprehendere nec intelligere, aduerto quam incomprehensibilis tua scientia mihi sit; Si enim, ait Sapiens, quæ circa nos sunt difficulter comprehendimus, quæ in cælis sunt nosse quis poterit? *Confortata est*. i. fortior, maior, atque altior me esse deprehensa est, *& non potero ad eam*, Viribus enim naturæ non possum eam attingere, nec vllis viribus, sic vt nihil eius me lateat, comprehendere. Pergit autem posthæc Psaltes latius explicare; quod, vt in argumento Psalmi ex D. Ambros. audiuimus, ijs qui habitant in adiutorio altissimi, manus & dextera Dei Christus vbique assistat, & dicit:

Quò ibo

Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? 6.
Si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades. 7.
Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. 8.
Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Quibus 9.
versibus, in primis, vt veteres concorditer testantur, significatur, Deum, imo sanctam Trinitatem vbique esse, In Spiritu sancto enim, quem Psaltes designauit, cùm dixit, *Quo ibo à Spiritu tuo?* indiuidua copula sanctæ Trinitatis, inquit Amb. expressa est, Si enim Spiritus immẽsus est, inquit Aug. ergo & Pater & Filius, à quibus habet Spiritus vt immensus sit, & cũ quibus est vnus immensus, immensus est. Imò clariùs erit copula S. Trinitatis hic expressa, si nomine faciei cum Euthy. Filium Dei intelligere placuerit. Sed qua ratione hinc probabitur manũ quoque Dei & dexteram vbiq; assistere? Id demõstrabit Amb. his verbis; An cum de sole dubitare nequeamus quod procedens toto orbe radios diffundat suos, & omnibus lumẽ infundat, quẽ etiam illi qui videre non possunt, sentiunt tamen aeris ipsius fotu esse præsentem: Vbi enim deest calor illius? Quo radij eius non perueniunt, cum discussis noctis aut nubium tenebris illuminat terram? In cælo fulget, in mari rutilat, feruet in terris. De sole ergo non dubitas quod vbique resplendeat; de Deo dubitas quod non vbique fulgeat splendor gloriæ eius & imago substantiæ? Quid non penetret verbum Dei, splendor æternus, qui etiam occulta mentis illuminat quæ non potest sol iste penetrare? Verbum enim Dei gladius spiritualis est, vsq; ad diuisiones animæ atq; artuum medullarumq; perueniens: Hæc Ambro. Ex cuius verbis cum didicerimus dexteram Dei ex eo quod vbiq; est etiam vbique assistere, accuratius explicanda nobis sunt Psaltis verba, vt ex ijs deprehendamus, quibus modis singulis quibusque locis dextera Dei assistat, quósve in eis per suam gratiam proferat effectus. Dicit ergo Psaltes. *Quo ibo*, legunt alij, abibo, Hieron. vero, Vadam, *à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* i. in quæ bona opera sine tua ope me potero conuertere, Imò te mihi volente subuenire aut assistere, quis erit locus aut status meus in quo auxilium gratiæ tuæ mihi superuenturum non est? *Si* enim *ascendero in cælum*. i. si cælestia cepero desiderare, aut per vitæ contemplatiuæ virtutem cælestia scrutari, & illa quatenus in hac vita fieri potest, apprehendere, *tu illic es*, desiderium illud in me accendens, & me virtute qua id præstem corroborans, mihique exhibẽs copiam tui, *Si descendero in infernum*. i. si me ad gehennam considerandam conuertero *ades*, adiuuans me, vt eam prout oportet mihi ob oculos ponam, eaq; contemplatione timorem mihi vtilem incutiam. Quando enim suo. i. hominis spiritu, inquit Bernar. posset homo expauescere gehennam, aut cælestia desiderare aut penetrare? Sed potest hoc illius

Cyrill. 9. in Ioan. c. 40. Ambr. loco citato. & in Lucam. Aug. tract. 36. in Ioã. & 2. de Trini. ca. 5. Hiero. in c. 66. Isaie.

Bern. in senten. nõ procul à princ.

ſpiritu cui dictum eſt, *Si aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades*, Spiritus quippe ſapientiæ vbique præſens, nouit quid in cælo, & quid agatur in inferno. Cumque mentem humanam repleuerit, & de pœnis inferni incutit timorem, & cæleſtium amorem atque copiam infundit. Hæc Bernard. *Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris*. i. ſi propoſuero (propoſitum enim, nouæ vitæ quoddam diluculum eſt) ſæculum euadere atque in ſolitudinem me recipere, *Etenim illuc manus tua deducet me*. i. non ſola virtute propoſiti mei, ſed tuæ directionis atque auxilij perueniam illuc quò, proponendo pergere cepi atque intendi, qui vt velle ita & pro bona voluntate, perficere operaris in nobis. *Et tenebit me*. i. me ibidem perſeuerare faciet *dextera tua*. Interim frequenter inuadit iſtiuſmodi homines quædam anxietas, & formido ne in peccatum mortale incidant & in eo moriantur. Dicit proinde in eorum perſona Pſaltes, *Et*, iam in extremis maris, vel extra ſæculum poſitus,

10. *Dixi forſitan tenebræ conculcabunt me*. i. peccata quædam ignorāter aut callidè mihi obrepent & iuſtitiam ad quam me deueniſſe arbitror, opprimentˏ mihique eueniet quod Pſal. 7. ſcriptum eſt, Perſequatur inimicus animam meam & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam. Cùm autem hoc trepidè dixi, tuo auxilio, ſupereminenter quam ſperaui, mihi ſuperueniente, facta eſt, *nox illuminatio mea in delicijs meis*. i. delicata quadam gratia Spiritusſancti mihi inexſpectatò infuſa, nox tribulationis atque tentationis imminentiſque, vt verebar, caliginis repente in lucem commutata eſt mentiſque ſerenitas mihi refuſa; Dum enim per intellectum

D.Greg.16 mora.c.10 myſticum ſtudioſa mens, inquit Greg. reficitur, iam in ea vitæ præſentis obſcuritas fulgore diei ſubſequentis illuminatur, & efficitur nox illuminatio eius in delicijs eius.

11. *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te*. i. nullæ tenebræ tam denſæ ſunt aut obſcuræ, vt ſi tu eas illuminare volueris, illuminationem tuam non valeant efficaciter euadere. *Et nox ſicut dies illuminabitur*. i. qui prius fuerunt tenebræ, paulò poſt erunt lux in Domino, effecti filij lucis atque diei. *Sicut tenebræ eius ita & lumen eius*. i. quantæ fuerunt tenebræ, tanta poſtmodum efficietur hominis à te illuminati, lux.

12. *Quia tu poſſediſti renes meos*. i. incentiua, inquit Ambr. virtutum, ipſa-

D.Amb.exhor.ad vir. que bonorum operum ſeminaria, quæ ſunt intima piorum deſideria, Ad opus enim quodcunque homo intimis deſiderijs ardentiſsimè accenditur & inflammatur. Hos autem renes poſsidet Deus cum eos charitas occupat atque inflammat. *Suſcepiſti me* dirigendum, corrigendum, adiuuandum, cuſtodiendum *de vtero matris meæ*, ita vt iure debeam tibi dicere, De vtero matris meæ Deus meus es tu.

Confi-

Confitebor tibi, in gratiarum actione, *quia terribiliter magnificatus es.* 13.
Terribiliter, inquit. i. admirabiliter, ita vt magnificẽtia mihi tua stuporem quẽdam incusserit; in quẽ sensum Psal. 88. Deus magnus & terribilis dictus est super omnes qui in circuitu eius sunt. Aut, *Terribiliter*, quia magnificentiam tuam sic circa me exercuisti, vt tamen simul ostenderis quam sit terribilis expectatio iudicij tui & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios, Ob hoc, inquam, *confitebor tibi*, Pauor enim terribilis iudicij tui tempore huius vitę vtilis est hominibus ad conseruandam quam in eis operatus es magnificentiam. *Mirabilia opera tua & anima mea cognoscet nimis*. i. cognoscet ea humanæ intelligentiæ, & pręsertim comprehensioni, eò quod vires eius & facultatem superent, nimia esse. Pergit autem nunc Psaltes declarare, quod, vt in principio diximus ea quæ in homine sunt, Deo nota sint etiam priusquam tentatione explorentur, & dicit:

Non est occultatum os meum à te. i. robur meum *quod fecisti in occulto*. 14.
Sunt enim, ait August. occulta Dei dona quæ non nisi interrogatione tentationis, etiam semetipsum vnicuique denunciant. Cuiusmodi dona Dei erant in Iob & Abraham etiam priusquam tentarentur, hic à Deo, ille à diabolo. Vterque enim ignorauit robur virtutis suæ donec id per tentationem palam fieret. Ideo post tentationẽ dicitur Abrahæ, nunc cognoui. i. cognoscere te feci quod timeas Dominum. Hoc ergo os, seu robur, etiam dum in homine adhuc occultum est, nõ est Deo incognitũ. Quomodo enim diceretur Deus nõ permittere tentari supra quod possumus, nisi vires vniuscuiusq; nostrum etiam ante tentationẽ, quæ virium nostrarum quædam est exploratio, haberet perspectas? *Et substãtia mea in inferioribus terræ*. i. habemus nihilominus thesaurum hunc occultæ virtutis in vasis fictilibus, huius mortalitatis, ac infirmitatis. Sicut autẽ hoc quod diximus os in occulto, ita etiã

Aug de sancta virgin. cap. 44.

Imperfectum meum viderũt oculi tui. i. ita etiam infirma hominum, siue, 15.
cætera, fortes sint, siue per omnia infirmi, tibi perspecta sunt. *Et in libro tuo* qui est liber vitæ, *omnes* etiam imperfecti, si modo eis studium proficiendi, vt docet Bernard. non defuerit, Sedentem enim, inquit, siue, à cura proficiendi vacantem, à mortis tenebris comprehendi periculum est. Quid? ingredictur imperfecti cũ suis imperfectionibus regnũ Dei? Non. Sed. *Dies formabuntur & nemo in eis*, subaudi, informis remanebit, ait Bern. quia in die futuri sæculi absorpta omni imperfectione, quisque hic proficientium, plenam & perfectam pro ratione dispositionis suæ suorumque meritorum iustitiæ formam induet. Bonæ enim spei homo, inquit Augustinus, si eum proficientem vltimus huius vitæ dies inuenerit, iudicabitur potius, adiectis illis quæ hic defuerunt, perficiendus quam puniendus. Et alibi. Qui nolunt proficere ad percipiendum ea quæ sunt spiritus Dei, ad vetus testimonium

Bern. serm. 49. in Cãt.

Aug de bo. perse c. 21.

Idem 1. cõ. Donat. c 15

monium pertinent. Si autem proficiunt, etiam antequam capiant, ad nouum pertinent testimonium. Et si priusquam spirituales fiant ex hac vita rapiantur, custoditi per sacramenti sanctitatem in terra viuentium computantur. Nec enim inuenio quid verius intelligatur in eo quod scriptum est, Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribētur. Hæc Augustinus. Huiusmodi ergo clementia à Deo exhibetur imperfectis; Perfectis vero quid?

16. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.* i. Apostoli quos Christus dixit amicos, quia omnia quæ audiuit à Patre nota fecit eis, Non enim constituitur amicus, ait Augustinus, nisi qui ad familiaritatem admittitur cui nostra omnia refundere audeamus. Hi ergo supra quam æstimari potest, tuo munere, hic in iustitia sublimati sunt, & postmodum in gloria exaltabuntur. *Nimis confortatus est principatus eorum.* i. ijdem à te principes Ecclesię constituti, in suo principatu summam virtutem exercuerunt. Quantus enim est animi potentatus, ait Cypr. quanta vis, non tantū seipsum diabolo subtrahere, sed in omnē eius exercitum imperioso iure dominari, siue ex castris diaboli ad castra Christi tam multos traducere?

Aug ser. 21 de verb. Apost.

Cyp. epist. 2

17. *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*, quia pro patribus nascentur filij, qui in eundem principatum perpetuo succedent, per quam iugem successionem *super arenam* siue supra numerum, homini, vt est numerus arenæ maris, incomprehensibilem, multiplicati esse deprehendentur cum fuerint recensiti. Vnde autem hæc perpetui principatus indiuulsa successio? Respondet Psaltes in persona Christi: *Exurrexi, & adhuc sum tecum.* q. d. Causa huius perpetuitatis est, eo quòd Christus à mortuis resurgens, præstiterit, & etiamnum præstet quod dixerat; Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Hunc huius loci sensum vsus Ecclesiæ approbare videtur. Alij tamen, vt D. Gregor. intelligunt eum, vel de honore principatus quem exercent iusti in hac vita in carnem suam & desideria eius: Vel, quem gerent omnes electi in die iudicij cum iudicabunt sancti nationes & dominabuntur populis. Cui intellectui bene cohæret quod sequitur,

D. Greg. ho. 27. in euā.

18. *Si occideris Deus peccatores.* i. si finis eorum mors, *viri sanguinum declinate à me.* i. nulla mihi vobiscum sit in peccato communio.

19. *Quia dicitis.* i. peccatum operamini, *in cogitatione.* Dicit, *in cogitatione*, cum tamen peccata etiam perpetrent opere, quia in cogitatione origo est omnis peccati & in consensu quædam peccati consummatio. Nam, vt docet Tertull. in ijs, quæ per corpus aguntur, anima prior est, quæ concipit, quæ disponit, quæ mandat, quæ impellit, quæ prior tractat quod per corpus actura est, ita vt nunquam conscientia posterior sit facto. Quam ob causam

Tert. de anima, ca. vlt.

non absurdum esse iudicat, vt in Psal. 118. circa finem diximus, quod anima etiam ante corpus vindictam sustineat. *Accipient in vanitate ciuitates suas.* i. congregationes, societates, ac respublicæ eorum euanescent in diluculo futuri sæculi, cum implebitur illud Isaiæ, attrita est ciuitas vanitatis, sic dicta, eo quod nullo solido fidei vel Christianæ dilectionis vinculo sibi cohæserit. Cæterum, quia non satis est communionem impiam declinare, sed oportet insuper malitiam odisse, ne securis & otiosis, vt in Psal. 35. ex Ambr. allegauimus, nostris affectibus, blanda conciliatricula voluptatis irrepat illecebra, ideo subdit Psaltes,

Nónne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? vbi vrgendum est quod dicitur, *oderunt te*, &, *inimicos tuos*, His enim vocabulis non quiuis peccatores sine discrimine, sed qui diuinæ gratiæ & Euangelij inimici sunt, præcipuè intelligi debẽt. Hæc enim vitia odio singulari & acerrimo prosequenda sunt, ita vt tristitia quadam tabescere oporteat eum qui ea impedire, remouere, vel non potuerit corrigere. In quẽ sensum Leo hunc versum intelligit. Cùm enim Atticus quidam de Eutychiana hæresi suspectus, se D. Leoni purgare vellet, dixit Eutychen sibi odiosum semper fuisse. Quæ purgatio nullatenus suffecit Leoni; voluit enim, vt lucutentis verbis, imo & propriæ manus subscriptione, hæresim Eutychetis reprobaret atq; damnaret, quia aliud, inquit, sunt humanę etiam inter catholicos simultates, aliud diabolici quos fides catholica damnat errores. Et ideo, frater charissime, in nullo debes de nostra dilectione dubitare, si prophetæ exemplum sequaris & dicas, Nónne qui oderunt te Domine oderam? Quo autem odio? 20.

Leo epi. 77

Perfecto odio oderam illos, vt videlicet nec propter vitia hominem oderim, nec propter hominem amauerim vitium, inquit August. *Inimici facti sunt mihi*, Quia odium hoc quod in bonum eorum ordinatur, in malam partem interpretati, inimicitiam mihi pro dilectione reposuerunt. Huius tamen inimicitiæ, verius dixerim iniuriæ, declinandæ appetitus neminẽ debet à malorum correptione vel obstaculo malitijs eorum obijciendo, imò denegãda aut subtrahenda familiari vt vocamus, consuetudine (de qua re in Psal. 100. v. 7. plura diximus) deterrere. Dicit enim Greg. Dauid cum se totum ad fœdera pacis internæ constringeret, testatur quod cum malis concordiam non teneret, dicens, *Inimici facti sunt mihi.* Pensandum ergo est quando ab increpatione quiescitur quantâ culpâ pax cum pessimis tenetur, si propheta tantus hoc velut in hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino prauorum inimicitias excitauit. Hinc per semetipsam veritas dicit, non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Malorum namque cum incautè amicitijs iungimur, culpis ligamur. Vnde Iosaphat qui tot de ante- 21.

Aug 14 de Ciuit. ca. 6.

Greg. past. curæ par. 3 admo. 23.

acta vita preconijs attollitur, de Achab regis amicitijs pene periturus increpatur. A Deo enim vita nostra discrepat, cum peruersorum amicitijs concordat. Cæterum quandoquidem humana astutia sub prætextu vitij subinde hominem odit, &, quonam odio, iniquóne an perfecto moueatur, difficulter discernit, ideo aptissimè subiungit Psaltes:

22. *Proba me Deus*, per tentationem qua occulta innotescant. Vel per veram conscientiæ discussionem, quæ nisi peculiari Dei dono, solidè non discutitur. *Et scito*. i. fac me scire *cor meum*, *interroga me*. i. fac me mihimetipsi, de affectibus meis num recti sint, quæstionē mouere. Quod faciebat sibi August. cùm diceret; Deus in cuius conspectu factus sum mihimetipsi magna quæstio. Huiusmodi enim interrogatio discussionis quoddam initium est. Ex hoc igitur verbo discimus dubitationem ac quæstionem quæ homini de seipso, suisque affectionibus ac studijs suggeritur, Dei donum esse, & primum remedium contra obduratam coagulati cordis securitatem adferre. *Et cognosce*. i. fac me cognoscere *semitas meas*. i. qualitatem conuersationis meæ & eorum quæ in ea ago.

Lib. 10. Confeß.

23. *Et vide si via iniquitatis in me est*. i. fac me videre si vel in vno (via enim hic singulariter ponitur) in iniquitate ambulo vel hæreo. Vtilissimè autem oratur vt homo hic denudetur sibi, quia in die iudicij non habebit quod timeat in se videri, qui se prius aspicit reuelata facie, ait Ambr. Nisi autem ipse se viderit, non audebit se ostendere, sicut Adam qui se occultare cupiebat. Hæc Ambr. *Et deduc me in via æterna*. i. vt in via quæ ad æternitatem ducit perseueranter ambulem. Ad eam enim non perueniet qui à via recta vel in vno perseueranter aberrauerit. Itaque oratio postremis his versibus contenta, frequentanda est; merito enim metuitur occultorum peccatorum in die iudicij, non fore remissionē, nisi eam votum & studium occultorum cognoscendorū, cum animi docilitate in hac vita præcesserit.

Amb. in ps. 118 ser. 3. vers 3.

PSALMVS CXXXIX.

In finem Psalmus Dauid.


Ratio est Christi pro se & corpore suo. i. Ecclesia in feruore tentationis, quam impij, & præsertim hæretici, inferunt, constituta. Orat autem ne per tentationem illam in peccatū incurrat, & dicit:

1. *Eripe me Domine ab homine malo*, *à viro iniquo eripe me*, ne ab eo in peccatum seducar.

2. *Qui cogitauerunt iniquitates in corde*. i. aduersum me, vt seniores aduersus Susannam pleni sunt iniqua cogitatione, vt mihi mala inferant, & præsertim præcipitent in peccata, *Tota die constituebant prælia*. i. sine intermissione si semel superati fuerant, noua inferebant bella.

Acuerunt linguas suas sicut serpentes. i. sermones suos faciunt penetrare corda hominum, sic vt illa penetrando, simul, tanquam serpentes, infundant venenum. *Venenum aspidum sub labijs eorum.* i. Labia quidem eorum dulcia sunt, sed sub illis venenum admodum exitiale, quale est aspidum clancularie instillant, Sicut scriptum est: Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum. Vel, vt exponit August. In ore habent verbum maledictionis, sed nullum firmamentum veritatis. 3. *Aug. 2. cõt. Petil. c. 23.*

Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me, ne, cum in eorum deuenero potestatem, illi mihi scandalo sint. 4.

Qui cogitauerunt supplantare gressus meos. i. conuersationem bonam, quam cepi, fraudulenter peruertere. Quod præcipuè fit cum intentio quidem nostra non peruertitur, sed salua bona, quam vel in genere seruamus, intentione, in operis executione incaute aut ignoranter, aberratur. De qua Greg. Antiquus hostis aliquando intentionem boni operis vitiare non præualet, sed in ipsa actione se quasi in itinere opponit, vt cum per propositum mentis securior quisque egreditur, subiuncto latenter vitio, quasi ex insidijs perimatur. Quæ Gregorij verba illis obseruanda sunt qui negotijs suis perperam peractis, defensionem, de recta sua intentione proferunt. *Absconderunt superbi.* i. homines diuinæ legi contumaciter rebellantes *Laqueum mihi*, quia studiosè incubuerunt per dulces sermones me fallaciter in laqueum inducere. 5. *Greg. 1. moral. ca. 38.*

Et funes extenderunt in laqueum, conati enim sunt me quibusdam negotijs ita implicare, vt quocunque me verterem non euaderem, aut sine magna difficultate euadere nõ possem peccatum, Hoc autem eos ex instinctu diaboli (nerui enim testiculorum eius sunt perplexi) satagere, author est D. Greg. hanc quam dixi perplexitatem, per complura exempla declarans. *Iuxta iter scandalum posuerunt mihi*, quia quocunque pergit homo ibi laquei sunt, inquit Amb. laquei in corpore, laquei in lege, laquei in Philosophis, laquei in religione, Videt enim diabolus aliquem virum religiosum, in ipsa eum religione supplantat, & nimia pietate impium esse cõpellit. Hæc Ambros. D. Hieron. verò istud de hæreticis intelligit, qui sub nomine Christi & scripturarum sacrarum fallunt, vsque adeo, vt multi ab illis seducti putent se in Christo, qui est via, ambulare & pergunt ad Antichristum; Quibus verè ponuntur laquei *iuxta viam*; sunt enim huiusmodi laquei similitudine propinqui veræ viæ veritatis. His ergo tentationibus expositus dicit Christianus: 6. *Greg. dist. 14 ca Nerui. Amb. lib 4 in Lucam. Hier. in c 9 Ozeæ & 3 Amos.*

Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem orationis meæ. 7.

Domine Domine virtus salutis meæ. Nihil enim eorum, quæ etiam à te mihi ad salutem donata sunt, aliquid roboris habet, nisi tu corroborando 8.

& coope-

& cooperando illud confortaueris, In voluntate enim tua præstitisti decori meo virtutem, *Obumbrasti*, legunt alij obumbra *super caput meum in die belli*.i.feruorem tentationis tu, superna prouidentia, attempera, mihique tuo auxilio refrigera. Quia verò vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, ideo aptè subiungitur:

9. *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori*. i. tuere me contra ipsa interna desideria mea, ne ab ipsis (hoc enim est *à desiderio meo*) deueniam in potestatem aut seruitutem hominum peccatorum, *Cogitauerunt contra me*. i.exspectauerunt me vt perderēt me, *Ne derelinquas me* à tuo auxilio, *ne fortè exaltentur*. i.iactent sese ac triumphum agant ob victoriam, vt sibi promittebant, de me consecutam. Oratio eadem est cum eò quod Psal. 68. orauit, Propter inimicos meos eripe me.

10. *Caput circuitus eorum*. i.caput eorum est circuitus, Non enim sicut animalia Ezechielis habent firmamentum fixæ & immobilis veritatis supra caput suum, vt eam sequantur, sed pro capite habent volutabrum immundæ mentis suæ, propterea etiam Psal. 12. de eis dictum est, In circuitu impij ambulant, *Labor labiorum ipsorum operiet eos*, Operire hoc loco non est idem quod occulere, sed est obruere, vt sit sensus, Magno suo labore obruent semetipsos & eos à quibus audiuntur onerosissima multitudine verborum, ita vt in eos verè dicat Sapiens, Omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non implebitur, Nihil enim est, inquit Greg. ad defendendum puritate tutius, nihil ad defendendum veritate facilius, nam dum falsitatem suam tueri quis conatur, duro cor labore fatigatur; Hinc namque scriptum est, Labor labiorum ipsorum operiet eos. Hæc Greg. Et quis eorum finis?

Greg. past. curæ par. 3 admon. 12

11. *Cadent super eos carbones*, significatur ignis conflagrationis, qui, vt in Psal. 96. diximus, inflammabit in circuitu inimicos Dei, eosque iam ardentes in infernum præcipitabit, ideo & hic sequitur; *In ignem deijcies eos*. i. præcipitabis eos post hæc insuper in infernum, *In miserijs non subsistent*, Quis enim, ait Isaias, poterit habitare cum ardoribus sempiternis? D. tamen Greg. accommodat hoc hominibus huius vitæ, dicitque eos in miserijs non subsistere, qui aduersa æquanimiter non tolerant.

D. Greg. 2. moral. c. 16

12. *Vir linguosus*. i. qui in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis solummodo confidit, *non dirigetur in terra*. i.negotia eius non habebunt successum, Cor enim rectum requirit scientiam, & in operibus iustitiæ successus habebit, *Virum iniustum mala capient in interitu*. i.apprehendet eum quem nunquam euadet æternus interitus: Et ne quispiam ab impijs in hoc sæculo vexatus vindictam expetat, subdit Psaltes, quid quisque prædictis modis tentatus sibi dicere debeat, & in persona eius dicit;

Cognoui

Cognoui quod faciet Dominus iudicium inopis. Discernet enim causam eius de gente non sancta, & post hoc, *vindictam pauperum*. i. sanctorum suorum, qui omnes spiritu pauperes sunt; & præsertim eorum qui in hac vita patrono, iudice ac vindice caruerunt.

Veruntamen quasi dicat, ex aduerso *iusti confitebuntur* confessione laudis & gratiarũ actionis *nomini tuo & habitabunt recti*, in cælesti mansione *cum vultu tuo*, permanebunt enim ante oculos tuos contemplantes vultum diuinitatis tuæ.

PSALMVS CXL.

Psalmus Dauid.

DOmine clamaui ad te exaudi me, intende voci meæ cum clamauero 1.
ad te. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. i. si- 2.
cut thymiama ex varijs aromatibus compositum & incensum dicitur fuisse suauissimi odoris tibi Domino, ita oratio mea diuersis fidei, spei & charitatis charismatibus instructa ad conspectum tuum perueniat, Talis quidem fuit oratio Christi, cuius vox in primis huius Psalmi verbis auditur, Ea autem voce nos admonemur, vt oratio nostra tanquam thymiama efficiatur, vt posit simili modo ad Deum conscendere, Orationem enim virtutibus & virtutum operibus infarciri debere, ex Cypriano iam ante diximus. Vis autẽ audire quæ fuerint opera Christi, quibus oratio eius potens facta fuit & impinguata? *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* August. enim & Cyprianus docent hæc verba in persona Christi esse intelligenda, qui in cruce vsque ad vesperum pendens, fuit sacrificium vespertinum, suamque quam pro nobis ibidem faciebat orationem tanto sacrificio Deo gratam reddebat & acceptam. *August. in Psal. 64. Cyp. 2. aduers. Iud. cap. 20.*

Pone Domine. i. fac me ponere, inquit Aug. Adiutorium enim Domini 3.
hoc loco sic expressum est, vt Deus dicatur facere quod facit vt faciamus, non ergo petitur hic gratia quæ operetur in nobis sine nobis, sed quæ nos adiuuet vt operemur, *Custodiam ori meo & ostium circunstantiæ labijs meis*, De qua re in Psal. 36. & 38. diximus. *Aug de gratia & libe. arb. ca. 16.*

Non declines. i. non me declinare, vel nõ declinari permittas, *cor meum* 4.
in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Huiusmodi verba meritò verba malitiæ dicuntur, In animam enim suam peccat, ait Bernard. qui se excusat repellens à se indulgentiæ medicinam, & sic vitam sibi proprio ore intercludens. Quænam autem maior malitia, quam propriam armari in salutem & linguæ tuæ teipsum proprio mucrone cõfodere? Porro inter cætera, per quæ se excusant homines frequẽs est necessitas coactionis, vt notat Hieron. Prætendunt enim huiusmodi homines se necessitate pec- *Bern. serm. 16. in Cãt. Epist. 147.*

casse, quod est, inquit Hieron. Non peccasse, Cui excusationi pulchrè satisfacit Tertull. in hæc verba; Non admittit status fidei allegationem necessitatis, nulla est necessitas delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi; Nam & ad sacrificādum & directò negandum necessitate quis premitur tormentorum siue pœnarum; Nec tamen illi necessitati disciplina conniuet, quia potior est necessitas timendæ negationis quam euadendæ passionis. Cæterum subuertit totam substantiam sacramenti (i. doctrinæ Christianæ) huiusmodi causatio, vt etiam volūtarijs delictis fibulam laxet. Nam & voluntas poterit necessitas dici, habens scilicet vnde cogatur. Hæc Tertullianus.

Tert. de coro. mil. c. 11

5. *Cùm.* q. d. vt moris est & familiare *hominibus operantibus iniquitatem. Et.* i. si hoc feceris *non communicabo.* i. non ero *similis electis eorum.* i. illis qui inter impios maiores habentur, hi enim arte excusandi peccata sua excellunt, maximè cum arti accedit potestas publica aut conspicua; Quia cōplures quo maiores efficiuntur aut doctiores, eo plus in hac perniciosa fallacia proficiunt; Quin potius,

6. *Corripiet*, alij legunt, emendabit, sed eòdem recidit, quia correptio ad emēdationem ordinatur. Itaque *corripiet* vel corripiat siue arguat *me iustus*: Dicit iustus, non quod solis iustis liceat corripere, sed quia correptio opus est iustorum, & per se bonum est, Vel dicitur, *corripiat me iustus*, quia vt docet Aug. in quocunque fratrem suum corripiente, corripit Christus qui est simpliciter iustus, *in misericordia.* Correptio opus est à charitate siue dilectione mediante misericordia elicitum, ordinatur enim correptio ad corrigenda voluntaria mala, omne autem, præsertim huiusmodi, malum authorē suum facit miserum. Dicit itaque; *Corripiet me in misericordia*, quia correptio de corripientis misericordia procedere, & à delinquente, vt opus misericordiæ, suscipi debet, ideo & hic non in persona corripientis sed delinquentis dicitur, *Corripiet me iustus in misericordia. Et increpabit* siue increpet *me.* i. correptioni suæ obiurgationē coniungat: docet enim hac adiectione Psaltes correptionem etiam cum increpatione coniunctam, quauis callida peccati excusatione optabiliorem esse debere. *Oleum autem peccatoris.* i. indecens assentatio adulantis & deceptoria lenitudo blandientis, ait Aug. *non impinguet caput meum.* i. non exhilaret, palpet neque delectet me. Quādo enim dixit Christus, Vnge caput tuum oleo, mentis lætitiam significauit. Donatistæ verò intelligebant nomine olei oleum sacramentorum confirmationis & ordinis, & quia hic dicitur *oleum peccatoris.* i. vt ipsi volebant, oleum sacramentorum per malos administratorum, ex hoc loco tanquam à specie ad genus inferebant sacramenta à malis suscipi non posse. Respondet autē August. oleum sacramentorum

Epist. 147.

Aug. 2. de ani. & eius orig. c. vlt & 2 cont. Parm c. 10

Aug. 2. cōt. lit. Pet. c 32

non

non posse dici oleum peccatoris, eo quod oleum istud eius sit qui sacramentum instituit & cuius nomen in sacramentorum administratione inuocatur. Cui Optatus Mileuit. consentiẽs, Si peccatum, ait, est hominis, vnctio est diuinitatis. Cæterum, adulatio in duos blanditur fines, Blanditur, inquam, aut vt benè agentem sibi placere, inaniter, & supra quam oportet de bonis suis gaudere faciat: Vel, vt blandiendo ei, quæ non oportet, persuadeat, eumque acquiescere faciat malis. Quocirca pro adulantium alia & alia intentione, sequentia aliter & aliter intelligi possunt, aut etiam intelligenda sunt. Si enim adulator exaggeret bona, sensus eorum quæ sequuntur erit iste. Oleum peccatoris non impinguet caput meum,

Op. a. Mil. li. 2. contra Parm.

Quoniam, q. d. meritò dico me nolle adulatione palpari, Ea enim mente sum, mihique sic conscius, vt, *Adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum.* 7.
i. vt, in quibus ego hominibus benè, & non omninò abs re placeo, in ijsdem ego mihi multum ad perfectionem deesse sentiens, putem me cõmendationis ac beneplaciti eorum parua habita ratione, orationi adhuc incumbere debere, vt quod mihi deesse sentio, impetrem, ita vt magis me contristet residuum meæ inopię, quam non fallax commendatio possit exhilarare. Quę sententia D. Bernardum adiuuisse videtur, vt, sicut de eo testatur historia, esset fortior ad se deprimendum, quam fuerit totus mundus ad eum extollendum. Quam verò ob rem non est securum hominum benè ac beneuolè iudicantium testimonio, ac censuræ acquiescere? Quia, *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.* i. homines de virtute in hac vita pro humana infirmitate non fallaciter nec erroneè iudicantes, Petræ, qui Christus est, siue Christo iudici iuncti aut comparati, *absorpti sunt*, Christi enim comparatione in iudicando homines nihil penè valere crediti sunt. Dixit enim Apostolus, mihi pro minimo est vt à vobis iudicer aut ab humano die, Qui autem iudicat me, Dominus est; Qua aduersatiua non obscurè indicat iudicium quorumuis hominum Christi iudicio comparatum, minimum esse, & veritatem, si attingere, pro minima tantum attingere parte. Verum, cum adulator blandimento linguæ suæ nititur mala & illicita plausibilia facere, & sicut serpens mulieri, per dulces sermones peccata persuadere, aut laudando peccatorem in desiderijs animæ suæ, in peccata propellere, de qua adulationis specie scriptum est. Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, Veni nobiscum; insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum: Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spolijs, sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium nostrum. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum: Cùm ergo adulatio hæc, &

Prouerb. 1.

huiusmodi persuadere conatur, tũ verba nunc exposita, sensum ab eo, quem dedimus, nonnihil diuersum, Græco tamen textui melius conuenientem, requirunt, in hunc modum. *Oleum peccatoris*. i. adulatio me ad illicita, persuasibilibus humanæ sapientiæ aut blandiloquentiæ verbis, pellicientis, *non impinguet caput meum*. i. non exhilaret me, Vel, non augeat mihi cupiditatem, ne prodeat quasi ex adipe iniquitas mea; *Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis*, Legunt alij, Malitijs *eorum*, & sensus est: Ego enim imploro à Deo vt protegat me aduersus illa mala in quibus illi sibi placent, & quæ mihi placita reddere suauiter fabulantur. *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum*. i. Magistri eorum qui docent ita faciendum, vel, falsitatem sub mellis fuco delitescentem obtrudendam esse, in die iudicij cum implebitur illud Isaiæ, Dissipabo & absorbebo simul, *absorpti* vel absorbendi sunt à tartaro, eósque absorbebit profundum, cum fuerint *iuncti petræ*, siue, cum coram Christo iudice apparuerint in extremo iudicio. His namque verbis nihil aliud significari videtur quam merces atque præmium quod manet eam quæ falsa perniciosè persuadere studeat, adulationem. Huiusmodi enim, vt inquit Basil. in verborum benedictione omnem execrationem vitæ inducunt, ac reos æternæ damnationi ob ea quæ approbant sese constituunt. Ex eo autem quod dicit *iudices eorum* absorbendos esse, simul insinuat doctrinam eorum esse perniciosam, & colligendum relinquit eos qui illam sectantur, perditioni æternæ pariter obnoxios esse. Non est tamen ob id horum adulatorum in hac vita desperanda correctio. Dicit namque Psaltes in persona Dei.

Basil. in Psalm. 61.

8. *Audient* tam Magistri adulationum quam populus ipse qui solet, vt habet Isaias, dicere magistris suis, Loquimini nobis placentia, Videte nobis errores, *Verba mea* prædicationis Euangelicæ, *quoniam potuerunt*. i. blandiloquentiæ fallaci præualuerunt, Vel, potiora facta sunt. *Sicut crassitudo terræ erupta est super terram*, adulatio scilicet, quia ante Euangeliũ, vel, vbi iacet vigor & rigor Euangelij, adulatio per vniuersam terram in plures abundauit, magnarum fuit virium & in præcipuis est habita delicijs. Sed cum isti qui se prius beatos existimabant eo quod assentatores eos beatos prædicabant, &, vt habet Ezechiel, consuebant sub cubito eorum puluillos, per Euangelij prædicationem cœperint audire meliora, & fucum fallacis adulationis deprehendere, vanum adulationis effectum exprimentes dicunt vno ore,

Isaiæ 30.

9. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum*. Ex scripturis sacris manifestum est quod vanitatem & adulationem æternæ pœnæ loco maneat dissipatio. Dicit namque per Ezechielem Dominus, Destruam parietem quem linistis absque temperamento & adæquabo eum terræ, & reuelabitur fundamen-

Ezech. 13.

damentum eius: & cadet, & consumetur in medio eius: & scietis quia ego Dominus. Et per Isaiam, Erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, & requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio eius. Et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione perualida: & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio aut hauriatur parum aquæ de fouea. Dicunt itaque. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Profitentur enim quod iam in hac vita cum nondum in infernum deuenissent, sed in statu damnationis positi *secus infernum* siue inferno propinqui essent, pœna futuri sæculi, quæ est dissipatio, eos aliquousque præuenerit, Quamuis enim per adulationem viderentur sibi aliquo modo cohæsisse, fatentur tamen quod nullus inter eos verus fuerit nexus, nullaque solida concordia, eo quod adulatores non eorum, vt ostendit Hieron. quæsierint salutem, sed suo, vt ait Apost. seruierint ventri, Et ipsi, non veritatem sectati sint, sed ventum, Dicit autem Basil. psaltem de ossibus à concordi partium harmonia emotis dicere, *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum. Quia.* q. d. ob id, quod hoc iam deprehendimus, *ad te Domine Domine oculi nostri*: donec miserearis nostri, & per verum amorem fraternitatis, secundum sermonem veritatis, operante spiritu tuo, accedere facias, iuxta vaticinium Ezechielis, ossa ad ossa, vnumquódque ad iuncturam suam. *In te speraui*, quia eleuationi oculorum meorum ad te, spem obtinendæ tuæ benignitatis adiunxi, *non auferas.* i. non ad æternam damnationem abripias, in hac miseria & damnationis, vt dixi, foribus constitutam, *animam meam.*

Isaia 30.
Hiero. epist. 9 cap. 3.
Basil. in Psal. 33.
Ezech. 37.

10. *Custodi me à laqueo*, iam dictæ adulationis, *quem statuerunt mihi*, firmauerunt enim sibi sermonem nequam. Et, vt dicit Ezechiel, perseuerauerunt confirmare sermonem, quia sermonibus adulationis audacter & pertinaciter me decipere instituerunt. *Et à scandalis operantium iniquitatem.* Inter cætera enim quæ homini scandalo sunt, & ad iniquitatem blandiendo illiciunt, est peccantium multitudo & peccandi consuetudo. Inuitat namque multitudo ad peccandum; Et peccata, vt deplorabat August. solummodo inusitata exhorrescimus, vsitata verò non solum non exhorrescimus, verum etiam probamus.

Ezech. 13.
August. in exp. epist. ad Gal.

11. *Cadent in retiaculo eius.* i. adulationis, aut multitudinis quæ operatur iniquitatem, *peccatores*, Qui enim placet Deo, inquit Sapiens, effugiet mulierem illam blandiloquam, quæ verba sua dulcia facit, qui autem peccator est, capietur ab ea. *Singulariter sum ego.* i. præ reliquis (loquitur enim Psaltes in persona electorum) à retibus adulatorum præseruor & saluus euado, *donec transeam.* i. toto decursu huius sæculi quo per varia pericula transeam ad securitatem. Hic namque versiculus, si proprium spectemus Psal-

Ecclesiast. 7

mus Psaltis propositum, coincidit cum illo versiculo Psalmi 4. Tu Domine singulariter in spe constituisti me. D. tamen August. hæc verba intelligit esse dicta in persona Christi qui dicit, *Singulariter sum ego donec trãseam*, eo quod ante eum nemo pro confessione nominis Christi, aut quia Christianus, passus sit, post eius autem transitum siue mortem, quam plurimi, inter quos D. Stephanus, qui ob id protomartyris nomine insignitus est & admodum celebris, inuentus est primus.

PSALMVS CXLI.

1. Reg. 24. *Intellectus Dauid cùm esset in spelunca oratio.*

MVltas hactenus orationes ad informationem eorum qui in varijs tribulationibus sunt atque pressuris audiuimus. Sed quia inter cæteras est quædam tribulatio quæ est hominis in extremis constituti, præsertim cum ex vna parte à suæ salutis inimicis cingitur, ex alia verò parte, vt fit, destituitur ope & assistẽtia piorum, operæpretium fuit vt Psaltes etiam huiusmodi tribulatis precandi formulam præscriberet, & exhiberet. Cùm itaque in spelunca quasi in mortis certissimè imminentis expectatione latitaret, recordatus eorum qui in extremis sunt, ad instructionẽ eorum (vt attestantur sancti qui Psalmum hunc in suis extremis in ore habuerunt) præsentem Psalmum composuit, in hunc modum.

1. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum.*

2. *Effundo in conspectu eius orationem meam.* i. orationem quam pleno affectu cõceptam habeo, effundo seu expono in conspectu Domini orans patrem in abscondito. Quo sensu Anna, orationem intimo suo affectu conceptam Domino exponens, dicebat se effudisse cor suum coram Domino. Ad quod nos hortatur Hieremias; Effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini. Quod quidem non est omnium, sed eorum qui possunt sine monitore, ex pectore orare, quod primis Christianis Spiritu sancto plenis familiare fuisse, testatur Tertull. in apolog. *Et tribulationem meam* quam infert inimicus, instans vt iam tandem aliquando rapiat vt leo animã meam magisque sæuiens quia scit quod modicum tempus habeat; quam & auget metus mortis, & incertitudo futuri euentus. Ex his, inquam, ortam tribulationem *ante ipsum pronuncio.* Id enim pronunciare releuat oppressum, quia enarrando effundit, & effundendo euacuat angorem. Nec parum iuuat tribulationem in conspectu Dei pronunciare, quia Psal. 76. dictum est, Memor fui Dei & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. Quid autem dicit?

3. *In deficiendo ex me spiritum meum.* i. dum deficit vita mea temporalis, & morti appropinquat vt spiritus eat ad Dominũ qui dedit illum. Cùm enim in mor-

in mortem tendit homo, non ſpiritualis animæ ſubſtantia, ſed corpus ſenſim deficit. Dicitur tamen eo tempore ſpiritus deficere, quia anima dilabentibus paulatim inſtrumentis domicilijs & ſpatijs ſuis, ait Tertull. paulatim & ipſa migrare compulſa, deducitur in diminutionis effigiem. Itaque anima vectaculi ſui, non ſuo nomine deficit, opere decedens, non vigore; actu languens non ſtatu; conſtantiam non ſubſtantiam decoquens, cõparere ceſſat, non eſſe. Hæc Tertull. *Et tu cognouiſti ſemitas meas.* i. cognouiſti omnia quę circa me ſunt, nouiſti enim animum meum, laborem, anguſtiam, periculum, exitum & finem. Tertul. de ani. ca. 53.

In via hac qua ambulabam. i. ad finem tendebam, *abſconderunt laqueum mihi.* In illo enim articulo inuiſibiliter adeſt (hoc eſt enim quod dicitur abſconderunt) diabolus, laqueos per ſe & ſuos intentans. Si enim, teſte Baſilio, diabolus imminente Chriſti exitu ad Chriſtum accedere veritus non eſt, quærens, num in eo inueniret quicquam, multo magis credendum eſt vnumquemque noſtrum circa finem vitæ à diabolo examinari & exagitari. Eſt enim ipſe ſerpens inſidians calcaneo ſeu fini mulieris. 4. D. Baſil. in Pſal 7. D. Grego in Euang. homil. 37.

Conſiderabam ad dexteram & videbam. i. circumſpiciebam num aliquis à dextris mihi adeſſet. i. mihi ad æternam ſalutem auxilium & opem adferret. De Domino enim cum auxiliator adeſt, dicitur Pſal. 15. Quoniam à dextris eſt mihi. *Et non erat qui cognoſceret me.* i. qui huius negotij vel notitiam vel curam haberet. Quod ipſum & Sapienti euenit, qui transfigurãs in ſe hominem in neceſſitate conſtitutum, reſpiciens, ait, eram in auxilium hominũ & non fuit. Cogitauit itaque moribundus iſte ſi poſſet neceſſitatem in qua verſatur effugere, animaduertẽs autem id fieri non poſſe, ſubiungit, 5.

Perijt fuga à me. i. fuga ipſa in nihilum redacta eſt, ita vt ad effugiendum nihil mihi ſpei, virium aut oportunitatis ſuperſit. *Et* præter hæc *non eſt qui requirat animam meam.* i. nemo eſt inter abſentes qui ad me penetrare & mihi ſic conſtituto in ſalutem animæ meæ ſubuenire quærat, meíve, & malorum in quibus verſor habeat rationem. Quid ergo conſilij? Recordatus, vt ibidem ait Sapiens, miſericordiæ tuæ & cooperationis tuæ quæ à ſæculo ſunt, 6.

Clamaui ad te Domine. i. ad te per orationem me conuerti. *Dixi, Tu es ſpes mea.* i. à te mihi ſpero in hac neceſſitate ſubueniri, *Portio mea in terra viuentium.* i. ſpero quod ibi te conſequar partem hæreditatis meæ qui hic ſum derelictus. In quibus verbis ſigillatim indicat Pſal. illa quæ per virtutem ſpei à Domino expectanda ſunt; Sperare enim oportet, à Deo auxilium & beatitudinem. 7.

Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum. i. in neceſſitates 8.

addu-

adductus ſum, *nimis*. Hoc addit, quia in neceſsitate propinquus eſt Dominus ad exaudiendum: Et quò neceſsitas maior eſt, eò Dominus efficitur propinquior.

9. *Libera me à perſequentibus me, quia confortati ſunt ſuper me.* i. Iam omnes vires ſuas in me intenderunt, meque excluſerunt ab omni humano auxilio.

10. *Educ* per diſſolutionem animæ & corporis *de cuſtodia animam meam*, Cuſtodia inquam, qua inimici eam vndique obſident vt comprehendant, vt conteratur laqueus venantium & nos liberemur. Alij, nec malè, nomine cuſtodiæ carcerem intelligunt, quam dicunt eſſe corpus hominis, non quidem natura, vt teſte Tertull. voluit Plato, ſed corruptione, ſecundum quam acceptionem hæc oratio conueniet omnibus morituris, etiam illis qui in ſupradictis neceſsitatibus conſtituti non ſunt. *Ad confitendum* cum ſanctis alterius vitæ, *nomini tuo*. Quod optare, ſincerißimæ eſt charitatis, Deſiderat enim quantum ex ipſo eſt, bonũ Domini ſui. *Me expectant iuſti donec retribuas mihi*, Hoc ad ſolatium morituri pertinet, videlicet, præ oculis habere quod iuxta doctrinam Cypr. magnus nos illic charorum numerus expectet, parentum fratrum filiorum, frequens nos charorum & copioſa turba deſideret iam de ſua immortalitate ſecura de noſtra adhuc ſollicita. Ad eorum enim conſpectum atque complexum iam iam properare, quantum putes excitat in mente tranſeuntis gaudij & exultationis? Glorioſum enim & iucundum eſt, inquit Ambroſ. ad meliores pergere; in eorum tranſire conſortium quorum facta miramur.

Cypr. tract. de mort. circa finem. August. in pſal. 147.

Ambroſ. de bon. mort. cap. 11.

PSALMVS CXLII.

Pſalmus David quando perſequebatur eum Abſalon filius eius.

Eſt hic Pſalmus poſtremus inter pœnitentiales, implorans peccatoribus poſt multa demerita atque peccata ſpiritum iuſtificationis. Cui ſuus aptè quadrat titulus, author enim occaſione accepta à lapſu filij ſui paricidæ, eum compoſuit, vt conueniat omnibus qui pro ſua à lapſu iuſtificatione precantur. Qui ſic habet.

1. *Domine exaudi orationem meam auribus percipe obſecrationem meam.* Oratio eſt mentis ſimplex eleuatio in Deum cum decentium petitione: Obſecratio verò paulò plus præſtat quam oratio, Efficitur namque oratio obſecratio, cum in oratione dicitur, Exaudi me propter temetipſum, propter tuam ipſius bonitatẽ, & ſic de cæteris. *In veritate tua*, qua imples tua promiſſa, *exaudi me in tua iuſtitia*, qua iuſtificas ſine meritis impium.

2. *Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Ex hoc loco concludunt hæretici iuſtitiam à qua

Chriſtiani

Christiani iusti dicuntur non posse Dei iudicium sustinere: Si enim in conspectu Dei non iustificabitur omnis viuens, ergo nemo inuenietur coram oculis siue iudicio Dei verè iustus. Sic illi. Sed si scripturas alias quæ de iustitia Christianorum verba faciunt, expenderimus prout oportet, videbimus vero magis consentaneum esse quod hæretici suum illud de iustitia Christianorum, quam iustitia Christianorum Dei de se iudicium non possit sustinere: Ait namque Ioannes, In hoc est charitas Dei perfecta nobis- *1. Ioan. 4.*
cum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia sicut ille est & nos sumus in hoc mundo. Si habemus fiduciam in die iudicij, ergo habemus & iustitiæ soliditatem: Fiducia enim non innititur nisi veritati & soliditati, quia confidentia quæ errori innititur aut vanitati, est præsumptio spiritus & arrogantia, non spes aut fiducia. Quin & Christus in extremo iudicio iudicabit orbem terrarum in iustitia & populos in veritate sua: Iudicabit autem in illa die quosdam iustos esse; (Ibunt enim, inquit Matthæus, iusti in vitam æternam, quomodo autem pro illo tempore dicerentur iusti, nisi à iudice essent ita iudicati?) qui ergo tunc iudicati erunt esse iusti, erunt ita iudicati iudicio Dei vero & iusto: Potuerit proinde eorum iustitia iustum ac verum Dei iudicium sustinere. Quid ergo est quod hic dicitur, *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*? D. August. & plerique alij intelligunt ista verba de extremo *Aug. 4. de Trin. ca. 3. 5 de Ciuit. Dei, ca 19. Amb. in ps. 16. ad verba, Cum iudicabitur illi.*
quidem iudicio, sed dicunt hominem non iustificari in conspectu Dei, illâ iustitiâ, qua æquabimur, inquit August. angelis Dei. Nec enim erit nobis illa iustitiæ plenitudo, perfectio, atque integritas quæ erit in sanctis angelis Dei: Quæ Augustini & Ambrosij sententia absque dubio vera est, sed non ausim dicere eam Psaltis intentioni atque proposito conuenire. Si enim Psaltes confiteri voluit se ea, quæ Angelorum est, iustitia non iustificari in conspectu Domini, quid erat necesse orare ne Deus intraret in iudicium cum seruo suo, cùm Deus in iudicio, angelicæ perfectionis iustitiam à nobis exacturus non sit, Nec sit examen nostræ iustitiæ ac conuersationis ad angelicæ perfectionis leges reuocaturus? Alij proinde dicunt quod si Deus ingrederetur in iudicium cum seruis suis, velletque cum eis iudicio, vt dicit Iob, contendere, non iustificaretur in conspectu eius omnis viuens, propter permulta iustitiæ opera quæ ab hominibus passim prætermittuntur: aut aliàs contra legem Dei venialiter peccando committuntur. Quam eorum sententiam, vt non reprehendo, ita illud addo, non eos ob hæc negare iustitiæ veritatem sed perfectionem. Proinde quod hic dicitur, *Non intres in iudicium*, non de extremo, sed de huius vitæ iudicio intelligendum esse, cum D. Gregorio arbitror. Cùm enim permulti fuerint qui arbitrati *D. Greg. in hūc locum.*
sint se ex operibus iustificari; vt eos de errore conuincat, eorumque con-

Isaie 43. fundat superbiam, dicit ad eos per Isaiam Dominus: Reduc me tecum in memoriam, & iudicemur simul, Narra si quid habes vt iustificeris, Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt in me, Huiusmodi ergo iudicium in quo de meritis iustificationem omnemque gratiam præcedentibus disputetur, pœnitẽs iste præ bona sui agnitione ac ingenua confessione declinans, dicit; *Non intres in iudicium cum seruo tuo*, q.d. Non est opus rem hanc quasi ambiguam iudicio discutere, iam enim satis superque exploratum habeo, quod de suis operibus vel præcedentibus meritis, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credo & opto iustificari. Quin nec impertinens est huic expositioni, quod dicitur, *In conspectu tuo*, siue, coram te. Posset namque aliquis ex operibus iustus dici coram hominibus, sed non in conspectu Dei, siue, vt dicit Apostolus, non apud Deum, Si enim, inquit, Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quapropter etiam iustitia quæ non est ex Dei gratia nusquam scripturarum simpliciter iustitia dicitur, sed cũ restrictione. v.g. Iustitia legis, Iustitia carnis aut simili modo. Dicit itaque pœnitens, non intres in iudicium cum seruo tuo, &c. quia profitetur neminem hominum in hac vita ex operibus gratiæ præuijs, iustificari posse. Huic expositioni optimè cohærẽt sequentia, dicitur enim;

3. *Quia persecutus est inimicus animam meam.* q. d. non est quod mecum contendas iudicio, & vincas cum iudicaris, sat scio enim me ex præuijs meritis iustificari non posse, *Quia inimicus* diabolus, *persecutus est animam meam*, institit enim, vrsit, exstimulauit me in peccata vt ego peccarem in animam meam, & ipse raperet eam: Factus namque sum illi maledicto obnoxius de quo scriptum est, Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. *Humiliauit in terra vitam meam.* i. vitam meam multis peccatis contaminatam reddidit & dehonestatam.

4. *Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi.* Sicut enim mortui sæculi detruduntur in sepulchra, ita me per longam peccandi consuetudinem in peccatis quasi de vita desperatum, quodammodo sepeliuit. Moriuntur enim homines peccando, Sepeliuntur, vt docet August. peccata frequentando. *Et anxiatus est super me spiritus meus.* i. subministrato mihi auxilio gratiæ præueniẽtis, anxius esse cepi de meo, in quo me esse animaduerti statu. Intellexi enim non esse mihi tutum in eo permanere, nec sat sciui, qua ratione me inde possem eximere. Quia in conuersionis primordijs parum credit, & minus sperat peccator ex illo se posse statu expediri. *In me turbatum est cor meum*, præ magnitudine mali in quo eram, & maioris mali cui eram obnoxius. Isti tamen versiculi secundum verborum proprietatem sat commodè de Christo intelliguntur, tum ab Augustino, tum ab Ecclesia

clesia in officio feriæ 6. Parasc. Eius enim animam seu vitam temporalem persecutus est diabolus, & humiliauit in terra vitam eius, quia eum secundum carnê occidit. Collocauit eum in obscuris sicut mortuos sæculi, quia occidendo occasionem dedit vt more aliorum qui pro peccatis suis moriuntur sepeliretur. Anxiatus est in eo spiritus eius, cùm orauit vt si fieri posset, transiret ab eo hora. Sed ad pœnitentem redeamus, qui in dicta anxietate constitutus, dicit:

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar. i. In hac anxietate positus, recordatus sum Domine te ab initio, tuo auxilio, multos à delictis eduxisse; Inter quos, illum, qui primus formatus est, quem sapiẽtia eduxit à delicto suo, & ad eius instar plurimos. Cuius rei recordatio anxio huic valde fuit oportuna; Eum enim ab anxietate prędicta in spem accipiendæ simul diuinæ opis & indulgentiæ adduxit. Quocirca prouidit etiam Dominus vt Ionas priusquam Niniuitis prædicaret, à pisce deuoraretur, & re quasi desperata, iterum euomeretur. Id enim præter Dominicæ mortis & resurrectionis mysterium, etiam Niniuitis, teste Luca, fuit in signum. Ex eo namq; quod Ionas insperabilem salutem à Domino consecutus erat, colligendum, teste Irenæo, fuit Niniuitis superesse sibi spem veniæ, non obstante eo quod res eorum ad extremum essent deductæ: Quod & fecerunt. Et vt tempore noui testamenti in promptu habeant lapsi opera Domini, quorum ad bene dirigendam suam anxietatem recordentur, dignatus est Christus parabolam filij prodigi & similia pœnitentum exempla, omnibus palàm proponere. Meditatione itaque diuinorum operum ab anxietate ad spem diuinæ misericordiæ accipiendæ traductus, dicit: 5.

Lucæ 11. *Iren lib. 3. cap. 22.*

Expandi manus meas ad te. Quo gestu sinus quidam boni desiderij Deo aperitur & offertur. Cuius autem id rei expectatione? num veniæ? Nondum, sed prius gratiæ qua ad pœnitentiam bene peragendam adiuuetur, eaque peracta consequatur veniam. Ideo à confessione impœnitentis sui cordis incipiens, subdit, *anima mea sicut terra sine aqua tibi.* i. arida est ad compunctionem & tui dilectionem, sterilis, ad quemuis fructum boni operis. Quid ergo? 6.

Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. i. omnia quæ sunt spiritus Dei, in me defecerunt. Vel, de me, meisque viribus ac sapientia amplius non præsumo. Familiare est enim peccatoribus vt sibi persuasum habeant se non peccasse, vel per solam nescio quam fidem & imaginatam pœnitentiam ad indulgentiam se peruenire posse. Hunc ergo spiritus sui defectum merito allegat Deo, quia eiusmodi defectus facit lapsum diuinis muneribus percipiendis expeditum. Itaque subdit: 7.

8. *Non auertas faciem tuam à me.* i. ne auerſeris me: Auerſationem namq; animi ſolemus auerſione faciei manifeſtare. *Et.* q. d. ſi ſecus feceris, *ſimilis ero deſcendentibus in lacum.* i. in deteriora conuerſus, peccata peccatis addendo, ſenſim, aliorum more, deſcendam in infernum.

9. *Auditam fac mihi mane.* i. maturè, *miſericordiam tuam*, vt eam interno auditu percipiam, *quia in te ſperaui.*

10. *Notam fac mihi viam in qua ambulem.* i. intus doce me viam illam, quam pœnitentibus, vt ad pœnitentiæ profectum & indulgentiam deueniant, ſtatuiſti. *Quia ad te leuaui animã meam.* i. ad te pro auxilio hoc me erexi: quod meritò allegat, Ad Deũ enim ſe hoc modo leuare, ſicut & de Deo ſperare, quoddam promereri eſt, vt de ſpe ex D. Bernardo in Pſal. 56. diximus.

11. *Eripe me de inimicis meis.* i. Tuere me à tentationibus quas inimici hanc viam carpentibus inceſſanter intentant. Suggerunt enim eis tædium & deſperationem vt frangant, præteritarũ delectationum memoriam vt à propoſito reuocent, *Domine ad te.* i. tuam protectionem *confugi.* Et quia pœnitentibus præter auerſionem à malo neceſſaria eſt in poſterum diuinorum mandatorum cuſtodia, addit, *Doce me facere voluntatem tuam*, quod intelligendum eſt de illo doctrinæ genere, quo per charitatem affectus confortatur & incenditur. De quo ex D. Auguſt. ſubinde diximus. *Quia Deus meus es tu.* q. d. propter temetipſum. Hoc ergo eſt obſecrantis. Et quandoquidem ex iniuſtitia ad charitatem ordine perueniendum eſt, ope Dei dirigentis & adiuuantis, ſcriptum eſt enim, Ordinauit in me charitatem. i. ordine me peruenire fecit, vt ſuo loco inter cætera expoſuimus, ad charitatem, ideo ſubiungitur,

12. *Spiritus tuus bonus.* q. d. Spiritus tuus qui tecum vnus eſt Deus. Si enim nemo bonus niſi vnus Deus, & Spiritus eſt bonus, ergo Spiritus Deus. Vel, bonus, cui bonitas ex ipſa ſua proceſſione appropriatur. *Deducet me.* Deducet, inquit me, operaturus hoc quod imploro non vt inhabitans, ſed vt nondum inhabitans, *In terram rectam.* i. in terram ſiue conſortium iuſtorum atque ſanctorum, *Propter nomen tuum Domine, viuificabis me.* i. infuſa charitate vitam mihi præſtabis. Pœnitentes enim ante reconciliationem, tametſi quædam vitalia exerceant, cùm credunt cùm inuocant, cùm de ſemetipſis vindictam ſumunt, non debent tamen dici ſimpliciter viuere, quia ſcriptum eſt, tranſlati ſumus de morte ad vitam quoniam diligimus ſiue charitate amamus atque complectimur fratres: Ante reconciliationem autem pœnitentes non habent charitatem, (Hæc enim eſt de corde puro, conſcientia bona quæ eſſe non poteſt in irreconciliatis) ergo nec ſimpliciter vitam. Opera proinde vitalia quæ exercent pœnitentes, viuificationis ſunt, non vitæ. Propter quod etiam Dominus dicebat Marthæ, Ego ſum re-

ſurrectio

ſurrectio quæ eſt motus ad vitam ſeu viuificatio, Chriſtus enim motum ad iuſtitiam in nobis operatur. Addit, Et vita, quia per ſpiritum ſuum mediante charitate iuſtos inhabitans, eos de ſe viuere facit. Qui credit in me, quod inter cętera faciunt pœnitentes, etiamſi mortuus fuerit per peccatum, viuet. i. ad iuſtitiam perueniet. Non dicit, viuit, quia fides per ſe opus eſt reſurrectionis nondum vitæ. Addit; Et omnis qui viuit & credit in me. i. qui accepta iuſtitia credit à me iuſtitiam ſibi conſeruandam eſſe, ſicut prius crediderat eam ſibi eſſe donandam, Non morietur in æternum, quia Dominus eum merito illius fidei conſeruabit. Viuificabis ergo me *in æquitate tua.* Æquitas media eſt inter miſericordiam & iuſtitiam. Miſericordia enim meram confert gratiam; Iuſtitia mercedem; Æquitas autem retributionem quam vocamus de congruo. Reſpicit namque æquitas in meritum imperfectum, & ob id, aliquid, quantumuis parum, habet de ratione iuſtitię; pluſculum, de ratione miſericordiæ. Dicit proinde, *Viuificabis me in æquitate tua*, inſinuans pœnitentes non tam gratuitò à Deo accipere iuſtitiam, quàm gratuitò impij primam ab eodem accipiunt gratiam; ſed accipere ab eo iuſtitiam vt gratiam, quę tamen retributionis, longè quam merebatur dignioris, rationem ſibi habeat annexam. Nec enim ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, inquit Aug. ſi fides hãc impetrat. Quis autẽ iuſtitiæ finis? *D. Auguſt. epiſt. 105.*

Educes de tribulatione animam meam. Dicetur namque tandem timore 13.
malorum ſublato, Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me. *Et in miſericordia tua*, quam exhibebis iuſtis *diſperdes*. i. à iuſtis ſeparabis & in varias perditorum claſſes pro meritis ſuis diſtribues, *Omnes inimicos meos.*

Et perdes, id eſt, æternæ perditioni addices *omnes qui tribulant animam* 14.
meam. i. qui irriſione pœnitentiæ ac humilitatis meæ & impugnatione omnis boni alijſque modis continuam tribulationem inferunt animæ meæ.
Quoniam ego ſeruus tuus ſum, Vnus ex illis circa quos implebitur illud *Iſa. 65.*
Iſaiæ, Ecce ſerui mei lætabuntur & vos confundemini: Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.

PSALMVS CXLIII.

Pſalmus Dauid aduerſus Goliath.

Continet Pſalmus gratiarum actionem & orationem quæ conueniat omnibus, quibus eſt colluctatio non aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.

Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, & di- 1.
gitos meos ad bellum. Nomine manuum bellandi vires; Digitorum verò

bellandi discretio intelligitur. Agit ergo Psaltes his verbis gratias quia acceperat à Deo bellandi virtutem & bellandi peritiam, nam & spiritualia bella gubernaculis tractanda sunt. Sunt enim vitia cum quibus hæc bella geruntur, alijs & alijs modis expugnanda. Quædam fugiendo, vt vitia concupiscentiæ carnalis. Quædam congrediendo vt vitium acediæ impatientiæ & similia.

2. *Misericordia mea & refugium meũ.* Misericordiam prius nominat quam refugium, quia præcedit misericordia vt faciat hominem ad Deum confugere: Et quia nunquam frustra ad Deum confugitur, subiungit, *susceptor meus.* i. suscipiens confugientem ad se. *Et liberator meus.* i. liberans à malo eos quos susceperit.

3. *Protector meus & in ipso speraui,* spes enim protectionis futuræ, nutritur per experientiam præteritæ. *Qui subdit populum meum sub me.* Das enim mihi non solum hostium meorum, sed etiam populi mei inobedientiam & rebellionem feliciter debellare, eumque ad obedientiam cõuertere. Porro quia omnia hæc enumerata Dei beneficia ex diuina oriuntur gratia, quæ ratione primæ gratiæ maximè gratuita apparet, abripitur nunc Psaltes in eiusdem primæ gratiæ admirationem, dicens:

4. *Domine quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis quia reputas eum.* i. Cuius meriti est primus homo cũ tota sua posteritate, (sic enim hominem à filio hominis in Psal. 8. distinximus) vt innotesceres ei, aut reputares eum tua descensione esse quærendum, tuiipsius impendio esse redimendum? Idque, quia,

5. *Homo vanitati similis factus est.* i. cùm à te esset creatus rectus, sua culpa in amorem terrenarum & transitoriarum rerum prolapsus, ipse quoque terrenus & inanis effectus est. *Dies eius sicut vmbra prætereunt,* quia in tenui quadam bonorum magis imagine quam veritate decurrunt. Non ergo ille secundum imaginem Dei homo vanitas est, ait Ambros. sed qui illud amisit & in peccatum decidit, & in materialia ista dilapsus est, iste homo est vanitatis. Proinde gratiæ quidem erat hominem integrum lumine supernaturali illustrare, id enim non debebatur humanæ naturæ: Mirabilis vero gratię est, hoc lumine hominem iam lapsum & in transuersum actum redintegrare. Cui hoc accedit quod necesse fuerit dona gratiæ huius homini tam indigno donandæ, eiusdem infirmitati attemperare. Quam Dei humanitatem insinuare volens Psaltes eandem simul implorat & subdit:

Amb. de Isaac, ca. 1. Aug. 17. de Ciuit. c. 11.

6. *Domine inclina cælos tuos,* cælestem tuam sublimitatem ad quærendam & consectandam ouem perditam demitte, *Et descende.* i. lumẽ & auxilium gratiæ tuæ, infra quam requireret maiestas tua, nobis qui ab lapsu humi iacemus, nostræque infirmitati attempera & accõmoda. Quod certè in Christianis

ſtianis egregiè impletur, Iam enim inhabitat nos Chriſtus per fidem, cuius
lumen tenellum eſt, & humanæ infirmitatis tenellis viribus, vt Irenæi vo- *Iren. lib. 4.*
cabulo vtar, coinfantiatum. De quo inclinandi modo Ambr. Si ſobriè de *cap. 75.*
Dei filio & quæ digna ſunt opinemur, ideo miſſum intelligere debemus, *Amb. 5. de fide, cap. 4.*
quia ex illo incomprehenſibili inenarrabilique ſecreto maieſtatis profundæ
dedit ſe comprehendendum pro captu noſtro Dei verbum, nō ſolum cum
ſe (per incarnationem) exinaniret, ſed etiam cùm habitaret in nobis, ſicut
ſcriptum eſt, quoniam inhabitabo in illis. Itaque verbum in eo deſcendere
videtur ſi noſtros penetret affectus. Hæc Ambroſ. Cui deſcendendi modo
Auguſtinus adiungit & hunc, quo Deus ad humana verba deſcendit, & ſuæ *Aug. cont.*
maieſtatis opera, rerum humanarum vocabulis deſcribi dignatus eſt, vt poſ- *Adim. c. 13*
ſent ab hominibus carnalibus ad modum rerū carnalium percipi & appre-
hendi. Vt enim genuinum filium ſe habere hominibus declaret, dicere vo-
luit ſe ex vtero generaſſe: Ad protegendum nos, alas ſibi tribuit & ſic de
reliquis: His ergo modis inclinat Deus cælos ſuos & deſcendit. Deſcendit
quidē filius Dei per incarnationē, ſed de illa deſcenſione hic non eſt ſermo,
tametſi à quibuſdam eò extendatur. Hoc demonſtrant ſequentia, in quibus
varij modi deſcenſionis enarrati, ſatis indicant textum de deſcenſione ſpi-
rituali intelligendum eſſe, Sic enim habent. *Tange* contactu gratiæ tuæ, vt
ſint ex illis de quibus ſcriptum eſt, Iuit cum eo pars exercitus quorum Deus
tetigerat corda. *Montes.* i. ſuperbos, quo nomine hic quædam hominum v-
niuerſitas denotatur, Omnes enim homines priuſquam in Chriſto humiliē-
tur, aut ab eo, in principio diſciplinæ Chriſtianæ diſcant fieri humiles cor-
de, ſuperbi ſunt. *Et fumigabunt.* i. incipient modica quædam igniculi à te
concepti effecta edere. Linum namque fumigans, inquit Baſil. is eſt, qui nō *Baſil. int.*
pleno ſtudio, ſed ſegnius Dei mandata exequitur. *bren. 291.*

Fulgura coruſcationem. i. apparere fac miracula, de quibus Pſal. 76. di- 7.
ctum eſt, Alluxerūt coruſcationes tuæ orbi terræ, *& diſſipabis eos.* i. Socie-
tatem eorum qui pertinent ad caſtra Goliath, multis ſe ab ea ſubducētibus,
diſſolues ac infirmabis. *Emitte ſagittas tuas.* i. verba tua, *& conturbabis
eos*, vt ſtimulis conſcientiæ acceptis dicant: Cor meum conturbatum eſt in
me. Et hæc quidem de deſcenſione Dei ad cōuertendum impios, poſt quæ,
implorat Pſaltes vt Deus inclinet cælos ſuos, & deſcēdat in auxilium, pro-
tectionemque piorum, & dicit:

Emitte manum tuam. i. operationem gratiæ tuæ, *de alto.* i. de ſublimi di- 8.
gnationis tuæ ſolio, *eripe me & libera me de aquis multis* ne peccē in mul-
titudine, vt dicit Sapiens, ciuitatis, inſequens, quod vetat Exodus, turbam *Eccle. 7.*
ad faciendum malum. Vel, non bene regendo commiſſam mihi multitudi- *Exod. 23.*
nem, alligandoque mihi, vt ibidem dicit Sapiens, peccata duplicia, propria,
nempe,

nempe, & aliena. Quæ expositio videtur non esse impertinens proposito, Cùm enim Psaltes pro exaudita hac oratione paulò post agit gratias, dicit inter cætera, Qui das salutem regibus, vt inde conijcere liceat, eum hic pro regibus precatum fuisse. *Et de manu.* i. potestate aut multitudine, *filiorum alienorum.* i. non pertinentium ad regenerationem qua efficimur filij Dei,
Epist. 52. ait August. E quorum manu iste se eximi precatur, ne ab eis in opinionem falsæ beatitudinis sectandę, atque impia peccata pertrahatur, sequitur enim;
9. *Quorum os locutum est vanitatem*, Sunt enim ex illis de quibus Psal. 11. dictum est, Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum. *Et dextera eorum dextera iniquitatis*, quia iniquo iudicio terrena præponunt cælesti-
Aug quæst. bus, ait ibidem August. terrenaque, non nisi per summam iniquitatem, pro
48. in Deu. summis bonis, ait idem alibi, æstimant. In hac ergo petitione exauditus Psaltes subdit gratiarum actionem,
10. *Deus canticum nouum.* i. renouati hominis, *cantabo tibi*, *in psalterio decachordo.* i. vna cum obedientia mandatorum decalogo contentorum, *Psallam tibi.* Gratitudo enim ea bona est, quæ non solis verbis comprehensa, obedientiam Deo benefactori magis deuotam rependit.
11. *Qui das salutem regibus.* i. Reges in tantis suæ damnationis, ob prouinciam (si ad normam diuinæ legis & voluntatis administranda est) difficillimam, periculis constitutos, ad salutem perducis. *Qui redemisti Dauid.* i. me seruum tuum, à peccato in publica mea administratione tam in Vriam, quam ob numerationem populi, in totam remp. admisso: Quo verbo iudicat reges saluos fieri mediante remissione multorum peccatorum. Quæ remissio ne eis ad peccata ea spe committenda fenestram aperiat, sed potius incutiat, vt æquum est sollicitudinem in posterum non peccandi, Psaltes, de suo exemplo alios reges modeste instruens, subiungit, *De gladio maligno.* i. peccato quo confoditur anima in interitum: Qui bene malignus dicitur quia est effectus malæ voluntatis, *Erue me*, ne in illud sæpius incidam illudque incurram. Vt autem Psaltes vberius enarret vanitatem terrenæ felicitatis quam loquitur, crepat, & alijs commendare conatur os filiorum alienorum, repetit versiculum prius enarratum, & dicit:
12. *Et erue me de manu filiorum alienorum quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.* Quod particulatim enarrando, addit,
13. *Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua.* Non dicit, nouellæ oliuarum, quia filij eorum non sunt radicati & plantati in charitate, vt in ea à teneris (sicut de filijs eorum qui timent Dominum in Psal. 127. diximus) crescant, sed plantati sunt in sæculo, vt mores eius à teneris induant, Cuiusmodi erant adolescentes cum Roboam enutriti in delicijs, De quibus

quibus & Iob, Paruuli eorũ exultant lusibus: Nihil enim nisi ludicra sectari & toto corde exercere discunt.

Filiæ eorum compositæ moribus, gressu, sermone, Idque ad venustatem, 14.
circumornatæ. i. omni ex parte ornatę *vt similitudo templi*. i. ad instar templi, Vel, quia ea quæ in templis ad religionem sunt pulchra, hæc illæ ad formæ suæ lenocinium transferunt. Vel, quia vt deæ quædam adorari volunt. Ornatum autem earum plenissime describit Isaias cap. 3.

Promptuaria eorum plena. i. omni rerum copia referta, *eructantia ex hoc* 15.
in illud, vt cum appetentiam ciborum ne quidem saturitas expleuerit, varietate eduliorum ac deliciarum possint satietatis fastidium fallere,

Oues eorũ fœtosæ abundantes in egreßibus suis. i. numerosissimis gregi- 16.
bus ad pascua pergentes. *Boues eorum crassæ*, Saginantur namque ad voluptatem.

Non est ruina maceriæ neque transitus, quia nihil caducum in splendi- 17.
dis eorum ædificijs aut parietibus. *Neque clamor in plateis eorum*. Pellunt enim procul ab auribus suis clamores miserorum, ne vel illi pacem, quam in fruitione terrenorum habent, ad modicum interturbent. His autem omnibus non solum ad voluptatem abusi sunt, sed insuper,

Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. i. prædicant in his beatitudinem 18.
hominis positam esse. Nunquid verè? Absit, quia *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*, q.d. ille demum beatus est populus cui Deus verus se exhibet in Deum, Beatus, inquam, hic in spe, postmodum in re.

PSALMVS CXLIIII.
Laudatio ipsi David.

IN principio Psalmi sicut & in exordio Psalmi 91. exponit Psaltes quid hoc Psalmo præstare intendat siue in animo habeat & dicit.
Exaltabo te. i. præsenti Psalmo extollam te, *Deus meus rex*, vt 1.
tãetsi pro dignitate cognosci nõ possis, in hominũ tamen cognitione exalteris, & maior euadas. Dicit autem *Deus meus rex*, quia propositum illi est regiam Dei virtutem eiusque regnum enarrare. *Et benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi*. i. formulam conscribam per quam in ore suo qui per sæcula sęculorum futuri sunt, benedicant nomini tuo. Cùm enim Psal. in sæculum sæculi perseueraturus non fuerit, necesse est vt verba hæc, eo quo exponimus modo, intelligantur.

Per singulos dies benedicam tibi & laudabo nomen tuum in sæculum, & in 2.
sæculum sæculi. Prædicit futurum vt Psalmi ab ipso conscripti singulis diebus ab Ecclesia recitentur, ad laudem & diuini nominis benedictionem. Quod quidem dicendo, *Benedicam tibi & laudabo nomen tuum*, prædicit

ſe facturum, ſed hactenus, quia ipſe per verba ſua in ore pronunciantium futurus erat, & per ſpiritum ſuum ſic Deum laudantibus ad futurus. Sancti enim, inquit Athan. qui ſacra verba nobis ſuppeditarunt, comprecantur nobiſcum, Deumque vna nobiſcum laudant, cum audiunt verba ſua de ore noſtro reſonare. Hæc ergo præfatus, tranſit Pſaltes ad enarrationem diuinæ magnitudinis & dicit:

Athan. ad Marc.

3. *Magnus Dominus*, Non mole aut enormitate corporeæ ſubſtantiæ, ſed maieſtate, *Et laudabilis nimis*, quia maior omni laude, Sicut ſcriptum eſt, Laudantes Dominum quãtum poteſtis, ſuperualebit adhuc, *Et magnitudinis eius non eſt finis*. i. infinitæ eſt magnitudinis.

4. *Generatio & generatio laudabit opera tua*, quia ſicut opera tua nulli generationi deerunt, ita nec vlla generatio tuis deerit laudibus. *Et potentiã tuam pronunciabunt*. Dicent enim: In ditione tua cuncta ſunt poſita & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, Dominus vniuerſorum tu es.

5. *Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur*. i. loquentur quam glorioſè magnificata ſit ſanctitas tua in ijs quos de ſe magnificè ſanctificauit, & quæ de ſanctificatione noſtra magnificè & abundè conſcribi voluit. *Et mirabilia tua* quæ exerces in conuerſione, conuerſatione, virtute ſanctorum tuorum, *narrabunt*.

6. *Et virtutem terribilium tuorum*, quam in peccatores ad terrorem, ſeu exterrendos eos qui non timent te, exerces, *dicent*. Quamobrem nunc recitantur in Eccleſia terribilia quę Deus exercuit in Pharaonem & terram Ægypti, gentem Iudaicam poſt occiſum Chriſtum, vt diſcant dilecti Dei per timorẽ Domini terribilem diem iudicij euadere. Ad hoc enim Deus exercuit virtutem in Pharaonem, vt oſtenderet potentiam ſuam, & annunciaretur nomen eius in vniuerſa terra.

7. *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabũt*. i. Tanquam qui muſto quodam guſtatæ tuæ dulcedinis pleni ſint, ſic eructabunt dulcedinem ſuauitatis tuæ quoties memoriam tui fieri vel celebrari contigerit. Quod non omnium eſſe deplorat Bern. Non omnium eſt, inquit, quod propheta ait memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, ſiquidem nec omnes hæc memoria paſcit. Certe nemo quod non guſtauit, ſed nec quod tantum guſtauit, eructat: Ructus quippe non niſi de plenitudine & ſatietate procedit. Propterea quorum ſæcularis eſt mens, & vita ſine deuotione & affectione, dies iſtos arida quadam conſuetudine obſeruant. D. vero Greg. intelligit hunc verſum de illis qui vitæ contemplatiuæ incumbunt. Hi enim per infirmitatem mentis & corporis à contemplationis ſublimitate & intenſione ſubinde delapſi, memoriam interim eorum quæ aliquãdo contemplati ſunt diligenter conſeruant, ſuamque memoriam ſubinde excutientes, de eadem

D. Bern. ſer. 3. de Nati. Domini.

Greg. hom. 5. in Ezech.

ſpecies quaſdam præteritæ contemplationis cum dulcedine ſpirituali educunt, eaque ratione memoriam diuinæ ſuauitatis, quaſi de quodam memoriæ ventre, vt ait Auguſtinus, eructant. Quale quid contigit Auguſtino in hæc verba de ſe ſcribenti. Tum vero inuiſibilia tua per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpexi, ſed aciem figere non valui, & repercuſſa infirmitate redditus ſolitis, nō mecum ferebam niſi amantem memoriam, & quaſi olfacta deſiderantem, quæ comedere nondum poſſem. *Et iuſtitia tua*, quam à te acceperunt, *exultabunt*. Adſert enim iuſtitia lætitiam & gaudium. Et quoniam in his omnibus perficiendis Dei miſericordiam & patientiam experti ſunt, illam prædicantes dicunt, *Aug. 7. & 10. Confeſ.*

Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multum miſericors. 8.

Suauis Dominus vniuerſis, tam impijs quàm iuſtis. Impios enim ad pœnitentiam benigne inuitat, cùm dicit, Et quare moriemini domus Iſrael, Viuo ego, nolo mortem peccatoris. Iuſtos vero & conſeruare & æterna vita donare benignè promittit. *Et miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* i. omnibus ſuis operibus propitius eſt & benignus. In impijs autem nō ſua damnat opera, ſed aliena, inquit Proſper. Vel, quia ſuperexaltat miſericordia iudicium, ita vt etiam extremum iudicium impiorum, miſericordia & clementia mitigetur. 9.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. i. omnia opera tua per nos ad laudem nominis tui & gratiarum actionem Domine referantur, Dignum enim & iuſtum eſt. Singulariter autem *ſancti tui benedicant tibi*, pro ſingulari munere ſanctificationis ſuæ. 10.

Gloriam regni tui dicent, Dicit proinde hoc tempore Eccleſia, O quam glorioſum eſt regnum in quo cum Chriſto gaudent omnes ſancti, *& potentiam tuam*, quam exerces in corroborandis ad iuſtitiam fidelibus & ad obſeruantiam præceptorum eius, infirmis, quibus id antè impoſſibile videbatur. Hanc inquam *loquentur*. Ad quid? 11.

Vt notam faciāt filijs hominum. i. illis qui ob id quod carnaliter nati ſunt filij hominum ſunt, & nulla in parte ſpiritualiter regenerati vt poſſint dici filij Dei. Quid vero? *potentiam tuam*, ad iuſtificandum impium & corroborandum infirmū, ne deſperatione acquirendæ iuſtitiæ quæ in arduo eſt, ab ea quærēda abſiſtant. Hoc autem valde conuenienter agitur per ſanctos, vel homines ab impietate ſanctificatos, tū quia experientia diuinæ virtutis, efficax ad perſuadendum eſt magiſtra, tum quia exempla æmulationē prouocant. Porro quia finis iuſtitiæ, teſte Apoſtolo, eſt vita æterna, ſimul notam faciēt, *gloriam magnificētiæ regni tui*. i. quam magnificus ſis in glorificādis tuis ſanctis, vt à principio diſcant filij hominū qua ſpe debeant iuſtitiā expetere, & in ea perſeuerare. Quale autē eſt regnum tuū quámve diuturū? 12.

13. *Regnum tuum regnum omnium sæculorum*.i. sine fine perpetuum. Nun-
quid autem est solum futuri sæculi? Non: quia *dominatio tua in omni ge-
neratione & generationem*.i. quamdiu generationi succedit generatio, etiam
in sanctis tuis regnas.

14. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, Non dicit his aut illis, inquit
Basi. homi. de iudicio Basilius, sed omnibus. Fidelis enim est in omnibus quæcunq; vel vetat, vel
iubet, vel promittit, vel minatur. *Et sanctus in omnibus operibus suis*.i. ni-
hil vitij committit in omni eo quod agit. Quia,

15. *Alleuat Dominus omnes qui corruunt & erigit omnes elisos*, Quo-
D. Prosp ad capp Gall c 11. Et, ad obiect. Vincent. cap. 7. modo ergo, inquit Prosper, in peccata propellit? Quam Dei alleuationẽ &
erectionem, si per opem gratiæ generalis fieri intelligas, erit sententia vni-
uersaliter vera. Si vero per opem gratiæ efficacis, tum per notam vniuersa-
litatis intelligitur vniuersitas electorum cum appendice illorum, qui pro
tempore efficacis Dei gratiæ consortes sunt. Habet enim populus Dei ple-
nitudinem suam, inquit idem:

16. *Oculi omnium in te sperant Domine*, Omnis enim creatura fragilitatis
suæ sibi conscia, superioris opem ad sustentationem sui, desiderio natu-
rali implorat. In quo genere excellit homo hanc Dei opem per fidei pieta-
tem inuocans. Nec frustra, *Et tu das escam illorum*, tam corporis quam Spi-
ritus, *in tempore opportuno*, quod inter cætera tum adest, cum creatura pre-
uio desiderio satis exercitata, Dei muneribus capiẽdis effecta est capacior,
vt & esca diuinæ gratiæ adueniat dulcior. Vt enim Deus creaturã suam im-
Aug. 12. de Ciuit. ca 9. plendo faciat meliorem, prius eam facit desiderando, inquit August. aui-
diorem. Et ob id facit oculos omnium creaturarum, & præcipue hominis,
suo quosque modo, prius de se sperare.

17. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Bona ergo
sunt opera tua in vnamquamque creaturam. Nihilominus, nomine omnis
animalis homo recte intelligitur, & similiter spes quam diximus, potest in-
telligi esse virtus, non solum naturalis instinctus. Omne enim animal dici-
tur homo quia omnium animalium perfectiones in se comprehendit. Hic
autem oritur quæstio: Multi homines esca spirituali destituũtur, ergo non
solum benedictio, sed etiam desertio est à Deo. Nequaquam. Id enim pro-
priè dicitur esse ab aliquo quod ab eo authore procedit. Desertio vero à
Deo authore non prouenit, quia,

18. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis*, siue iudicij sui. Si iustus, ergo retri-
butor; Si retributor, ergo non author, quia is author est, qui negotij caput
est. Caput autem retributionis bonæ est meritum, malæ demeritum. Pro-
inde qui à gratia Dei deseruntur, non recte dicunt illud Ecclesiastici 15.
Per Deum abest; quia per Deum abest quod Deo authore, non autem re-
tribu-

tributore, siue, Dei antecedente, non autē consequente voluntate, abest; Ideo & Epiphanius dicit, Deum mortis causam vel authorem non esse, *Haeres. 64.* quia eam, inquit, principaliter non infert sed secundariò, Sed nunquid Deus deserendo siue non adiuuando quamuis iustè peccatum operatur? Absit: *quia Sanctus in omnibus operibus suis*, etiam illis per quæ exercet iustitiam. Vnde ergo peccatum in illis qui deseruntur seu non adiuuantur? Ex illis ipsis. Ipsi namq; ope diuinæ gratiæ non impediti, semetipsos conuertunt ad facienda opera tenebrarum. Ait namque Hilarius; Fit abscessio *D. Hil. in* Dei à nobis, quia nos ab eo in peccata discedimus. Discedente eo à nobis, *psal. 120.* in omnes peccatorum foueas incidimus, per amplissimā mortis viam currimus, dominatui dæmonum subditi, quibus nos Dei à nobis abscessio derelinquit.

Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eū 19.
in veritate. i. ex vera fide, inquit Atha. Vel, ex sincera pietate seu charitate. *D. Atha.*
Voluntatem timētium se faciet, quia illi nihil aliud quam quod ipse vo- *ser. de pass.*
luerit volunt. *Et deprecationem eorum exaudiet.* Memoria enim diuinorū 20.
præceptorum viam sternit orationibus ad cælum, inquit Tertull. alioqui *Tert. de o-* quantum à præceptis, tantum ab auribus Dei longè, inquit, absumus. *& sal-* *rat. ca. 10.* *uos faciet.* i. æterna salute donabit eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se, ita vt eos non deserat, si non ab 21.
eis deseratur. Omnibus enim diligentibus Deum commune est, vt qua parte Deum diligunt, ab ipso vicissim pro ratione ac mensura suæ dilectionis, plus minúsve diligantur, adiuuentur, dirigātur, custodiantur, conseruētur. Qua parte tamen Deum non diligunt, multi sibi permittūtur, & ex ea parte quæ Dei dilectione non raro fortior est, aut certe accedente tētatione fortius inualescit, à Dei dilectione se auertere, Deumque deserere incipiunt. *Et omnes peccatores disperdet.* Significatur potius quid omnibus peccatoribus (peccatores illos dico qui iusti non sunt) debeatur, quam quid omnibus eueniat: nisi sub hac generali clausula intelligere malueris illam peccatorum vniuersitatem, quæ à sinistris Iudicis erit constituēda. Illos enim omnes, iudex, odio ab inuicem diuisos, in æternam damnationem reipsa præcipitabit. Quibus sic disperditis, dicit corpus iustorum,

Laudationem Domini loquetur os meum, nam tum temporis carnis resur- 22.
rectione completa, ora sua soluent iusti in laudes Dei, seu potius vno ore omnes iusti super vnius generis sibi præstita gratia laudabunt Deum. *Et benedicat omnis caro nomen sanctum eius.* Omnis, inquit, caro, quia omnia membra & viscera incorruptibilis corporis, inquit August. quæ nunc vide- *D. Aug. 22.* mus per vsus necessitatis varios distributa, quoniam tunc non erit ipsa ne- *de ciu. c. 30* cessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas, proficient in lau-

dibus Dei, & in Dei artificis laudem rationalis pulchritudinis delectatione *in sæculum, & in sæculum sæculi.* i. in perpetuum, succedent.

PSALMVS CXLV.

Alleluia Aggæi & Zachariæ.

PRoponũtur in hoc Psalmo illa quæ eos qui ex Babylonica seu sæculi captiuitate secundum prophetias Aggæi & Zachariæ redierunt, meritò mouere debent & excitare ad laudandum Deum. Itaque Psaltes, ad exemplum vniuscuiusq; nostrum semetipsum in laudes Dei excitans, animam suam affatur in hæc verba.

1. *Lauda anima mea Dominum.* Dicit *anima mea*, In votis enim ei erat ex animo, omnibusque viribus laudare Deum, Nec enim deuotionem suam explere poterat si cõfiteretur Domino solummodò in ore suo. *Laudabo Dominum.* i. propositum mihi est, siue in votis habeo laudare Dominũ *in vita mea*, vt vitã meam sine diuinis laudibus celebrandis non traducã. Imò *Psallam Deo meo quamdiu ero*, vt non prius laude Dei, quam vita mea destituar.

2. *Nolite confidere.* i. spem salutis aut beatitudinis reponere, *in principibus*, qui non solum sæculi bonis affluere, sed ea etiam præstare posse videntur. *In filijs hominum.* i. in quibusuis hominibus, subaudi, nolite confidere, *in quibus non est salus.*, quia nec Principes aut potestates, nec vlli alij homines veram possunt præstare salutem aut beatitudinem. Beatitudo enim consistere non potest nisi in fruitione bonorum quæ perpetua sunt. Si enim, vt docet August. anima quæ bonis fruitur simul nouerit se illis aliquando esse priuandam, necesse est vt metus futuræ iacturæ pacem præsentis beatitudinis interturbet. Si autem anima secus quam futurum est, opinata fuerit, non potest in ea opinione esse beata, quia beatitudinem non facit error, sed veritas; Itaque necesse est beatitudinem in bonorum æternorum conscia fruitione consistere. Bona autem quæ Principes aut filij hominũ secundum sæculum (de ijs enim hic est sermo) præstare possunt, perpetua non sunt, nam & illi-ipsi qui eadem præstent aut accipiant, non sunt perpetui; Quia

Aug. 11 de Ciuit. c. 11.

3. *Exibit spiritus.* i. anima *eius*, principũ scilicet, & cuiusuis hominis beatitudinẽ in hoc sæculo, si fieri potest, præstantis, aut præsumentis, *Exibit*, inquam, per mortem à corpore deficiente expulsus. Corpus enim per corruptionem vitali habilitate amissa, animam ponere seu efflare aut emittere dicitur, vt ex Tertull. August. & Irenæo supra citauimus. *Et*, ille cuius spiritus, vt dictum est, exierit, ille, inquã, secundum corpus, *reuertetur in terram suam*, de qua sumptum est. Non potest proinde ex hac scriptura concludi animam simul cum corpore per mortem in terram redire aut dissolui. Quod enim hic dicitur, *reuertetur in terram suam*, secundum corpus intelligen-

ligendum esse attestatur Sapiens, cùm dicit, Puluis reuertetur in terram Eccles. 12.
suam & spiritus ibit ad eum qui dedit illum. *In illa die peribunt*. i. in nihilum redigędæ sunt, *omnes cogitationes eorum*, Auferetur enim ab eis quicquid sibi ad beatitudinem huius sæculi, quantumuis studiosissimè excogitare potuerunt. Cùm ergo beatitudo quæ ab homine est, aut ab homine exspectari potest tam fallax sit, caduca & transitoria, Verè

Beatus. i. in sorte eorum qui beatitudinis candidati sunt solus ille deputandus est, *cuius Deus Iacob adiutor eius*. Hoc præmittitur vt doceatur 4.
quod spes & appetitus illorum bonorum, in quibus est vera beatitudo, non nisi ex Dei dono haberi possit. *Spes eius in Domino Deo ipsius*. i. qui pro obiecto spei suæ ipsum Dominum Deum habet atque adeo ipsum creatorem, *qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt*, Non creaturam, cælo, terra ac mari conclusam, quam proponunt sibi illi qui confidunt in principibus & in filijs hominum in quibus non est salus. Verè ergo iste præ reliquis beatus est, quia spem suam in eum defigit, qui bonis huius sæculi tanto præstantior est, quanto creator præstat creaturis. Non solum autem, verum etiā alia cōsideratione præ reliquis beatus est, Illi enim spem suam ponunt in principibus aut filijs hominum qui fallere, & promissa possunt non pręstare, hic autem cui spes est in Domino Deo ipsius sperat in eo,

Qui custodit veritatem in sæculum. i. qui agnoscitur per omnia sæcula 5.
promissa implesse; Is enim est de quo dixit quis, Dixit ergo & non faciet? Numer. 23.
Loquutus est & non implebit? Imo implebit; Nam & Israel oblatis quæ secundum eius promissa acceperat muneribus, professus est, Deo id, ad conciliandam sibi hominum fidem, procurāte, se ingressum esse terram pro qua
iurauit patribus eius. Si ergo alicui spes est in eo qui custodit veritatem in Deute. 26.
sęculum, ex eo certior efficitur quod etiam custodiet veritatem in futurum: Et speratam secūdum eius promissa beatitudinem, absque vlla fraude præstabit; ita vt vnicuique sperantium in Domino dicendum sit; Scio cui credidi & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Et quia beatitudinis quædam portio est à malis separari & de illis triumphum agere, addit Psaltes, *facit* in sæculum scilicet *iudicium iniuriam patientibus*, Nam & iudiciū exercuit in Nabal de iniuria Dauidi illata, vt ex his quæ in sæculo agit, meritò speres quod ad complemētum beatitudinis suo tempore plenè faciet Dominus iudicium inopis & vindictam pauperum, iudicans eos & discernens causam eorum de gente non sancta ab homine iniquo & doloso eruens eos. Quam partem hic Psaltes priori addit, Ne quis beatitudinem quam principes pollicentur, sperata à Domino beatitudine arbitretur esse potiorem, eique præponendam, eo quod principes beneficiariorum suorum iniurias possunt in hoc sæculo vindicare. Adhæc,

Deus

Deus *dat escam esurientibus*, Oculi enim Domini super metuentes eum & in eos qui sperant super misericordia eius, vt alat eos in fame, & id tanta cura ac fide, vt non viderit Psaltes iustum derelictum nec semen eius quærens panem. An non ergo ex adeptione præsentium firma debet esse exspectatio futurorum? vt quandoquidem anima beatitudine nihil vehementius esurit, nec desiderat ardentius, certissimè sperandum sit, quod Deus animas eorum qui esuriunt & sitiunt iustitiam, satiabit aliquando adipe frumenti ac pabulo æternæ vitæ replebit in bonis desiderium eorum? Itaque præ illis qui confidunt in principibus, & in filijs hominum in quibus nō est salus; beatus cuius est spes eius in Domino. Potius enim est quod sperat, sperat namq; acquirere Deum ipsum ac creatorē. Potior est is in quem siue cuius munere id adipisci sperat quod sperat, Fallere enim non potest, Quod non solum possunt, sed faciunt principes & filij hominum. Denique potiora sunt argumenta siue principia ob quę in Dominum sperat, cum fides Dei & benignitas tot documentis & testificationibus explorata sit & confirmata. Ex ijs enim quæ Deus secūdum præcedentes de se prophetias impleuit, testificatus est nobis se ea quæ adhuc desunt suis temporibus præstiturum, vt frequenter docet August. Hæc ergo sunt quæ eum, cuius spes est in Domino Deo ipsius, in eadem spe omni ex parte confirmare debent & corroborare. Restat vt audiamus quot modis Deus Iacob efficiatur adiutor hominis, vt sit ei spes in Domino Deo ipsius. Et in primis quidem, est Deus Iacob adiutor hominis, quia,

6. *Dominus soluit compeditos*. Sunt enim quidam qui per vincula desideriorum carnalium, amoribus rerū præsentium sic implicati sunt & astricti, vt spem futurorum concipere non possint, quod tamen vt tandem aliquando faciant, *Dominus soluit compeditos*. i. amoribus rerum præsentium, inquit August. implicatos, vt possint ad spem futurorum sese cōuertere. Præterea, sunt alij qui sæculari caligine aut ignorantia contenebrati, nequeunt vlla ex parte videre futura, vt in eorum amorē & spem exardescere valeant & assurgere: Nō enim, vt Leonis verbis vtar, possunt ibi figere desiderium, quò nequeunt inferre conspectum, tamen & hos, vt futurorum spem concipiant adiuuat Dominus, quia *Dominus illuminat cæcos*, vt valeant, quantum desiderio futurorum concipiendo satis est, futura prospicere. Denique interueniente lapsu, multi, quibus spes fuit in Domino Deo ipsorum, consequendo fructui spei suæ inhabiles sese reddunt, & accedente insuper desperatione dicunt apud semetipsos, Perijt spes nostra & abscissi sumus. Nihilominus, Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, quia,

Aug. tract. 34. in Ioã.

7. *Dominus erigit elisos*, primò in spem rediuiuæ iustitiæ, & per eam in spem beatitudinis, quæ penitus amissa videbatur, recuperandæ. Porrò, sicut hos Do-

hos Dominus ope sua ad concipiendam spem futurorum erigit ac promouet, ita ope consimili etiam iustos in eadem spe conseruat & protegit. Quod Psaltes explicaturus prius dicit, *Dominus diligit iustos*, vt declaret adiutorium Domini circa iustos, ex Dei erga eos singulari amore, & dilectione procedere. Ex qua dilectione,

* *Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet*, q. d. custodit iu- 8.
storum spem eosque suscipiet ad beatitudinem; Voluit tamen Psaltes, *aduenam pupillum & viduam*, peculiariter exprimere, vt insinuet quod non sit personarum acceptor Deus, sed in omni gente & sorte hominum qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus sit illi eiusque habeat curam. *Et vias peccatorum disperdet*. i. omni societate & mutua eorum amicitia dissoluta, vijs impiorum ac conuersationi æternum interitum reddet, sicut scriptum est: Iter impiorum peribit. Quamdiu verò hoc diuinum adiutorium atque præsiduum circa genus humanum durabit?

Regnabit Dominus, adiuuando, vt diximus, & protegendo *in sæcula*. i. 9.
quamdiu decurrent præsentia sæcula, *Deus tuus Sion*, q. d. ille inquam, Dominus qui est Deus tuus, quæ in vmbra eius quem venturum desideras sedes, ô Synagoga, *in generatione & generationem*, ita vt regnum eius nulli vnquam generationi defuturum sit.

PSALMVS CXLVI.

Alleluia.

LAudate Dominum quoniam bonus est Psalmus. i. quia bonum est 1.
confiteri Domino, Non quidem quocunque modo, Dicit enim,
per Amos Dominus, Aufer à me tumultum carminum tuorum, & Amos 5.
cantica liræ tuæ non audiam. Itaque, *Deo nostro sit*. i. exhibeatur *iucunda*, i. ex hilari & grato canētis animo profecta; Laus enim iucunda est cum sentitur, inquit August. non cum pronunciatur: quapropter & Psal. 103. di- D. Aug in psal. 51.
ctum est, Iucundum sit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino. *Decoráque laudatio*, vt in laudibus Dei præter cætera seruetur etiam decor carminis, modulationis, loci, apparatus sacri, sit & in canentibus decora compositio totius interioris & exterioris hominis. Huius autem iubilationis causa atque materia est,

Ædificans Hierusalem Dominus dispersiones Israelis congregabit. i. 2.
ad ædificandam ex hominibus Hierusalem ciuitatem cælestem, Dominus filios Dei secundum prædestinationem qui adhuc sunt per varios errores atque desideria in sæculo dispersi, congregabit in vnum corpus: Quod Tertull. vnum esse dicit de conscientia religionis (si conscientia, ergo Ter- Tert. apol. cap. 39.
tull. ad Ecclesiæ corpus pertinere non putauit eos qui sine religionis con-

ſcientia religionem Catholicam ſolummodo exterius profitentur ac præ ſe ferunt, De qua re paulò ante ex Apoſtolo attigimus) Diſciplinæ vnitate, ſpei fœdere. Hoc autem per Apoſtolos factum eſſe & huius loci prophe-
Ambroſ. in Pſalm. 43. tiam per eoſdem eſſe impletam ſatis latè proſequitur D. Ambroſ.
Qui, vt id præſtet *ſanat contritos corde*. i. eis quibus ſpirituales vires fi-
3. dei & pietatis penitus confractæ ſunt & contritæ, eaſdem vires inſtaurat &
Iſaiæ 61. redintegrat; Vnde & Chriſtus qui Iſraëlem primus congregare cepit, ſe miſſum eſſe dicit vt medeatur contritis corde. Sed quia vires iſtæ, vt diximus, inſtauratæ in principio tenellæ ſunt & admodum fragiles, *Alligat contritiones eorum*, quia humanitate, curâ & induſtriâ ſpiritualis chirurgiæ fouet ac protegit nuper enatas fidei ac religionis vires, donec congruo fomento roboratæ ac confirmatæ, ad virtutum incrementa perfectionemq; perueniant, Idque ad eum modum quo chirurgus brachium hominis confractum ac comminutum, ſed debito iterum modo compoſitũ, ligaturis quibuſdam fouet ac protegit, vt, &, donec vires amiſſæ in id paulatim redeant.
4. *Qui numerat multitudinem ſtellarum*. i. qui magno quidem ſed certo numero definit eos qui vt ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates, *& om-*
Ambroſ. in Pſal. 43. *nibus eis nomina vocat*. Nomen eſt proprietas, inquit Ambroſ. vniuſcuiuſque rei, qua poſſit intelligi & ab alia diſtingui. Omnibus ergo illis nomina vocat, quia vnicuique eorum proprium donum diſtribuit, alij ſic, alij autem ſic. Ex qua proprietatum diuerſitate, ſicut ſtella à ſtella differt in claritate, ſic erit in reſurrectione iuſtorum. Sed ne ob id quod numerus ſtellarum in numerato eſt, ipſæque ſtellæ definitis conſtent proprietatibus, ipſa Domini potentia definita putetur, ſubdit Pſaltes.
5. *Magnus Dominus noſter & magna virtus eius & ſapientiæ eius*, in qua fecit omnia, *non eſt numerus*, multo ergò maiora & plura nouit & poteſt quam facit.
6. *Suſcipiens manſuetos Dominus*. i. quos prius manſuefecerit, vt ex Auguſtino in Pſal. 24. diximus. Illos, vt Cyrilli verbis vtar, ſuſcipit ſecundum habitudinem & familiaritatem quandam ſpiritualem, quæ eſt in voluntate, gratia, & ſanctificatione, vt adhęrentes Domino vnus ſpiritus fiant cum eo. Idque, quia animi mãſuetudo docibilem facit atque tractabilẽ, vnde dicitur Prouerb. 3. Manſuetis dabit gratiam, Et Iſaiæ 61. Chriſtus, Ad annunciãdum manſuetis miſit me. *Humilians autem peccatores*. i. feroces, peruicaces, manſuetis oppoſitos. *Vſque ad terram*, quia tales à cæleſti gratia repercuſſi in ima corruunt & ad peccatorum deueniunt profundum.
7. *Præcinite Domino in confeßione*. i. Incipite cultum religionis veſtræ à Dei laudibus vt ex Baſil. ſupra diximus. Vel, Sint aliqui in vobis quaſi præcentores, qui nouerint alijs diuinarum laudum formam præbere; ad quam

quam formam (alijs dico) *psallite Deo nostro in cythara.* i. iubilatione siue lætitia. Id enim per cytharam significari, satis testatum euadit ex illo loco Apocal. Audiui vocem signatorum quasi cytharizantium in cytharis suis.

Qui operit cælum. i. ordinem hominum cælestium, quorum, tanquam 8.
cælorum, est enarrare gloriam Dei, *Nubibus.* implet enim eos verbo dicendorumque intelligentia, ordine, oportunitate, implet & os eorum conuenienti sermone. Ex quo docemur quod parare concionem, præter cætera, Dei donum sit. *Et parat terræ pluuiam.* i. Hac ratione prouidet & præparat populis oportunam doctrinam, de qua dicitur; Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. Qua pluuia fœcunditatem adferente,

Qui producit in montibus fœnum & herbam seruituti hominum. i. facit 9.
potentes & sublimes in sæculo in gratiam acceptæ ex hac pluuia vtilitatis, proferre vicissim temporalia subsidia illis qui ministri tam vtilis verbi fuerũt, memores eius quod scriptum est, Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.

Qui dat iumentis. i. illis qui in iustitia maiores sunt, *escam ipsorum.* Parat 10.
enim illis solidum cibum, aut per se, aut per eos qui sufficiunt vnicuique distribuere mensuram tritici, his maiorem, illis minorem. *Et pullis coruorum inuocantibus eum.* i. illis qui vt coruorum pulli (deserunt enim fœmellæ coruini generis exclusos pullos aliquot diebus pabuloque fraudant, qui tamen interim pascuntur à diuina prouidentia, de qua Dominus ad Iob, Quis Iob 38.
præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagãtes, eo quod non habeant cibos?) ope magistrorum destituti sunt, ipse occulta sua nutrice gratia & prouidentia pascit & saginat, motus commiseratione quam suscitat eorum miseria, quæ sua voce ad Deum clamat, vt Psal. 9. ex Cyrillo diximus.

Non in fortitudine equi. i. eorum qui passionibus sunt potentes, (Sic 11.
enim Psal. 32. vbi dicitur, Fallax equus, equi vox intelligitur) & negotium passionum prætextu palliant virtutum. *Voluntatem habebit,* Non placet enim Deo quod aliquis impetu suarum passionum raptetur. *Nec in tibijs viri.* i. nec in robore eius qui suis viribus se fortem esse arbitratur ad operandum quæ recta sunt, *Beneplacitum erit ei,* Sed,

Beneplacitum est Domino super timentes eum. i. super eos qui de se sem- 12.
per timentes, ac diffidentes de suis viribus cum timore & tremore suam salutem operantur, scientes quod Deus sit qui operatur in illis velle & perficere. Et ne hic timor si solus sit, eos faciat pusillanimes aut desperabũdos, adiungi ei debet spes, vt quantum de se diffidunt tantum de Domino confidant, Vnde & sequitur, *Et in eos qui sperant super misericordia eius.* Scientes quod sit misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

PSALMVS CXLVII.

Alleluia.

DEscribitur felicitas Ierusalem ciuitatis supernæ, quæ hic & alibi frequenter etiam Sion appellatur, quam Psaltes prę gaudij & spiritualis exultationis quadam plenitudine ad laudandum Deum excitans, alloquitur in hæc verba.

1. *Lauda Hierusalem Dominum.* i. ô ciuitas Dei, visionẽ pacis iam adepta. *Lauda Deum tuum Sion.* Deum, inquam, tuum, Iam enim in te impletum est quod per prophetam promiserat Dominus, Ego ero illis in Deum, Ipse enim, vt exponit August. est tibi vnde satieris, Ipse est tibi quicquid ab hominibus honestè desideratur, vita, salus, victus, copia, gloria, honor, pax, & omnia bona, Est enim tibi omnia in omnibus.

D Aug. 22. de ciu. c. 30

2. *Quoniam confortauit seras portarum tuarum.* i. omnes vos in beatitudine confirmauit eiúsque confirmationis vos conscios fecit, Ita vt iam nemo amplius ex te, amissa beatitudine, exeat, aut in te, vt exponit August. ingrediatur. *Benedixit filijs tuis.* i. indigenis tuis qui ad te per regenerationem pertinent, *in te* implens illud Apostoli, Benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo; Quæ benedictio finis est vocationis nostræ, Ad hoc enim vocati estis, inquit Apost. vt benedictionẽ hæreditate possideatis.

Aug 15. cõ. Faust c. 11. Bern. ser. de tripl. gen bonor.

3. *Qui posuit fines tuos pacem*, ita vt non sit hostis qui vel fines tuos inuadat aut turbet, De te enim scriptum est, Non accedet ad te malum, quia Saluator ponetur in te murus & antemurale. Pax autem inter bona illius ciuitatis meritò recensetur, Tantum enim est pacis bonum, ait Aug. vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil possit melius inueniri. *Et adipe frumenti satiat te.* Frumentum est Christus; Ipse enim est granum frumenti cadens in terram. Huius frumenti adeps est eius diuinitas. Sacramentum verò, sub cuius speciebus hic manducatur, est huius frumenti velut cortex. Bene ergo dicit, *ex adipe frumenti*, ad insinuandum quod eodem frumento aliqui etiam extra illam ciuitatem positi saginentur, non tamen gustato in proprio ac præstantissimo suo sapore eius adipe, sed tanquã sub quodam cortice. De qua re pulchrè Bern. Quis non in Hierusalẽ vehementer cupiat pasci, & propter pacem, & propter adipem, & propter satietatẽ? Nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Tuta habitatio, paradisus, dulce pabulum, verbum, opulentia multa nimis, æternitas. Habeo & ego verbũ, sed in carne, & mihi apponitur veritas, sed in sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo saturatur grano, me interim oportet quodam sacramenti cortice esse con-

Aug. 19. de Ciuit. c. 11

Bern ser. 33. in Cãt.

esse contentum, carnis furfure, litteræ palea, velamine fidei. Et quantalibet sane abundantia spiritus pinguescant ista, non pari omnino iucunditate sumitur cortex sacramenti & adeps frumenti. Hæc Bern. Hactenus ergo audiuimus bona ciuitatis Hierusalem, sequuntur ea bona quæ inde hominibus in via positis emittuntur & dispensantur, inter quæ prius referuntur munera quæ inde dispensantur Ecclesię, quia digniora, postmodum munera inde donata Synagogæ, tametsi illa fuerint tempore priora. Sic itaque dicit:

Qui emittit eloquium suum terræ. i. facit terræ incolas verbi sui participes, non per ipsius æterni verbi manifestationem, sed per quandam eius emissionem. Non enim æternumverbum hic percipimus, nisi per creatam sapientiam nobis communicatum, quæ ad æternum verbum à quo emissum est, nonnullam habet veritatis proportionem. Veritatis dico, non magnitudinis, quia ad magnitudinem eius nulla est in creatura proportio. *Velociter currit sermo eius*, quia verbum gratiæ, de quo hic est sermo, statim persuadet id quod docet. De qua velocitate Leo; O quam velox est sermo sapientiæ, & vbi Deus magister est, quam cito discitur quod docetur. Non est adhibenda interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad vsum, non tempus ad studium. 4.

Leo ser. 1. de Pent.

Qui dat niuem sicut lanam. i. niuea iustitia niueisque moribus velut quodam indumento vestit etiam huius sæculi homines. De quo vestitu Apocal. Suadeo tibi à me emere aurum ignitum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat nuditas tua. *Nebulam sicut cinerem spargit.* Vbi nebulæ nomine totius iniquæ cōuersationis imaginem ac speciem intelligendam esse, aut saltem intelligi posse arbitror; Quam Deus spargit, cum illam humanæ mentis obtutui obijciendo, eandem conscientiæ humanæ obuersari facit ac oberrare, hominemque in pristinę ac patratæ suæ iniquitatis recordationem procurat deuenire. An non rectè nebulam dixerim tristem illam, amaram ac tetram atrarum rerum faciem, quæ humanæ menti, sicut nebula diei, lucem non aufert, nec contenebrat intelligentiam, sed eam caliginosarum rerum imagine passim respergit? Aperitur siquidem, inquit Bern. conscientiæ liber, reuoluitur misera vitæ series, tristis quædam historia replicatur, illuminatur ratio, & euoluta memoria, velut quibusdam eius oculis exhibetur. Quam nebulā spargit Deus; Diuinæ enim gratiæ est transactorum peccatorū recordatio, Nouerat id August. cum de se scriberet in hæc verba, Tu Domine, inter verba Potitiani narrantis mihi vitam D. Antonij & conuersionē duorum tribunorum, Inter verba inquā eius retorquebas me ad meipsum, auferens me à dorso meo, vbi me posueram dum nollem me attendere, & constituebas me ante faciem, vt viderem quam turpis essem, quam distortus, sordidus & maculosus. Et si conabar 5.

Bern. de cō. ad cler. c. 2

Aug 8. confess cap. 7.

à me auertere aſpectum, narrabat ille quod narrabat, & tu me rurſus opponebas mihi. Eſt ergo ſparſio hæc nebulæ diuini muneris, quæ tamen vitio hominis cedit ei in teſtimonium & non in bonum, ſi non Deus ſpargat nebulam *ſicut cinerem.* i. ſi non peculiari ope faciat priſtinæ vitæ recordationem homini cedere ad pœnitētiam in cilicio & cinere agendam, hiſque ob id nominibus in ſcripturis ſacris ſignificatam.

6. *Mittit cryſtallum ſuam.* i. eos, qui pellucidam habent rerum ſacrarum cognitionem. Cryſtallus enim in Apocal. in bonum ſumitur, *Sicut buccellas*, quia per verba eorum cum quadam ſoliditate, paulatim, quaſi per quaſdam doctrinæ ac veritatis particulas, paſcit fidelium animas. *Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit.* i. eo per feruorem gratiæ ſuæ cor rigore conſtrictum à duritia ſua non ſoluente, quis poterit ſuſtinere ſupplicia quæ manent illa mala quæ à conſtricto illo corde, vt exponit Auguſtinus, committenda ſunt? Verbis tamen iſtis poterit accōmodari hic ſenſus. Quis poterit ſuſtinere frigus illud inferni? quod dicitur eſſe frigus faciei eius, ſicut & ignis infernalis apud Daniele dicitur eſſe fluuius igneus rapidúſque qui egreditur à facie eius. Proinde ſicut Iſaias de ardoribus inferni dicit: Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus ſempiternis; ita de frigore quod in inferno futurū eſt, dicere videtur hoc loco Pſaltes, Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? nam in inferno etiam frigus eſſe futurū, probatur ex illo

Iob 24. Iob. Ad nimium calorē tranſeat ab aquis niuium; Si D. Thomæ credimus

D. Tho. 1 p. quæſt. 14. ar. 3. ad 2. Idē quodli. 8. art. 19. frigoris & ardoris in inferno viciſsitudinē, ex illo loco ſcripturæ probantis: Quam tamen viciſsitudinem aſſerit ibidem, ſine ſupplicij diminutione alternandam, eo quod ignis & aquæ niuium, qualeſcunque demum ibi ſint, non agant in corpora damnatorum actione naturali, ſed ſpiritali, per modum quo ſpecies colorum ſunt in aëre, vel in pupillis oculorum. Veruntamen prior huius loci ſenſus conuenientior eſt textui. Sequitur enim;

7. *Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea*, obdurata frigore corda. Hoc enim facit verbum gratiæ efficacis. *Flabit ſpiritus eius & fluent aquæ.* i. inſpiratione ſpiritus ſui commouebit lachrymas pœnitentiæ, de quo ſpiritu ſuprà dictum eſt, Conuerte Domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro. Hæc ergo de cælis emittuntur ad Eccleſiam. Quæ verò inde prius emiſſa ſunt ad Synagogam, ſunt hæc.

8. *Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael.* i. Emiſit de cælis Iſraëli ſecundum carnem legem, continentem decem verba, iuſtitias carnis, & præcepta iudicialia. Et quidem peculiari beneficio, quia,

9. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua nō manifeſtauit eis.* Dicit proinde Moyſes. Quæ eſt alia gens ſic inclyta, vt habeat cęremonias iuſtaq; iudicia, & vniuerſam legē, quam ego proponā hodie ante oculos veſtros?

PSAL-

PSALMVS CXLVIII.

Alleluia.

IN hoc Psalmo inuitat Psaltes vniuersam, per ordinem, creaturam, ad laudandum Deum. Quod creaturæ quidem rationales exequuntur ac præstant mente & pietate: Irrationales verò Deum laudare dicuntur, quia de pulchritudine sua, &, quam hominibus adferunt vtilitate, ijsdem, vt docet Basil. materiam celebrandæ diuinæ laudis suppeditant. *Basi homi. 3. hexa. & complures alij.* Et ob id non oportet hic cælorum, solis & lunæ nomine, aliquas creaturas spirituales allegoricè intelligere, sed eas quæ his nominibus literaliter significantur. Nam & D. Ambrosius dicit huius Psalmi sensum debere esse naturalem. *Amb. præf. in Psal. 36* Interim, recentiores non abs re arbitrantur Psalten, sentientem solam creaturam rationalem diuinas laudes explere non posse, præ deuotionis magnitudine etiam creaturas irrationales ad collaudãdum Deum prouocare, vt si fieri potest, ad perficiendam laudem Dei etiam ipsæ operam suam adiungant. Dicit itaque Psaltes:

Laudate Dominum de cælis. i. quæcunque in creaturis, cælestis estis ordinis, diuinas laudes prædicare in primis incipite, *Laudate eum in excelsis.* i. in sublimibus vestris sedibus laudem Dei, vt inde ad nos resonet, pangite. Principiò quidem, 1.

Laudate eum omnes angeli eius. i. Laudate eum ô vos omnes beatorum spirituũ ordines, qui eo quod mittimini in ministerium propter eos qui ex hominibus hæreditatem capient salutis, appellamini angeli. *Laudate eum omnes virtutes eius.* i. laudate eum ô vos ijdem, qui quandoquidem estis potentes virtute facientes verbum eius ad audiendam vocem sermonum eius, vocamini Virtutes Dei. 2.

Laudate eum sol & luna; Laudate eum omnes stellæ & lumen. 3.

Laudate eum cæli cælorum. i. omnes cæli qui inter vos cælorum quendã ordinem atq; concentum efficitis. Quamquam nonnulli per *cælos cælorũ*, cælum empyrium intelligant, quod appelletur cælum cælorum, ea ratione qua Christus dicitur Dominus Dominorum, quia nimirum omnium cælorum est situ supremum; Qui conformiter per aquas quæ supra cælos sunt, intelligunt cælum crystallinum. Tametsi autem cæli sint inanimati, sine iactura tamen fidei D. August. teste D. Thoma, id indecisum reliquit. *Enchi. c. 58 Tho. quodl. 12 art. 9.* *Et aquæ quæ super cælos sunt.* Has aquas D. Epiph. elemẽtares esse asserit, probans id ex cataractis quas tempore diluuij Dominus in cælo aperiens, deduxit per eas aquas quæ simul cum aquis fontium & abyssi magnæ, vniuersam demergerent terram. *Epiph. epis. ad Ioannẽ Hierosoly.* Si enim, inquit, per aquas quæ supra firmamentum sunt, non aquas intellexeris, sed fortitudines quasdam angelicæ potesta- 4.

poteſtatis, quomodo legimus in diluuio apertas cataractas cæli & aquas inundaſſe diluuij? Vnde aperti ſunt fontes abyſsi, & totus mundus opertus eſt aquis? Quam Epiphanij & complurium aſſertionem D. Thomas docet ſuſtineri poſſe, præſertim cùm videatur conformis eſſe ſcripturæ ſacræ quæ dicit Deum feciſſe firmamentum in medio aquarum, ac diuiſiſſe aquas quæ ſub firmamento ſunt ab ijs quæ ſunt ſupra firmamentum, per id non obſcurè indicans aquas vtroque loco poſitas vnius & eiuſdem fuiſſe elementi, Quas quidem ex parte Deus voluit eſſe ſupra firmamentum, vt intra orbem cæli, & ſupra orbem ſtellis ardentibus refulgentem, redundaret aqua, quæ. inquit Ambroſ. illa feruentis axis incendia temperaret.

D. Thom. quodl. 4. art 3.

Ambroſ 2. hexa ca. 3.

5. *Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt*, Dixit, inquit, & mandauit, cæli enim, inquit Petrus, erant prius, & terra de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo. Verbo enim Domini cæli firmati ſiue ſolidati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum: Porrò quod hic dicitur, *Dixit*, & *mandauit*, id intelligendum eſſe de verbo ineffabiliter ad filium facto, in Pſal. 44. ex veteribus latius diximus.

2. Pet. 3.

6. *Statuit ea in æternum & in ſæculum ſæculi*. Ex his verbis probat Irenæus creaturam tametſi principium ſui eſſe acceperit, perpetuitatem tamen ſuæ manſionis Dei auxilio & munere habituram eſſe. *Præceptum poſuit, & non præteribit*. Quod quidem, inquit D. Thomas, nihil aliud eſt quam diſpoſitio diuinæ prouidentiæ, mouens res naturales ad proprias actiones. Nunquid autem Deus à cæleſtibus creaturis ſolummodo eſt laudandus? Nequaquam. Itaque

Iren. lib. 2. cap. 65.

D. Tho. cop. Theo c. 143

7. *Laudate Dominum de terra*. i. laudet Deum omnis creatura terrigena, Inſuper & ea quæ de aqua ſumpta eſt, in cuius ordine ſunt *dracones*, ſiue cete grandia. Laudent inſuper Deum *omnes abyßi*. i. omnis profunditas ſiue aquarum copia. Ad hæc

8. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbũ eius*. Suprà, dicendo, Quia ipſe dixit & facta ſunt, de creatura voluit laudari Deũ vt creaturæ authorem, hîc verò, dicendo, *Quæ faciunt verbum eius*, prouocat laudari Deum vt creaturæ totius gubernatorem. Sicut enim fuit diuinæ bonitatis creaturam de nihilo ad eſſe producere, ita eſt diuinæ pietatis, opus manuum ſuarum indeſinenti directione gubernare, Quis enim, inquit Ambroſ. deſerat & deſtituat quod ipſe condendum putauit? Si iniuria eſt regere, nónne eſt maior iniuria feciſſe, cùm aliquid non feciſſe nulla iniuſtitia ſit: non curare quod feceris ſumma inclementia? Itaque *faciunt verbum eius*, quia nihil niſi diuinæ prouidentiæ ac voluntatis particularem diſpoſitionem in ſingulis quibuſque ſuis motibus atque effectibus exequũtur. Non tibi ergo videantur, inquit D. Auguſt. caſibus moueri, quæ verbo Dei in

Ambr. 1. offic. c. 13.

D. Aug in hunc locũ.

Dei in omni motu suo deseruiunt. Quò vult Deus, illuc lucet ignis, illuc fertur nubes, siue pluuiam, siue niuem, siue grandinem portet. Et non sine causa compellatis spiritibus procellarum, mox subiungit Psaltes, *quæ faciunt verbum eius*: Si enim illa, inquit idem, quæ maximè casibus agitari & volui videntur, nil nisi Dei verbum faciunt, quanto magis id credendum est de cursu aliarum rerum creatarum in quibus casus minus videtur habere dominij? Hæc Augustinus. *Aug. 5. de Genes. ad litt ca. 21.*

Montes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri. 9.

Bestiæ & vniuersa pecora, serpentes & volucres pennatæ. Inter ea quæ 10.
diuinis laudibus materiam suppeditant, recensentur etiam serpentes, sub quibus & reliqua venenata comprehendi debent animalia, quia in suis locis naturisque vigent, pulchroque ordine, inquit August. disposita sunt. Multumque vniuersitati rerum pro suis portionibus, decoris, tanquam in communem rempublicam conferunt. Imò, multum nobismetipsis, si eis congruenter & scienter vtamur, attribuunt commoditatis; ita vt venena ipsa, quę per inconuenientiam perniciosa sunt, conuenienter adhibita, in salubria medicamenta vertantur. Vnde nos monet prouidentia diuina non res insipienter vituperare, sed vtilitatem rerum diligenter inquirere, & vbi nostrū ingenium vel infirmitas deficit, ita credere occulta, sicut erant quædam quę vix potuimus inuenire. Hæc August. *D. Aug. 11. de ciu. c. 22.*

Reges terræ & omnes populi, Principes & omnes iudices terræ. 11.

Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, laudent nomen Domini. i. om- 12.
nis hominum ordo, ætas, & sexus, audito nomine Domini, venerentur & cum gratiarum actione laudent eum, *quia exaltatum est nomen eius solius.* Nomen enim diuinitatis est nomen super omne nomen, illique soli tribuitur quod ex ipso, per ipsum, & in ipso sint omnia. Proinde & Apost. conformiter ad mandatum Psaltis, prolato mox dicto nomine Domini, illud laudare volens, adiecit, Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen. Cum ergo omnia quæ hactenus recensita sunt, Deum suo quæque modo laudent; Profectò

Confessio eius super cælum & terram. i. per cælum & terram resonat 13.
confessio diuinæ virtutis, Sed auditur ab illis qui spiritualiter non obsurduerunt. Est autem & aliud ob quod Deus multò magis laudandus est, de quo sequitur: *Et exaltauit cornu populi sui.* Per exaltationem cornuum futuram gloriam, siue, extremū hominis finem significari, in Psalmum 88. & 111. ex D. Basilio diximus. Itaque, *exaltauit cornu populi sui.* i. sublimitatem siue beatitudinem ad quam tanquam ad extremum suum finem ordinauit hominem, eminentem atque supra modum sublimem effecit; Eam enim in visione Dei, non dico capacitatem, sed virtutem & facultatem

humanæ naturæ ſuperexcedentem, conſtituit. Proinde,

14. *Hymnus.* i. laus & cum gratiarum actione coniuncta iubilatio, *omnibus ſanctis eius*, quos dicta manet ſublimitas & exaltatio. Et exponendo quoſnam ſanctorum nomine intelligi velit, adiungit, *Filijs Iſrael.* i. filijs promiſſionis, *populo appropinquanti ſibi.* i. populo per fidei & iuſtitiæ exercitationes quaſi per quædam veſtigia ad Deum proficienter tendenti. Hos enim atque huiuſmodi homines prædicta manet exaltatio, reliquis temporalium rerum, ſi qua, beatitudine ſolummodo gaudentibus.

PSALMVS CXLIX.

Alleluia.

CVm in fine ſuperioris Pſalmi filij Iſrael prouocati ſint ad laudandum Dominum quia exaltauit cornu populi ſui, ijdem in hoc Pſalmo prouocantur ad laudandum eundem Dominum, quia eoſdem in ſe & de ſe iuſtificando, ad dictam exaltationem dignos fecit atque idoneos, ita vt Pſalmus præſens præcedentis quædam continuatio videatur & proſecutio, ſicut & ſequens huius; & ob id non abs re in officio Eccleſiaſtico tres hi Pſalmi, ac ſi vnus eſſent, ſemper vna & continua ſerie recitatur.

1. *Cantate Domino canticum nouum.* i. canticum renouatæ vitæ. Vel, canticum peculiare & ſingulare. *Laus eius in Eccleſia.* i. ſocietate ſeu congregatione, *ſanctorum*; quia vt cauſa huius laudis, ita & laus ipſa per concordiam & concentum mutuumque amorem omnibus ſanctis debet eſſe communis.

2. *Lætetur Iſrael in eo qui fecit eum.* i. gaudeat Iſraël Dei, qui & populus acquiſitionis, ſe peculiari Dei voluntate & munere in iuſtitia & ſanctitate veritatis eſſe creatum, ita vt ſanctificatio non tantum ei gaudij adferat, quantum bona illa & miſericors Dei voluntas in qua ſanctificati ſunt, & à qua eorum ſanctificatio ſuam originem deſumpſit ac conſummationem. *Et filiæ Sion.* i. ipſe populus acquiſitionis, filiarum nomine appellatus, eò quod omnes priuſquam à Domino iuſtificarentur infirmati ſint per carnē, & toto vitæ ſuæ tempore multis ſint infirmitatibus obnoxij atque circumdati. Hæ ergo filiæ Sion, *exultent in Rege ſuo.* i. Chriſto, Rege Salem, ſiue iuſtitiæ, Exultent inquam, Chriſtum ſibi ad recuperandam iuſtitiam in regem iuſtitiæ datū eſſe, & de regis ſui erga ſe dignatione, amore & conformitate (ipſe enim infirmitates earum ſuſcepit, vt ſuam eis virtutem donaret) pia ſeſe lætitia erigant.

3. *Laudent nomen eius in choro.* i. conuentu, atque concordi & communi concentu. Quod à principio obſeruantes Chriſtiani ſolent (ob metum gētilium) nocturnos conuentus agere, & hymnos, vt ſcribebat ad Traianum

Plinius secundus, Christo canere. Quod etiamnum obseruans Ecclesia, consueuit ad officia diuina peragenda clerum suum in vnum locum cogere, & ad officia cleri etiam conuentum populo indicere. Decebat namque vt ad normam quam Dauid suo tempore ex Leuitis instituit, clerici Christi laudibus celebrandis singulariter deputarentur, sic tamen vt à laudibus cleri audiendis & deuotione sua comprobandis, populus extorris non fieret. *In tympano & psalterio psallant ei*. i. Hymnos & Psalmos ei dicant, adhibitis ad gaudij celebritatem etiam musicis varij generis instrumentis. Quamuis enim D. August. & qui eum sequuntur, tympanum & psalterium spiritualiter intelligant, vt tympanum sit carnis mortificatio, psalterium verò exercitatio iustitiæ decalogo descriptæ, vnde & Psal. 32. Psalterium dictum est esse decem chordarum, videtur tamen Psaltis proposito magis consentaneum hæc ad litteram cum D. Gregorio in Psalmum 97. citato, intelligere,

Quia beneplacitum est Domino in populo suo. i. quia à semetipso complacuit Domino illi benefacere, eumque in benedictionibus dulcedinis suæ, in finem vsque præuenire. Omnes enim sancti secundum propositum diuini beneplaciti iustificati & salui facti sunt, & ideo laus hæc omnibus debet esse vna & communis. *Et exaltauit mansuetos in salutem*. Hoc ob duo meretur gratiarum actionem. Primò, quia Deus sanctos suos mansuetos facit, & per mansuetudinem salutis capaces. Deinde meretur laudem diuinum consilium quo placuit ei per mansuetudinem, quæ humanæ superbiæ atque ferociæ, videtur esse degeneris animi quædam inertia ac ignauia, viam ad salutem sternere. Cuiusmodi Dei cõsilium & Christus cum exultatione laudauit, cùm dixit: Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Cùm autem sancti ad salutem exaltati fuerint, quid ibidem eis erit? 4.

Exultabunt sancti in gloria. Exultatione, inquit Petrus, inenarrabili & glorificata. *Lætabuntur in cubilibus*. i. æternæ suæ quietis mansionibus. De quibus per parabolam Dominus, Pueri mei mecum sunt in cubili meo. 5

Exaltationes Dei in gutture eorum. Nam in futura vita resumptis corporibus, etiam voce sancti laudabunt Deum, eumque exaltabunt, quia prædicabunt eum omni laude esse maiorem. *Et gladij ancipites in manibus eorum*. D. Augustinus exponẽs vltimum cap. Isaiæ, vbi Dominus dicitur gladium vibrare & infligere, Isto, inquit, gladio fiet mors secũda. Gladij ergo ancipites in manibus sanctorum, videtur esse potestas iudicandi cum Christo qua præditi erunt sancti. Approbando enim sententiam Iudicis quæ erit vt gladius anceps, etiam ipsi quodam gladio videbuntur transuerberare animas impiorum. Ad quid autem iste gladius? 6. *Aug. 20. de Ciuit. c. 21*

7. *Ad faciendam* per illius diei internecionem, *vindictam in nationibus*. i. illis, qui in gentilitate vel vita gentilium perstiterunt, & præcipue qui ex gentilibus sanctis Dei persecutionem intulerunt. *Increpationes in populis*. Ergo gladius hic metaphoricè de gladio oris intelligi debet. Ore enim fiunt increpationes. Increpabunt itaque sancti impios, quia intolerabili verborum asperitate & exprobratione arguent impietatem, Eorum præsertim, qui sanctorum admonitiones prius irriserunt.

8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis*. Eo enim tempore cum implebitur quod scriptum est, Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, etiam reges & nobiles substrati erunt sanctorum pedibus, & illis iubentibus ac inspicientibus, vinculis ferreis seu perpetuis, omni potestate malefaciendi illis ablata, ad æternas è quibus exire non valeant, pœnas illigabuntur.

9. *Vt faciant in eis iudicium conscriptum*. i. iudicium quod ex libris scripturarum sacrarum, & vitæ vniuscuiusque conscriptis formandum erit. Li-
Apocal. 20. bri enim aperti sunt, inquit Ioannes, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secũdum opera eorum. Hoc ergo iudicium facient sancti, non pœnas inferendo, sed sententiam assessorum more proferendo seu approbando: Qua re peracta, dictum ac factum è vestigio sequetur decreta pœna. *Gloria hæc est omnibus sanctis eius*. Non tamen pari mensura: Alij enim id facient sedendo super sedes cum quadam authoritate & supremi iudicis consortio: Alij verò vt subditi, probabunt solummodo sententiam Domini sui.

PSALMVS CL.

Alleluia.


St & hic quædam prosecutio Psalmi præcedentis; Cùm enim in illo Psaltes gloriam sanctorum explicuerit, hic nos informat qua ratione debeamus Deum in sanctis suis glorificare, & dicit:

1. *Laudate Dominum in sanctis eius*, quia eos suo præcipuè opere ad huiusmodi gloriam perduxit. *Laudate eum in firmamento virtutis eius*. i. firmissimo suo, inexpugnabili infallibilique proposito, quo eos ad salutem perducere decreuerat: Quod rectè dicitur *firmamentum virtutis eius*, quia prædestinatio, ac propositum Dei, gratiæ, per quam ad iustificationem ac perseuerantiam corroboramur, fundamentum, petra ac firmamentum est.

2. *Laudate eum in virtutibus eius*, quas secundum dictum virtutis suæ firmamentum, in sanctorum, & præsertim martyrum vocatione, conuersione, certamine, cõuersatione, consummationeque, exercuit & eos exercere fecit. *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius*. i. quantum meretur

meretur multitudo magnitudinis eius. Et benè dicit, *multitudinem*: Multiformiter enim magnum se præbet Dominus in glorificatione sanctorum suorum. Magnum enim se præbet patientia, in supportando eos & exspectando, Indulgentia in remittendo, Clementia eorum opera valdè imperfecta benignè suscipiendo, grataque ac rata habendo, Ope & gratia, in adiuuando, Instantia in vrgendo, & modis similibus.

Laudate eum in sono tubæ. i. Laudes has eius enarrate per Euangelicam prædicationem, quæ tubæ nomine communiter significatur. *Laudate eum* 3.
in Psalterio, id est, Psalmorum decantatione, qua celebrantur Dei laudes: *& cythara*,

Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo. i. 4.
Ad celebrandas Dei laudes adhibete quidquid tam meritæ laudis celebritas requirit, aut conuenienter exigit. Et quod non valetis voce aut dictione exponere, aut etiam comprehendere mente, id per instrumenta iubilationis, eo quo fieri potest modo exponite. Sunt enim huiusmodi instrumenta musica ad commouendum in Dei laudes hominum sensum sensibilemque affectum congrua & oportuna. Oportet tamen eos esse memores eius quod dicit D. August. Si me magis delectat canentium concentus, quàm res ipsa *August. 10*
quæ canitur, culpabiliter me peccare profiteor. *confess.*

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubi- 5.
lationis. i. quorum sonus iubilationē siue inenarrabilem spiritus exultationem & gratulationem testetur aut commoueat; *Omnis spiritus*. i. omnis qui pro ratione mensuræ suæ vllo dono Spiritus sancti præditus est, *laudet Dominum*, vt ex multarum personis facierum, eius quæ in sanctis est donationis, per multos gratiæ agantur pro eis.

Finis Psalterij & explicationis eius.

IN SACRÆ SCRIPTVRÆ CANTICA, QVÆ PER HORAS CANONICAS *Romana decantat Ecclesia, eiusdem Authoris* EXPOSITIO.



Xposito pro nostra mediocritate Psalterio, ob cognationem, quam tum in serie, tum in vsu ac fine cum psalmis sacra habent Cantica, quæ per horas nocturnas pariterque diurnas Romana frequentat Ecclesia, operæpretium est nos etiam illa pro modulo nostro exponere. Et quandoquidem hac in parte clericis diuina officia recitãtibus præcipuè seruimus, conueniens erit Cantica hæc, non eo quem in Biblijs, sed quem in Breuiario obtinent, ordine explanare. Inter ea itaque primum sibi locum vendicat Canticum trium Puerorum de camino ignis. Qui cùm animaduerterent Deum, suam, quam ipsi, dicẽdo, Potest Deus noster eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare, prædicauerant virtutem, in gente illa barbara & impia, suprà, quam ausi fuerant, nõ dico sperare, sed securissimè prædicere, exercuisse, suamque in ea gloriam magnificasse, Et etiam, vt sentit Epiphan. se in igne ab incendio, honorificentissimo Dei beneficio esse conseruatos; tanta in primis ob diuinæ gloriæ ac virtutis manifestationem spiritus exultatione erecti sunt, tantaq; ob acceptũ à Deo beneficiũ animi gratitudine affecti, vt, cùm humiliter (pueri namque erant) agnoscerent se Deo, provt dignum erat, benedicendo non sufficere, suasque se benedictiones diuinæ magnificentiæ æquare non posse, ad benedicendum Dominum gloriæ eique gratificandum, vniuersæ, per ordinem, creaturæ, præ deuotionis nimio quodam ardore, in laudis & quam odornabant, benedictionis obsequium, opem implorarint ac societatem. Vbi enim expendissent, inquit Epiphan. semetipsos ad inenarrabilem Dei glorificationem [minus sufficere] dignantur secum assumere creaturam ad glorificationem. Hæc Epiphanius. Itaq; quamuis dubitandum non sit quin creaturæ irrationales dicantur benedicere Domino, quia, vt in simili ex D. Basilio in Psal. 148. diximus, de se materiam exhibent homini ad benedicendum Domino; D. tamen Epiphanij authoritate confirmatus, arbitror Pueros ad benedicendum Domino opem omnium creaturarum ob id potius implorasse, quod sentirent se deuotionem suam qua ad benedicendum Domino ferebantur, pro voto solos explere non posse. Inuocando itaque ad societatem benedictionum Dei opem vniuersæ creaturæ, insinuant diuinæ

Daniel. 3.

Epipha. in Ancoratu.

uinæ gloriæ amplitudinem & magnificentiam tantam esse, vt ad celebrandum benedictiones Deo dignas, diuinæque amplitudini consentientes, votiuum sibi esset, videreturque operæpretium, vt cunctæ creaturæ irrationales ad benedicendum Domino verterentur in linguas. Dicunt itaque:

Benedicite omnia opera Domini Domino. i. quæcunque à Deo facta estis & creata, suam cum veneratione bonitatem Domino confitemini. Quid enim est Deo benedicere, nisi cum gratiarum actione eius bonitatem prædicare, & hanc prædicationem ad Deum ipsum referre? *Laudate.* i. bonitatem eandem etiam apud homines prædicate. Quæ duo Pueri nostri hic coniungunt, conformiter ad id quod Psal. 106. dictum est, Confiteantur Domino misericordiæ eius, id enim in idem redit cum eo quod hic dicitur, *Benedicite omnia opera Domini Domino*: & mirabilia eius filijs hominum, quod coincidit cum eo quod Pueri dicunt, *Laudate. Et superexaltate eum.* i. omni benedictione & laude quæ ab vniuersa simul creatura in vnum conflari posset, eum longè maiorem magisq; laudabilem esse prædicate, *in sæcula.* i. indesinenter per infinita sæculorum sæcula. 1.

Benedicite Angeli Domini Domino. Hic, inquit Athanas. martyres illi Babylonij refutant impietatem Arrianorum: Dicentes enim, Benedicant omnia opera Dominum, tum ea quæ in cælis sunt, tum ea quæ degunt in terris; in ea summa omnes creaturas vt Dei opera adnumerarunt, sed in numero eorum, Filium ipsum non constituerunt. Non enim dixerunt, Et tu Verbum (quod tamen cum vniuersam creaturam ordine quo singulæ sunt creatæ recitent, primo loco dicere debuissent) benedic; Et, hymnum cane tu Sapientia; vt ostenderent alia omnia esse ex eorum catalogo quæ & opera sunt & hymnum cantant; Verbum, contrà, non esse opus, aut ex cœtu canentium, sed potius cum Patre decantatur, adoratur, & diuinis laudibus celebratur, cùm sit & Verbum illius, & Sapientia, & operum architectus. Hæc Athan. Sed ab hac Athan. ratiocinatione, effugium sibi quidam moliti sunt: Ausus enim fuit diabolus inter homines, inquit Epiph. mouere, vt sint, qui incredulitatem contra sanctos Pueros effingere ac ementiri audeant, & dicere: Non nouerãt nomen Spiritus sancti, Iudæi enim erant: Et neque filium nouerant, cum essent Iudæi. Statim autem (respondet Epiph.) verba ipsa redarguunt eorum malam opinionem habẽtium incredulitatem. Dicit enim, Et erat facies quarti, sicut facies filij Dei. Ecce nomen filij Dei. Ergo non est ignorantia de hoc. Hæc Epiph. Quod enim dicit Nabuchodonosor, Ecce ego video quatuor viros solutos, & species quarti similis filio Dei, id D. Irenæus interpretatur de æterno Dei Verbo. Verbum, inquit, Dei quemadmodum volebat ipse, & ad vtilitatem videntium, claritatem monstrabat Patris, & dispositiones exponebat. Quemadmodum & 2.

Atha. ser. 3 cõt. Arria.

Epipha. in Ancorata.

Iren. lib 4. cap. 37.

Dominus

Dominus dixit, Vnigenitus Deus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit. Et ipſe autem interpretatur Patris Verbum, vtpote diues & multus exiſtens, non in vna figura, nec in vno charactere videbatur videntibus eum, ſed ſecundum diſpenſationum eius cauſas ſiue efficaciam, ſicut in Daniele ſcriptum eſt, Aliquando enim cum his qui erant circa Ananiam, Azariam, Mizaelem videbatur, aſsiſtens eis in fornace ignis, & in camino, & liberans eos de igne, Et viſio, inquit, quarti, ſimilis filio Dei. Hæc Irenęus. Qui non obſcurè videtur opinatus fuiſſe, quod Verbum Dei ante ſuum in carne aduentum, in ſpecie aliqua viſibili immediatè, & abſque intermedio angelicæ creaturæ obſequio, hominibus varijs apparuerit, cuius ſententiæ Athanaſium, Cyrill. Hilarium, Tertull. & etiam Ambroſium fuiſſe ex compluribus eorum locis facilè demonſtrari poſſet. Omnibus autem mox allegatorum Patrum verbis, breuitatis cauſa prætermiſsis, vnius Ambroſij verba, ſiue præiudicio tamen alterius ſententiæ, quæ opinatur omnes apparitiones veteris teſtamenti mediātibus angelis factas eſſe, in medium adferemus, quæ ſic habent. Quis, inquit, filium Dei videre potuit antequam conſpicabilem materiam ſicut ei placuit, aſſumpſit, vel ipſum hominem induere dignatus eſt? Qui etſi Abrahæ viſus eſt, ſed in forma humani corporis viſus eſt, quo ſcilicet poſtremis temporibus in homine venturus eſſe demonſtraretur. Iacob etiam alibi in angelo, alibi æquè videtur in homine. Qui ideo ſe in angelo demonſtrauit, vt nuntium ſe magni conſilij indicaret. In homine verò, cum quo & colluctatus fuiſſe deſcribitur, vt imaginem futuræ colluctationis quam cum Iſrael habiturus erat, cum ſecundum hominem aduenisſet, indicaret. Sed vt Dominum crederet, cum quo tanto certamine ſub figura hominis luctabatur, Iſraël.i.homo videns Deum nomen accepit. Vidi, inquit, Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea; vt qui figuram hominis viderat, quam Deus Dei filius induerat. Hæc Ambroſ. Cuius ſententiæ nō obſtat quod dicitur angelus Domini deſcendiſſe in fornacem ignis, non enim neceſſe eſt per angelum Domini creaturam angelicam vbique ſcripturarum intelligere, cùm Angelus Domini proprijſſimè etiam filius dicatur, qui, vt ex Ambroſio mox audiuimus, eſt magni conſilij angelus. Sed ad reliqua tranſeamus.

Ambroſ de fide contra Arrij c 8. D.Thom. 1 p.quæſt. 12 a.11. ad 1.

3. *Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt Domino, benedicite omnes virtutes Domini Domino.*
4. *Benedicite ſol & luna Domino, benedicite ſtellæ cæli Domino.*
5. *Benedicite imber & ros Domino, benedicite omnes ſpiritus Dei domino.*
6. *Benedicite ignis & æſtus Domino, benedicite frigus & æſtas Domino.*
7. *Benedicite rores & pruina Domino, benedicite gelu & frigus Domino.*
8. *Benedicite glacies & niues Domino, benedicite noctes & dies Domino.*

Benedi-

Benedicite lux & tenebræ Domino, benedicite fulgura & nubes Domino. 9.
Benedicat terra Dominum, laudet & superexaltet eum in sæcula. 10.
Benedicite montes & colles Domino, benedicite vniuersa germinantia 11.
in terra Domino.
Benedicite fontes Domino, benedicite maria & flumina Domino. 12.
Benedicite cæte & omnia quæ mouentur in aquis Domino, benedicite 13.
omnes volucres cæli Domino.
Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino. Hactenus vniuersam creatu- 14.
ram ante hominem formatam ad laudem Deo concinendam Pueri inuocauerunt, Quæ omnia arbitror tam clara esse, vt ad sui explicationem præter ea quæ diximus aliud non requirant. Transeunt proinde post hæc ad hominem, cuius formatio inter omnes creaturas nouissima est, & dicunt: *Benedicite filij hominum Domino,* Quo nomine significant gentilem populum ab Israel distinctum: Vel, quod magis arbitror, homines in solis naturæ viribus consideratos; His enim Deus pro humanæ naturæ viribus etiam laudandus est & glorificandus. At, multo magis & religiosius,
Benedicat Israel Dominum, Hic enim fide vnius Dei imbutus, Deique 15.
& operum eius, eam, quam sola fides percipit, cognitionē adeptus, ad benedicendum Domino singulariter instructus est & obligatus. In Israel verò,
Benedicite sacerdotes Domini. i. Domino ad sacrificandum hostiam lau- 16.
dis & gratiarum actionis præ reliquis destinati, *Domino*, quia dignum est vt in sacrificijs laudis, spiritus laudis & gratitudinis ferueat in mēte & pectore sacrificātis. *Benedicite serui Domini,* Vos, quos Dauid rex coram arca Dei constituit, vt ministraretis & recordaremini operum Dei, & glorificaretis & laudaretis Dominū Deum Israel, Vos, inquam, *benedicite Domino*, spiritu & mente; Decet namque imo oportet, vt qui officio, mente etiam & pietate præ reliquis & pro reliquis, laudibus Deo deferendis operam detis. *1. Para. 16*
Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino. i. ô vos qui in populo 17.
Dei spirituales estis, & spiritualiter ea quæ sunt spiritus Dei gustatis & sapitis: Pariter etiam qui estis in populo Dei animales, præ infirmitate mentis & gratiæ spiritualis nondum percipientes quæ sunt spiritus Dei, sed, vt dicit August. adhuc estis paruuli in Christo, quos Apostolus Paulus nondum valentes escam capere, lacte tamen nutrit, qui ob id, teste Ambrosio, terrenis hominibus estis potiores, & spiritualibus proximi, eo quod non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale; Vos ergo pariter, *benedicite Domino*, Spiritus quidem iustorum, intelligentia, feruido, & qui intelligentiæ par sit, amore; Animæ verò iustorum fide, pietate, fidei mensuram non excedente, animi humilitate, vt spiritualium hominum assectæ. Possunt tamen per spiritus & animas iustorum animæ *Aug. 2. Retract. c. 27. Ambr. 1. de Cain & Abel, ca. 10.*

Hhhh eorum

eorum qui cum pietate dormitionem acceperunt intelligi, vt inter cætera etiam istæ ad benedicendum Domino inuocentur. Nam D. Ioannes dicit
Apocal. 5. se audiuisse omnem creaturam quæ est in cælo & super terram, & sub terra; Omnes, inquit, audiui dicentes sedenti in throno & Agno, Benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum. *Benedicite* sancti. Non est enim speciosa laus in ore peccatoris. *Et humiles corde*. i. qui estis, non
Hiero. in c. 3 Daniel. sola electione aut voluntatis imperio, sed, vt optimè interpretatur Hieron. toto corde inclinati, non solum desiderantes, sed sentientes in vobis quod & in Christo Iesu, qui professus est se esse mitem & humilem corde. *Domino*, Humilium enim & mansuetorum, vt oratio, ita semper Deo placuit benedictio.

18. *Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula*. Ex hoc sermone manifestũ euadit verum esse quod dixit
Epipha. in Ancoratu. Epipha. Vides, inquit, dilecte frater, quomodo martyres Babylonij omnia enumerauerunt ex Spiritus sancti ductu, Reuelabat enim ipsis Spiritus S. velut dignis factis vt simul essent cum angelis, & angelorum forent contubernales [comprehendentes] omnia quæ in cælis sunt & in terra & sub terra; Solent namque illi qui Spiritu sancto inspirati loquuntur, de semetipsis vt de alijs loqui, velut contestantes quod non ipsi sunt qui loquuntur, sed spiritus sanctus qui loquitur in eis. Ideo & Moyses res à se gestas describẽs, non dicit, Ego dixi, sed, dixit Moyses, Non enim Moyses principaliter is est qui res suas descripsit, sed Spiritus sanctus illas, tametsi per Moysen, de Moyse tamen scripsit & dictauit, vt non vno loco obseruauit August. Ananiam itaque Azariam, Mizaelem Spiritus sanctus ad benedicendum Domino peculiariter excitat, nouit nãmque eos per eximiam in Deum charitatem diuinis laudibus castissimè & ardentissimè celebrandis esse quam instructissimos; Et, ob peculiaria excellentissimaque, quæ acceperant, Dei munera & beneficia, ad benedicendum Domino esse præ reliquis peculiariter obligatos. Et hæc quidem sunt quæ Ecclesia ex Cantico trium Puerorum sibi in officio laudum decantanda desumpsit. Cæterum, quandoquidem ipsa in fine singulorum psalmorum, dicendo, Gloria patri & filio & Spiritui sancto, Deum solet per singulos glorificare, noluit eadem consimilem Dei glorificationem præsenti Cantico deesse. Quia tamen Pueri in eo Dominum glorificantes vtuntur vocabulo Benedictionis, maluit Ecclesia, suam, qua Canticum concludat, glorificationem, eadem cum ipso Cantico verborum forma constare; Ipsamque Cantici conclusionem, ex ipsis Puerorum prætermissis verbis desumere. Concludit proinde ipsum in hunc modum:

19. *Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto spiritu, laudemus & superexalte-*

exaltemus eum in sæcula. Quam exhortationem reipsa explens & exhibens, sanctæ Trinitati benedicendo subiungit,

Benedictus es Domine in firmamento cæli. i. firmissimo & immobili cæ- 20.
lorum habitaculo, cuius portas cōfortasti vt ab eius felicitate nullus vnquā excidat, in illam nemo violentus irrumpat, illique nemo infestus obstrepat. In hoc dico cæli firmamento benedictus es, quia, nobis applaudentibus, in eo benedicunt te angeli & sancti tui. *Et laudabilis*, Magnus enim Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri & monte sancto eius. *Et gloriosus*, Ibi enim manifestas omnibus sanctis gloriam tuam, quam optabat Moyses videre cùm diceret, ostende mihi gloriam tuā. *Et superexaltatus*, Omni enim laude & sanctorum glorificatione maior es & sublimior; In cuius rei testimonium, Isaias te vidit sedentem super solium excelsum & eleuatum, quia, vt loquitur D. Cyprianus, vidit te angelicæ comprehensionis importunitatem euadentem, ita vt ab illis nec comprehendi, nec prout maiestate tua dignum erat, potueris laudari, *in sæcula*, Glorificatio enim sanctorum tuorum, ibi nec finem habebit nec intermissionem.

Cyp. in prolo. de card. oper. Christ.

Canticum Isaiæ. Cap. 12.

PRæscribit in hoc Cantico Isaias Gentilitati suo tempore ad Christum conuertendæ, formulam agendi Deo gratias de salute quam profitetur sibi per Christum inexspectatò, gratuita Dei voluntate obuenisse, idque in hunc modum: *Et dices*; Tu, inquit Cyrillus, qui in altis olim versatus es tenebris, & magnus idololatra exstitisti, & dæmoniorum imposturis conturbatus es, *in illa die*; quando, inquit idem, animi oculis lucem intueberis, quando contemplaberis vocantis gloriam, quando ad eam gloriam atque eum sensum adductus eris, vt vnde veneris, & in quē statum transieris intelligas, tunc, inquam, apud te multum & sanè meritissimè glorians, acclamabis, dicens:

D. Cyrill. in hunc locū.

Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi. i. quoniam cùm iratus 1.
esses mihi, *conuersus est furor tuus* in mansuetudinem & beneuolentiam, me quidem hanc tuam conuersionem nullatenus prouocante, multò minus emerente, sed te eam tua spontanea miseratione instituente: Quocirca & dicit tibi quis, Auertisti ab ira indignationis tuæ. Qui enim dicunt, *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi*, gratias Deo offerunt, non quod iræ diuinę subijcerētur, inquit ibidem Cyrillus, sed cum ei subiecti fuissent, consequerentur misericordiam. *Et consolatus es me.* Cùm enim extra statum salutis, vbi ante fidem Christi fuit gentilitas, nulla vera percipi potuerit conscientiæ consolatio, rectè dicunt, *Consolatus es me*, quia vnà cum susceptione veræ salutis, tacito semper naturæ instinctu suspiratam, sed nūquam

antea perceptam, imò ne gustatam quidem conscientiæ consolationem, tum demum à Deo totius consolationis, ineffabili animi quiete & exultatione acceperunt. De qua consolatione author dicit inferius: Laudate cæli & exulta terra, iubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur.

Isaie 49.

2. *Ecce*. q. d. Videte & admiramini. *Deus saluator meus*. i. Deus ipse secūdum suum propositum saluos nos facere, & nos eius sui propositi conscios esse voluit. *Fiducialiter agam*, de bona hac Domini erga electos voluntate per spem mihi vendicata, confisus. *Et non timebo* quidpiam eorū quæ meæ saluti aduersantur, siue mors sit, siue profundum, siue instantia, siue futura, siue creatura alia. Dominus enim illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Huius confidentiæ propinquior ratio est,

3. *Quia*, tametsi non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, attamen *fortitudo mea & laus mea Dominus*, qui me, (quod illi laudi sit, nō mihi) faciet ad omne opus bonum instructum, omnibus inimicis fortiorem; ita vt mihi dicendum sit cum Apostolo, Omnia possum in eo qui me confortat. *Et*, quod fiduciæ meæ fundamentum cumulatius corroborat, *factus est mihi in salutem*. i. ad meam salutē homo factus est, mortuus est, resurrexit, & est in dextris Dei interpellans pro nobis. Hoc autem nobis Christianę fiduciæ causam amplificare etiam Apostolus insinuat, qui postquam primariam & originalem huius fiduciæ causam exprimendo, dixisset: Deus qui iustificat, quis est qui condemnet; eidem alteram adiungens subdit, Christus Iesus qui mortuus est & resurrexit, &c.

4. *Haurietis aquas*, doctrinæ salutaris, *in gaudio*, cùm enim dixissent Apostoli: Ecce conuertimur ad gentes, Audientes gentes gauisæ sunt. Discipuli quoque adueniente Paulo replebantur gaudio; *de fontibus saluatoris*. i. ex ore Apostolorum, quos Saluator fontes. i. primas scaturigines doctrinæ salutaris in omnes deriuandæ, constituit. *Et dicetis in illa die, Confitemini Domino*. i. in Ecclesijs benedicite Deo Domino de fontibus Israel. *Et inuocate nomen eius*. i. apud homines cum laude prædicate ea quæ de ipso sunt atque dicuntur. Quæ expositio contextui conuenientior, Hebraicæ veritati dicitur magis esse consentanea.

Act. 13.

Psal. 67.

5. *Notas facite in populis adinuentiones eius*. i. saluandi rationem quam præuiso lapsu quasi nouam adinuenit, à lapsu instituit, per Christum promulgauit. Noua autem saluandi ratio est, & non nisi præuiso lapsu, & ob id quadam ratione quasi recenter, à Dei sapientia adinuenta est, quod de peccato Deus damnarit peccatū in carne: Quod virtutem perficiat in infirmitate

mitate

mitate, faciatque infirmitatem officinam virtutis: Quod cùm prius paratam faceret homini gratiam qua saluus fieret, nunc saluo nihilominus liberi arbitrij (vt in Psal. 71. declarauimus) libero actu, det ei vt velit, Imò, vt infallibiliter, perseueranter, & insuperabiliter velit. Quam Dei adinuentionem illi non agnoscere velle, aut præ caliginis quodam obscuro agnoscere non posse videntur, qui arbitrantur talem Dei gratiam cum liberi arbitrij libero actu non posse consistere. Inter has verò notificationes, *Mementote quoniam excelsum est nomen eius*. i. non obliuiscamini simul prædicare, quod sublimitas diuini nominis adinuentionumque eius numerositas atque profunditas, omnem humani eloquij facultatem longè excedat atque superet.

Cantate Domino quoniam magnificè fecit. Quàm est enim magnificum, proprio Filio suo non pepercisse, sed pro nobis omnibus tradidisse illum? Quàm magnificum, ipsum suum Verbum in homine, & per eum, tot miraculorum, doctrinarum, virtutumque magnalia mundo exhibuisse? Quàm magnificum, & quàm magnificæ gratiæ, hominem lapsum ex multis delictis in iustificationem vitæ præparare, & ex nolente facere volentem? Quàm magnificum & quàm magnificæ indulgentiæ, copiosa redemptione sibi comparata, Israëlem ex omnibus omnino delictis, enormibus, iteratis, vsque in finem penè vitæ continuatis, redimere? Quàm denique magnificum, & quàm magnificæ virtutis, ex mortalitatis, inopiæ, ægritudinum, aliarumque infirmitatum quadam materia præiacente, tot martyriorum, liberalitatis, patientiæ, misericordiæ, aliarumque virtutum magnalia (qualia in Sanctis permulta vidimus) cudere, & per vniuersum mundum dispartiri? *Cantate* itaque *Domino, quoniam magnificè fecit*; & dicite cũ Moyse, Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis & faciens mirabilia? Sanctimonia enim & magnificentia in sanctificatione tua. De his noui testamenti magnificis Dei beneficijs, loquitur Irenæus in hæc verba; Magnanimus fuit Deus homine deficiente, Non enim fuit passus opus à se institutum à fine suo in totum excidere, artemque suam extingui, sed hominis ruinam in melius reparans, homine deficiente victoriam ei per Verbum esse reddendam, prouidit. Cùm enim perficiebatur virtus in infirmitate benignitatem Deus & magnificentissimam ostendebat virtutem. Sicut enim permisit Ionam absorberi à ceto, non vt in totum periret, sed vt euomitus plus glorificaret Deum, qui insperatam ei donasset salutem, sic ab initio fuit patiens, siue passus est Deus, absorberi hominem à ceto magno, auctore præuaricationis, non vt in totum periret, sed præstruens & præparans adinuentionem salutis, quæ facta est à Verbo, inseparabilem homo à Deo accipiens salutem (siue, vt

6.

Iren. l. 3. c. 22. & 33.

Augustinus loquitur, homo à gratia Dei inseparabiliter actus) resurgat à mortuis, & clarificet Deum. Hæc Irenæus. *Annunciate hoc*, Deum scilicet magnificè fecisse, *in vniuersa terra*, Conueniens namque est magnificentiam Dei magnificentissimè dilatari: vt non prætercam Deum in hoc etiam magnificè fecisse, quod gratiam Christi sui per vniuersam terram in innumeros voluerit propagari. Et quidem iucundum admodum est & magnam adferens exultationem, prædictam Dei magnificentiam auribus haurire & corde percipere; Tu verò,

7. *Exulta & lauda habitatio Sion*, tibi enim maior exultãdi, Deumq; glorificandi causa & ratio est qui incolis Hierusalẽ & fines eius. *Quia magnus in medio tui sanctus Israel*. i. quia ipse Christus Israel, siue videns Deum dictus, quia per humanam suam mentem Deum secum personaliter commorantem secundum essentiam videt: Iste inquam, *In medio tui* obambulat & conuersatur, vt eum tibi coram habere, coram videre, coram audire liceat: Et ex eorum numero existere, de quibus ipse dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Beati, inquam, præ alijs, nam & beati qui non viderunt & crediderunt.

Canticum Ezechiæ. Isaiæ 38.

EZechias rex in flore ætatis suæ læthali ægritudine correptus, describit hoc Cantico quomodo stimulus imminentis mortis, ægrotos, de sua temporali & etiam æterna salute desperabundos, aliquando conuertat ad pœnitentiam, & faciat cum Deo redire in gratiam. Quod proinde Canticum Ecclesiæ relictum est, ad informationem eorum qui in lecto ægritudinis ad extrema deductæ, exagitantur stimulis iniquæ conscientię, vt nouerint sibi hisce stimulis non ad desperationẽ, sed ad conuersionem vtendum esse. Ezechias itaque in se personam peccatoris in ægritudine corporali constituti transfigurans, tametsi quædam ad ipsam Ezechiæ personam pertinere credantur, dicit in hunc modum:

1. *Ego dixi, in dimidio dierum meorum*. i. in flore ætatis meæ, *vadam ad portas inferi*. i. moriar: mors enim tempore veteris testamenti erat porta inferi, quia omnes mortui tunc temporis descendebant ad infernum, illum saltem inferni locum, in quo fuit Christus: Et ob id, familiare fuit veteribus, cùm mortem suam designare vellent, dicere, Descẽdam ad infernum, aut æquiualentia: nam & Iacob dixit; Descendam ad filium meum lugens ad infernum.

2. *Quæsiui residuum annorũ meorum*. i. inquisiui quid mihi post annos meos siue decursum vitæ meæ restaret, aut exspectandum esset, & omnibus perpensis, *dixi, non videbo Dominum Deum in terra viuentium*, id est, ad beatitudinem

titudinem quæ in Dei visione originaliter, vt docet D. Thomas, consistit, nunquam perueniam.

Non aspiciam hominem vltra, quia cum feris bestijs, in quas omni hu- 3.
manitate amissa, tunc transibunt homines & angeli mali, erit habitatio mea:
De quibus bestijs Isaias dicit: Erit ibi cubile draconum & pascua struthio- *Isaia* 34.
num, & occurrent dæmonia onocentaurus, &c. Et postea: Ibi cubauit lamia, ibi foueam habuit ericius. *Et habitatorem quietis.* i. præsens non videbo societatem sanctorū, vt vnus homo, in æternæ vitæ quiete, cum summa pace degentium. De qua quiete Isaias; Sedebit populus in pulchritudine pacis & requie opulenta. Sed in infernum, vt ait Iob, descendent omnia mea. Putásne ibi erit requies mihi? q.d. nequaquam.

Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi tabernaculum pa- 4.
storum. i. cogor ab hac generatione transferre habitationem meam ad eam quæ est alterius sæculi, more pastorum qui conuolutis tabernaculis suis transferunt ea de loco ad locum.

Præcisa est velut à texente vita mea. i. Series vitæ meæ quæ nunc ex 5.
lætis nunc ex tristibus admirabili varietate contexitur, præmatura hac, quæ mihi imminet, morte, abrupta est eo modo quo tela abrumpitur à texente priusquam eam perfecerit: quia, *Dum adhuc ordirer*, scilicet telam hanc. i. in primordijs vitę humanæ consisterē, transactaq; vita sensuali quam ducunt pueri, vitam rationalem inciperem ducere, *succidit me.* i. vitam mihi, vt apparet, abstulit. Quam querelam etiam Iob inter cæteras exponit, dicens, Dies mei velocius transierunt quàm à texente tela succiditur. *De mane vsque ad vesperam finies me.* i. à primo die ætatis nostræ vsq; ad diem mortis, per moriendi quam in nobis habemus necessitatem, facis nos sine intermissione in finem seu mortem decurrere.

Sperabam vsque ad mane. Sperat enim homo quantumcunque annosus & 6.
morbo oppressus vitam longiorem. *Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea*, q.d. sed vis morbi huius omnes vires meas vitales sic repente absumpsit, ac si leo omnia ossa corporis mei vnico impetu confregisset, ita vt nulla superuiuendi spes mihi reliqua sit.

De mane vsque ad vesperam finies me. i. Sicut à principio vitæ meæ, ita 7.
nunc magis magisque deficio & accedo ad mortem. Hactenus itaque audita est lamentatio ægri tam de vita temporali quàm de æterna desperabundi. Post quam, superueniente spiritu Domini cepit in eo locum habere quod scriptum est, Cōuersus sum in ærumna mea dum configitur spina. Hac enim ærumna exstimulatus, & meliore stimulo Spiritus sancti adiutus, per inuocationem conuertit se ad Dominum, de qua dicit: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo.* Non vacat mysterio quod dicit, *Sicut pullus hirundinis.* De

hirun-

hirundine enim dicit Hieremias, quod custodierit tempus aduentus sui. Qui ergo dicit quod clamauerit sicut pullus hirundinis, quid innuit aliud quàm quod clamare ceperit in tempore oportuno? Sicut scriptum est, Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno: Quod inter cætera est extremum tempus vitæ, tempusq; tribulationis. Dicit quoque sicut pullus hirundinis, quia clamor huiusmodi hominis sese iam primum conuertentis, principio parum prudens est, vt audiemus, & ob id garritui hirũdinis persimilis. Garrire enim dicuntur, qui absque prudentia verba multiplicant. Addit autem, *Meditabor vt columba.* Hoc quid sit, paulo post magis oportune exponemus.

8. *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.* q. d. oculos præsertim mentis aut animæ meæ vnâ cum clamore ac meditatione mea in cælum ad Deum sustuli, & ad eum meam intentionem sic direxi, vt pene vires mihi deficerent. In qua animi mei intentione, vt pullus hirundinis sic clamabam,

9. *Domine vim patior.* i. opprimor morbi pondere, angore conscientiæ, onere mei reatus. Iniquitates enim sicut onus graue grauatæ sunt super me. Denique vim patior à dæmonibus desperationem mihi nimis instanter ingerentibus. *Responde pro me.* i. Tu causam meam defendendam suscipe. Sed pullus hirundinis huius sui clamoris imprudentia, ne dicam temeritate, animaduersa, mox eam corrigit, & dicit, *Quid dicam? aut quid respondebit mihi cum ipse fecerim?* i. Qua fronte aut qua ratione clamo vt Dominus respondeat pro me, cum ego mihi omnium horum malorum author sim, & peccatum quod morbus hic cum reliquis malis, vt iusta pœna consequitur, voluntariè admiserim? Hic alij & etiam Bern. legunt: cum ipse fecerit. Quæ lectionis diuersitas in idem redit, prædicta enim mala homo sibi infert suo demerito, Deus iusto suo iudicio. Similiter vbi noster textus legit, Sicut pullus hirundinis clamabo, alij pro, *clamabo*, legunt *garriam*, & tamen vtraque lectio in eundem conuenit sensum, quia sine scientia imperite clamare, vt declarauimus, quid aliud est quàm garrire? Deprehensa itaque vanitate garritus huius ac importuni clamoris, eaq; abrupta, meliora æger iste amplectitur consilia, magisque ordinatè conuertit se ad meditandum sicut columba. Qui enim actus suos malos tacita cogitatione ad memoriam reuocant, suamque ipsorum iniquitatem diligenter expendunt, columbæ meditanti comparantur ab Isaia dicente, Rugiemus quasi vrsi omnes, Quod impletum est in vniuersitate eorum qui Christum ad crucem expostulauerunt, & quasi columbæ meditantes gememus, Quod impletum est in illis qui mortuo Christo reuertebantur expendentes rei factæ indignitatem, & præ pœnitudine tundentes pectora sua. Itaque pullus hirundinis per profectum interioris hominis in meditantem columbam conuersus, dicit,

Bernar. in exposi. huius cant.

Isaia 59.

Reco-

Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ, Hanc 10.
enim requirit vera pœnitentia, teſte exemplo D. Petri, qui egreſſus foras fleuit amarè. Vbi notandum eſt quod dicit, *Omnes annos meos*, Hoc enim eius eſt qui ſingula præteritæ vitæ peccata ſcrutatur & plangit. Ex quo proinde iterum inferimus quod ad remiſſionem peccatorum ſemper oportuerit illa ſigillatim ſcrutari, eaq; Domino (id enim importat quod dicit, Recogitabo tibi) particulatim confiteri. Porrò, quia pœnitentia nunquam fruſtra agitur, his actis, experiebatur rex, ſicut etiam experientur quicunque ad hanc formam quantumuis in extremo vitæ periculo agunt pœnitentiam, vim quam dixit ſe pati nonnihil mitigari, ſeq; ad ſpiritus tranquillitatem, & à corde mortuo ad cordis viuacitatem & alacritatem ſpiritualem transferri. Vt etiam hic locum habeat quod Concilium Trident. dicit, conſolationes conſcientiæ in viris ſpiritualibus ſacramentum pœnitentiæ ſubinde comitari vel ſequi. De hac itaque conſcientiæ ſuæ viuacitate & conſolatione ſic ſubiungit:

Domine ſi ſic viuitur. i. ſi hac ratione à morte animæ ad vitam ſpiritus 11.
reditur, *& in talibus vita ſpiritus mei*. i. Si vis morbi me ad pœnitentiam exſtimulans, & pœnitentia tandem perfectionem ſuam acquirens; me ſpiritualiter viuere facit; *corripies*. i. Eſto, contentus ſum, corripias *me*, ſimilesque plagas quæ me ad pœnitẽtiam exſtimulent mihi immittas. Illæ enim mihi refugiendæ non ſunt, quia *viuificabis me*. i. per illas ad vitam iuſtitiæ me perduces. Quo facto, *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*. i. amaritudo quæ ob morbum læthalem, & præſertim ob vim quam intus patiebar, mihi amariſsima erat, ſpiritualis vitæ prouentu obdulcata eſt & mitigata, imo pacata. Cùm itaque Cãticum iſtud ad hoc à Spiritu ſancto dictatum ſit, vt ex eius ſerie diſceremus homines per læthalis morbi anguſtias ſpiritum veræ pœnitentiæ ac rediuiuæ iuſtitiæ accipere poſſe, meritò non ſatis maturata, nec ſatis diligenter expenſa fuiſſe videtur illa Cypriani & *Cypr. epiſt.*
coëpiſcoporum eius cenſura, qua, vt ipſe teſtatur, ſtatuerũt à communione *52.*
& pace prohibendos eſſe eos qui in infirmitate atque periculo mortis ceperint deprecari, quia, inquit, rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit. Nec dignus eſt, ait, in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum. Hanc, dico, cenſuram non ſatis diligenter expenſam fuiſſe: vt enim mortis admonitio ægros compellit rogare, ita ſubinde compellit eoſdem ex animo conuerti & legittimam pœnitentiam agere. Porrò, Ezechias volens fructum meditationis ſuæ qua recogitauit annos ſuos in amaritudine, animæ ſuæ vberius enarrare, ſubdit:

Tu autem eruiſti animam meam, æternæ prius perditioni expoſitam, *vt* 12.
non periret, *Proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea*. i. obliuioni

tradidisti omnia peccata mea. Idq; propter gloriam nominis tui, scriptum est enim: Propter nomen meum delebo iniquitates tuas, vt superessent aliqui qui ad gloriam nominis tui confiterentur miserationes tuas.

13. *Quia non infernus confitebitur tibi*; In inferno enim quis confitebitur tibi? *neque mors laudabit te*, quia non mortui laudabunt te Domine. *Non expectabunt qui descendunt in lacum*.i.infernum, de quo Psal. 7. dictum est, Lacum aperuit & effodit eum, *veritatem tuam*, vt de ea in perpetuum feliciter viuant. Cùm autem, Expectatio rei bonæ, actus sit spei; & hic dicatur, *Non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam*, satis apertè insinuatur damnatos nihil solatij aut mutationis in posterum expectantes, desperatione plenos esse.

14. *Viuens viuens*.q.d.viuens, viuens inquam, *ipse* in gratiarum actione *confitebitur tibi*, se ex mortuis per gratiam tuam reuixisse & è faucibus inferni ereptũ esse. *Sicut & ego hodie*: Dicit, Et ego hodie, ergo Ezechias Canticũ hoc nõ sibi soli, sed ad informandam suo exemplo Ecclesiã scripsit. *Pater filijs notam faciet veritatem tuam*, vt videlicet posteri qui filiorum nomine intelliguntur, sicut & prædecessores nomine patrum, discant re in extremum pene deducta, à Deo spiritum pœnitentiæ & misericordiam expectare, ad instar misericordiæ patribus in simili necessitate præstitæ. Hæc ergo particula similis est illi, Psalmi 50. docebo iniquos vias tuas. Et Psal. 101. Scribantur hæc in generatione altera.i.in vtilitatem alterius generationis. Cæterum, quandoquidem recuperata iustitia opus est perseuerantia, post gratiarum actionem subdit author orationem, & dicit:

15. *Domine saluum me fac*. i. per donum perseuerantiæ æternam salutem mihi concede, *& Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini*. i. in sæcula sæculorum laudabimus te cum beatis qui habitant in domo tua Domine.

Canticum Annæ. 1. Reg. 2.

Aug. 17. de Ciuit. c. 4. DIuus Aug. in hoc Canticũ sic præfatur. Mater Samuelis Anna, quæ prius fuit sterilis & posteriore fœcunditate lætata, prophetare aliquid non videtur cum gratulationẽ suam Domino fundit exultans, quando eundem puerum natum & ablactatum Domino reddidit, eadem pietate qua vouerat. Cantico autem ad verbum interposito subiungit Aug. Itáne verò verba hæc vnius putabuntur mulierculæ de nato sibi filio gratulantis? tantúmve mens hominis à luce veritatis auersa est, vt non sentiat supergredi modum fœminæ huius dicta quæ fudit? Agnoscendum itaque est per hanc mulierem, cuius nomen est Anna, quæ gratia eius interpretatur, ipsam religionem Christianam, ipsam ciuitatem Dei, ipsam postremò Dei

Dei gratiam prophetico spiritu fuisse locutam. Hæc August. Dicit proinde Ecclesia religione Christiana, charitate fœcunda, spirituali prole copiosa.

Exultauit cor meum in Domino. Accepta enim iustitia exultat Ecclesia in Domino; non solum quia iustitiam, suæ exultationis causam, Domino fert acceptam, verum etiam quia ipsa iustitia gratior ei est ob id, quod diuinæ voluntatis studio & munere ei donata sit, ita vt plus gaudeat de tam studiosa Dei circa se voluntate, quàm de ipso munere. *Et exaltatum est cornu meum.* i. gloriosa effecta sum & in superbiam sæculorum posita, *in Deo meo.* i. in nomine & munere Dei mei. 1.

Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo. Inimici Ecclesiæ sunt qui eidem detrahunt. Alij enim detrahebant olim auspicijs eius, iactitantes quod nullum acciperet progressum ob humilitatem sermonis, prædicationem patientiæ, crucis, & contemptus mundi. De quibus Isaias, Venient ad te qui detrahebant tibi. Alij detrahunt perpetuitati eius, dicentes, Deus dereliquit eum, defecitque per senectam & senium. De quibus Psal. 70. confundantur detrahentes animæ meæ. Cùm ergo contrà quàm augurantur aut iactant inimici, Ecclesiæ status in melius progreditur, & Ecclesia contrà quàm expectabant, in suo vigore perseuerat; dilatatur os eius super inimicos eius, & lætatur in salutari Domini. Magnum enim prædicãdæ diuinę gratiæ campum, vberemque celebrandę lætitiæ materiam nanciscitur, cum se videt contrarium assecutam quàm inimici odio ac inuidia stimulati augurabantur, & vanitate augurum per rei euidentiã confutata, illam suis authoribus improperando, multis eis verbis insultat, & de eis triumphum agit, & augurium ipsorum atque mendacium rei contrariæ demonstratione confutat. Vel, *Dilatatum est os meũ super inimicos meos,* Quia preconibus Euangelij in carceres detrusis, verbũ Dei non manebat simul inclusum, sed extra eos, inquit August. dilatabatur. 2.

Non est sanctus vt est Dominus, Quoniam Dominus solus per essentiam 3.
sanctus. Sed cum Dei ac Domini nomine, teste Cyrill. Pater fere soleat intelligi, ne dicendo, *non est sanctus vt est Dominus,* videretur etiam filium eo suo dicto comprehendere, quasi filius non esset sanctus vt Pater, ad cautelam subiungit, *neque enim est alius extra te.* q. d. non est sanctus, vt est Dominus extra te Domine. Itaque filius est sanctus vt Dominus, quia filius non est extra patrem, sed in patre. In quem etiam sensum Deus pater apud Isaiam dicit: Extra me non est Deus. *Et non est fortis sicut Deus noster,* qui impleat omnes voluntates suas, domans mundum non ferro, sed ligno. Quam fortitudinem suam exercuit in primis in euacuanda sapientia huius sæculi, præsertim per voluntariam sapientum cõuersionem. Quocirca Anna ipsos sapientes per apostrophen consequenter alloquitur & dicit: 3. Thez. c. 1

4. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.* i. ô vos sapientes sæculi gloriæ aucupes, Est enim philosophus animal gloriæ, inquit Tertull. *Nolite multiplicare*, seu vlterius pergere loqui sublimia, siue in sublimitate sermonis proferre argumenta, vosque extollere aduersus scientiam Dei, neque, vt Græci, sapientiam ab Apostolis requirere, sed captiuate intellectus vestros in obsequium fidei, efficiamini credendo stulti, vt euadatis sapiẽtes, vt in vobis appareat quod infirmũ est Dei, fortius esse hominibus.

Tertull. de anima c. 1.

5. *Recedant vetera de ore vestro*, Arrogantia videlicet & iactantia, qua dicebatis vos esse sapientes, vobisque tanquam authoribus sapientiam vendicabatis. *Quia Deus scientiarum Dominus est.* Omnis enim scientia & à Domino est, & ab ipso secundum mensuram donationis eius cõceditur. *Et ipsi præparantur cogitationes.* i. ipse est cui vnusquisque in sua cogitatione se præparare debet, vt ei placeat, & sapientiam ab eo accipiat. Vel, *Ipsi.* i. ab ipso *præparantur cogitationes.* Ipse enim est qui primam homini cogitationem suggerit, per quam ad verã sapientiam tendat. Propter quod scriptum est, Cogitatio hominis confitebitur tibi. Et, non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquã ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Hæc ergo de conuersione sapientum sæculi, nunc de virtute quam excæcatis Iudæis Deus exercuit in conuersione gentium.

6. *Arcus fortium.* i. intentio & propositum Iudęorum, de quibus scriptum est, Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, quia suis viribus præsumebant implere cognitam legem, *superatus est*, quia per multimodam Iudæorum, quam auxerat lex, præuaricationem, manifestatum est & Christianis persuasum, vires hominis cognitione & timore legis adiutas, ad iustitiam nullatenus, vt prius videbatur, sufficere. *Et infirmi accincti sunt robore.* i. Qui de suis viribus non præsumebant, Domino corroborante, fortes facti sunt: Hi fuerunt gentiles.

7. *Repleti prius*, Iudæi scilicet, qui pabulo verbi Dei prius abundabant, quia credita sunt illis, ait Apost. eloquia Dei, *Pro panibus se locauerunt*, Veritate namque quę Christus est deserta, hominibus vt magistris se in seruitutem dederunt, & Rabbinorum stultissimis fabulis ceperunt seruire. *Et famelici.* i. gentiles ab eloquijs Dei prius exclusi, *saturati sunt.* i. ad saturitatem vsque eloquia Dei acceperunt. Hic ergo idem prophetatur quod à B. Virgine in cantico suo: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Quamdiu autem illi prius repleti fuerunt & hi famelici?

8. *Donec sterilis.* i. Ecclesia, cui dicitur, Lætare sterilis quæ non paris, quæ quidem ante Christum erat, sed ad instar sterilis mulieris paucos per gratiam Christo generabat, *peperit plurimos*, multi enim filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. *Et quæ multos habebat filios*, Synagoga, *infirmata*,

mata, non dicit extincta, *est*, Superest enim Synagoga, sed absque omni vigore spirituali, marcida & contabescens, sicut scriptum est, Non penitus auferam virũ ab altari meo, sed vt deficiant oculi tui & tabescat anima tua. Cùm ergo hæc ceperunt impleri, tunc repleti prius, scripturarum intelligentiam perdiderunt, & gentiles vera scripturarum intelligentia saturati sunt. A quo autem hæc rerum vicissitudo aut commutatio?

Dominus mortificat & viuificat. Sed diuerso opere. Mortificare enim 9.
hoc loco dicitur ab euentu, quia legis bonæ, & à se in adiutorium datæ, euentus fuit mors. Ego enim, inquit Apostolus personam hominis sub lege constituti in se transfigurans, mortuus sum, & inuentum est mandatum quod erat ad vitam, hoc esse, siue mihi euenisse ad mortem. Viuificare autem dicitur à virtute, quia gratiæ non euentus sed effectus est vita. *Deducit ad inferos*. i. eos qui ex bonis Dei operibus mortem sibi cõsciscunt, iustè deserendo, quodammodo facit inferno multiplicatis lapsibus, quasi quibusdam gressibus magis magisque propinquare. *Et reducit*. i. Eosdem, quos, vt notat Augustinus, deserendo ad infernum deduxerat, siue inferno magis magisque permiserat propinquare, directione & ope gratiæ suæ inde subinde reducit.

Dominus pauperem facit. Spoliauit enim Synagogam omni gloria sua, 10.
sicut ipsa conqueritur: Spoliauit me gloria mea, & quasi euulsæ arboris abstulit spem meam. *Et ditat*, quia magna potestate & gloria & opibus spiritualibus instruxit Ecclesiam. Nihilominus, temporaliter mortificare & viuificare, pauperem facere & ditare, etiam Dei, diuinæq; dispositionis est. *Humiliat* peccatores vsque ad terram. *& subleuat* ex dicta abiectione ad iustitiam. Quibus autem hoc facit gradibus quóue ordine?

Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem. i. Ipse vt è 11.
peccatorum fœcibus ad iustitiam surgere incipiant, primam cogitationem, primamque boni cupiditatem eis inspirando, eos de somno ac morte exsuscitat; Eosque sensim huc vsque sustollit ac subrigit,

Vt sedeat cum principibus. i. digni sint & idonei qui principatum in Ec- 12.
clesia cum reliquis obtineãt. *Et solium gloriæ teneant*. i. regiam sedem seu regẽdi potestatem cum magna sua gloria ob felicem & vtilem administrationem obtineant. Gloria enim præpositi est, gloria Ecclesiæ, inquit Cypr. *Cyp epist.* 7
Vnde & Apostolus Thessal. Vos estis gloria nostra.

Domini enim sunt cardines terræ. Ordo præpositorum columnæ terræ 13.
dicũtur, sicut scriptum est, Ego confirmaui columnas eius, quia Ecclesiam per vniuersam terrã diffusam sua ope ac authoritate sustentant. Dicuntur & *cardines terræ*, quia totius Ecclesiæ status in eorum directione, consilio siue imperio, quasi in quodam cardine pendet atque versatur. Cùm itaque

Genes.41. Pharao diceret Ioseph; Ego sum Pharao, absq; tuo imperio nemo mouebit manum vel pedem in omni terra Ægypti, vere eum ac propriè Ægypti cardinem constituit. Cùm ergo ad directionem Rom. Pontificis tanquam summi pastoris seu rectoris directionem omnis Ecclesia se mouere debeat ac quiescere; Et clerus Romanus in id munus vna cum Pontifice, vt par

Cyp.epi. 55 sit oneri, teste Cypr. præsideat; (florentissimo, inquit, clero tecum istic præsidenti) rectè & secundum scripturas sacras, vt notat Ioannes à Turrecremata, præsides isti Romani pastoris cooperarij, terræ cardines seu Cardinales vocantur. In eorum enim directione quasi ostium in cardine omnis se Christianus orbis versat atque reuersat: Dicit itaque Anna: *Domini sunt cardines terræ*. i. in manu ac protectione Domini sunt & ad Dominum pertinent; quia potestas eorum à Domino est instituta, & ipsi rectores diuina voluntate in id opus assumuntur, atque Domini directione adiuti reliquos dirigunt. *Et posuit super eos orbem*. i. Ecclesiam per orbem diffusam, ipsis portandam atque regendam imposuit. Placuit enim Deo charitatis & vnitatis exercendæ & fouendæ gratia, & vt Ecclesia vnius corporis rationem haberet, nō singulos homines per semetipsum, sed hominum maiorem partem per aliam regere; Sicut plurima membra corporis, per pauciora membra vnius capitis in humano corpore reguntur. Sed officium hoc lubricum est & ad ruinam procliue? Verum quidem, Sed Deus

Lib. 1 c. 80 summæ de Ecclesia.

14. *Pedes sanctorum suorum seruabit*. i. eos à lapsu proteget, *Et impij in tenebris conticessent*, Impletur namque in Ecclesia quod dicebat Petrus, Is qui ex aduerso est vereatur nihil habens mali dicere de nobis. Dixit autem quod Dominus pedes sanctorum suorum seruabit, *quia non in fortitudine sua roborabitur vir*. i. Etiam is qui ad iustitię virile robur peruenit, non viribus suis quantumuis à Deo acceptis, stabilis esse potest, sed eget speciali Dei gratia corroborari & defendi. Dicit proinde Hieremias. Non glorietur fortis in fortitudine sua. Quis vero finis inimicorum Dei?

15. *Dominum formidabunt aduersarij eius*. Id manifestissimè fiet appropinquante die iudicij (& etiam appropinquante morte vniuscuiusque) cum implebitur illud Isaiæ: Formido & fouea & laqueus super te qui habitator es terræ, Et erit qui fugerit à facie formidinis incidet in foueam. Non enim vt alibi dicit, poterit auolare de angustia sua. *Et super ipsos in cælis tonabit*. i. tanquam tonitruum de cælis ipsos audire faciet iudicium seu iudicis sententiam, sicut scriptum est, De cælo auditum fecisti iudicium. Id fiet illo tempore, quo,

16. *Dominus iudicabit fines terræ*. i. omnem terram, etiam eos qui in extremis terræ angulis sunt. *Et dabit imperium Regi suo*, Christo, Is enim iudicandi potestate à patre accepta, cum imperio dicet, Ite maledicti, & fiet. *Et*

sublima-

sublimabit cornu Christi sui. i. regiam Christi potestatem valde sublimem & gloriosam faciet omnibus sanctis in regnū perductis. De quo Isaias: Ecce exaltabitur seruus meus & sublimis erit valde. Et alibi: Exaltabitur Dominus in illa die solus.

Canticum Moysi. Exod. 15.

Canticum hoc allegoricum est. In omni autem allegoria primarius sensus est, historicus aut literalis: secundarius vero est mysticus, ad quem per rem primario significatam alluditur propter literæ & mysterij conuenientiam. In parabolis vero primarius sensus mysticus est, quia non oportet parabolas secundum historiam reipsa factas fuisse, vt patet in parabola filij prodigi & 10. virginum. Hoc itaque canticum secundum primarium suum sensum gratias agit Deo quod Israelem per mare rubrum liberauerit de manu Ægyptiorum, & propter ea quæ inde consecuta sunt, sic tamen vt interim alludat ad mysterium sub illa historia latens, idque eadem gratulatione celebret. Quædam tamen huius cantici partes propter verborum amplitudinem magis conueniunt latenti mysterio, quàm historiæ patenti. Porrò latens hic mysterium geminum est. Per demersionem enim Ægyptiorum & liberationem populi Israel è faucibus eorum, significatur in primis, quod impij aliquando simul demergendi sint in profundum inferni, eaque ratione atque eo tempore omnis Dei populus in perpetuum liberãdus sit ab eorum persecutione ac tyrannide; de qua demersione Apocal. 18. Sustulit angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna & vltra iam non inuenietur; Et certè probabile est hic allusionem fieri ad illam demersionem, quia vt de illa dicitur quod demerserit angelus lapidem, ita hic dicitur, Descenderunt in profundum quasi lapis. Et similiter sub gratulatione quæ hic in cortice literæ inuenitur, comprehenditur illa gratulatio, qua sancti omnes concorditer Deo gratias agent, quod demerso sæculo ipsi naufragium illud euaserunt. Quapropter dicitur Apocal. 15. Vidi mare vitreum mixtum igne, & eos qui vicerunt bestiam stantes super mare vitreum, & cantantes canticum Moysi, serui Dei. Ad quid quæso canticum Moysi, si canticum Moysi non etiam contineat laudē Dei pro demerso sæculo, & gratiarū actionem pro eodē per omnia superato? Deinde est hic allegoria rei spiritualis, Per demersionem enim Ægyptiorum in mari rubro, significatur demersio & suffocatio peccatorum in baptismo, de qua Micheæ 7. Proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. Et proinde gratulatio hoc carmine descripta, continet etiam gratiarū actionem Christianorum pro renouatione quam per baptismum consecuti sunt,

ſunt, & ducatu quem Deus præſtat baptizatis, vt perueniant ad veram terram promiſsionis. Itaque Moyſes tranſuadato mari rubro Iſraelem exhortatur in hæc verba:

1. *Cantemus Domino,glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Ad literam clarum eſt. Per equum autem ſignificantur effrænes paſsiones, ob quas poëta, Animum rege, qui niſi paret imperat, hunc frænis hunc tu compeſce catena. Aſcenſores equorum ſunt, qui paſsionibus ſuis abrepti, eò feruntur quocunque impetus paſsionis voluerit, nec illis vllum frænum aut modum imponunt. Ideo Ambr. notat eos hic dici aſcenſores, non autẽ rectores equorum. Itaque cum demerſa fuerit Babylon, laudabunt ſancti Dominum ſuper iuſtis iudicijs eius, quibus tam paſsiones eorum quàm ipſos impios paſsionum ſeruos, ſimul in æternum cruciatum præcipitauerit. Paſsiones inquam, Illis namque damnati non carebunt, ſed ab illis non parua moleſtia cruciandi ſunt, Sicut enim teſte Auguſtino, concupiſcentia, ita quiuis inordinatus appetitus damnatis vertetur in tormentum.

D. Amb. de Naboth, cap. 15.

2. *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* i. Dominus hic pro me, & ſine me fortitudinem exercuit, Sicut prædictum paulò ante fuerat Iſraeli, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Vnde & Dominus laus Iſraelis eſt, quia gloria huius victoriæ ſoli Domino competebat. Et quia Dominus hæc mirabilia in oculis Iſrael patrabat, vt Iſraelem confirmaret in fide vnius Dei & diuinæ potentiæ; ſubdit Moyſes vt dicat Iſrael,

3. *Iſte Deus meus.* q.d. Ex hoc facto hunc ſolum mihi in Deum habendum eſſe, fortius mihi perſuaſum habeo. *Et glorificabo eum,* ita vt non habeam cum eo Deum alienum. Idem eſt &, *Deus patris mei,* cui ſcilicet ſeruio à progenitoribus meis. *Et exaltabo eum,* ſuper omnes deos. Sed præter hæc, Iſrael modum quo Dominus in ſuperandis hoſtibus vſus eſt admirãs, dicit,

4. *Dominus quaſi vir pugnator,* quia contra exercitum integrum dimicauit eumque deleuit. Et ne quis putaret quod Dominus Ægyptios alio modo delere non potuiſſet, addit, *Omnipotens nomen eius.* i. quouis alio modo eos delere poterat. Hunc autem modum in quo ipſe vir bellator appareret voluit deligere, virtutis ſuæ ornandæ & ſimul myſterij celebrandi gratia. Ad eundem modum, cùm Dominus ſit omnipotens, poteſt hoſtes noſtros domeſticos, malignitatẽ dico animi & concupiſcentiã vnico nutu de nobis ſimul delere, & per aquas baptiſmi ſimul demergere aut ſuffocare, Quod cum in baptiſmo fit, tum per baptiſmum miraculum efficitur, inquit Aug. Mauult tamen nobis tanquam vir bellator adeſſe, & nobiſcum per fidem & Dei timorem bellando, virtutis ornandæ & exercendæ gratia, eoſdem domeſti-

2. de Pecc. mer. c. vlt

mesticos hostes paulatim atterere. Idem iudicium esto de hostibus externis, contra quos Domino opem ferente dimicans Hieremias, Dominus, inquit, mecum est tanquam bellator fortis. Et quia Cypr. dicit Christum in martyribus pręliari, poterunt & martyres dicere; Dominus nobiscum quasi vir pugnator: &, Omnipotēs nomē eius, quia cum pueris in Babylonia, confiteri debent quod potens sit eos in quibus agonisat, si voluerit, liberare de manibus ac tormentis aduersariorum. Porro quomodo Dominus contra Israelem pugnauerit explicat Exodus in hæc verba: Iam aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciēs Dominus super castra Ægyptiorum per columnam nubis & ignis interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum. Dixerūt ergo, Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Ex quibus verbis apparet Dominum virtute quadam castra Ægyptiorum debilitasse eósque ad fugam compulisse priusquam aquis obruerentur. In fuga autem ac receptu occurrentibus aquis oppressos esse. De qua re sequitur, *Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.*

D. Cyp. epi. 9 & 77.

Electi principes eius submersi sunt in mari rubro, Abyßi operuerunt 5.
eos, Descenderunt in profundum quasi lapis. Hoc allegoricè intelligendum est. Lapis enim duritiem habet, mundus autem per Pharaonem & exercitum eius significatus, descendet in infernum quasi lapis, quia merito obduratæ impœnitentiæ suæ.

Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine 6.
percußit inimicum, Cooperatus enim in hac victoria Patri est Filius, *Et in multitudine gloriæ tuæ.* i. multiplici virtute à te ad summam tuam gloriam prius in plagis Ægypto inflictis, nunc in Ægyptiorum demersione miraculosè producta, *deposuisti*, id est, de statu suo per omnia conuulsisti, *aduersarios tuos.*

Misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam, nihil enim in eis fuit 7.
virtutis quo minus iram Dei ac vindictam mollißimè exciperent. *Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.* Hunc spiritum August. intelligit Spiritum sanctum, qui vna cum patre & filio opera, quæ vocamus ad extra, operatur. Diciturque secundum Augustinum spiritus furoris Domini ob effectum vindictæ. Sicut dicitur spiritus timoris, spiritus adoptionis, ob eiusmodi effectus tametsi ipse spiritus in se vnus sit & indistinctus.

Aug. quaest. 55. super Exod.

Stetit vnda fluens. i. aqua maris rubri quę prius fluitabat, stetit, cum facta 8.
est Israeli pro muro à dextris & à sinistris. *Congregatæ sunt abyßi in medio mari.* i. Aquæ per vniuersum mare diffusę in medij maris profundo congregatę sunt, ac se in duo latera altrinsecus receperunt. Quod cum cerneret, *Dixit inimicus.* i. Ægyptius, & apud semetipsum sic cogitauit, *Persequar*

 inimicos

inimicos per medium ſicci maris, *& comprehendam, diuidam ſpolia, imple-
bitur anima mea*.i.ad ſatietatem ditabor ſpolijs. Nec ſolum, ſed &,
10. *Euaginabo gladiũ meũ, interficiet eos manus mea*. Sic Ægyptij. Sed quid?
11. *Flauit ſpiritus tuus*. Per ſpiritum Domini ventum intelligere ſatis in-
conueniens eſt. Itaque, ſpiritus tuus ſanctus flauit. i. eo quo voluit modo
ventum excitauit, *& operuit eos mare, ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis
vehementibus*. Hic iterum eſt allegoria ad demerſionem Babylonis in in-
fernum. Per plumbum enim iniquitas ſignificatur, quæ iuxta Zachariam,
ſedet ſuper talentum plumbi, quia de peccatis dicitur, Sicut onus graue
grauatæ ſunt ſuper me. Deſcendet ergo Babylon in profundum quaſi plum-
bum, quia vt ait Iſaias, grauabit eam iniquitas eius, Merito enim iniquita-
tis ſuæ, accedente lapidis duritia, ſiue impœnitentia, damnabitur.
12. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? Magnificus in ſanctitate*.i. ſanctifi-
catione, *Terribilis*, in iudicijs & vindicta. In vtroq; autẽ, *laudabilis*. *Et fa-
ciẽs mirabilia*.i. omnia hæc mirabili & inſolito modo ad effectũ perducens.
13. *Extendiſti manum tuam*, in Moyſe, cui dixit Deus, Extende manum tuam
&c. *Et deuorauit eos terra*. Terra pro aqua (nec mirum) ponitur, inquit
Aug. q. 54. in Exod. Auguſt. tota quippe pars iſta extrema vel infima mundi terræ nomine cen-
ſetur, ſecundum id quod ſæpe dicitur Deus qui fecit cælum & terram. Et
in Pſalmi 148. diſtributione, commemoratis cæleſtibus, laudate, inquit,
Dominum de terra & ea exequitur in laude quæ etiam ad aquas pertinent.
Hæc Auguſt. *Dux fuiſti in miſericordia tua populo quem redemiſti*. Ad li-
teram ſermo eſt de ducatu columnæ nubis & ignis. Per allegoriam vero, de
ducatu diuinæ directionis quam Deus præſtiterit populo per ſanguinem
Chriſti redempto & de Ægypto liberato, vbi peruenerit ad veram terram
Aug. lib. 3. hypog. promiſſionis. Quæ directio fit per gratiam dirigentem, De qua D. Auguſt.
Apprehenditur gratia, vt liberum arb. per eius ſemper curam incipiat in
Dei proficere voluntatem. Sicut enim iumentum dum in via dirigitur ſeſ-
ſoris manu regitur, vt iter rectum ſiue leuiter ſiue curſim, ſecundum ſeden-
tis in ſe voluntatem poſſit incedere, quoaduſque ad locum perueniat deſti-
natum; ita & liberum arb. dum in via. i. Chriſto ceperit eſſe, gratiæ regimine
regitur, vt in ſemitis Domini recto corde ſiue patientia charitatis, ſiue fer-
uente ſpiritu ſecundum diuiſiones gratiarum Spiritus ſancti, qui diuidit ſin-
gulis prout vult, poſſit ambulare quoaduſq; ad promiſſum regnum cælo-
rum perueniat. Hæc Auguſt. Bene ergo in gratiarum actione dicit, *Dux
fuiſti in miſericordia tua*, quia directio hæc gratiæ præuenientis operatrix,
ſicut perſeuerantia, non cadit ſub merito condigni. Pro qua oramus ad pri-
mam, Dirigere & ſanctificare, regere & gubernare dignare. Et ne ad profe-
ctum vel ad perſeuerãtem progreſſum ſufficere putetur ſola directio, addit.
Et por-

Et portasti eum in fortitudine tua. i. fortitudinem ei ac robur dedisti. 14.
Quo verbo insinuatur gratia adiuuans seu corroborans. Portasti autem, vsque *ad habitaculum sanctum tuum.* i. cælum, sanctum sanctorum. Vbi manifesta est allegoria. Vocabulum enim habitaculi sancti diuini, augustius est, quam vt de terra promissionis adæquatè intelligatur. Itaque versiculos, *Dux fuisti in misericordia*, cum ijs quæ sequũtur, Sancti, & singuli, & simul collecti cum gratiarum actione dicturi sunt, vbi demerso sæculo cursum Deo duce consummauerint. Porro per Pharaonis exercitum significatur diabolus & exercitus eius tam ex hominibus quam dæmonibus qui insectatur filios prædestinationis vsque ad baptismum; teste Cypr. Et per baptismum oppressus, vt ibidem docet Cypr. iterum exurgit & noua bella instituit, vt populum renouatum & ad terram promissionis per viam proficientis iustificationis tendentem, in ipso itinere intercipiat ponens scandala iuxta iter, vt eũ à finis cõsecutione secludat. De quibus bellis sequitur. *Cyp epi. 76*

Ascenderunt populi & irati sunt, Præter sensum enim litteralem significatur indignatio & ira diaboli & exercitus eius in populum sibi per 15.
baptismum ereptum & recto itinere ad vitam æternam progredientem: De qua ira scriptum est, Videns diabolus quod deceptus esset, iratus est valde, & abijt facere prælium cum reliquo semine mulieris. *Dolores obtinuerunt habitatores Philisthijm*, Doluit enim eis maléque eos habuit felicitas renatorum.

Tunc conturbati sunt Principes Edom robustos Moab obtinuit tremor, 16.
obriguerunt omnes habitatores Chanaan, Ad literam est prophetia de eo quod futurum erat. Timore enim dissolutum est cor populorum istorum, vt non fuerint ausi vel se Israeli opponere, vel in cepto prælio fortiter persistere. Quod cum Moyses animaduerteret tam secundum sensum literalem quàm secundum sensum spiritalem futurum, orat id in re figurata impleri, & dicit:

Irruat super eos, Eos, inquam, qui iuxta iter renatorum scandalum po- 17.
nere cogitant. *Formido & pauor*, vt non audeant opere complere quod cogitant. Idque, *in magnitudine brachij tui.* i. illius virtutis, qua potes affectus hominum in timorem solo nutu conuertere & metu dissoluere. Quæ virtus tanta est, vt in nullius hominis sit potestate.

Fiant immobiles quasi lapis, vt nõ valeant nec audeant implere quæ vel- 18.
lent. *Donec pertranseat populus tuus Domine, donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti.* i. perseueranter inhabitare delegisti. Idque, quatenus necessarium est perficiendæ viæ per quam tendunt. Permittuntur enim hostes impugnare populum Dei, sed ad eius exercitationem. Si autem quid tentare vellent quod cederet in populi Dei damnationem, ab eo vel

inuiti occulta Dei virtute prohibentur. De qua scriptum est: Qui dissipat consilia malignorũ, vt non possint manus eorum implere, quod ceperant.

19. *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ.* Ad literam intelligitur de Palæsthina, allegoricè verò de mõte seu sublimitate cælesti, De qua psalmus, Quis requiescet in monte sancto tuo. Qui est mons diuinæ hæreditatis, quia in eo efficimur hæredes Dei, cohæredes autem Christi. In quo dicit Deum eos plantaturum, vt insinuet se de eadem re loqui, De qua Psalmus: Plantati in domo Domini in atrijs domus Dei nostri florebunt, De qua etiam Moyses Deut. 13. Transibo & videbo montem hunc egregium & Libanum, qui erat mons altissimis cedris consitus. *Firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine.* Nemo enim inde poterit exturbari, Cuius firmitatem hac similitudine describit Isaias cap. 33. Qui ambulat in iustitia, iste in excelsis habitabit; munimenta saxorum sublimitas eius, &c.

20. *Sanctuarium tuum.* i. sanctum sanctorum in quod nihil coinquinatum intrabit. *Quod firmauerunt manus tuæ.* Dicit, *manus tuæ*, Hæc est enim domus non manufacta æterna in cælis. De qua Isaias, Non auferentur claui tabernaculi eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur, quia est ibi solummodo magnificus Dominus noster, qui est illius tabernaculi murus & antemurale omni re manu facta inde exclusa. Ita vt & angeli non habeant ibi citharas aut tubas manu factas. Omnis itaque hæc verborum magnificentia satis testatum reddit hæc magis allegoricè quam literaliter esse dicta. *Dominus regnabit in æternum.* i. Dominabitur in hac vita vsque dum perueniatur in æternitatem. In hanc enim significationem vocem, in æternum, subinde sumi author est Augustinus. Quem sensum cõfirmat quod loco in æternum, alij legunt, *in sæculum*, teste D. Thoma. *Et vltra.* i. regnabit post decursum temporis quod procurrit in æternitatem, quia regnabit in ipsa æternitate. Volens autem Moyses rationem reddere ob quam dixerit, *regnabit in æternum.* i. vsque in æternitatem, subdit.

August. in Psal. 130. 1. p. quæst. 10. art. 2. ad 1.

21 *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris.*

22. *Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius.* Quæ cum ad literam præcipue intelligenda sint, exemplo declarant Dominum regnare dum tenditur ad æternitatem.

Canticum Abacuc. Cap. 3.

Oratio Abacuc pro ignorantijs.

PRopheticè describitur hic, modo vel affectu optatiuo ignorantiam sęculi post Christi mortem per prædicationem Euangelij è medio esse tollendam, & designatur tempus quo illud futurum erat, cum dicitur,

dicitur, In medio annorum viuifica illud. Quod tempus Apoſtolus adeſſe demonſtrans, dicit Act. 17. Tempora huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat vt omnes vbique agant pœnitentiam. Propheta ergo audiens ſibi per ſuſurrium Spiritusſancti in aurem prænunciari, quæ per Chriſtum & Chriſti tempore populo prius deſperato, ex inſperato obuentura erant, dicit in perſona ſua:

Domine audiui auditionem tuam. i. audiui ſpiritum tuum mihi inſpirantem, quæ futura ſunt populo conuulſo, ſed ad ſalutem deſtinato, *& timui*. 1.
i. admiratione vehementi & reuerentia concuſſus fui, Septuaginta enim vt inſinuarent timorem, hic non eſſe metuentis ſed admirantis, præcedentibus verbis paraphraſtice addunt, *conſideraui opera tua & expaui*. i. præ admiratione inſperatæ ſalutis, quæ multis offeretur, obſtupui. Quem ſtuporem ſeu pauorem pulchrè enarrat Bern. in hæc verba: Nemo hominum nouit nec noſſe ad plenum poteſt, quid boni ad gratiam, quid cõgruentiæ ad ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem penes ſeipſam contineat incarnati verbi totiusque eius œconomiæ admirabilis altitudo, quam Propheta conſiderans (alludit ad hunc locum ſecundum tranſlationem 70) expauit non penetrauit. *D. Bernar. epiſt. 190.*

Domine opus tuum. Singulariter loquitur, quia ſingulare illud opus Dei, 2.
quo Verbum caro factum eſt, hoc verbo denotat. *In medio annorum*, neque enim decuit filium Dei ſtatim à lapſu incarnari, neque debuit incarnatio eius in finem vſque mundi differri. Itaque, *in medio annorum*, *viuifica illud*, vt ſicut ipſe per ſuam diuinitatem vita eſt, ita & humanitas eius, opus tuum, in ipſo vita ſit & viuificare poſsit, vt quicunque manducauerit carnem filij hominis, & biberit eius ſanguinem, habeat vitam in ſemetipſo. Quod autem hoc opus Dei, per omnia viuificatum ſit, explicat Ambro. in hæc verba: Chriſti caro vita eſt, ipſius paſsio vita eſt, ipſius mors vita eſt, ipſius vulnus vita eſt, ipſius ſanguis vita eſt, ipſius ſepultura vita eſt: ipſius reſurrectio vita eſt vniuerſorum: Quod factum eſt ergo in ipſo vita eſt: Caro facta eſt in ipſo, vita eſt: Infantia facta eſt in ipſo, vita eſt: Mors facta eſt in ipſo, vita eſt: Vulnus factum eſt in ipſo, vita eſt: Illuſio facta eſt in ipſo, vita eſt: Diuiſio facta eſt in ipſo, vita eſt: Sepultura facta eſt in ipſo, vita eſt: Reſurrectio facta eſt in ipſo, vita eſt. Vide quãta in ipſo facta ſunt quibus vitæ noſtræ facta eſt conuerſio, vt quæ perierat, redderetur. Hæc Ambroſ. In his ergo omnibus Deus opus illud ſuum viuificauit. Notat tamen Hieron. aliquem veterum interpretum pro *viuifica* transferre, reuiuifica, ſecundum quam tranſlationem erit ſenſus, A mortuis reſuſcita illud. *Ambroſ. in Pſal. 36.*

In medio annorum notum facies, Legunt alij, omnesque penè veteres, *In* 3.
medio duorum animalium notum facies. i. innoteſcere facies opus tuum. Vbi

Aug orat. cõ. Iud. c 13 nomine duorum animalium ab Augustino intelliguntur vel bos & asinus ad præsepe Christi in eius natiuitate. Cui adstipulatur Ecclesia, quæ in officio Circuncisionis de natiuitate Domini canit: Consideraui opera tua & expaui in medio duûm animalium. Vel, Moyses & Elias inter quos Christus innotuit in monte Thabor. Quem sensum dat August. & ex professo Tertull. Vel, Duo latrones in cruce, inter quos Christus mirum in modum innotuit; Quem sensum dat August. vtroque loco mox annotato. Hunc tamen Hieron. simplicẽ vocat, & ex vulgi opinione exortum; Præfert proinde hunc sensum, In medio duorum animalium. i. inter circuncisionem & præputium ad fidem conuersum, notum facies opus tuum. Inter duo enim hæc tempora, Christus medius in mundo apparuit. Porrò, quandoquidem Dominus inter omnia hæc animalia innotuit, de omnibus his prophetam pariter intelligendum esse, probabile est. *Cùm iratus fueris* permittendo gentes ingredi vias suas, *misericordiæ recordaberis*. i. misericordiam vsque ad tempus quasi obliuioni traditam exhibebis.

Aug. 18 de Ciuit. c. 32. Tert. 3. cōt. Mar c. 22. D. Hiero in hunc locū.

4. *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan*. i. de Bethlehem, quæ est ad austrum Iudææ, corporaliter hunc mundum ingredietur. Quam expositionem refert Hieron. se à quodam Hebræo audisse hunc locum enarrante. Quæ tamen non solis Hebræis tribui debet, est enim etiam D. Irenæi. D. tamen Augustinus, hunc versum non de aduentu Domini per carnem, sed per Euangelij prædicationem intelligit. Per quam rectè venire dicitur; Venit enim per eam vt per fidem habitet in cordibus nostris. Quapropter per austrum, Hierusalem intelligit: Et per montem *Pharan*, montem oliueti, ex quo ascendit Dominus, de quo monte dicitur Dominus venisse, quia ab eius ascensione misso Spiritu sancto, de Sion egressa est lex, & verbum Domini de Hierusalem.

Iren lib. 3. cap. 23. Aug. epist. 166.

5. *Operuit cælos gloria eius*. In primis in natiuitate eius, cùm stella miri fulgoris, &, vt ait Leo, inusitati splendoris, ad contestandam maiestatem eius, qui inter duo animalia iacebat in præsepio, in cælo fulgens, splendore suo, cælorum ac stellarum claritatem maiore suo lumine tanquam minus lumen offuscauit. Præterea, in eius transfiguratione cùm nubes lucida obumbrauit Apostolos. De qua gloria intellexit hunc locum Tertull. paulò antè allegatus. Operuit etiam cælos gloria eius in morte eius, cùm ad contestandam maiestatẽ patientis, obscuratus est sol & Luna non dedit lumen suum. Denique, in ascensione eius, cùm inter duo animalia, duos, dico, viros in albis astantes, per eorum testimonium plus aut certius innotescens, nubes lucida & corporis eius gloria cælos operuit, & præ fulgore suo lumen cælorum offuscauit. Hunc sensum insinuat Augustinus supra citatus. *Et laudis eius plena est terra*, quia scriptum est, inquit, Exaltare super

cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

Splendor eius vt lux erit: Tertullianus propoſito ſuo inhærens, intelligit hoc de eo quod in transfiguratione Domini reſplenduit facies eius ſicut ſol. Auguſt. autem exponit hoc modo: Splendor eius vt lux erit. i. fama eius credentes illuminabit. *Cornua in manibus eius*. Per cornua quidam extrema crucis intelligunt. Contra quam expoſitionem memini me legiſſe quendam ſic argumentantem: Manus Chriſti affixæ fuerunt extremitatibus crucis, Si ergo per cornua extrema crucis intelligantur, manus eius potius dicendæ ſunt fuiſſe in cornibus, quam cornua in manibus eius; Vnde conſequitur per cornua non rectè intelligi crucis extrema. Cui obiectioni Tertullianus fortè occurrere volens, per cornua non crucis extima ſeu extrema, ſed intelligit clauorum quibus terebratę & cruci affixæ fuerunt manus Chriſti capita. Hæc enim quaſi quędam cornua extabant in medijs manibus ſiue manuum Chriſti volis. Quarum expoſitionum, tametſi poſterior priore conuenientior ſit & magis limata, vtraque tamen in eandem rem ſeu ſenſum concurrit. Et poſterior, leue argumentum allegati doctoris contendentis hæc verba de cruce Chriſti intelligenda non eſſe, abunde elidit. 6.

Tert. cont. Iud ca. 10. Et 3 cont. Marc. c. 21

Ibi abſcondita eſt fortitudo eius, quia cum in cruce Chriſtus pateretur, abſconditum erat quod per crucem debellaturus eſſet aerias poteſtates & regnum impiorum. Vis autem ſcire quæ illa ſit virtus quæ fuit in cornibus manuum eius abſcondita? *Ante faciem eius ibit mors*. i. mortem corporis, quam in cruce moriendo ſuperauit, ante faciem ſuam tanquam victor in triumphum minabit. Quod reipſa impleuit in āſcenſione ſua cum patriarchas & prophetas ſuæ reſurrectionis, vt appellat Tertull. appendices, (reſurrexerunt enim cum Chriſto ad immortalitatem, vt eius, complurium, & veriſimilior eſt opinio) tanquam mortis manubias inuexit in cælos. 7.

Egredietur diabolus ante pedes eius, Cuius rei exemplum habemus apud Marcū, vbi puer ſpiritu immundo obſeſſus videns Ieſum, ſpiritu ipſum conturbante, eliſus eſt in terram & volutabatur corā Ieſu ſpumans, & ſpiritus Domino coram imperante, egreſſus eſt. Deinde egreditur diabolus ante pedes eius, quia dedit Chriſtus Apoſtolis ſuis & alijs virtutem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones. i. eijciendi dæmones ait Cypr. idq́ue in virtute crucifixi. *Stetit* à dextris, vt videbat Stephanus, virtutis Dei, omnium eorum quæ in Eccleſia geruntur vigilantiſſimam curam gerens, cunctiſq́ue proſpiciens. *Et menſus eſt terram*. i. ſorte diuiſit Apoſtolis ſuis terram in funiculo diſtributionis, vt vnuſquiſque eorum ad gentem ſibi deſtinatam pergeret conuertendam. 8.

Marci 9.

Cyp epi. 76 ad Magnū.

Aſpexit per illuminationem gratiæ ſuæ. *Et diſſoluit gentes*. i. conſtrictam duritiem gentilium, ipſe inuiſibili ſuo aſpectu emolliuit, eiſq́ue dedit 9.

cor

cor carneum. *Et contriti ſunt montes ſæculi.* i. ſuperbia & altitudo ſæculi per virtutem humilitatis in multis ad nihilum redacta eſt.

10. *Incuruati ſunt colles mundi.* i. eminentes in ſæculo colla ſua ad fidem, obedientiam, atque Eccleſiæ diſciplinam inclinauerunt. Quod à quibuſdam potentioribus non fieri ſuo tempore conquerebatur Cypr. cum diceret, Ceruix eorum nec quia lapſa eſt flexa eſt. Vnde autem? *Ab itineribus æternitatis eius.* i. per aduentum gratiæ eius quæ venit ac mittitur à ſola
D.Bern in Pſal 90. eius æternitate ſeu diuinitate. Quamuis per itinera æternitatis eius à D.Bernardo non malè, ſed neſcio an ſatis appoſitè, intelligantur, & aduentus filij Dei in carnem, & eius conuerſatio in carne,

11. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ.* i. Vidi caſtra dæmonum lucis & iuſtitiæ refugarum, & ob id Æthiopum, vna cum caſtris gentilium atque infidelium ſimul collecta, vt defendant priſtinam ſæculi conſuetudinem ac iniquitatem, Quid enim aliud in principio agebant gẽtiles, quam vt contra religionem Chriſtianã patrios mores & deos defenderent ac propugnarẽt? Sed quid? *Turbabuntur pelles terræ Madian.* Alluditur ad hiſtoriam Ge-
Iud.6 et 7 deonis, qui caſtra hoſtilia (quę ibi dicuntur orientalium, hic autẽ Æthiopũ, eo quod dæmones, & orientales ſint, dicente propheta, Quomodo cecidiſti Lucifer qui mane oriebaris; Et ob tenebras & iniquitatem ſint etiam Æthiopes) tuba, per quam ſignificatur prædicatio Euãgelij, & accenſis luminaribus. i. miraculorum ſplendoribus conturbauit & diſsipauit. *Turbabuntur* ergo *pelles*, ſeu caſtra aut tabernacula *terræ Madian*, quia illi qui inito fœdere, euangelicæ prædicationi principiò vno ſtudio obſiſtere parabant, multa ex parte conuerſi aut victi, terga dabunt, & euangelicæ virtuti ſuccũbent. Sed quomodo fiet iſtud?

12. *Nunquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus furor tuus vel in mari indignatio tua?* i. Nunquid conturbando mare & flumina, iram quandam in hoc aduentu tuo demonſtrabis, terribilis apparebis, ſicut apparebis veniens ad extremum iudicium, cũm in terra erit preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum? His enim huius orationis verbis
Aug de ciuit Dei, ſupra citatus ſignificatur, inquit Aug. quod in primo aduentu ſuo Chriſtus non veniet, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Cũm ergo in hoc aduentu tuo temetipſum, nec per te nec per tuos terribilem exhibiturus ſis, qua ergo ratione caſtra Madian conturbabis?

13. *Qui aſcendis ſuper equos tuos*, q.d. turbabis pelles terræ Madian, aſcendendo *ſuper equos tuos*. i. Apoſtolos tuos eorumque cooperatores ac ſucceſſores, eoſque ad prædicationem euangelij dirigendo, adiuuando, guber-
In pſal. 118 ſer. 4. v. 8. nando. Imò, te in illis per ſpiritum tuum præſentem exhibendo. De quibus equis D. Ambroſ. O bonorum equorum duodecaiugum mirabile, quibus fræna

fræna pacis, habenæ ſunt charitatis, conſtricti inter ſe vinculis concordiæ, fidei iugo ſubiecti, quatuor rotis Euangelij myſterium totius orbis finibus inuehentes, bonum aurigã verbum Dei portantes. *Et quadrigæ tuæ ſaluatio*.i.per hos equos colliges & ſaluabis Eccleſiã,quæ eſt currus Dei decem millibus multiplex, quæ ducatu horum equorum, ad quatuor Euangeliorum doctrinam conuerſationem ſuam exercens, quaſi in quatuor rotis voluitur. Et bene dicitur quod ſaluetur quadriga, quia equi bonum aurigam portant; Huius enim aurigæ flagello, inquit Ambr. fugatæ ſunt illecebræ ſæculares, exterminatus eſt mundi princeps, iuſtorum curſus eſt impletus. Hoc itaque modo turbata ſunt caſtra Madian, & ſalua facta eſt Eccleſia. Tametſi autem ô Domine in hoc tuo priore aduentu terribilis non fueris, ſed veneris filiæ Sion manſuetus ſedens ſuper pullum aſinæ: In illius tamẽ manſuetudinis, (ne quis ea ad negligentiam ſibi aut incuriam abutatur, ſed potius, vt in Pſal. 98. diximus, Confiteatur nomini tuo quoniam terribile & ſanctum eſt) exhibitione non ſemper perſeuerabis, quia,

Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum.i.diu interminata ſupplicia. (Qui enim 14.
tendit arcum, vibrat ſagittam) certiſsimè (id enim eſt quod dicit, Suſcitans ſuſcitabis) tandem immittes, idq; eo vehementius quo diutius fuerint quaſi intentata: Tum enim quaſi à benè curuato arcu, inquit Sapientia, ſagittæ *Sapient. 5.* funeſtæ exterminabuntur ſiue emittentur. Suſcitabis item: *Iuramenta tribubus quæ locutus es*. Non enim ſolummodo iuraſti, quod in ſemine Abrahæ benedicerentur omnes tribus terræ, ſed etiam iuraſti conterere impios de terra. Dicit enim Iſaias; Iurauit Dominus exercituum, dicens; Si non, *Iſaiæ 14.* vt iuraui, ita erit, & quomodo mente tractaui ſic eueniet, vt conteram Aſſyrium de terra mea. Quod in die iudicij futurum ſatis liquet ex capite præcedenti, vbi ſic dicit: Ecce venit dies Domini crudelis & indignationis plenus, iræ, furoriſque, ad ponendum terram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendum de ea. Hoc ergo iuramentum ſuum Dominus *ſuſcitans ſuſcitabit*, quia ad effectum ſine mora aut diſsimulatione acriter perducet. Quo tempore aduentante,

Fluuios ſcindes terræ. i. aggeres fluminum & alueos rumpes, vt (quod 15.
Sapientia circa diem iudicij futurum dicit) flumina concurrant duriter. *Viderunt te*, iudicio appropinquantem, *& doluerunt montes*. i. confracti ſiue *Sapient 5.* diſſipati ſunt. Quod propheta figuratè ſignificare voluit per dolorem, quia animal quod confringitur & diſsipatur dolet. Itaque hoc verbo innuitur id quod eſt in Apoc. A cuius cõſpectu inſula fugit & montes non ſunt inuenti. *Apocal. 16.* *Gurges aquarum tranſijt*. Hoc quid aliud eſt quam quod dicit Apocal. Primum cælum & prima terra abijt, & mare iam non eſt. De quo interim dubitat Auguſt. num id intelligendum ſit, quod mare à conflagratione mundi *Apocal 21.* *Aug. 20 de ciuit. c. 16.*

omnino non erit, an verò quod ſola qualitate mutandum ſit. Nahum tamen, dicendo, Increpans mare & exiccās illud, videtur inſinuare, quod, vt dicit Auguſt. mare maximo illo ardore exiccandum ſit.

16. *Dedit abyſſus*.i. aquarum immenſa profunditas, *vocem ſuam*.i. ingentem & terribilem ſonitum, Vox enim maris ſonitus eſt. *Altitudo*. Quæ hoc loco non ſignificat ſublimitatem ſed profunditatem, eſtque D. Auguſtino idem quod abyſſus. *Manus ſuas leuauit*, ſeu extulit, Mare enim ingentes fluctus attollere & eijcere cepit. Ita vt hoc verſiculo nihil aliud ſignificari

Lucæ 21. videatur, quam quod dicit Dominus apud Lucā, de confuſione ſonitus maris & fluctuum.

17. *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo*, quia tum cum motu cæli motus ſolis & lunæ ceſſabit. Quo loco 70. legunt, Eleuatus eſt ſol & luna ſtetit in ordine ſuo, quod D. Auguſt. & Greg. accommodant ad aſcenſionem Chriſti; Literalis autem ſenſus eſt de die iudicij. Cui ſenſui nihil incommodi adfert lectio 70 interpretum, quia in illo die eleuabitur ſeu erigetur ſol ſupra noſtrum hemiſphærium, ſed poſt ortum eius ſiſtetur & ceſſabit motus eius. Vtraque ergo lectio de eadem re verum dicit: Nam & ſol eo die eleuabitur & eleuatus, ſtabit ſeu conſiſtet in habitaculo ſuo, ſiue in loco ſuo, qui ratione perpetuæ ſtabilitatis, erit ſoli quaſi quoddam habitaculum. *In luce ſagittarum tuarum ibunt*. Vel, vt legunt Septuaginta, In

Aug. 18. de Ciu. vt ſup. Greg. hom. de aſcē. Domini.

Sapient. 5. luce iacula tua, ſeu ſagittæ tuæ, ibunt. Quod nihil aliud eſt quam quod dicit Sapiens, Ibunt directè emiſsiones fulgurum. *In ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ*, de qua idem, Acuet diram iram ſuam in lanceam.

18. *Infremitu*.i. ſiue, vt legit Tertul. in cōminatione, fremitus namq; animi indignantis ſonitus eſt, cum efferueſcit minitando, vel intentando vindictam. In fremitu ergo, ſiue comminatione æternæ vindictæ iamiam aduentantis, *conculcabis*, ſiue, concuties ac ſi pedibus diſpergeres, *terram*. De qua re Iſaias, Confractione confringetur, commotione commouebitur, agitatione agitabitur terra. *Et in furore tuo*, quem per commotionem elementorum oſtentare incipies, *obſtupefacies gentes*, quia, vt ait Iſaias, tum

Iſaiæ 13. omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis tabeſcet, vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, quia diſſolutis manibus, ac ſtupente corde, nemo alteri ad euadendum, auxilium aut conſilium præſtare valebit. Omnia itaque à loco quo dictum eſt, *fluuios ſcindes terræ*, vſque huc, tametſi ab alijs aliter intelligantur; de poſtrema tamen concuſsione elementorū circa

Tert. 4. cōt. Marc. c. 39 diem iudicij, vt expoſuimus, intelligenda eſſe, author nobis eſt Tertull. qui omnia hæc, paulo aliter quibuſdam locis tranſlata, cōſentire dicit cum verbis Domini apud Lucam: Erunt ſigna in ſole & luna, ijſque quæ ibidem ſequuntur. Nec mirandum nos illa ex alijs prophetarum verbis interpretatos

eſſe,

esse, quæ enim circa illum diem futura sunt, prędicit vniuersum, inquit Tertull. concilium prophetarum. Quibus ex occasione interpositis redit vt apparet, author ad ea quæ sunt primi aduentus Christi, & dicit ad Deum Patrem. *Tert. de resurre. carn. cap. 22.*

Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Dicit, *egressus es*, quia enim nos, qui salute indigebamus ad Deum nolebamus ingredi, inquit Hieron. Deus ipse egressus est per incarnationem ad quærendum nos. Quod significabatur per sacerdotem qui legis tempore egrediebatur extra castra ad leprosos. Et quia pater per se egressus vel incarnatus non est, vigilanter hic dicitur, Egressus es in salutem cum Christo tuo. Pater enim in Christo secundum diuinitatem manens, in eo & cum eo per eius humanitatem fecit salutis nostræ opera. In quem sensum August. & Hieron. interpretantur sequentia. Videtur autem magis cohærens futura expositio, si Tertull. secuti, etiam hunc versum cum sequentibus de die iudicij exposuerimus, vt sit sermo ad Christum in hunc modum, *Egressus es*, è cælo ad iudicium, Inde enim venturus est iudicare viuos & mortuos. *In salutem populi tui.* i. vt æterna salute dones populum tuum, *in salutem cum Christo tuo*, Legunt Septuaginta, *cum christis tuis.* Nec dissentit ea lectio à nostra in re, Eorũ enim lectio nos admonet quod nomine Christi singulariter dicti, intelligendus sit Christus cum suis membris. Egredietur ergo Christus cum christis suis seu membris suis simili cum ipso vnctione delibutis, quia ad iudicium descendet Christus de cælo cum sanctis suis. 19. *D. Hiero in hunc locũ.*

Percussisti caput de domo impij. i. diabolum, Vt non amplius in hoc sæculo exerceat principatum in domo siue congregatione aut societate impiorum. De qua percussione Isaias: In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & forti super Leuiathan serpentem tortuosum, & super Leuiathan serpentem vectem. i. fortem. *Denudasti fundamentum eius vsque ad collum.* Videtur significari quod dæmones & impij qui in die iudicij erunt in inferno, à profundo eius vsque ad summum in apertum prodibunt ad iudicium. Hoc enim esse videtur quod dicit *denudasti*, De qua re Isaias; Infernus subter te conturbatus est in occursum aduentus tui, suscitauit tibi gigantes. Pro eo autem quod nos legimus, *Denudasti fundamentum eius vsque ad collum.* Septuaginta legunt, Excitasti vincula eius vsque ad collum. Tum enim Christus dæmones rudentibus inferni detractos, in carcerem tradet cruciandos. 20. *Isaiæ 23.* *Isaiæ 14.*

Maledixisti. i. sempiternæ damnationi addixisti, *sceptris eius.* i. dominatui eius quem vsque ad illud tempus in populum Dei exercebat, Tunc enim implebitur illud Isaiæ quod dicturi sunt iusti, Quomodo cessauit exactor (qui est diabolus) quieuit tributum, contriuit Dominus baculum im- 21.

piorum, virgam dominantium subijcientem in furore gentes persequentem crudeliter. *Capiti bellatorum eius*, Bellatores sunt castra impiorum filios Dei oppugnantium. Horum caput diabolus est, quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Quamquam per bellatores inferioris ordinis dæmones melius intelligantur, qui sub diaboli tanquam principis sui auspicijs militant. Quod ergo dicit, *Capiti bellatorum eius*, Idem est ac si diceret, æterno supplicio addixisti principem tenebrarum & angelos eius, ablato ab eis omni imperio. *Venientibus*, paulò ante diem
Apocal 20 iudicij cum soluetur Sathanas de loco suo, vt est in Apocal. Et exibit & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog. & Magog. & congregabit eos in prælium quorum numerus est sicut arena maris, *Vt turbo*. i. vt turbulentissima, sæuissimaq; tempestas, *ad dispergendum me*. i. vt dissipet & disperdat vniuersos, si fieri potest electos Dei, quorum personam propheta in se transfigurat.

22. *Exultatio eorum, sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.* In abscondito dicit, Gaudent enim dęmones & delectantur pernicie eorum quos seducunt, sed hoc odium suum occultum seruant, in aperto enim præ se ferunt amicitiam & venditant se bona populo quærere & adferre. Similis est locutio cum illo loco Psalmi 9. Rapere pauperem dum attrahit eum. Attrahit enim homines blandiendo, sed si res bene consideretur, re ipsa nihil aliud quam rapit vt deuoret.

23. *Viam fecisti in mari equis tuis*. De quibus Apocal. Vidi cælum aper-
Apocal. 19 tum, & ecce equus albus & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax, & exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum in equis albis. His ergo equis metaphoricè acceptis seu exercitui sanctorum, *fecisti viam in mari & in luto aquarum multarum*. i. multorum populorum, ait Augustinus, sed sordidorum & turbulentorum, ob quod comparatur mari & luto, nemo enim eorum poterit dicere: Eduxit me de luto fæcis. In hoc ergo mari siue luto aquarum harũ viam fecit Dominus exercitui suo; Bestia enim congregabit exercitum suum, inquit Apocal. ibidem, vt pugnet cum eo qui sedet in equo albo, & cum exercitu eius, sed equi exercitus Domini peruadent exercitum impiorum, eiq; præualebunt, & sic in mari hoc siue exercitu bene instructo, & munito, viam sibi facient. Qua autẽ mente erunt impij cum audient exercitum Domini sibi imminentẽ? Id author in persona eorũ explicat & dicit:

24. *Audiui* aduentum exercitus Domini, *Et conturbatus est venter meus*, Hoc quid aliud est quam quod dicit Apostolus de impijs circa diem iudicij;
1. Thess. 5. Sicut dolor in vtero habenti & non effugient; *A voce* imminentis exercitus, *contremuerunt labia mea*. Tremens enim factus sum ego, & timeo dum discussio

discussio venerit atque ventura ira. Quid autem nobis omnibus consilij ad præuenienda hæc mala?

Ingrediatur putredo in oßibus meis.i.Contabescat in me concupiscentia rerum sæcularium. Idem est cum eo quod optabat Iob, Suspendium elegit anima mea & mortem ossa mea, *Et subtus me scateat* putredo hæc. i. magis magisque ad interitum vsque semetipsam consumat. De qua putredine Apostolus ad Ephes. 4. Exuentes vos veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris. Ad quam putredinem adhortatur nos Cypr. Bestia corrupti anhelitus in vltimis animę recessibus alligetur & concupiscentia captiua seipsam corrodat atque consumat. 25. D. Cyp. ser. de circumc.

Vt requiescam in die tribulationis meæ. i. vt in illo die de quo vnusquisque timere potest quod sit dies suæ tribulationis, cùm vel sola recordatio eius tribulationē suscitet spiritui hominis, requiem inueniam. Væ enim parturientibus & nutrientibus in illis diebus. i. illis qui tunc desideria sæcularia parturiunt & nutriunt. Desideria enim illa generabunt eis summam tribulationem cum viderint omnia sua desiderabilia à se auferri & penitus interire. Quæ tribulatio latissimè explicatur in Apocalypsi, vbi dicitur: Negotiatores terræ super te flebūt, quia vna hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ, *Vt ascendam ad populum accinctum nostrum*. i. populum sanctorum. Ad quem optat ascendere, vt per sublimitatem mentis, fidei scilicet & charitatis & sanctæ intentionis, sit cum illis qui tunc erunt in tecto, non descendentes tollere aliquid de domo sua. Qui populus dicitur accinctus, quia, vt dicit Apost. stat accinctus lumbos mentis suæ, obediuitque voci Domini Dei sui, qui dixit, Sint lumbi vestri præcincti. i. estote ad pugnandum ambulandumq; in via Domini expediti, & vos similes hominibus expectātibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs. Porrò, assignat author & alteram rationem, ob quam optet ingredi putredinem in ossibus suis, siue concupiscentiam atque amorem mundi de ossibus suis consumi, & dicit, 26. Apoca. 18.

Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. 27.

Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. 28.

Abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus. Quibus verbis propheta declarat quod hæc omnia circa diem iudicij sic euentura sint. Quod & Ieremias testatur, cum dicit, Congregans congregabo vos, ait Dominus, quod quid aliud est quam quod dicit Matthęus, Congregabuntur ante eum omnes gentes? Non est vua in vitibus, non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit. Et Ecclesiastes; Florebit amigdalus, sed non diu, quia flos eius deuorabitur, & ad id significandum addit, impugnabitur deuorans illum locusta dissipabitur capparis. Dicit itaque propheta, *Ingrediatur putredo in oßibus meis, ficus enim non florebit*, ac si dicat, Pereat ac 29. Ierem. 8. Eccl. 12.

consumatur de medullis meis amor muudi ac eorum quæ in mundo sunt, præterit enim figura huius mundi. In quem sensum & Apostolus dixit, Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt, Præterit enim figura huius mundi. Et Petrus: Cùm ergò omnia dissoluenda sunt, quales vos oportet esse in sanctis conuersationibus & pietatibus exspectantes & properantes in aduentum diei Domini?

30. *Ego autem.* Loquitur Propheta in persona eorum quibus fuerit putredo in ossibus: *in Domino gaudebo, Et exultabo in Deo Iesu.* i. Saluatore *meo.* Exultare est præ gaudio animo exilire. Quid ergo hoc versiculo aliud innuitur, quam quod illi qui amorem sæculi exuerint, percepto aduentu Iudicis, gaudio sint erigendi seu efferendi, tanquam in aduentum sui saluatoris, sicut scriptum est, His fieri incipientibus respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra? In quo redemptionis die (dicit Propheta in persona eorundem:)

31. *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum.* Confortabit enim sanctos suos in illa die Dominus, illisque dabit virtutem de qua, vt suo loco exposuimus, scriptum est, Deus Israel ipse dabit virtu-
Psal. 67. tem & fortitudinem plebi suæ, Virtutem, inquam, vt ignem cōflagrationis, qui vt Psalmo 96. dicitur, ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius, & reliqua pereuntis mundi incommoda velut cerui transiliant atque transcendant, ita vt hæc eos mala attingere non possint.

34. *Et super excelsa*, ad quæ subleuabor & rapiar obuiam Christo in aera, *mea.* i. merito exercitæ perseueranter iustitiæ mihi acquisita, *deducet me*, ad cælestia tabernacula; Ipse *victor*, in nobis ouans atque triumphans, *in Psalmis canentem.* Tunc enim populus Dei & oues pascuæ eius introibūt, vt in Psal. 99. diximus, portas eius in confessione, cantantes illud Psalmi, Torrentem pertransiuit anima nostra, Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum, Laqueus contritus est & nos liberati sumus.

Canticum Moysi. Deuter. 32.

Conscripsit Moyses doctrinam hanc per modum Cantici vt omnibus filijs Israel versaretur in ore, essetque ijs in admonitionem & testimonium, quod æterna damnatio maneat eos qui legē Dei præuaricantur. Describuntur enim hic per varias similitudines æternæ damnationis nouissima.

1. *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Inuocat Moyses his verbis cælum & terram, vt suorum horum verborum testes sint. Idque more suo qui paulò ante dixerat, Testes inuoco contra vos cælum & terram.

ram. Quod ad incutiendum terrorem familiare fuit in Iſrael, Vnde & in lib. Machab. dicunt fideles, Teſtes erunt cælum & terra quod iniuſtè perditis nos, Per cælum & terram Dominum cæli & terræ iuxta interpretationem Chriſti, in teſtem inuocantes. Ne autem tenor cantici huius populo cedat tãtum in teſtimonium, quin potius in correctionem atque remedium, ſubdit Moyſes ad informationem omnium eorum qui populo Dei verba ſalutis facere parant, & dicit: *1. Mach. 3.*

Concreſcat in pluuiã doctrina mea. i. doctrina cantici huius ſic à me concipiatur, concinnetur, & ordinetur, vt non aridæ, ſed ſucculentæ viuacis vitaliſq; doctrinæ vim obtineat & energiam. *Fluat vt ros eloquium meum.* i. Dum doctrina ſic concreta à me per ſermonẽ effunditur, cum prona dictionis vbertate de ore meo profluat, non dicaciter, ſed *vt ros*, adferens vitam illis qui ſunt mortui à corde. Solet namque rori tribui, aut ſaltem per rorem ſignificari viuificatio. Nam & apud Iſaiam vbi reſurrectio prædicitur, dicitur: Ros lucis, ros tuus,. Fluat item eloquium meum, 2. *Iſaie 26.*

Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina, vt ijs qui iam, vt herba & gramen, viuunt, & in ſpirituali ſunt vigore, incrementum adferat & ſpiritualis vitæ profectum. Ex quibus Moyſi verbis facilè refutatur argumentum eorum qui arbitrantur aut omnes ſemper ad ſuſcipiendam correptionis vel inſtructionis diſciplinam ſat habere diuinæ gratię, aut homines, alioqui non eſſe corripiendos, arguendos, inſtruendoſque, eo quod id fruſtra, imò cum eorum, vt arbitrantur, detrimento fieret; Sermo enim admonentis vel corripientis in mente dicẽtis in eam gratiam debet concreſcere, vt, quaſi ros, det & adferat gratiã mortuis, ſurdis & cœcis: Et quaſi imber, det & adferat gratiæ augmentum iam ſpiritu viuentibus; Ad normam æterni Verbi Dei, quod deſcendit ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram, adferendo, vt in Pſal. 71. explicuimus, beatæ virgini fœcunditatem, Quocirca & Apoſtolus dicit ſermonem ad ædificationem proferendum talem eſſe debere, vt det, inquit, gratiam audientibus. Sed vnde homini hæc felicitas, vt ei doctrina in pluuiam cõcreſcat, vel eadem concreta, ex ore eius vt ros, imber & pluuia defluat? *Quia nomen Domini inuocabo.* Inuocabo, inquit, nomen Domini, vt detur (eſt enim diuinæ gratiæ) mihi ſermo in apertione oris mei, & iuxta vaticinium Iſaiæ, detur pluuia ſiue cooperans & perficiens Dei gratia, ſemini meo vbicunque ſeminauero. Hæc præfatus Moyſes, rem ipſam aggreditur & dicit: 3. *Epheſ. 4.*

Date magnificentiam Deo noſtro, Magnificentia virtus eſt ordinata ad magnificandum ſua opera. Debet proinde magnificentia prius intelligi in virtute quam in opere. Itaque, *Date magnificentiã Deo noſtro.* i. agnoſcite Deum ad opera ſua adhibere magnificentiam. Magnificentiam, inquam, 4.
quia

Tert. de anima, ca. 10. Aug. cont. Faust. li. 21 cap. 5. quia tantus est artifex, inquit Tertull. in minimis quantus in maximis. Ars enim Diuina, inquit August. in omnibus sibi similis est, quia in suo quæque genere perficiendo vbique perfecta est. Imò, non solum magnificentia Deo danda est, sed & *Dei perfecta sunt opera*, Singula enim etiam minima, & quæ nobis videntur abiecta, quandam sui generis habent perfectionem, & ad perfectionem totius vniuersi, vt ibidem docet August. non parum conferunt. *Et omnes viæ eius iudicia.* i. quidquid circa creaturas suas agit prudenti prius consilio atque iudicio disponit.

5. Hiero. in c. 55. Isaie. *Deus fidelis*, in promissis, inquit Hieron. Vel potius, *Fidelis*, quia in operibus suis non est sibimetipsi dissimilis, ita vt in illis non posit semetipsum negare, vel à sua bonitate iustitia & integritate dissentire: In quem sensum etiam Psal. 32. dictum est, Rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide. *Et absque vlla iniquitate iustus & rectus*. Hoc inculcat multis verbis Moyses, ne filij Israël hominum more peccata sua Deo asscribant vel ad Deum referant authorem, sicut scriptum est, Insipientia viri violat gressus eius, Deum autem causatur in corde suo. Vnde ergo peccatum? *Peccauerunt ei*, Ei dicit, non ei nocumentum inferendo, sed eius cultum vel legem præuaricando. Vel, iniquitatem committendo in homines qui ad Deum pertinent, sicut scriptum est, Peccantes in fratrem in Christum peccatis. Vel, *Peccauerunt ei*, quia peccantes & pœnitentiam non agentes detraxerunt gloriam ei, qui in eorum reconciliatione poterat glorificari. Aug. quest. 55. in Deuteron. Hæc August. *Et non filij eius*, q. d. isti quos dico ei peccasse, non sunt filij eius, quia vsque adeo peccatum ex Deo non est, vt ne homo quidem vel angelus ex ea parte qua ex Deo seu filius Dei est peccet, Omnis enim qui Aug. de perfect. iustit. & 2. cont. Parme. c. 7 natus est, siue qua parte, vt interpretatur August. natus est ex Deo, peccatum non facit, *in sordibus*. Peccando enim qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora & semetipsos cōspurcauerunt, vt sus in volutabro luti. Athan. 3. cont. Arria. Quorum ingratitudinem Moyses, Athanasio teste, increpans, subiungit:

6. *Generatio praua*. i. maligna, *atque peruersa*. i. degener, Omne enim peccatum à natura degenerante seu deficiente committitur, *Hæccine*, quæ scilicet Deus tanquam ab arte sua aliena odit & auersatur, *reddis Domino popule stulte & insipiens*?

7. *Nūquid nō ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Dicit *possedit te*, quia Deus peculiariter delegit Israel in possessionem sibi. Addit autem, *Fecit & creauit te*, vt insinuet Deum dici patrem Israelis, non per Athan loco mox alleg. naturam, sed beneuolentiam & gratiam, Cùm enim, vt notat Athanas. vera notio filij sit generari, quando dicitur pater filios istos suos fecisse & creasse, absque dubio insinuatur eos non esse genuinos filios, sed adoptiuos. Et è diuerso, cùm Filius Dei dicitur ex vtero Dei patris genitus esse, nusquam

quam autem ſcripturarum factus vel creatus, teſtatum redditur quod ille
Dei filius ſit genuinus & naturalis. Vt autem Moyſes deformitatem ingra-
titudinis, quam admittunt qui peccant Domino in ſordibus, omnibus ma-
nifeſtius ob oculos ponat, pergit explicare quanta gratia atque prærogati-
ua Deus Iſraelem delegerit in poſſeſsionem ſibi, & dicit:

Memento dierum antiquorum, frequenter ad memoriam reuocando ea 8.
quæ de Patribus tuis memoriç prodita ſunt. *Cogita generationes ſingulas.*
i. perpende quæ Deus in te per ſingulas generationes contulit beneficia.
Vel, ſi eſt aliquis in vobis rudis, & non tantæ induſtriæ vt valeat hæc per
ſemetipſum expendere ſiue inueſtigare,

Interroga Patrem tuum & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent tibi, 9.
vt alijs narrantibus diſcas quid Deus à principio per ſingulas generationes
prærogauerit Iſraëli.

Quando enim *diuidebat altiſsimus gentes, quando ſeparabat filios Adã,* 10.
tempore videlicet quo moliebãtur turrim Babel, Quod enim ad hæc reſpi-
ciatur tempora, ſatis probatum euadit ex eo quod dicatur tum temporis
Deus deſcendiſſe vt videret quid molirentur filij Adam. Ex identitate au-
tem vocabulorum colligendum eſſe de vna & eadem re fieri ſermonem, in
Pſal. 131. ex Ambroſ. & Iren. diximus. Illo itaque tempore Deus

Conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſrael. i. ſin- 11.
gularum linguarum populis ſuas diſtribuit regiones, & iuxta numerum re-
gionum, ſingulis prouincijs ſingulos præpoſuit Angelos, vt ad vnum Prin-
cipium Deum, Angeli vnicuique nationi præpoſiti, ſequaces, inquit Dio- *Dion. Areo.*
nyſ. ducerent, ſicut etiam diuina prouidentia omnes homines ſalutis cauſa *de cæleſti*
Angelis ſuis ad ſe deducendos diſtribuit. Hæc Dionyſ. id quod de natio- *hierar. c. 9.*
nibus ſiue prouincijs dixit, probans ex viſionibus Pharaoni in Ægypto &
Nabuchodonoſor in Babylone factis; Has enim tribuit miniſterijs angeli- *Diony loco*
cis. Nomine enim *filiorum Iſraël*, hîc Angeli intelliguntur, Ideo Dionyſ. *mox alleg.*
Irenæus, & teſte Hieron. plerique alij, loco *filiorum Iſrael*, legunt, iuxta *Iren. li. 3. c.*
numerum Angelorum Dei: Qui prout habet lectio noſtra rectè *filij Iſrael* *12. Hieron.*
dicuntur, Angelus enim à Thobia iuniore interrogatus vnde eſſet, reſpon- *in c. 28. & 43 Ezech.*
dit, ex filijs Iſraël:

Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. i. eo 12.
tempore Deus Iſraelem qui nunc eſt populus eius, in ſuis progenitoribus
ſibi ſingulari ope ſeruauit, vt, (quandoquidem non decebat Deum, humã-
num genus, quod creauerat vt in id, teſte Irenæo, beneficia ſua conferret,
omni ex parte deſerere, ſic, vt ex toto genere humano non ſupereſſet vel
portio quæ ſuo authori adhæreret) Iſrael tunc temporis in ſuis progenito-
ribus Domino eligente & adiuuante hæc pars, magna ſua prærogatiua Do-

mino fieret: Et factus pars Domini, non more reliquarũ nationum ſub Angelorum (quæ in extrinſecis adminiculis per ſe conſiſtit) cura exiſteret & directione, ſed ſub Domini, Quandoquidem Irenæus hunc locum enarrans, dicit populum qui credit Deo, iam non eſſe ſub Angelorum poteſtate, ſed ſub Domini. Angelorum, inquam, poteſtate ſub qua tanquã principali, ſunt infideles, Vnde etiam Dominus Iſraëlem ob peccatum vituli conflati à ſe abijcere minitans: Aſcende, inquit ad Moyſen, de loco iſto tu & populus tuus quẽ eduxiſti de terra Ægypti: Populus, inquit tuus, quia enim populus Domino peccauerat, iam eum homini Deus, inquit Cyrillus, deſtinabat, Iſraël verò vltra curam ac ſollicitudinem Angelorum, experiebatur in ſe virtutem gratiæ diuinæ. Hoc itaque loco declarat Moyſes, gratiam Dei cunctis retro ſeculis omnibus hominibus affuiſſe, prouidentia quidem, vt D. Proſperi verbis vtar, pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere, diuerſaque menſura. Quoniam ſiue occultè ſiue manifeſtè, Deus eſt ſaluator omnium, inquit Apoſtolus, hominum, maximè fidelium, In quibus verbis Apoſtolus, dicendo, Saluator omnium hominum, confirmauit bonitatem Dei ſuper vniuerſos homines eſſe generalem: Adijciendo autem, maximè fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei diuinitus inſpiratæ ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficijs prouehatur. Scio quidem quoſdam hæc cantici verba ſic accipere, vt dicant, facta ſeparatione filiorum Adam, auxilia diuinæ prouidentiæ apud omnes nationes paria, vel ſaltem ad æternam ſalutem operandam ſufficientia fuiſſe: Scripturam verò de Iſraele dicere, *Pars Domini populus eius*, eo quod populus Iſrael per diuinam prouidentiam haud dubiè adiutus, ſeipſum, inquiunt, præ reliquis veri Dei cultui attribuerit atque dederit. Sed quam quæſo hæc expoſitio ad textum habet conuenientiam? Moyſes enim dicendo, *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*, inſinuátne quæſo populum hunc ad laudem ſui aliquid præ reliquis præſtitiſſe; An, ad laudem Dei, correptionemq; inſtructionem vel cautionem ſui præ reliquis hominibus beneficij aliquid peculiaris à Deo accepiſſe? Itaque pars Domini Iſrael, non quia præ reliquis gentibus ad Domini gloriam de ſemetipſo aliquid præſtitit, ſed quia ad ſuam ſalutem aliquid à Domino, præ reliquis gentibus accepit. Nunquid autem vllo præuio ſuo merito? Non, Quia, in ſuis progenitoribus Thare ſcilicet patre Abrahæ, Deus,

Iren. lib. 3. cap. 12.

Cyr. de incarn. vnig. cap. 3.

Proſp. 2. de voca gent. cap. 31.

13. *Inuenit eum*, Iſraëlem *in terra deſerta, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis*. i. in Vr Chaldæorum, *loco horroris*, propter horrenda illius loci peccata, *& vaſtæ ſolitudinis*, omni pietate ac timore Domini inde longe lateque, ſicut in vaſtitate hoſtili, ablata. In qua terra eum ſic inuenit, vt quamuis in domo Thare in qua natus eſt Abram vnius Dei cultus permanſerit,

ferit, ipse tamen, inquit August. sicut postea manifestior populus in Ægypto, seruisse dijs alienis, Iosue narrante referatur. Inuenit ergo eum in illa terra non solum commorantem sicut Loth in Sodomis, qui oculis & auribus castus erat inter incœstos, sed de consuetudine aut metu illius populi idololatriæ sordibus horridum. *Aug. 16. de. ciuit. c. 12*

Circumduxit eum; Prius Abraham Isaac & Iacob; Hi enim pertransierunt de gente in gentem & de regno ad populum alterum; Postmodum vero circumduxit populum Israel per desertum 40. annis. *Et docuit*, legem cæremonias atque iudicia. *Et custodiuit quasi pupillam oculi sui.* i. ea cura qua rem tenerrimè & vnicè dilectam. Dominum namque Israelem assimilare pupillæ oculi sui propter excellentissimum dilectionis affectum, author est August. 14. *Aug. 10 de ciuit. c. 30.*

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, 15.

Expandit alas suas, Sicut enim Aquila volatum suum extenuat, & molli, pullorumq; viribus cōtemperata alarum suarum agitatione eosdem ad volandum inuitat, sic Deus *alas suas*, vmbrā dico legis, super Israelē expandit, & præceptorū quædam rudimenta eidem proposuit, vt per hæc eundem ad spiritualia, atque perfectiora humanissimè prouocaret & promoueret. Cùm tamen & cæteræ aues super pullos suos volitent, maluit Deus aquilæ, quam vlli aliorum alitum comparari, ad insinuandum sibi maximum esse erga tenellos suos filios amorem; Aquilarum enim erga pullos suos esse maximum & solicitissimum amorem tradunt, inquit Hieron. qui de animantium natura scripserunt, In excelsis enim & inaccessis locis nidos collocant ne coluber fœtus violet. Amethistum quoque lapidem inter pullos eius inueniri, quo omnia venena superentur. Recte ergo, ait, affectus Dei in suas creaturas aquilis comparatus est, qui omni custodia protegit (nam alij legunt, Sicut aquila protegit nidum suum) liberos suos, ne diabolus tenellis fœtibus obrepat. Et vt ad nomen lapidis qui est Christus, omnes aduersariorum insidiæ frangantur. Hæc Hieron. Porro pro eo quod nos legimus, *super pullos suos volitans*, Alij legunt, *super pullos suos desiderauit*, ad significandum vehemens desiderium quo tenetur Deus, & quo in sanctis suis desiderat perficere nouellos partus suos, eóque promouere, vt intelligant quæ credunt & in spiritualis amoris seu Christianę charitatis perfectionem proficiant. Quale desiderium Paulus exprimens dicit, Desidero videre vos vt aliquid vobis impartiar gratiæ spiritualis. Et, Quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Et, Nocte & die abundantius orantes vt videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ. Quid enim hoc aliud est quam super pullos suos desiderare? *Et assumpsit eum atque portauit in humeris suis*, quia per 40. annorum tempus mores 16. *D. Hiero in c. 66 Isaiæ.*

& humores eorum sustinuit: Vel, quia, vt dicit Moyses Deut. 1. portauit eum Dominus Deus eius sicut solet homo portare paruulum filium suum. Quod fit, cum multa consolatione & humanitate Deus subleuat laborem infirmorum quem sibi subire videntur in perambulanda via Domini. Aut, portauit eum in humeris suis, ea baiulatione de qua dicit Dominus Exodi 19. Vos ipsi vidistis quomodo portauerim vos super pennas aquilarum. Quo verbo metaphoricè significat Dominus se sustentasse fidem infirmorum in Israel, authoritate eorum qui fidei habebant intelligentiam. Aquilæ enim in solem defigunt oculos. Sic autem portari verissimè & plenissimè competebat Israeli, Familiare namque fuit illi rudi populo saluari in fide intelligentiaque maiorum. Nihilominus, etiam ecclesia noui testamenti portatur super pennas aquilarum, Fides namque eius fundata est ab ijs, qui audierunt, viderunt, contrectauerunt ea quæ prædicabant de Verbo vitæ.
Aug epist. 112. c. 13. Vsque adeo, vt arbitretur D. August. Ambrosium, dicendo, non omnes Apostoli Christum, [secundum diuinitaté] vidisse, opinatum fuisse Apostolorum aliquibus, & præsertim Petro, & postea Paulo excellentissimam diuinæ essentiæ reuelationem fuisse concessam, vt etiam noui testamenti Ecclesiam verè portaret Deus super pennas aquilarum.

17. *Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* Ex quibus verbis luculenter apparet quod cum de Deo vero [solus] prędicatur, id fiat ad excludendum, non Filium aut Spiritum sanctum, sed deos alienos. Finita autem tota Israelis peregrinatione,

18. *Constituit eum super excelsam terram.* Ad literam intelligendum est, de terra promissionis quæ suâ præstantiâ fuit excelsa. Allegoricè verò excelsa terra, illa est, de qua dicitur; Dominus dabit benignitaté & terra nostra dabit fructũ suum, quæ est Ecclesia Dei viui ex terrigenis collecta. Quæ re vera dicitur excelsa terra, quia cælestibus mente spiritu atq; intentione proxima est, & caro eius efficitur spiritualis. *Vt comederet fructus agrorũ*, i. vt bonis Christianæ reipublicæ operibus de fœcunditate benè habituati cordis prorumpentibus, sanaretur, corroboraretur, foueretur, nutriretur.

19. *Vt sugeret mel de petra, oleúmque de saxo durißimo.* Petra & saxum
Ambros. de Salo. ca. 3. De fide cõ. Arria. c. 8. Bern. ser. 2 de Pentec. Loco alleg. de Salom. Christus est, inquit Ambr. Qui dicitur saxum durissimum, quia fidelibus fortitudinem, incredulis (per accidens, eo modo quo petra scandali est) præstat duritiem, ait idem alibi: Vel durissimo, quia duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad horrenda crucis supplicia, ait Bern. De hac itaque petra sugitur, *mel & oleum.* i. dulcis suauitas Euangelij, & Spiritus sanctus per chrismatis vnctionem, inquit Ambr. Quamquam & recte mel de petra sugitur, cum de sacramento corporis Christi dulcedo diuinitatis eius singulariter præsentis, pia fide & charitate hauritur.

Buty-

Butyrum de armento. Butyrum adeps quidam lactis est multa contusione in soliditatem concretus. Cùm ergo per lac fides designetur; quid per butyrũ nisi doctrinæ sacræ soliditas & pinguedo, de lacticinio fidei educta, à fidei tamen principijs & fundamento nunquam diuulsa? Hoc butyrum sumitur, *de armento* quod est grex maioris pecoris, quia doctrinæ soliditas à maioribus percipitur, exemplum verò fidei ab omnibus. Ideo & Delbora dicit in cantico. Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. Phiala, inquit, principum, quia non nisi principum Ecclesiæ est butyrum exhibere. *Et lac de ouibus*, temporaliter enim sustentantur maiores, vbi ædificatio permittit, à subditis. De qua re Dominus ad pastores per Ezech. Accipiebatis lac & lanam ab ouibus. *Cum adipe agnorum & arietum filiorum Basan.* In Basan erant vberrima pascua, propterea pecus delicatum & pingue, appellatur nomine filiorum Basan. Per allegoriam itaque significatur Ecclesiã nutriendam esse delicatissima charitate eorum, qui vt agni innocentissimam vitam ducunt, & etiam eorum qui alijs, arietum instar, ducatum præbent. 20.

Et hircos, Quo nomine significantur peccatores, quos manducant, qui eosdem conuertendo in corpus viuũ Ecclesiæ transferunt: De quibus Dominus ad Petrũ, Surge Petre, occide & manduca. *Cum medulla tritici*, Descriptio est sacramenti Eucharistiæ, Verè enim medullam tritici comedũt qui de sacra Eucharistia spiritum accipiunt, vel, in spiritu crescunt. Reliqui enim non tritici medullam, sed corticem tantum gustant & sapiunt. Vbi notari potest quod cum Eucharistia vbique ferè in prophetis per triticum præfiguretur, materia eius sit panis triticeus tãtum, Nam & D. Cypr. ex eo quod calix vel potus Domini in prophetis vinum esse describitur, colligit materiam calicis Christi vinum, non aquam esse debere. *Et sanguinem vuæ biberet.* i. sacramentum calicis Domini, in quo solo, quia ex vuis, & sub vuę speciebus sanguis Domini substantialiter est, inuenitur sanguis vuæ ad literam; Ideo Cypr. sanguinem vuæ de sacramento calicis Domini luculentissimè interpretatur, *Meracißimum.* Quis enim meracior potus sanguine Christi, qui sapit redemptionem & gratiæ vbertatem? His itaque per allegoriam dictis, redit Moyses ad literam & subdit: 21.

D. Cyp. epistola 63.

Incrassatus est dilectus, quia abundantia rerum prædictarum carnaliter se infarciuit, *& recalcitrauit.* i. contumaciter inobediens factus est, *Incrassatus, impinguatus, dilatatus.* 22.

Dereliquit Deum factorem suum, & receßit à Deo salutari suo. i. Separauit se à Deo authore naturæ eius, & salutis. Quæris per quid? 23.

Prouocauerunt eum in dijs alienis & in abominationibus. i. idolis *ad iracundiam concitauerunt.* Idololatria enim Deo fraudem facit honores suos 24.

Tert. de ido lola. cap. 1. illi denegans, inquit Tertull. vt fraudi etiam contumeliam coniungat, & ob id per idololatriam irritatur Deus ad iniuriam suam propulsandam.

25. *Immolauerunt dæmonijs & non Deo.* i. ijs qui non erant natura dij, vt ait Apostolus: *Dijs quos ignorabant.* Ignorabant enim se in idolis dæmones, idolis sese callidè, vt in Psal. 113. diximus, immittentes, colere. Vel, *quos ignorabant.* i. ex veræ diuinitatis ignorantia sibi statuebant.

26. *Noui recentésque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Hoc fecit eos à delicto inexcusabiles, ita vt hac in re fuerit in eis delictũ quale nec inter gentes. Cùm enim gẽtiles patrum suorum fuerint obseruantissimi, ita vt non facilè mutauerint deos quos non coluerunt patres eorũ, cùm tamen auiti eorum dij, nõ fuerint veri dij; Israel patrum suorum authoritatem nihil moratus, mutauerit cultum patrum suorum in cultum idoli. Dicit proinde Deus per Ieremiam; Videte si mutauit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij, Israel verò gloriam suam mutauit in idolum. In quo Israel eò grauius peccauit, quod ei semper prædicatum fuerit adhęrere Deo patrum suorum. Si enim, inquit Moyses, persuadere tibi voluerit frater tuus, clam dicens, Deuter. 13. Eamus & seruiamus dijs alienis quos ignoras tu & patres tui, ne acquiescas eis.

27. *Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Posterior pars interpretatur priorem; Indicat enim generationem in priore parte improprie sumi.

28. *Vidit Dominus & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ.* Hic dicuntur filij & filiæ, ratione creationis qua creauit D. Tho. opu. de ora. Do. eos Deus ad imaginem suam teste D. Thoma, vbi hanc rationem filiationis distinguit ab ea quæ est per spiritum adoptionis. Deum autem dici patrem D. Hieron. epist. 146. nostrum, & nos eius filios ratione creationis, testatur etiam Hieron.

Et ait, Abscondam faciem meam ab eis. i. non illuminabo eos. *Et consi-*
29. *derabo nouissima eorum.* i. videbo quid hinc euenturum sit.

30. *Generatio enim peruersa est.* i. degener, siue, in malum conuersa est, *& infideles filij,* quia auitam religionem ea qua oportet fide, nõ custodierunt.

31. *Ipsi me prouocauerunt in eo qui non est Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis.*

32. *Et ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos.* i. Conuertendo gentiles (quos ipsi vt stultos contemnunt, & ne populi quidem nomine dignantur) ad veram religionem, efficiam, siue, magis propriè loquendo, fiet, vt ipsi ea occasione non benè vtendo, inuidia & indignatione semetipsos conficiant, & ad maiorem deueniant insaniam. Æ- Ambro. in Psal. 36. mulatio enim hoc loco nõ est in formam imitationis, ait Ambr. sed in pœnam iniquitatis. Dicitque Deus, Ipsi prouocauerunt me, & ego prouocabo eos;

eos; Voluit enim Dominus, inquit Ambros. ipsorum versutiam in eos retorquere, vt suo afficerentur seu torquerentur ingenio: Vt qui Dominum Deum suum à quo erant assumpti refutarant, ipse è contrario assumens sibi Ecclesiam de prophanis, in æmulationem eorum excitaret affectum, quo viliorum facta esset electio. Vbi enim aduertit Israel accitam ex nationibus plebem quæ sibi legem Domini, testamentum nouum, Deum vendicaret, tunc demum excruciari nimio cepit affectu posteaquam se repudiatum esse cognouit. Denique; Si videat Iudæus gentilium cæremonias, non mouetur; Si videat Ecclesiæ profectum, misera torquetur inuidia. Completur ergo in Iudæa: Ego in æmulationem excitabo illos in non gente. Hæc Ambrosius. Hoc ergo vnum est ex eis quæ Iudæis desertis euentura sunt, Cui accedet & aliud quod manet eos in futuro, & est huiusmodi,

33. *Ignis succensus est in furore meo*. Hic est ignis conflagrationis qui succendetur in die iudicij, *& ardebit vsque ad inferni nouißima*, quia ignis cōflagrationis immediatè præcedet, imo quasi desinet in incendia infernalia. Quid autem efficiet hic ignis?

34. *Deuorabitque terram cum germine suo*. i. terra & ea quæ in ea sunt opera exurentur, vt inquit D. Petrus. *Et montium fundamenta comburet*. Ignis enim conflagrationis nō aduret solum superficiem, sed intima viscera terræ.

Congregabo super eos mala. i. omne malorum genus eis simul immittam. *& sagittas meas complebo in eis*. i. completa supplicia immittam eis. Per sagittarum enim immissionem inflictionem suppliciorum significari, non semel diximus. 35.

36. *Consumentur fame*. i. absque vlla refectione, (hoc enim significatur per hoc quod dicuntur consumendi) extrema atque perpetua fame cruciabuntur. Erit enim ibi mors, luctus & fames, inquit Apocal. c. 18. & poma desiderij animæ eorum recedent ab ipsis & omnia pinguia & præclara peribunt in ea. *Et deuorabunt eos aues morsu amarißimo*. Ad quos morsus inferendos inclamantur aues Apocal. 19. Clamauit angelus dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cæli, venite & congregamini ad cænam magnam Dei vt manducetis carnes regum, tribunorum, &c. Quæ omnia non corporaliter sunt intelligenda, sed per metaphoram. Per aues enim significātur dæmones qui sunt volucres cæli volitantes per medium cælum, seu mediam aeris regionem inhabitantes, quorum crudelitas & inuidia ac improperia mordacissima, amarissimis auium morsibus comparantur.

37. *Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram atque serpentium*. Vermes significantur, quorum aliqui per terram sic serpunt, vt priore corporis parte in anteriora promota, posteriorem eodem attrahant. De quibus vermibus Isaias, & ex eo Dominus apud Marcum:

Vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur. Qui an corporeus futurus sit an pro remorsu conscientiæ positus, pro ambiguo habet D. Aug. Quamuis probabile magis sit vermes hos metaphoricè esse intelligendos.

38. *Foris vastabit eos gladius*, à foris enim æternæ mortis supplicia eis inferenda sunt, *& intus pauor* præ horrore suppliciorum. Quos autem? *Iuuenem simul ac virginē lactantem cum homine sene*. i. omnis ætatis & sexus homines. Et hæc quidem atque huiusmodi æterna sunt supplicia quæ manent peccatores. De temporalibus vero sic loquitur Dominus:

39. *Dixi*, per quod significat se transire ad alia *vbinam sunt*. i. derelinquendo Deum factorem suum quo deuenerunt? Similis est phrasis cum illo Gen. Adam vbi es? *Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum*. i. delebo totam gentem simul vt nulla eius supersit memoria, Sicut scriptum est, Deleam ergo eos atque consumam, te autem faciam in gentem magnam. Et alibi: Semel ascendam in medio tui & delebo te.

40. *Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum.*

41. *Et dicerent manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Ad hanc ergo hostium arrogantiam præcauēdam non intulit Deus omnem irā.

42. *Gens absque consilio est & sine prudentia*, Non enim in futurum prospicit, *vtinam saperent & intelligerent ac nouissima prouiderent.*

43. *Quomodo*. i. Vnde euenit hoc, vt vnus, *persequebatur* siue persequeretur *mille ex* populo Iudaico, *& duo fugarent decem millia*?

44. *Nonne ideo quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos*. i. merito peccatorum tradidit eos potestati inimicorum, ita vt non esset eis vllum effugium?

45. *Non enim est Deus noster vt dij eorum*. Deus enim noster iniquitatem punit & persequitur: dij autem eorum illam promouent & augere conantur. *Et inimici nostri sunt iudices*. i. ipsi inimici nostri iudicant quod Deus noster non sit sicut dij eorum. Dicebat enim Achior, Deus eorum odit iniquitates. Et meritò dicebat Deus eorum, insinuans hoc illi Deo præ reliquis dijs proprium esse. Nec abs re Moyses ad probandam differentiam inter Deum Israel & deos alienos appellat iudicium inimicorum; Illa enim vera & sine contradictione probatio est, quæ ab aduersarijs ipsis signa te-
Iren lib. 4. cap 14. stificationis profert, ait Iren. Porro differentiam veri Dei à dijs gentium ab effectibus insinuans, subdit Moyses.

46. *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ*. q. d. Populus dijs seruiens, si, vt reliqui populi vineæ assimilari potest, certè est veluti vinea Sodomæ & Gomorrhæ, quia plenus est abominandis peccatis luxuriæ, idque dijs ipsis probantibus, qui, vt declarat Aug. voluerunt ludis impudicis placari suasq; prædicari luxurias, vt populus quasi præ religione luxu-

luxuriaretur; Cum contrà, Dominus plantauerit sibi vineam Sorec & lapides.i.omnia scandala elegerit ex ea.

Vua eorum vua fellis & botrus amarißimus. i. doctrina dæmoniorum 47.
amara. Voluerunt enim dæmones etiam infantes sibi sacrificari.

Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. i. Venenata 28.
doctrina eorum insanabiles efficiens eos qui ea imbuti sunt. His per occasionem interpositis prosequitur Moyses ea quæ de æternis supplicijs suprà dixerat. Et dicit in persona Domini.

Nonne hæc condita sunt apud me & signata in thezauris meis? Vbi pro- 49.
nomen [*hæc*] non refert ea quæ immediatè præcesserunt, sed supplicia ignis, bestiarum & vermium prius enumerata. Quæ enim immediatè præcesserunt non pertinent ad thesauros Domini. Deinde illa quæ demonstrantur per [*hæc*] supplicia sunt, sequitur enim, *Mea est vltio*, &c. Doctrina autem dæmoniorum & peccata Sodomæ propria ratione peccata sunt non 50.
supplicia. Dicit itaque Deus,

Mea est vltio. i. meũ est vlcisci peccata. Quod Deus confidenter profitetur suum esse, est enim iustitiæ. Ex quo bene infert Tertul. nemini licere se- *Tertull de pat. c.10.*
metipsum vlcisci, ait enim, Quẽ honorẽ litabimus Domino nostro si nobis arbitrium defensionis. i. vindictæ, arrogauerimus, ius Dominici honoris deligentes? Sed fortasse Deus quia clemens est non vlciscetur? Imo vlciscetur quia sequitur, *Et ego retribuam eis in tempore.* Quo verbo vltorem se nobis repromittit Deus, ait ibidem Tertull. Nunquid ergo id in Deo tam iusto ad æstimandum tam potenti ad perficiendum periclitabitur? Dicit autem *in tempore*, quia ante vindictam vltimam vult Deus exercere prius suam in sufferendo longanimitatem, & benignitatem in expectando peccatores ad pœnitentiam, vt cessare faciat blasphemiam gentilium, de qua Hieron. in Ionam refert quendam dixisse, Deus Christianorum iracundissimus est & impatientissimus. Est enim Deus partibus iudicans, vt ait Sa- *Sapien 12.*
piens. i. tam eorum qui peccant, quàm eorum in quos peccatur, benigno suo iudicio, rationem habens, vt vtrique parti ad salutem consulat. Qua eius benignitate contempta, sic restabit iusta vindicta, vt non inueniat homo contra Deum iustas querimonias. *Vt labatur pes eorum.* Non enim erunt impij in illo tempore ex illis qui stabunt ante filium hominis, vt dicit Dominus Luc. 21. Vel, *vt labatur pes eorum*, quia in tempore extremæ retributionis pro meritis auferetur ab eis omnis Dei gratia, vnde consequetur eos magnus & perpetuus lapsus, ita vt in inferno perpetuò peccent. Dico, vnde consequetur, [*Vt*] enim hoc loco euentum significat, non intentum. Dicet aliquis, Vindicta illa diu differetur, & ob id minus satisfaciet æstuãti desiderio vindicaturientis? Non ita, Quia,

51. *Iuxta est dies perditionis*, qui quamuis sit occultus non dubitatur esse vicinus, ait Greg. *Et adesse festinant tempora*, damnationis. Quæ vbi aduenerint,

52. *Iudicabit Dominus populum suum*, iudicio extremo, Huc namq; hæc verba refert Apost. *Et*, quia Dominus non potest obliuisci misericordiæ suæ, nec potest voluntas eius sua benignitate priuari, subijcitur: *In seruis suis* Abraham Isaac & Iacob *miserebitur*, quia merito seruorum suorum fidelium quosdam ex illis de quibus dixerat: Abscondam faciem meam ab eis, ad pœnitentiam conuertet. Quod vt faciat,

53. *Videbit quod infirmata sit manus*. i. imminuti sunt numero & viribus. *Et clausi quoque defecerunt*. i. in carceribus ab hostibus detrusi multi, perierunt, *residuique*. i. illi qui videbantur cladi superstites, *consumpti sunt*. Hæc inquam in Iudæorum reliquijs videbit seu attendet Dominus, & ex illa eorum miseria occasionem sumet inuitandi & conuertendi eos ad pœnitentiam. Pœnitentia enim in hominibus carnalibus ferè ex afflictione temporali sumit occasionem ac principium.

54. *Et dicet*. i. eo tempore oportunè admodum eos per cultum falsorum deorum, vel seruitutem peccatorum tot malis afflictos, his verbis corripiet aut corripi faciet. *Vbi sunt dij eorum in quibus habebant fiduciam*?

55. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum*?

56. *Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant*. i. Ab hac necessitate in quam deuenistis vos eripiant. Quod quia non valent,

57. *Videte quod ego sim solus & non sit alius Deus præter me*.

58. *Ego occidam*. i. internecioni temporali tradam non casus aut fortuna, *Et ego viuere faciam*. i. reflorescere faciam populum internecioni prius traditum, *Percutiam & ego sanabo*, *Et non est qui de manu mea possit eruere*, vt aut internecioni obsistat, aut, me viuificante, cladem adferat. Hæc ergo misericordia huiusmodi ordine & occasione impendenda est Iudęorum reliquijs, vbi ob idololatriam in extremam captiuitatis suæ miseriam fuerint deducti. A loco enim quo dictum est, *Et in seruis suis miserebitur*, Moyses transitum facit, vt de huiusmodi misericordia verba faciat, Satis namque euidens est, eum in hoc cãtico de pœnis temporalibus & æternis vicissim ac permixtim verba facere. Qui autẽ extremæ vindictæ Dei fuerint adiudicati, illis nulla in posterum erit speranda misericordia, quia sequitur:

59. *Leuabo ad cælum manum meam*. Iuramentum Dei humano more describitur, solent enim homines iurando manus ad cælum, tanquam veri Dei, vt notauit Tertull. habitaculum, attollere, *& dicam*, *Viuo ego in æternum*, Formula est iuramenti diuini, qua significat Deus se per semetipsum iurare. Quod, cum iurare vult, sibi facere necesse est, quia alius Deus non est per quem

quem iuret, vt in Psal. 88. latius diximus. Quod autem iurat Deus hoc est:
Si acuero vt fulgur gladium meum, in die iudicij. De quo & Abacuc, In splendore fulgurantis hastæ tuæ, *Et arripuerit iudicium manus mea*. i. si res eo deducta fuerit vt in furore meo (id enim importat verbum apprehenderit) cepero iudicare, 60.

Reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam, irreuocabiliter, & absque vlla in posterum misericordia; Id enim adducit iuramentum Domini; Quia dicitur Deus iurare pro illis rebus, quæ decreuit non mutare. 61.

Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes. Inebriabo inquam sagittas meas, 62.

De cruore occisorum & de captiuitate nudati inimicorum capitis, quia maxima erit multitudo eorum quos internecioni perpetuæ tradam. Inter quos erit & caput omnium inimicorum Dei diabolus cum angelis suis, cuius caput tum erit nudatum, quia nõ amplius poterit se velare, suamque tegendo nequitiam, se transfigurare in angelum lucis. *Et ijs qui oderunt me retribuam*. Circa quod tempus,

Laudate gentes. i. qui ex gentibus estis fideles, *populum eius*. i. populum Israeliticum secundum carnem. *Quia* Deus *sanguinem seruorum suorum* Prophetarum, vt habet Apoc. & sanctorum suorum, qui ab impijs ob iustitiam effusus est, *vlciscetur*, 63.

Et vindictam retribuet in hostes eorum. Et circa id tempus, *Et propitius erit terræ populi sui*, quia Israelem ad fidem & pœnitẽtiam adductum, requiescere faciet super humum suam, secundum Prophetas. 64.

Canticum Zachariæ. Lucæ 1.

NAto Ioanne Baptista præcursore Domini, Zacharias pater eius repletus est, inquit Lucas, Spiritusancto, & prophetauit. Si prophetauit, ergo Canticum hoc non principaliter ob natum sibi ex insperato filium, aut solutum suæ linguæ vinculum ad gratiarum actionem cecinit, sed respexit in futurum, conscribẽs nobis formulam ad agendum Deo gratias pro beneficijs Redemptionis per Christum partæ, & effectuũ eius, in æternam salutem vsque. Ad informationem itaque nostram atque adeo totius Ecclesiæ, Zacharias sacerdos & Propheta, pro nobis, imo etiam spiritus eius in nobis, sic dicit:

Benedictus Dominus Deus Israel. Ille, inquam, Deus, qui Israeli posterisque Iacob hactenus in Deum fuit, & ab eodem pro Deo agnitus. Operæpretium namque fuit in noui testamenti principio, eiusdem testamenti auctorem, Deum qui fecit cælum & terram, Et, Deum Abraham, Isaac, Iacob 1.

& Israel appellare, ad contestandum vnum & eundem Deum, cęli & terræ; veteris & noui testamenti esse authorem: Ob eandem enim causam etiam D. Stephanus omnem veteris testamenti dispositionem, in sua ad Iudices o-
Iren lib. 3. cap. 12. ratione, teste Irenæo, deduxit. *Quia*, per incarnati Verbi præsentiam, familiaremq; cum hominibus conuersationem, *visitauit*. i. coram lustrauit, docuit, corripuit, & exhibita multa humanitate plebem suam cõsolatus est. *Et* per passionem & mortẽ eiusdem, *fecit redemptionem plebis suæ*, Israel, Hunc enim in principio respicit Zacharias, circa finem mentionem gentium facturus. Quod hinc apparet, quia paulò post asserit promissiones patribus factas nunc impletas esse, Illæ autem principaliter de Israel factæ erant, Nam & Christus Iesus minister fuit Circuncisionis propter veritatem Dei ad confirmandas, inquit Apostolus, promissiones Patrum. Deinde quia Israel solus ille populus est quem Deus in Christo corporaliter visitauit. Fecit ergo Deus redemptionẽ plebis suæ, quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, redimens Israël, non corruptibilibus auri vel argenti, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.

2. *Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui*, Facta namque redemptione Deus Christum de domo & familia Dauid, qui ab obediendi & obsequendi prõptitudine Dei puer dictus est, in dexteram suam exaltãdo,
Ambr. 1. de Abra. c. 6. *erexit*, vt qui mediator, idem esset nobis ad salutem propugnator, cornibus namque è capite extantibus propugnant reliqua sua membra bestiæ. Quocirca peracta redemptione cùm Dominus vulnerum suorũ cicatricibus rubicundus cælum ingrederetur, & interrogarent Angeli, Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua gradiẽs in multitudine fortitudinis suæ? Respondit: Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Per cornu autem non solum virtutem vincendi aut superandi, sed ipsum Dominum nos protegentem significari, satis patet ex illo Psal. 17. Protector meus & cornu salutis meæ.

3. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt prophetarum eius.* Omnes enim retrò prophetæ Incarnationem, passionem regnumque Christi in gloria Patris respectiuè vaticinati sunt. Dicit autem *per os sanctorum*, indicans se non illas solum prophetias respicere quæ à prophetis descriptæ sunt, sed illas omnes quas prophetæ verbo sunt locuti. Hæc ergo secundum promissa sua Deus præstitit nobis. Sed in quem effectum? Ad dandam nobis,

4. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos*. i. vt eriperet nos de potestate tenebrarum, & per remissionem peccatorum atque iustitiam transferret in regnum dilectionis filij sui. Quod enim dicit, *Salutem ex inimicis nostris*, &c. per Emphasim dicit, geminum considerationi

tioni nostræ ingerens Dei beneficium, quorum priore è summis malis erepti, posteriore in veris bonis maxima & felicissima rerum commutatione sumus collocati. Et hic quidem est effectus Dominicæ œconomiæ in hoc sæculo. Sequitur nunc de effectu ad futurum sæculum pertinente: de quo propheta sic dicit, fecit redemptionem plebis suæ.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, illis scilicet qui 5.
vincti erant in lacu, siue Limbo patrum, in quo non erat aqua, Hos enim in sanguine testamenti Deus in Christo inde eduxit; in ipso expolians, teste Apostolo, Principatus & Potestates. De qua misericordia hunc locum eo libentius intelligo, quod quæ huic versiculo coniunguntur, futuri, vt ostendemus, sæculi sunt; Tum etiam quia æquum est vt in hoc cantico inter cæteros, etiam iste Dominicæ redemptionis tam solennis, & à prophetis prædicatus effectus recenseatur, præsertim quia Simeon, quem paulò post audiemus, de illa re suo cantico nonnihil adiunxit. Refert namque Ireneus *Iren lib 5. cap. 18.* Simeonem accipientem puerum è manibus B. Mariæ, dixisse, eum esse lumen omnium, & gloriam ipsius Israel, & pacem & refrigerium eorum qui ierunt in dormitionem. *Et memorari*, siue vt memoraretur, *testamenti sui sancti*, Memorari simul,

Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, q. d. memorari 6.
testamenti sui sancti iureiurando ad Abraham patrem nostrum facto, confirmati, vt illud re tandem ipsa impleret. Nomen enim *Iusiurandum* hic construendum est cum verbo *memorari*, & quidem absque omni incommodo, eo quod verbum, memoror, apud Grammaticos indifferenter regat genitiuum & accusatiuum. Quod est autem hoc testamentum Abrahæ, mediante iureiurando, promissum? *Daturum se nobis.*

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, 7.
In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Quæ verba 8.
complures intelligunt de iustificatione filiorum Dei quæ fit huius vitæ, Hi enim *sine timore* seruili, *De manu inimicorum suorum*, siue de potestate tenebrarum eruti obsequendo eius voluntati, seruiunt ei, *in sanctitate & iustitia coram ipso*, quia ea iustitia iusti sunt quæ coram oculis Dei iustitia est, & ipsi accepta, idque *omnibus diebus* suis, quia perseueranter, ita vt sint Christiani, qui à iustitia in Baptismo accepta, nullo vnquam vitæ suæ tempore excidunt aut prolabuntur, aut saltem, quia nullo vnquam die desunt, qui piam in sanctitate & iustitia seruitutem Deo deferant. Arbitror tamen hæc paulò sublimius intelligenda esse, tum quia hæc omnia, tametsi non sigillatim explicata, saltem comprehensa sunt in eo quod paulò ante dictum est, *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos*; Ad salutem enim siue salutis statum prædicta concurrunt: Tum, quia verba ipsa

augustiora esse videntur, quam vt per ea quæ sunt filiorum Dei in hac vita, pro dignitate interpretari posśint aut intelligi, Dicitur namque hic absolute *Sine timore*, cum tamen à iustis in hac vita vnum tantum genus timoris necessariò remoueatur. Dicitur etiam, *De manu inimicorum nostrorum liberati*, cùm tamen hic iusti in medio inimicorum suorum, absque tamen seruitute peccati, versentur, Ita vt existimem, iustis in persecutione Antichristi constitutis non esse dicendum, De manu omnium inimicorum nostrorum liberati, seruimus illi: Dicitur hic, *omnibus diebus nostris*, cum tamen hic rari admodum sint, qui, ob frequētes in peccata mortalia lapsus atque relapsus, omnibus diebus suis Deo seruiant. Videtur itaque verbis, ordini, & prophetiæ huius dignitati magis conuenire, vt intelligamus hic prædici atque præscribi statum æternæ salutis, ad quem per iustitiam huius vitæ, filij noui testamenti transacta peregrinatione deueniunt. Nam & ratio non sinit vt in serie eorum quæ ad reparationem nostram à Deo donata sunt nobis, æternæ salutis commemoratio prætermittatur, Præsertim cum eius donatio, inter noui testamenti beneficia maximum & dignissimum locum obtineat. Præterea, cum de industria Christo seruatum sit, vt ad æternam beatitudinem viam nouam atque viuentem, per velamem. i. carnem suam omnibus nobis initiaret, qua æquitate catalogo eorum quæ Deus in Christo præstitit atq; exhibuit, id quod tam singulariter eidem reseruabatur, non insereretur? Itaque, Dominus Deus Israel *visitauit*, *Redemptionem fecit*, *erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui*, *testamenti sui sancti*, memoratus est, & simul expleuit, *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis*, vt, in æterna beatitudine, *sine* vllo, proprij nominis, aut propriæ rationis *timore*, (Nec enim in futuræ vitæ securitate, cùm iuxta Isaiam, timore malorum sublato, sedebit populus in pulchritudine pacis & tabernaculis fiduciæ, erit metus mortis, peccati, vel pœnæ peccati) *De manu inimicorum nostrorum liberati*; Verè *liberati*, In manu enim seu potestate inimicorum ibi non erit minimum mali alicui beatorum vel intentare, *Seruiamus illi*, eâ deuotionis atque obedientiæ plenitudine, de quâ scriptum est, Et serui eius seruient ei die ac nocte, *In sanctitate & iustitia*, Dabitur enim ibi sponsæ vxori agni, vt cooperiat se byśsino splendenti & candido, quæ sunt iustificationes sanctorum, *coram ipso*, id est, ipso se ad oculum coram exhibente, *Omnibus diebus nostris*, Dierum enim, si qui sunt, æternitatis, non erit vel vna, à Dei seruitio, vel ad momentum feriata. Hoc inquam iuramentum Deus per Christum re ipsa impleuit: Patres enim veteris testamenti Christus vna secum in æternam requiem introduxit, Et ab eo tempore nobis præstitit fiduciam in introitum sanctorum. Vbi autem

Deus hæc quæ exponendo diximus testatus est, siue promisit Abrahæ patri nostro? Quæris vbi? Genesis 15. vbi dicit, Noli timere Abraham, Ego protector tuus sum & merces tua magna nimis. Et paulò post, Suspice cælum, & numera stellas si potes, Addit, Sic erit semen tuum; Quibus verbis dicendo [sic] non tam promittit Abrahæ seminis multitudinem innumerabilem ([sic] enim aduerbium est similitudinis potius quam æquiparantiæ) quam seminis sui nullo nobis numero comprehensi, cælestem, quam in æterna beatitudine habebit, qualitatem. Cùm enim cælum & stellas suspicienti, dicit Deus, Sic erit semen tuum, quid aliud ei promisit quam quod dixit Daniel, Qui, eo disciplinæ genere, de quo scriptum est, Omnis qui audiuit à patre & didicit venit ad me, docti fuerint, fulgebunt vt splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt plurimos quasi stellæ in perpetuas æternitates? Vt proinde quod in Genesi sequitur; Credidit Abraham Deo, non sit intelligendum de priuata aliqua promissione Abrahæ de multiplicatione sui seminis specialiter facta, quamquam & talis promissio fidei materia sit, sed de articulo fidei Catholicæ, Catholicæ, inquam, quia omnibus adultis credendo, quo credimus carnis resurrectionem & vitam æternam Amen. Sed nunquid idipsum Deus Abrahæ iurauit? Iurauit vtique, Dicit namque Deus Psal. 88. Semel iuraui in sancto meo, Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta inæternum. In quibus verbis cum iuramento astruitur gloria quę manet iustos, vt suo loco exposuimus, in anima & corpore. Si ergo Deus per Dauidem dicit id se iam tum iurasse, cui quæso id iurauit nisi Abrahæ, cui inter cæteros sanctos dixerat in visione, Posui adiutorium in potente. Post hanc gratiarum actionem compellat propheta natum sibi puerum, in illo, per ætatem, mentis nondum, vt magis verisimile est, compote, poetarum more, ad instructionem nostram, personam rationis compotem fingens, & dicit:

Et tu puer propheta altißimi vocaberis. Decebat namque, inquit Ambrosius, ne is qui publica enumerarat, sua, quasi ingratus quæ acceperat beneficia tacuisse videretur, *Propheta*, inquit, *altißimi vocaberis*, Videtur hoc emphasin habere, ac si dicat, *Tu puer* non cum alijs prophetis promiscuè propheta Domini, sed singulariter *Propheta altißimi vocaberis*, cùm dicet Christus in te completum esse illud Malachiæ vaticinium: Ecce ego mittam Angelum meum, An enim non tu singulariter Propheta altissimi, quem filius altissimi, suum Angelum singulariter voluit appellari? Nec abs re, *Præibis enim*, vt & alij prophetæ, & ob id vocaberis propheta, sed, *ante faciem Domini*, id est, ante Dominum in carne præsentem, quod reliquorum prophetarum nemo præstare potuit, Et ob id, tu singulariter propheta altissimi. Ad quid autem? *Parare vias eius*, id est, disponere mentes ho-

9. *Ambro. in hunc locũ.*

tes ho-

Tert. 5 cōt. Marc. c. 2. tes hominum. Deo enim, vt bene dixit Tertull. in te ſtatuente terminum, inter vtrumque ordinem deſinentium exinde veterum, & incipientium nouorum, à diebus tuis regnum Dei Euangelizatur, te vt Euágelij catechiſta, rudimenta prædicationis Euangelicæ in medium proferente. Prædicabis itaque pœnitentiam, ne Domini doctrina, prædicabis baptiſmum aquæ, ne Domini diſciplina, prædicabis baptiſmum in Spiritu ſancto & igni, ne Domini gratia rudes ſibi mentes hominum inueniat & exhorreat imparatas. Aug. epiſt. 120 ca. 3. Imò, *parare vias eius*, Tuo enim irrefragabili, vt notat Auguſt. teſtimonio, aperies ipſi Domino mentes hominum, vt eum in ſaluatorem & ſponſum recipiant, Teſtaberis enim te, filium ſacerdotis, tantæque ſanctitatis & exiſtimationis virum, non eſſe dignū vt ſoluas corrigiam calceamenti eius. Quis autem tuæ prædicationis proprius erit effectus?

10. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius.* i. vt plebs Domini Iudaica, tuo magiſterio & Spiritus ſancti cooperatione adiuta, accipiat primam cognitionem eorum quæ tempore noui teſtamenti ad ſalutem cognitu erunt neceſſaria, Eamque, *in remiſſionem peccatorum eorum.* Non dicit, & remiſſionem peccatorum eorum, Ioannis enim doctrina in ſalutem, vel peccatorum remiſſionem ordinabatur, ad eamque diſponebat, eam autem pro ratione officij ipſi demandati, non dabat. Per quem ergo danda erat hæc cum ſalute remiſſio peccatorum?

11. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri,* Per viſcera miſericordiæ inſinuatur miſericordia, quæ cum tranſmutatione corporali in miſerendo commouet hominis viſcera, Hæc tamen miſericordia Deo non omnino abs re tribuitur, Cùm enim viſcera hominis ſint pars ſubſtãtialis indiuidui, an non Deo rectè tribuentur miſericordiæ viſcera, cum miſericordia Dei ipſa eius ſit ſubſtantia? Itaque, remiſſio peccatorum datur ex miſericordia, quæ Deo eſſentialis eſt, cuius miſericordiæ affectum, qualis Deo ſit, à longe nonnihil conijcere poſſumus ex illo miſericordiæ affectu, qui ad ſubueniendum viſcera hominis concutit. *In quibus* miſericordiæ viſceribus, *viſitauit nos* vir ille, qui à Zacharia, *Oriens* dicitur: Iſte, inquam, viſitauit nos, *ex alto*, quia à ſummo cælo, ſinu patris ad nos, egreſſio eius. Si ergo remiſſio peccatorum datur per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & in illis viſceribus ſiue in eadem ſubſtãtiali miſericordia, is cui ratione humanitatis oriens nomen eſt, ex alto viſitauit nos, ergo & per illum datur, vel, ipſe eſt à quo & per quem datur remiſſio peccatorum. Præterea, cùm nouum teſtamentum gratiam præſtet & remiſſionē peccatorum, Gratia, inquit, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, ſi puer propheta altiſſimi, remiſſionem peccatorum non dederit, ſed diſcipulos ſuos ad eam per doctrinam ſolummodo præparauerit, non erit puer hic vlla ratione author, aut inſtitutor noui teſtamenti,

ſed eius

ſed eius præcurſor aut catechiſta. Sed qua de cauſa iſte qui viſitauit nos ex alto vocatur *Oriens*? Quia venit

Illuminare.i.lumen præbere *his qui in tenebris & in vmbra mortis* (quæ quid myſticè importent ſupra alicubi diximus) *ſedent*, qui eſt populus gentium, qui ambulabat in tenebris. Datus eſt enim Chriſtus à Deo etiam in fœdus populorum, vt poſſideret hæreditates diſſipatas, & diceret his qui vincti ſunt exite, & qui in tenebris, reuelamini, Nam lux in mundũ venit, vt qui non videbant videant. Non ſolum autem dicitur Oriens, quia tenebroſis mentibus lumen ex abrupto infundit, ſed quia comparatus eſt, *ad dirigendos pedes noſtros*.i.vt dirigat pedes, itinera, greſſus, cogitationes dico, conſilia, & opera noſtra, *in viam pacis*. Cùm enim nos tametſi in via pacis poſiti, ex nobiſmetipſis ordinariè ea cogitemus & diſponamus quæ nos à via pacis abducant, iſte contrà dirigit aut retorquet pedes noſtros è via digreſſuros, in eandem viam pacis atq; æternæ ſalutis, Ob quam directionem *Oriens* dicitur, quia hoc eius opere, ſi non, vt bene credo, ſingulis vicibus nobis infunditur noua lux, ſingulis ſaltem vicibus oritur, ſuſcitatur, componitur, aut proponitur nobis noua idæa ſiue forma prudentiæ. 12.

Canticum B. Mariæ. Lucæ 1.

PRæſentis Cantici principio, B. Maria, ab Eliſabeth magno clamore atque preconio prædicata, exponit, quid ſtudij affectuſque boni, ipſa, diuinis, quas in ſe reuerenter agnoſcit, benedictionibus, reddiderit; Hoc ipſo inſinuans, quam ſtudioſè, præ animi humilitate atque gratitudine, ipſa nihil paſſa ſit, vt Bernardi verbis vtar, ſibi retinere, ſed in Deum authorem cuncta refuderit: Suoque exemplo nos inſtruens, vt quælibet anima ſancta, inquit D. Thomas, concepto Verbo Dei, ad magnificandum Dominum eique exultandum ſecundum formam Cantici huius ſemetipſam componat. Cùm ergò Canticum hoc in Eccleſia frequentatur, Sit, inquit Ambroſius, in ſingulis Mariæ anima vt magnificet Dominum: Sit in ſingulis Mariæ ſpiritus vt exultet in Deo ſalutari ſuo; Nobiſque Deo gratias agentibus, depromamus verba Aduocatæ noſtræ B. Mariæ, ſicut à Cypriano admoniti ſumus depromere, cùm oramus, verba Aduocati noſtri Chriſti. Subtexit deinde beata Virgo prophetiam (eſt enim, teſte D. Baſilio, prophetiſſa ad quam acceſſit Iſaias) futurorum, prænuncians inter cætera, ea quæ Eccleſiæ, teſte D. Irenæo, ſuis temporibus, prius per vocationem gentium, poſtmodum per conuerſionem Iudæorum, tunc erant, & ex parte adhuc ſunt, euentura. Eliſabeth itaque exclamante, Benedicta tu inter mulieres; Beata Maria, authore D.

Bern. ſerm. de 12. ſtel.

D Tho. opu. de human. Chriſti.

Ambroſ. in hic locum.

Cyp. init de orat. Domi.

Baſil. in ca. 8. Iſaiæ.

Iren lib. 3. cap. 11.

Bern. vbi supra Bernardo, respondit quasi in hunc sensum: Tu magnificas matrem Domini; At verò:

1. *Magnificat anima mea Dominum.* i. Magnificentiam Domini (de qua in Cantico Deuteronomij diximus) erga me agnoscere, extollere, admirari, prædicare instat & intima deuotione satagit anima mea: Non enim potest Dominus magnificari à nobis, nisi in nobis. Magnificatur proinde, cum magnitudo ac magnificentia eius magis magisque in nostris apparet virtutibus & operibus resplendet. De qua magnificatione Apostolus, In omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo; siue per vitam, siue per mortem. Magnificatur item Dominus, cum magnitudo atque magnificentia eius, cum amplificatione intelligentiæ, coram mentis nostræ magis magisque increscit oculis. Philipp 1.

2. *Et exultauit spiritus meus.* i. anima mea dono Spiritus sancti in hoc adiuta, exhilarata est & præ lætitia gestiens, exiliuit, si non præ gaudio extra semetipsam exiuit, *In Deo salutari meo.* Gauisa namque fuit Sancta illa & casta anima, nõ tam de donata sibi à Deo salute, quàm de ipso Deo, Deíve bonitate iudicio atque consilio, de quo ipsi salus hæc processit atque prouenit. Hac verò ratione, anima sancta, non quærens quæ sua sunt, ingenuè in Domino, castissimo, eoque quod ex vera Dei charitate prorumpit gaudio, sese exhilarat atque lætatur. Quid autem, ô B. Virgo in Deo salutari tuo cognouisti, quod in exultationem spiritum tuum tam singulariter excitauit & exhilarauit?

3. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* q. d. Exultauit spiritus meus in hoc Dei iudicio atque beneplacito, quo beneplacitum ei fuit humilitatis virtutem, cuius infusione me præueniendo erat dignatus, attendere eiusq; intuitu maiora donare. Exhilarabat namque me, quod cum Deus salutaris meus, præ omnibus hominibus magnus sit; & omnes homines vlla dignitate præcellentes, oculos suos semper ad magna conuertant, ipse contra reliquorum morem, humilia respiciat in cælo & in terra. Arbitror proinde exultationem B. Mariæ, de eadem causa prouenisse, de qua Domini, cùm, teste Luca, exultauit spiritu & dixit: Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te: Hic namque Dominus in profundo, suaui, & efficaci Dei iudicio gaudet atque exultat. Quid enim hoc iudicio profundius, quo non paribus paria, sed contrarijs quadam ratione, contraria redduntur? Quid hoc iudicio suauius, per quod difformia, magna inquam & modica, alta & demissa, cõuenientissimè contemperantur? Quid eo efficacius, per quod arrogantia atque altitudo sæculi, ipsis suis conatibus confunditur & consternatur? Quò enim superbia

sæculi

ſæculi ſibi plus arrogat, eò diuinis ſe muneribus indignã plus reddit atque deſpoliat. Quò ſibi videtur Deo proprius accedere, eò à Deo fortius reſilit, ab eoque ſe longius abducit. In hoc ergo Dei iudicio atque beneplacito, ſecundum humanam naturam Chriſtus atque B. eius genitrix vno ſpiritu ſeſe ſimiliter oblectauerunt atque exhilarauerunt. Scio quidem non deeſſe Doctores qui [*humilitatem*] hîc non humilitatis virtutem, ſed intelligant eſſe vilitatem. Quam eorum expoſitionem, ſi prov t oportet intelligatur; opinor nihil falſi continere. Quis enim neget B. Mariam, humilitatem de qua loquitur, non ſuis viribus aut meritis, ſed præueniente Dei gratia, fuiſſe adeptam? Vt autem Deus eorum, qui in peccatis cõcepti, aut, niſi ipſe miſericorditer prohibeat, certiſsimè concipiendi ſunt, quempiam, gratia, aut ſuæ dulcedinis, quam ex Bernardo in Pſal. 20. expoſuimus, benedictionibus prętueniat, quid in eo prius niſi vilitatem & indignitatem miſeratus reſpicit & attendit? Non ergo, vt dicere cepi, illa Doctorum expoſitio falſidica eſt, ſed ſenſum B. Virginis eiusq; propoſitum non ſufficienter exponit; Quia probabile magis eſt B. Mariam cùm hæc diceret principaliter præoculis non habuiſſe illam Dei miſericordiam qua principiò eius reſpexit vilitatem, ſed illam Dei dignationem, qua humanæ ſapientiæ incomprehenſibili iudicio, honorare, extollere, atque ditare ſtudet atque incumbit humilitatis virtutem. Eccleſia enim, optima virgineæ mentis interpres, in officij eccleſiaſtici quodam dramate, ad hæc beatæ Mariæ verba alludens, introducit ipſam nos ad congratulandum ſibi in hæc verba inuitantem: Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cùm eſſem paruula placui Altiſsimo. Paruula, inquam, humilitatis virtute; Nam tametſi qui in oculis Dei viles ſunt, dicantur paruuli, ſicut ſcriptum eſt: Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines; & *Ierem. 49.* de ijs, cùm emendati fuerint, dici poſsit quod eos Dominus reſpexerit, nullatenus tamen de ijs dici poteſt quod placuerint aut placeant Altiſsimo; Id enim elogium veræ virtuti proprium eſt & præcipuè humilitati. Ne tamen dicta Doctorum expoſitio, quæ, vt diximus, non poteſt reijci vt falſidica, reijciatur tanquã à propoſito B. Virginis prorſus aliena, arbitror, ſuſtineri poſſe quod ipſa in verbis B. Mariæ implicitè cõprehenſa ſit atq; contenta. Quodque B. Maria dicendo, *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*, inter cætera agnouerit Deum vilitatem eius, è qua, vel per proprij nominis redemptionem, vel, vt alij tenent, præſeruationem, ſingulariter educta eſt, reſpexiſſe. Neceſſe enim eſt eam, cuius humilitatem Deus reſpexit, verè humilem fuiſſe; Si fuit humilis, non fuit oblita, ſe, ipſam humilitatem de gratia Chriſti accepiſſe; Si de Chriſti gratia, ergo de vilitate propria; quia gratia Chriſti redemptis eius, non ſolum abſque meritis, ſed ex

demeritis aut indignitate, aliquo saltem modo præiacente, principiò conceditur atque donatur. Plenus ergo horum verborum sensus est. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, quia Ancillæ suæ magnificis oculis, *respexit humilitatem*, illam, inquam, humilitatis virtutem, in quam opere gratiæ suæ, eiusdem ancillæ, suo modo præiacentem, prius commutauerat vilitatem. Dicit autem, *Ancillæ suæ*, in humilitate quæ erat, non necessitatis, sed electionis, aut vt loquitur D. Bernardus, voluntatis, perseuerans. Cùm enim per rationem virtutis non esset necesse, vt hoc se tempore Domini Ancillam nuncuparet, sed potuerit nomenclaturam Reginæ ac Domine sibi assumere; studio tamen humilitatis maluit id quod minus est vsurpare, toti mundo contestans se non necessitate, sed corde, siue voluntaria electione humilitatem colere, & exercere. Quæ tamen eius humilitas fundata fuit in rei veritate; tametsi enim gratia Dei Regina, non desijt tamen, conditione, Dei esse Ancilla. In qua humilitate ac humilitatis exercitatione dico eam fortiter perseuerasse; Sicut enim audito Gabriele Archãgelo, cùm diceret, Ecce Ancilla Domini, declarauit se repentino promisso non esse præpropere exaltatã; ita concepto Dei filio, cùm dicit, *Respexit humilitatem Ancillæ suæ*, contestatur se, quo minus eadem semper perseueret, nec tanta quidem obiecta machina fuisse expugnatam. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Verba hæc, teste Epiphanio, vaticiniũ continent futurorum preconiorum, quæ in finem sæculi vsque Beatæ Mariæ ab Ecclesia deferuntur, atque deferenda sunt. Idque,

Bern. serm. 42. in Cant. — *Epipha. in hære. 30.*

3. *Quia*, inquit, *fecit mihi magna qui potens est*. Dicit hoc conscientia habitantis in se Spiritussancti, inquit Hieron. Et quidem absque arrogantia; nouit enim se id absque suo, (gratia præuio) merito consecutam. Quæ autem sunt hæc magna? An quod incomprehensibilem concepit & peperit? Absque dubio, Hæc enim inter magna annumerari debent. Quia reuera magna est Maria B. Virgo inquit Epiph. coram Deo & hominibus, quia quem cæli capere non poterant suo gremio contulit, atque secundum carnẽ conclusit. De his tamen, ad miraculum vsq; magnificis, Dei in ea operibus hæc verba solummodo intelligi non debent. Prædicat enim B. Virgo illa Dei erga se magnalia, quæ eam non solum magnam faciant, sed beatam. Sola autem materna dignitas eam non effecit beatam, Materna enim propinquitas, inquit Augustinus, nihil Mariæ profuisset, si non fœlicius corde Christum quam carne gestasset. Itaque qui potens est fecit ei magna, quia Spiritussancto cooperante, eam, fide, proposito virginitatis deuoto, Pietate, prudentia omniq́ue virtutis genere dignam reddidit, quæ Dei mater fieret: Duorumq́ue, Christi dico & Ecclesiæ, in carne vna, thalamus: Deiq́ue infantiam regeret, & œconomiæ eius in carne primordia, ipsa materna procura-

Hiero. 1. ad uer. Pel. c. 6 — *Epiph. loco alleg.* — *August. de sanct. virgin cap. 3.*

curatione sua prima auspicaretur, & adornaret. Proindè, tametsi Christum carne peperisse eam per se non effecerit beatam, Id tamen emeruisse, fecit eam beatissimam. Quod omnes generationes ei dem secundum præsentem prophetiam cum veneratione adgratulantes, vno ore conclamant, Regina cæli Lætare, quia quem meruisti portare, resurrexit sicut dixit. Quæ tamen Ecclesiæ adgratulatio non debet sic intelligi, quasi per eam daretur intelligi, quod B. Maria emeruerit, vt filius Dei incarnaretur, Nequaquam, vt enim cætera prætercam, Omne hominis meritum Dominicæ incarnationis fructus est, & effectus, non ergò potest illius esse causa, Prædicat proinde eo cantico Ecclesia, quod cum filius Dei de gratuita Dei voluntate incarnandus esset, ipsa sola Spiritusancto præparante, tam sancta & immaculata extiterit virgo, vt eam Dei filius nō solùm matrem, sed se, pro ratione naturæ & conditionis humanæ, dignam deligeret matrem. Deligeret, inquam, tametsi enim ea, qua diximus, dignitate fuerit prędita, non tamen facta ei fuisset iniuria, si Dominus eam sibi in matrem non assumpsisset, Perfectam enim, & cui ex iustitia debetur retributio, meriti rationē non constituit sola dignitas emerentis, sed ad retribuendum sese obligans dignatio Dei paciscentis. Quæ cum dignitati B. Mariæ hac in parte non accesserit, dicitur ipsa meruisse Christum portare, ab altera, & quæ ex hominis parte ad meriti rationem concurrit, meriti parte, non à plenissima meriti ratione. *Et sanctum nomen eius*. s. fecit mihi magna, q. d. Ipse qui potens & secūdum nomē suum sanctus, & sanctificans est, fecit mihi magnalia hæc; Vt dicēdo, qui potens est, insinuet Deum hæc fecisse potestate qua valuit: Dicendo verò, *Et sanctum nomen eius*, insinuet eum eadem fecisse bonitate qua voluit. Nomen autem Dei ipsum Deum subinde significare, ex Deut. 28. in Psal. 32. & D. Basil. diximus. Vel, *Sanctum nomen eius*. s. est, Vt intelligatur B. Virgo hoc verbo, Dei qui benefecerat ei, excellentiam prædicare voluisse. Et id quidem vocabulo admodum conueniente, Nihil enim pretiosius inuenimus, inquit Ambrosius, quo Deum prædicare possumus, quam vt eum sanctum appellemus; Quodlibet aliud, inferius Deo, inferius est Domino. Prior tamen sensus videtur magis conuenire contextui, sequitur enim: *Amb 3. de Spiritusan. cap. 18.*

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. q. d. Sicut 4.
nomen sanctum eius mihi fecit hæc, ita etiam misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Facit enim misericordiam in milibus his qui diligunt eum, vt in Psal. 102. diximus. Ob hæc itaque magnalia, quæ fecit ei qui potens & bonus est, *Beatam*, inquit, *me dicent omnes generationes.* Huius, qua prędicanda erit, formulæ præscriptione, per veram humilitatem & ardentem diuinæ glorificationis appetentiam, optans sic prædicari, vt

ipsis quibus prædicanda erit verbis, omnis eius sublimitas & præcellentia suæ magis tribuatur, à Deo emissæ, sorti, quam virtuti. Cùm enim eos prædicemus esse beatos, quibus perpetua quadam felicitate magnifica sors dexterè cadit, cùm dicit, *Beatam me dicent, quia fecit mihi magna qui potens est*, quid insinuat, nisi quod magnalium horum Deum velit prædicari authorem, se receptatricem, Illum hæc fecisse potestate, se, sua accepisse felicitate, & accepta prius à Deo peregisse virtute? Siue, quod in idem redit, se in Domino, atque de suis meritis, tanquam Dei muneribus glorificari debere? Nam quod ob Dei dona homines prædicentur Beati, Christus testatur cum dicit, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Cùm ergo omnes generationes eam prædicare debeant beatam, anne sunt generatio praua, peruersa, atque exasperans, qui eam dicunt reliquis mulieribus aut virginibus æquiparandam? Et, vt eorum blasphemiam vno verbo elidam, qua quæso ratione æquabitur mulieribus vllis, quæ benedicta inter omnes mulieres, genuit, inquit Cypr. maiestatem? Sed ad propositum: Transit enim nunc B. Virgo, ijs quę dicta sunt, prophetiam, vt in argumento ex Iren. diximus, de Ecclesia subtexere, & ait:

Cypr. de singul. cleric. nu. 15.

6 *Fecit potentiam in brachio.* i. cooperante sibi filio *suo*. Quam quæso? *Dispersit* per orbem terrarum *superbos*. i. Iudæos incredulos, qui spreuerunt, & ignominia affecerunt, vt in Psal. 14. diximus, consiliũ Christi inopis. *Mente cordis sui*, siue, mente cordis ipsorum, *Sui* enim non ad dispergentem, sed ad *superbos* referendum esse Græca requirunt. Sensus ergo est. *Dispersit superbos* per ipsa sua, quæ pro appetitu cordium suorum, inibant consilia. An non id apparuit in Iudæis, qui per idipsum consilium quo locum & gentem conseruare, Christum è medio tollendo, consultabant, euersi, sedibus suis pulsi, & per vniuersum orbem terrarum sapiente etiam Dei, de quo in Psal. 56. diximus, consilio dispersi sunt? Deus enim, in hoc suam, sine violentia, manifestans potentiam, adduxit, vt ait Iob, consiliarios hos in stultum finem & iudices in stuporem.

7. *Deposuit potentes*. i. Iudæorum vtriusque ordinis principes, qui contra Christum, vt in Iacob cum Angelo luctante pręfigurabatur, fortes fuerunt, & authoritate sua valuerunt populum, ad postulandum præ Barraba, Christum, inclinare. *De sede* Principatus & sacerdotij, *Et exaltauit humiles*. i. Gentilem populum, prius abiectum, in regnum suum, atque adeo regale sacerdotium exaltauit, adducens Iudæos ad æmulationem in non gentem, in gente stulta irritans eos. Si tamen cum D. Greg. per [*humiles*] hoc loco intelligere malueris eos qui humiles sunt virtute, dicendus erit Deus exaltasse humiles, quia ad prædicta exaltauit gentiles, prius à se, vt Tertull.

Greg. li. 6. in 1. Reg cap. 2.

voce

voce vtar, humilificatas. In Ecclesia enim quæ hoc tempore gentium est, canitur hoc canticum graduum, vt non nisi per humilia ad altiora deueniatur.

Esurientes gentiles, de quibus Psal. 106. dictum est, Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit, *impleuit bonis*, In loco enim pascuæ eos, vt suo loco diximus, collocauit. *Et diuites*, qui arbitrabātur se sibi ad iustitiam cum cognitione legis ac literæ sufficere, *Dimisit*, vt erant, *inanes*, Præsumptio enim, quam diximus, eos inflatos faciebat, non oppletos, eos autem Dominus in illa inanitate reliquit. Quæ Dei misericordia, atque iudicium, in his duobus populis sic locum inuenit, vt tamen in omni gente & populo, eadem superbis, potentibus, diuitibus, humilibus, esurientibúsque à Deo omni tempore eueniant; Hoc tamen loco de Iudæis & gentibus expressè prophetata sunt, vt omnes diuinum propositum, iudicium atque consilium, in suo, qui in populis istis cernitur, effectu, clarius conspiciant, amplectantur & contremiscant. Ergo Verba hæc B. Virginis, de Iudæorum & gentium sortibus, enarrationis, vt ex Tertull. subinde diximus, continent proprietatem, nobis verò omnibus constituunt admonitionis exemplum. Sed nunquid inæternum proijcet Deus, aut misericordiam suam abscindet à generatione in generationem? Absit, quia *Suscepit Israel* secundum carnem, *Puerum suum*, Israel enim à gẽtis ipsius prima & quasi puerili ætate populus Domini fuit, q.d. In gratiam atq; ad misericordiam suscepit Israel, qui à puero ei dudum adhæserat, & in quem ipse ab eo tempore beneficus extiterat; post longa quædam obliuia, *recordatus* tandẽ *misericordiæ suæ*, 8.

Sicut locutus est ad patres nostros: *Abraham & semini eius*. s. locutus 9.
est, Sicut enim [memoror] vt in Cant. Zach. diximus, ita & [loquor] vtrũque regit casum, *in sæcula*, Quid autem aliud hic dicit prophetissa, quam quod Psalm. 97. Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israel? Recordari enim *misericordiæ sicut locutus est*, est recordari misericordiæ & veritatis suæ, quia misericordia quæ secundum promissa conceditur, Veritas est. Dominus autem, per omnia sæcula locutus est Abrahæ & semini eius, quod tandem circa nouissima tempora exhiberet misericordiam Israeli secundum carnem, per multa prius sæcula abiecto. Et quidem id dixit siue insinuauit Deus Abrahę, cum per os eius diceret seruis eius, Ego & puer postquam adorauerimus reuertemur ad vos; His namque verbis nil aliud, si D. Cyrill. credimus significauit, quam Deum ex Iudæis ad tempus recessurum, in finemque sæculi ad eos rediturum, cum in Christum ipsi crediderint. Hæc Cyrill. Locutus est idem Deus Semini Abrahæ per omnia penè & singula sæcula, Per Moysen quidem, In nouissimo autem tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius, Quia Deus misericors

D. Cyr. l. 7. in Genes.

Deuter 4.

sericors

ſericors Dominus Deus tuus, Non dimittit te neque omnino dolebit, neque obliuiſcetur pacti in quo iurauit patribus tuis. Per Annam matrem Samuelis, vt audiuimus in eius Cantico. Per Azariam filium Oded: Tranſibunt multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque ſacerdote, doctore atque lege, Cumque reuerſi fuerint de anguſtia ſua ad Dominum Deum Iſrael atque quæſierint eum, reperient eum. Per Iſaiam: Filij tui proiecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui, Idcirco audi hoc paupercula & ebria non à vino, Hæc dicit Dominator tuus Dominus, qui pugnauit pro populo ſuo, Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis, fundum calicis indignationis meæ, non adijcies vt bibas illum vltrà. Per Ieremiam, Eſt ſpes nouiſsimis tuis. Similiter per Ozeæ: Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius, quia Euangelica prædicatio ante omnia præparabatur Iudæis, Et veniet nobis quaſi imber temporaneus & ſerotinus terræ, quia eadem prædicatio ſerò adferet fœcunditatem Iudæis. Denique, ne prolixior ſim, per Zachariam; Effundam ſuper domum Dauid & ſuper habitantes Ieruſalem ſpiritum gratiæ & miſerationis, & aſpicient ad me quem confixerunt. Ex his itaque patet quod per omnia ſæcula Deus locutus ſit recordari tãdem Iſrael; & ſatis aduertitur quónam id quod B. Virgo dicit *in ſæcula* referendum ſit.

2. Para 15. Iſaia 51. Ierem. 31. Ozeæ 6. Zacha. 12.

Canticum Simeonis. Lucæ 2.

SImeon iuſtus & timoratus, tempore quo implebantur dies Purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, veniens in ſpiritu in templum; Et è manibus B. Mariæ, vt in Canticum Zachariæ ex Irenæo diximus, accipiens puerum Ieſum in manibus, gratias agens, benedixit Deum, & dixit:

1. *Nunc dimittis*, Videtur Simeon ſupra naturæ ſuæ corporeæ facultatem, diuinitus in vita ab aliquo tempore fuiſſe conſeruatus, vſque dum videret Chriſtum Domini; Quo viſo, quaſi alterius virtute contra propriam ſenilis naturæ inclinationem hactenus ſuſtentatus, *dimittis*, inquit, nunc ſiue ab hac hora *ſeruum tuum*, vt ſecundum propriam mortalis corporis inclinationem decidat in mortem, quam hactenus auertiſti. *Secundum verbum*, id eſt, reſponſum *tuum*. Non enim vltra hoc tempus ſe extendit ſuſtentationis tuæ erga me promiſsio; Relinquis tamen, *in pace*. Dicendo, *in pace*, aſſeruit, inquit diuus Ambroſius, viuendi cupiditatem ſibi aliam non fuiſſe, niſi vt Chriſtum videret. Arbitror proinde hunc iuſti viri ſermonem, potius eſſe, cum bona animi pace, conſentientis, & diuinæ, qua eum à diſſolutione vlterius conſeruare nolebat, voluntati acquieſcentis,

Amb. in pſ. 118. ſerm. 20 v. 1.

ſcentis, quàm orantis: quanquam D. Ambroſ. eum interpretetur eſſe orantis. De bo. mor. cap. 2.

Quia, ad magnam animi mei & lugentium Sion conſolationem, *viderunt oculi mei*, corporei, *ſalutare tuum*, id eſt, Chriſtum, mihi prius fide cognitum: Quem, quia ab æterno tuus erat, dediſti, & ſecundum carnem feciſti, humanæ ſalutis authorem & conſummatorem. Celſus interim author præfationis in altercationem Iaſonis & Papiſci tomo 3. Cypriani, hanc ſenis exultationem refert, non ad id quod ſimpliciter viderit Chriſtum, ſed quod ex corporea cæcitate, per contactum Chriſti redditis ſibi luminibus, geminato beneficio viderit Chriſtum: Simeon, inquit, iuſtus, cum in cæcitate conſtitutus in manibus acciperet Chriſtum, vidit, Et quod cæcus, à Domino ſibi reſponſum dante audierat, & accepto lumine viderat, benedicendo palam, Deum prædicabat. Quam eius ſententiam commemoratione ſaltem dignam arbitratus ſum. 2.

Quod paraſti. Paraſti, inquit, Nondum enim Deus in Chriſti prædicatione, conuerſatione, miraculis, paſſione aut morte, operatus erat ſalutem in medio terræ, ſed per incarnationem eum ad hoc, iam carne, mente, perſonæ dignitate parauerat, *ante faciem*, id eſt, notitiam, *omnium populorum*. In primis Iudæorum. Hi enim Chriſtum infantem in ſuis paſtoribus, & etiam in templo, conteſtantibus Angelis, & omni ætate, ſexu, hominumque conditione coràm viderunt. Quin & gentium; Verbum enim caro factum, ſic ſuſceptionis noſtræ, inquit D. Leo, temperauit exordia, vt iam ab eius natiuitate cæli enarrarent gloriam Dei, & in omnem terram ſonus veritatis exiret, quando & magos ad eum adorandum præuia ſtella perduxit, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum, veri regis generatio coruſcaret, cum rerum fidem & regna Orientis per magos diſcerent, & Romanum imperium non lateret. Hæc Leo. His ergo modis parauit Deus ſalutare ſuum ante faciem omnium populorum: Sicut enim Deus Chriſtum per incarnationem præparauit in redemptionem, ita & per has eius apparitiones præparauit omnes populos, vel, ſaltem argumentum præbuit omnibus populis, vnde poſtmodum Chriſti conciperent fidem. Parauit, inquam, eum, vt ſit, 3. Leo ſerm. 1 de Epiph.

Lumen ad reuelationem gentium. i. vt per illuminationem gratiæ ſuæ dicat gentili populo ſedenti in tenebris & vmbra mortis; Reuelamini, & de tenebris denſiſsimis ad lucem veritatis, vt cum Tertull. loquar, expaueſcite. *Et gloriam plebis tuæ Iſrael.* Magnum enim decus, magnamque gloriam attulit Chriſtus Iſraeli, per id quod ex eo, in ſalutem totius mũdi, aſſumpſit carnem. Cuius gloriæ meminit Apoſtolus, cùm dicit; Optabam ego ipſe eſſe anathema à Chriſto pro fratribus meis, quorum adoptio eſt 4.

 filio-

filiorum, & gloria. Itaque & ego anno ætatis meæ quinquagesimo primo cum sancti senis Simeonis Cantico, dimitto lectorem in pace; Non quasi dicere ei velim, his amplius filî non requiras, Ego ipse enim non dubito in his multa circa sermonem, multa circa explicandi rationem, multa quoad rerum vbertatem desiderari posse; Quocirca verbis D. Augustini admonitus & instructus, conuerto me ad Dominum, qui est sapientiæ dux & sapientium emendator, & dico, Domine Deus vnus, Deus Trinitas, quæcunque in hac expositione mea dixi de tuo, agnoscas tu, agnoscant & tui; Si quæ de meo, ignoscas tu, ignoscant & tui.

Eccle. 12.

Aug. 15. de Trinit. in calce.

AMEN.

Errata huius libri quomodo corrigenda.

Psalmo 7. versu 11. linea 11. pro iri, lege, esse. Psal. 11. v. 1. li. 4. qu. le. qua. Ps. 12. v. 3, l. 2. ipsi, l. ipse. Ps. 17. v. 47. li. 2. quemadmodũ; quem nõ. Ps. 21. v. 13. l. 1. crude; crudeli. Ps. 21. v. 29. l. 9. de qua cogitarat, le. de qua non cogitarat. Ps. 30. v. 15. l. vlt. obseruanti; obseruãtia. Ps. 35. v. 10. l. 11. fonte; fonti. Ps. 64. v. 8. l. 11. fuit; sunt. Ps. 70. v. 7. l. 34. arenea; aranea. Ps. 78. v. 13. l. 11. qui; cui. Ps. 85. v. 12. l. 4. lũbi; lymbi. Ps. 101. v. 28. l. 11. & præteritũ trãsit; & in præt. transit. Ps. 118. v. 38. l. 1. verbo; seruo. Cant. B. Mar. v. 9. l. 17. dimittit; dimittet: ibid. dolebit; delebit.


INDEX SCRIPTVRARVM
VTRIVSQVE TESTAMENTI HOC LIBRO EXPLICATARVM.

Primus numerus Psalmum, secundus versum designat.

15. No-

ISAIAS.

34. Et



INDEX
EORVM QVÆ IN HOC OPERE NOTATV DIGNIORA VIDENTVR.

A.

Chri-

D.

Ecclesia

Ignis

Non

Patien-

T.

Tenta-

PSALMORVM INDEX.

Confite-

Quam

CANTICORVM INDEX.

Laus Deo. 15. Iulij. Anno Domini 1597.

